# AD EPHESINUM CONCILIUM VARIORUM PATRUM EPISTOLÆ,

EX MANU-SCRIPTO CASSINENSIS BIBLIOTHECÆ CODICE DESUMPTÆ;

*ITEM*

EX VATICANÆ BIBLIOTHECÆ MANU-SCRIPTO

Commonitorium Celeſtini Papæ Epiſcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem;

TITULI DECRETORUM HILARI PAPÆ: NEAPOLITANUM CONCILIUM: EPISTOLÆ ANACLETI ANTI-PAPÆ:

Nunc primùm in publicam lucem data,

*AC SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATA,*


## PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

*Iprenſem, Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctorem, ac Regium Primarium Profeſſorem.*

## EJUS OPERUM TOMUS SEPTIMUS

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXVI.

Proſtant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

*CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# *SERENISSIMO*

# PRINCIPI

# COSMO III.

# MAGNO ETRURIÆ

# DUCI.

*REdit iterum* Florentiam *Fr. CHRISTIANUS LUPUS, magnus ille librorum helluo, atque Eccleſiaſticæ Eruditionis Eximius Doctor; ac noſtra manu deductus MEDICEI Palatii penetralia ſubiens,* Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudinis *veſtigiis ſiſtitur. Cogimur,* Magne Dux COSME*, accepta lethali ictu plaga cicatricem nondum obductam, ſed recenti adhuc ſanguine perfuſam, refricare. Ille, fortè præſcius ſe jam extremis metis admotum, quò properantia vitæ momenta præverteret, quatuor unà ſimul, diverſi argumenti voluminibus, ut ſcribendis, ut edendis nocturno diurnoque labore incubuerat; cum improviſo ac diuturniori morbo congreſſus, prioribus editis, altero ad umbilicum ferè deducto; huic poſtremo haud poſtremam manum, morte præreptus, impoſuit. Verùm tumulo licet conditus, prela etiamnum, ſimulque Eruditorum ingenia atque admirationem, imò ipſam quoque famam fatigat. Enim verò ſuperſtes cum ſubinde cogitaret, quibus ſemet per Etruriam tranſeuntem Regiæ planè Beneficentiæ radiis perfuderis, quamque invidioſo ſtipendio non ſemel* Florentiam *invitaveris; plures decades Epiſtolarum variorum* Patrum*, quæ in Caſſinenſis Bibliothecæ angulo tot ſæcula cum blattis luctatæ fuerant,* Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudini *nuncupare, ac poſtremum hocce Opus (ita enim ægrotus loquebatur) ſuæ ipſius vitæ navigatione peracta,* Veſtro Magno Nomini *veluti votivam tabellam appendere deſtinaverat, ut ſaltem nomen ſuum vel ſola hac debiti profeſſione diſpungeret. Verùm noviſſimo hoc partu adverſam Lucinam expertus, vitam ſimul dedit ac perdidit; illum enim Superi terris eripuerunt, ne quid poſt tam præclarum ac planè immortale Opus poſtea perſcriberet. Nos tanquam reciſo de Semeles utero fœtui obſtetrices manus ſuppoſuimus, eumque è typis in lucem educentes, ac Eximiæ demortui Viri erga* Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem *obſervantiæ veluti ex aſſe hæredes, obligatam tam charo Capiti fidem implevimus. Equidem quamvis huic Operi magna veneratio debeatur, quod tot Patrum Epiſtolas, hactenus ineditas, ac noviſſimo labore à celeberrimo noſtræ ætatis Scriptore illuſtratas complectatur; maximam etiam inde recipiet quòd* Sereniſſimi Veſtri Nominis *ac patrocinii fulgore præradiat. Nemo ignorat* Te*, optime* idemque doctiſſime Principum*, cum Bibliothecam omnium librorum genere inſtructiſſimam dudum extruxiſſes, alteram nuper intrà ſecretiora Palatii penetralia, unique tibi adeundam dedicaſſe, in qua ſacri tantùm vetuſtioris Eccleſiæ* Patrum *Codices ſervarentur, ut eos in oculis ac complexu unicè haberes. Hos laureatos tripodes, hæc ſacra pulvinaria, hæc Chriſtiani Orbis oracula ſæpè conſulis, ut cum ipſa eorumdem pietate ac doctrina imperium partiri velle videaris. Hinc Jure ac merito CHRISTIANUS LUPUS, qui diu noctuque in* Patribus *habitabat,* uni Tibi*, apud quem* Patres *tam propè habitant, laudatas Epiſtolas, tot votis ab Eruditis quibuſque expetitas, nuncupandas decreverat. Eaſdem nos, ſuccedanea veneratione,* ad Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem *ex Lovanienſi Athenæo, quod olim, cum Princeps Juventutis Europam perluſtrares, magnus hoſpes implevisti, traſmittimus, ut hocce Volumen ſacra manu, qua tot Mortalium millibus meliora Bona diſpenſas, ſecretiori ac ſacratiori tuo* Muſæo *illatum, nova cum precii tum decoris incrementa ſuſcipiat, immò tanto etiam* Principe *lectore ſuperbiat.*

Dabamus Lovanii ad D. Joannis Baptiſtæ, ipſo Nativitatis Dominicæ die 25. Decembris 1681.

*SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ*

MINIMI FAMULI

*Prior & Conventus Lovanienſis FF. Erem. S. Auguſtini.*

SUÆ CELSITUDINI SERENISSIMÆ

# ALEXANDRO FARNESIO, PRINCIPI DE PARMA,

Suæ Catholicæ Majeſtatis per Belgium Gubernatori, Supremo Armorum Præfecto, &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

INducias pauliſper ac ferias (ſi lubet) da Tuis graviſſimis, quibus incumbis Reipublicæ negotiis, dum Te interpellamus. Ecce *Chriſtianum* ingenii Lupini, ſed adhuc in cunis vagientem fœtum Tibi ut publico Patriæ Patri ac Tutori ferimus & offerimus, imò nec ferimus, qui ſuapte ſponte ad animi magnitudinem Tuam, viam affectabat; ut pote gratitudine impellente, ſed & humanitate Tua appellante inductus. Et ſanè ingraveſcentis ægræque ætatis imbecillior fœtus fulcimento indigebat & tutela: utrumque reperit in auſpicatiſſimo *Farneſiano* nomine, unde novum univerſo Belgio lumen & columen affulſit.

Porrò Eximius Vir *Chriſtianus Lupus* bonæ laudatæque memoriæ, Eccleſiaſticæ antiquitatis vorago, de Lovanienſi Academia benè meritus, vix ex Italia redux, Tuo & *Caroli Secundi* ſecundo adſpirante favonio, ad Primaria & Regia S. Th. ſubſellia, ſeu Cathedram in Grudio Belgii Athenæo evectus, huic magis prodeſſe *Chriſtiano* labore, & ingenii ſui monumentis deſtinarat; at ò invida fata! invalitudine, & fatali illa lege impeditus non potuit. Cui priuſquam ſuccumberet, Tutorem huic pupillo ſelectiorem alium reperire non valuit, certè nec voluit quærere, nec debuit, à quo tantum illi benevolentiæ imo & beneficentiæ acceſſerat.

Itaque uti aliud Volumen Variorum Patrum Epiſtolis hactenus ineditis decoratum, inſcribi voluit *Sereniſſimo Principi, Coſmo Tertio Magno Etruriæ Duci*, ut quos cognationis vinculum conjunxit, patrocinium non disjungat; ita quam retexendæ huic *Scholiorum* telæ ultimam navavit operam, quas lucubrando obſumpſit clepſydras, Illuſtriſſimo Tuo nomini pollucere decreverat. Hinc ad benefacta animum retorquens, occaſionem aſſiduè aucupatus propalam prodendi, quantoperè Tuæ Celſitudini privatim foret obnoxius; ſub ipſum vitæ finem verè Cygnæâ voce, hanc ipſam lucubrationem non ſatis ſuam putavit, niſi & Tua foret.

Abſit ergo, ut noſtræ ingratitudinis vitio beneficia illa oblivionis periculum adeant, aut interjecto ſpatio obſoleſcant: *Cum omnia benefacta in luce collocari ſe volunt*. Hinc ne Gratiis ipſis parum grati videamur, certatim operam dedimus, ut noſtra ex ejus voluntate Tibi polluceremus: atque adeò quod ille voti promiſſione tacitus ſuſceperat & palàm declaraverat, nunc debiti religione repræſentamus.

Cui quidem operi *Chriſtiano* calamo & induſtria ſatis illuſtrato, etſi ſuus non deſit ſplendor & pretium; plus tamen ei ſplendoris, pretiique accedet, ſi ei præfigamus Sereniſſimum *Farneſianum* nomen. Quid enim, quamvis ad laudes ſatis ſis ipſe Tibi, illuſtrius celeberrima illa & Sago & Toga & Pontificia Tiara, unde non deneger ſurculus produiſti, *Farneſiana* ſtirpe? Præterquam quod hanc illuſtret *Paulus III.* antea *Alexander Farneſius* dictus, Pont. olim Maximus, Oecumenici Concilii Tridentini indictione non Urbi notior, quàm Orbi: quis neſcit Majores Tuos *Odoardum & Ranutium Parmæ ac Placentiæ Duces*, quos natura ad omnem laudis ac gloriæ nobilitatem magnos atque excelſos produxit? *Farneſianum* enim genus tantum eſt, ut ad gloriam ei nihil adjici poſſit, aliis autem addere poſſit plurimum.

Quis ignorat (in quo Tuæ laudis cardo potiſſimùm vertitur) hocce Tuum genus longa ſelectiſſimorum Procerum ſerie illuſtre, illuſtrius reddidiſſe Proavum Tuum *Alexandrum Parmenſem* (ut appellatum noſti) *Belgarum Camillum*, & repetito Demetrii cognomento Urbium expugnatorem? Ille enim vel ò Romanus, ſed ſobrius iræque victor *Alexander*, quondam in Belgio, hoc eodem munere perfunctus, ſpirat etiamnum in fortiter præclarèque geſtis, vivit adhuc & perpetuò vivet in animis affectibuſque Belgarum æternitatis ſtylo inſculptus. Qui non ignarus, *boni, ſtrenuique Gubernatoris eſſe*, teſte Romano Sapiente, *pro univerſorum ſalute excubare*, pro Belgis jugiter excubabat. Cujus Heroicas curas, & Martiales ſpiritus, bonique publici amorem ſat Belgici Annales loquuntur: utpote à quo in difficillimo Patriæ ſtatu, inter prima illa turbulentorum hominum tentamenta, non aliter ſe Belgæ regi ſenſerunt quàm ſervari. Exercebatur nempe virtus ejus iniquitate temporum, in quæ inciderat, non ignara magnis periculis magno opus eſſe adjutore. Adde, quod eum in Religione tutanda ac promovenda zelus vel maximè commendaverit; dum non modò adverſus tum temporis graſſantem Hæreſeos rabiem armavit Martem, ſed & ſacram Artem; dum Regio ære in Lovanienſi Lycæo Religioſum Mendicantium Ordinum inſtructum Seminarium fovit ac animavit, ut Sanctioris Doctrinæ ſtudiis imbuti, adverſanti Hæreſi fortiter reſiſterent; atque adeò in ſtudii ſtadio currentibus admovendo ſtimulum & calcar, certantibus ſufficiendo vires, Religioni optimè conſuluit.

Et experietur profectò Belgium (ſic benè ominari liceat) *Sereniſſime Princeps*, virtutis Tuæ generoſitatem, quæ oneroſi hujus honoris ſibi pondus vendicabat, Teque comprobavit in hoc Belgici Regiminis faſtigium, in cujus bonum curas extendis Tuas, Teque totum impendis, non idem duntaxat nomen, verùm eaſdem quoque virtutes intuliſſe. Quod præclariſſimum munus Tibi a *Carolo Hiſpaniarum Rege* delegatum conſtanter hactenus adminiſtras tam curace vigilantia, tam fideli prudentia, tam juſto denique moderamine, ut dum Vicaria uti alter Hercules ope Belgicum axem cum *Carolo* viriliter atque utiliter ſuſtines, reapſe conteſtere, ſingulari Te Superum favore ad publicam Patriæ felicitatem & commune Belgarum bonum auguratò auſpicatoque deſtinatum eſſe. Adeò ut Majores tui non denati, ſed in Te renati reviviſcent; quin *Alexandrum* Proavum in Te, Te in *Alexandro* graphicè expreſſum, utque Dignitatis, ita Te ejus indolis hæredem; ac proinde non alium Te magis idoneum tantæ moli Atlantem Belgæ omnes cognoſcent, ſuſpicient, venerabuntur.

Quæ omnia, aliaque præſtantiora, quæ uti Atlantis vertex ſupra hæc inferiora, ita ſupra calamum, vocemque noſtram ſunt, nos confidenter induxere, ut *Chriſtiana Scholia* tot eruditorum votis expetita, inter Palatii penetralia, *Veſtræ Celſitudinis* veſtigiis ſiſteremus.

Speramus interim, *Heros Generoſiſſime*, Te mentem illam negotiorum capacem, inter tot decumanas Regiminis Tui curas, more & amore Tuo ad nos inclinaturum, admiſſurumque hocce Volumen, re quidem anguſtum, ſed affectu decumanum & auguſtum, velut arrham gratitudinis & obſequii erga Te nunquam emorituri. Hoc unum deprecantes, ut idem ille amor, prothymia, affectus, quem in Eximium noſtrum Scriptorem exeruiſti, quemque Proavus Tuus etiam in Bruxellenſi Cœnobio admittendo fovendoque oſtendit, in *Ordinem Auguſtinianum* Tuo nomini devotum ac devinctum, à Te ſtudioſè conſervetur.

Atque ut diu Belgicas Provincias pro Rege regas, dum privatim vovent omnes, nos quoque auſpicatiſſimam Belgici Regiminis adminiſtrationem ſupplici prece vovemus per hoc Volumen publicè. Felix! ſi in manus admittatur: Felices nos! ſi in animi Tui gratiam:

*SERENISSIME PRINCEPS*

CELSITUDINIS TUÆ SERENISSIMÆ

Æternùm devoti uel devincti Cultores & Clientes

*Prior & Conventus Lovanienſis FF. Eremit. S. P. Auguſtini.*

IN-

# INDEX CAPITUM.

Caput I. Reverendiſſimo & Deo Amantiſſimo Comminiſtro Neſtorio Cyrillus, & quæ convenit in Alexandria ex Ægyptiaca Diœceſi Synodus in Domino ſalutem. Fol. 13

Caput II. Epiſtola Sancti Joannis Archi-Epiſcopi Antiochiæ ad Orientales Epiſcopos de facta Pace univerſalis Eccleſiæ, quam à Beati Cyrilli, ad Acacium quæ nominatur, Epiſtola nominavit. 17

Caput III. Epiſtola Neſtorii, quam direxit Sancto Joanni Antiocheno Epiſcopo de Conſtantinopolitana Civitate, reſpondens ad ejus Epiſtolam, quam direxerat ei, antequam cum tertiis Litteris Beati Cyrilli Epiſtolam Sancti Celeſtini Papæ Romanæ Urbis acciperet; id eſt, antequam fieret Sancta Synodus Epheſina. 19

Caput IV. Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Firmum, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum. 23

Caput V. Conteſtatio propoſita in publico contra Clericos Conſtantinopolitanos, & in Eccleſia inſinuata, quia Sectator eſſet Neſtorius Pauli Samoſateni, anathematizati ante annos centum viginti ab Epiſcopis Orthodoxis. 25

Caput VI. Epiſtola Sanctiſſimi Doctoris Eccleſiæ Iſidori, Presbyteri & Abbatis Monaſterii circa Peluſium, ad Archi-Epiſcopum Alexandriæ Beatiſſimum Cyrillum. 26

Caput VII. Conteſtatio directa Beato Cyrillo, & his qui cum eo convenerant, ab aliis diverſarum Provinciarum Epiſcopis, qui Joannem Antiochenum ſuſtineri volebant, & tunc eo præſente Synodum fieri, eò quod, ſicut ſcripſerat Beato Cyrillo, vix ei iter triduanum ſuperarat. Directa verò eſt pridie, quàm celebrarentur Geſta contra Neſtorium, per quæ depoſitio ejus eſt facta. 28

Caput VIII. Epiſtola Neſtorii, & qui cum ipſo, ad Imperatorem Theodoſium, de his quæ tunc in Epheſo geſta ſunt. 34

Caput IX. Conteſtatio Candidiani Comitis, quam publicè, manè audiens Synodum celebrari, in Epheſo propoſuit. 38

Caput X. Item Conteſtatio alia Magnificentiſſimi Comitis Candidiani poſt Synodum. 40

Caput XI. Item Edictum Magnificentiſſimi Comitis ad Synodum. 41

Caput XII. Incipiunt ſecunda Commenta Synodi, quæ cum Joanne Antiocheno Epiſcopo convenit, in Epheſo. Ibid.

Caput XIII. Dominis Reverendis, & Honorandis Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis, & Amico Chriſti Populo in Hierapoli Euphrateſiæ, Sancta Synodus Orientalium, & eorum qui ex diverſis Regionibus atque Provinciis per gratiam Dei in Epheſum convenerunt, in Domino gaudere. 43

Caput XIV. Ejuſdem Synodi alia Epiſtola ad Imperatorem Theodoſium, quam ſcripſerunt poſt Irenæi diſceſſum, cognoſcentes quæ contra eos adverſa Pars egerat. Direxerunt verò jam prædicto Comiti, ut cum aliis Principi offerret & hanc. 50

Caput XV. Epiſtola Neſtorii ad Scholaſticum Eunuchum Imperatoris Theodoſii. 51

Caput XVI. Poſt hæc directus eſt Comes Largitionum Joannes cum Sacris de depoſitione Neſtorii, & Beatorum Cyrilli & Memnonis, quæ in priori Codicis parte poſuimus. Cujus Comitis iſta Relatio eſt. 54

Caput XVII. Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi, & Synodi quæ cum eo convenit, ad Imperatorem Theodoſium, quam direxerunt per eundem Joannem Comitem, in qua etiam Catholicæ fidei illa Confeſſio continetur, quam poſtea Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus per Pacificam laudavit Epiſtolam, ſcribens eidem Joanni Antiocheno Præſuli per Legatum Pacis Paulum, Emiſſenum Epiſcopum 55

Caput XVIII. Honorandiſſimis & Deo Amiciſſimis Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis, ac Monachis, & Amicæ Chriſti Plebi, quæ eſt in Antiochia Orientis, Sancta Synodus Orientalium, & aliarum Regionum, Provinciarumque, quæ per Dei gratiam in Epheſo congregata eſt. 58.

Caput XIX. Domino meo per omnia Sanctiſſimo Patri, Epiſcopo Acacio Joannes, Joannes, Alexander, Alexander, Dexianus, Paulus, Macarius, Apringius, Theodoretus, Muſæus, Meletius, Diogenes. 60

Caput XX. Epiſtola Theodoreti, Epiſcopi Cyri, ad Andream Epiſcopum Samoſatenorum. 61

Caput XXI. Epiſtola Comitis Irenæi, quam cunctis, à quibus fuerat directus, Epiſcopis ante Comitis Largitionum Joannis reſcripſit adventum. 64.

Caput XXII. *Sancta Synodus Orientalium Regionum, & horum qui pariter ex diverſis Provinciis ac Partibus congregati ſunt, id eſt, ex Bithynia, Piſidia ſecunda, Paphlagonia, Cappadocia, Europa, Rhodope, Theſſalia, Dacia, inter locuta eſt quæ ſubter annexa ſunt.* 74

Caput XXIII. *Mandatores Synodi Orientalis Epiſcopi, & reliquorum qui pariter in Epheſum congregati ſunt, ad Legatarios ſuos.* 78

Caput XXIV. *Epiſtola Præfectorum ad Neſtorium, ut cum honore ad ſuum Monaſterium remearet, unde ad Epiſcopatum fuerat vocatus.* 81

Caput XXV. *Epiſtola Neſtorii reſcripta ad eundem Præfectum Prætorium Antiochenum, ad Epiſtolam ſupraſcriptam.* 85

Caput XXVI. *Iterùm alia Epiſtola ab Epiſcopis Orientalibus, & Confidentibus eorum, ab Epheſo, per quam reſpondetur ad litteras ſupra ſcriptas.* 86

Caput XXVII. *Iterum alia Epiſtola quorum ſupra Epiſcoporum ad quos ſupra Epiſcopos.* 88

Caput XXVIII. *Per omnia Deo Amiciſſimis, & Sacratiſſimis, atque Sanctiſſimis Comminiſtratoribus, Joanni, Joanni, Himerio, Paulo, Macario, Apringio, Theodoreto, Epiſcopis, Synodus, quæ convenit Epheſi, Salutem.* 93

Caput XXIX. *Imperatores Cæſares Theodoſius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, ſemper Colendi, ſanctæ Synodo, quæ in Epheſina Civitate convenit.* 99

Caput XXX. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum, quam posuit Irenæus.* 100

Caput XXXI. *Dominis honorandiſſimis, & Deo Amiciſſimis Epiſcopis, qui in Epheſo degunt, Joannes, Himerius, Paulus, Macarius, Apringius, Theodoretus, Epiſcopi in Domino ſalutem.* 103

Caput XXXII. *Conteſtatio prima Joannis, Antiochenæ Sedis Patriarchæ, & reliquorum ſex, quam Theodoſio Imperatori à Chalcedone direxerunt, quando eis illic relictis intravit Conſtantinopolim cum his Miſſis, qui erant in Legatione à Beato Cyrillo, & Synodo quæ pariter convenit in Epheſum.* 104

Caput XXXIII. *Poſt conteſtationem Joannis, & aliorum Epiſcoporum, qui in Chalcedone retenti ſunt intrante Imperatore in Conſtantinopoli cum Parte adverſa, hæc ad Epheſum Sacra directa eſt Epiſcopis, qui cum Alexandrino Epiſcopo convenerant, cujus poſt præfationem talis eſt Textus.* 109.

Caput XXXIV. *Conteſtatio ſecunda, quam Joannes Antiochenus Epiſcopus, & reliqui..... & totius Synodi, à qua directi ſunt, Imperatori Theodoſio ad Conſtantinopolim direxere perſonas.* 111.

Caput XXXV. *Conteſtatio tertia, quam Theodoſio Imperatori eidem ſeptem Epiſcopi direxerunt.* 113.

Caput XXXVI. *Pars Sermonis unius, quo in Chalcedone dicunt uſum Theodoretum, Epiſcopum Cyrenſis Eccleſiæ.* 115

Caput XXXVII. *Sermo Joannis Antiocheni, quem dixit in Chalcedone poſt Sermonem Aphthonii Preſbyteri, & Epiſcopi Theodoreti.* 117

Caput XXXVIII. *Epiſtola Sancti Joannis Antiocheni Epiſcopi, quam Præfecto ſcripſit ab Ancyra.* 119.

Caput XXXIX. *Epiſtola Joannis Antiocheni Patriarchæ, & omnium qui in eadem Civitate pariter convenerunt, Epiſcoporum ad Imperatorem Theodoſium poſt certamina, quæ hi habuerant Epiſcopi in Epheſo & Chalcedone.* 122

Caput XL. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri, quam ſcripſit ad Populum Conſtantinopolitanum, per quam oſtenditur, quia non ſolùm priùs & poſteriùs, ſed & quando ab Epheſo ad Chalcedonem, & à Chalcedone redivit ad Eccleſiam ſuam, ſemper fidem Catholicam prædicavit, licèt Neſtorium damnare diſtulerit, non credens illa ejus eſſe Dogmata, quæ & ipſe Neſtorius denegabat, & in Epheſo ex Quaternionibus ſub ejus nomine, nullo teſte probata credebat.* 124

Caput XLI. *Epiſtola Sancti Acacii, Berrhæenſis Epiſcopi antiquiſſimi, & illo tempore clari Sacerdotis, qui etiam Confeſſor Arianorum temporibus fuit. Cujus & ſcriptas contra Beati Cyrilli Capitula litteras approbavit Theodoſius Imperator, ſcribens ad Synodum, quæ in Epheſo congregata eſt, per Joannem Comitem Largitionum, ſicut ſupra oſtenſum eſt. Cui & in ipſa diſcordia poſito & Sedes Apoſtolica, & Beatus Cyrillus cum magna veneratione reſcripſit.* 128

Caput XLII. *Epiſtola, quam præfatus Irenæus direxit à Beato Theodoreto Cyri Epiſcopo ad Candidianum Comitem Domeſticorum, ante pacem miſſa.* 131

Caput XLIII. *Epiſtola ſanctæ memoriæ Venerabilis Andreæ, Epiſcopi Samoſatæ Civitatis, ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum, de Rabbula Epiſcopo Edeſſeno, qui ſe ab Orientali Synodo ſeparavit.* 132

Caput XLIV. *Synodicum Decretum Joannis Antiocheni Epiſcopi, & reliquorum, ad Epiſcopos Oſrhoenæ Provinciæ contra eundem Rabbulam, Edeſſenæ Civitatis Epiſcopum.* 140

Caput XLV. *Hypomnyſticum Theodoreti ad Alexandrum Metropolitanum.* 155

Caput XLVI. *Epiſtola Dorothei Metropolitæ, miſſa ad Populum Conſtantinopolitanum.* 159

Caput XLVII. *Alia Epiſtola Theodoreti ad Populum Conſtantinopolitanum, commendatitia.* 161

Caput XLVIII. *Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Helladium Tharſi Epiſcopum, quando allata ſibi Maximiani Synodica, noluit ejus nomen in Diptycha recipere.* 162

Caput XLIX. *Item Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Clerum & Populum Tharſenſis Eccleſiæ, quandò perſonuerat, quod Imperator juſſiſſet, ut inde pelleretur Helladius, eò quod minimè ſuſcepiſſet Maximiani Epiſcopi Conſtantinopolitani Synodica.* 163

Caput L. *Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum de Ariſtolao, quem pro pace facienda miſit Theodoſius Imperator ad eundem Joannem, & Cyrillum Alexandriæ Patriarcham cum Epiſtolis ſuis, per quas Synodis omnibus inter eos pacem fieri juſſit.* 164

Caput LI. *Hypomnyſticum Imperatoris Theodoſii ad*


*Acacium*

Digitized by Google

*Acacium Epiſcopum Berrhææ.* 168

Caput LII. *Hypomnyſticum ad Sanctum Simeonem Stylitem per eundem Ariſtolaum.* 169

Caput LIII. *Propoſitiones, quæ directæ ſunt ab Acacio Berrhæenſi Epiſcopo per Ariſtolaum Tribunum & Notarium Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ex Concilio Epiſcoporum, Joannis Antiochiæ, Alexandri Hierapolis, Macarii Laodiceæ, Andreæ Samoſatæ, & Theodoreti Cyri, de pace facienda.* 173

Caput LIV. *Epiſtola Alexandri, Andreæ, & Theodoreti, Epiſcoporum, ad Helladium Tharſi Epiſcopum, ſicut poſuit Irenæus.* 177

Caput LV. *Epiſtola Sancti Acacii Epiſcopi Berrhææ ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum.* 178.

Caput LVI. *Domino meo Dilectiſſimo Fratri & Comminiſtratori Acacio Cyrillus in Domino ſalutem.* 180

Caput LVII. *Epiſtola Alexandri Hierapolitani ad Acacium Berrhæenſem Epiſcopum.* 183

Caput LVIII. *Epiſtola ejuſdem Alexandri ad Andream Epiſcopum Samoſatenorum.* 186

Caput LIX. *Epiſtola Andreæ Epiſcopi, per quam reſpondit ad Epiſtolam hanc Alexandri.* 187

Caput LX. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi, ſcripta ad Acacium Berrhææ Epiſcopum, de litteris quæ ab Ægypto venerunt ad eundem Acacium.* 188

Caput LXI. *Epiſtola ejuſdem Theodoreti ad Andream Epiſcopum de hac ipſa re.* 189

Caput LXII. *Epiſtola Andreæ Epiſcopi, quam Theodoreto Epiſcopo ad ſuam reſcripſit.* 190

Caput LXIII. *Epiſtola ejuſdem Andreæ Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum.* Ibid.

Caput LXIV. *Epiſtola Alexandri Hierapolitani Epiſcopi ad Andream Epiſcopum reſcripta.* 191

Caput LXV. *Epiſtola ejuſdem Alexandri Epiſcopi ad Theodoretum Epiſcopum.* 192

Caput LXVI. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri, quam ſcripſit Alexandro Epiſcopo. Sicut poſuit Irenæus.* Ibid.

Caput LXVII. *Epiſtola Maximini Epiſcopi Anazarbi ad Alexandrum Epiſcopum.* 193

Caput LXVIII. *Epiſtola Helladii Tharſenſis Epiſcopi ad eundem Alexandrum Epiſcopum.* 194

Caput LXIX. *Epiſtola Alexandri Epiſcopi Hierapolis, quam reſcripſit Helladio Archi-Epiſcopo Tharſi.* Ibid.

Caput LXX. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Helladium Epiſcopum de Himerio Epiſcopo Nicomediæ. Et hanc, ſicut poſuit Irenæus, duximus transferendam.* 196

Caput LXXI. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi, ſicut idem Irenæus poſuit, ad Himerium Nicomedienſem Epiſcopum.* 197

Caput LXXII. *Epiſtola Theodoreti reſcripta ad Alexandrum Hierapolitanum. Irenæus dicit, ſicut apparuit, ſuſpectus.* 199

Caput LXXIII. *Epiſtola Eutherii Epiſcopi Metropolitani ſecundæ Cappadociæ, Thyanenſis Civitatis, ad Joannem Antiochiæ Archi-Epiſcopum de eiſdem litteris.* 201

Caput LXXIV. *Epiſtola ejuſdem Eutherii Thyanenſis Archi-Epiſcopi, quam ſcripſit Helladio Tharſenſi Archi-Epiſcopo, lectis litteris ab Alexandria, & Joannis Archi-Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum, & Alexandri ad Joannem.* 216.

Caput LXXV. *Poſt hanc Epiſtolam ſua verba poſuit Irenæus, dicens ita.* Ibid.

Caput LXXVI. *Epiſtola Joannis Archi-Epiſcopi Antiocheni ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum, quam reſcripſit de litteris ex Ægypto, propter ea perculpatus ab Andrea Samoſateno Epiſcopo.* 217

Caput LXXVII. *Epiſtola Joannis Archi-Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum de Paulo Epiſcopo.* 219.

Caput LXXVIII. *Epiſtola Dorothei Metropolitani Mœſiæ, & ejuſdem Provinciæ Epiſcoporum, ad Joannem Antiochenum Patriarcham de ipſa Legatione Pauli ad Alexandriam pergentis.* 220

Caput LXXIX. *Ad manifeſtandam diviſionem eorum, qui cum Joanne Antiochenorum Archi-Epiſcopo ſentiebant, & eorum qui Neſtorium cum ejus Dogmatibus, quæ & ipſe negaverat, poſt iſtam Epiſtolam Proœmium Irenæi, de quo ſæpè diximus, tranſcribamus. Quod ita ſe habet.* 221.

Caput LXXX. *Epiſtola prima poſt Eccleſiæ ſciſſionem, quam Joannes Antiochenus Epiſcopus per Paulum Emeſenum Epiſcopum Cyrillo Alexandrino Epiſcopo pro pace facienda direxit.* Ibid.

Caput LXXXI. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Alexandrum Euphrateſiæ Provinciæ Metropolitanum. Irenæus dixit.* 224

Caput LXXXII. *Epiſtola Andreæ Epiſcopi Samoſateni ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolis.* 225.

Caput LXXXIII. *Epiſtola Acacii Epiſcopi Melitinenſis ad Cyrillum Archi-Epiſcopum Alexandriæ de pace, quæ inter ipſum & Orientales Epiſcopos facta eſt.* 226

Caput LXXXIV. *Teſtimonium ex Epiſtola Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ ad Succeſſum Dio-Cæſareenſis Civitatis, Provinciæ Iſauriæ, Epiſcopum ſecunda.* 228

Caput LXXXV. *Cyrillus Theognoſto, & Charmoſyno, Presbyteris, & Leontio Diacono in Domino ſalutem.* 236

Caput LXXXVI. *Epiſtola Joannis Epiſcopi Antiochiæ ad Theodoretum Cyri Epiſcopum de Pace inter Eccleſias facta.* 238

Caput LXXXVII. *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum reſcripta, & ſuprà appoſitæ reſpondens nunciæ pacis.* 239.

Caput LXXXVIII. *Epiſtola ejuſdem ad Theoſebium Epiſcopum. Ambas Irenæus ponit.* 240

Caput LXXXIX. *Verba Irenæi, quæ poſt Joannis Epiſtolam ſupra ſcriptam contra Theodoreti dixit.* 241

Caput XC. *Epiſtola Andreæ Samoſateni Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum.* Ibid.

Caput XCI. *Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Imperatorem Theodoſium de pace Eccleſiæ.* 242

Caput XCII. *Epiſtola Meletii Epiſcopi reſcripta*

*ad*

Digitized by Google

ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum contra Paulum Epiſcopum Emeſenum. 244

Caput XCIII. Item Epiſtola Alexandri Epiſcopi ad Andream Epiſcopum, hoc ipſum probans. 245

Caput XCIV. Ejuſdem Alexandri Epiſcopi ad Theodoretum Epiſcopum ſimilis Epiſtola. 247

Caput XCV. Incipit Epiſtola, ut ajunt, Theodoreti Epiſcopi ad Joannem Antiochiæ. 250

Caput XCVI. Epiſtola Alexandri ad Theodoretum, per quam vocis quidem proditionem accuſat, declarat autem, quomodo Epiſtolam falſantes, qui circa Paulum Emeſenum, Cyrillo Ægyptio obtulerunt. 255

Caput XCVII. Epiſtola Theodoreti, quam reſcripſit Epiſcopo Alexandro. 256

Caput XCVIII. Epiſtola Andreæ ad Alexandrum, indicans quod neque ipſe in aliquo judicet contra Neſtorii perſonam, ſed potiùs contra eos, qui non ita habebant. 257

Caput XCIX. Epiſtola, inquit, Theodoreti ad Alexandrum, per quam promittit anathematizare quæ circa Joannis perſonæ doctrinam, nec ipſe eorum pariter Communicator exiſtere. Has ad hoc præcipuè poſui, ut notum ſit, quæ ſint, undè impetitur vel Beatus Theodoretus, vel quiſquis conſcripſit. Ibid

Caput C. Epiſtola, inquit, Alexandri ad Theodoretum, per quam ſuum tali conditione promiſit adventum, ſi eis per litteras ſatisfieret de his, propter quæ ſatisfactionem nitebatur exigere. 258.

Caput CI. Epiſtola, inquit, Andreæ ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit invitans eum, ut non conſentiret ad factam pacis compoſitionem. 259

Caput CII. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit rogans, ne de hoc et ulteriùs inſtaretur ab eis. 260

Caput CIII. Epiſtola, inquit, Andreæ, quam ſuper his reſcripſit Deo Amiciſſimo Epiſcopo Alexandro, iterùm rogans eum, ut cæteris adſentiret. 261

Caput CIV. Epiſtola Alexandri Epiſcopi, quam reſcripſit Andreæ, culpans eum, quod dum rectam fidem prædicant, communicent tamen Cyrillo, nullo modo recedenti ab hæreſi. 262

Caput CV. Epiſtola, inquit, ejuſdem, quam ſcripſit ad Joannem Germaniciæ, qui ſimiliter eum pro pace rogaverat. Ibid.

Caput CVI. Epiſtola, inquit, Andreæ ad Œconomos Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quod communicaverit Antiochenis, & reliquis omnibus. 263.

Caput CVII. Epiſtola Pauli Emeſeni Epiſcopi, oſtendens ejus intentiones. 264

Caput CVIII. Epiſtola, inquit; Cyrilli ad Rabbulam Edeſſenum Epiſcopum; nuntians quòd omninò non recipit propoſitiones, quæ à Joanne ſunt deſtinatæ. 265

Caput CIX. Epiſtola Maximini ad Alexandrum, quam ſcripſit, dum cognoviſſet de Andrea, & de Germaniciæ. Ibid.

Caput CX Epiſtola, inquit, Theodoreti ad Helladium, indicans quod non abſceſſerit ab illis, quæ inter ipſos ſemel in negotio convenerunt; neque injuſtitiæ, quæ in illam perſonam commiſſa eſt, acquieſcere patiatur. 266

Caput CXI Epiſtola, inquit, Helladii ad Alexandrum, indicans quod propter eam, quæ facta eſt, cauſæ proditionem Cilices convenire placuerit. 268

Caput CXII. Epiſtola, inquit, Maximini ſecundæ Ciliciæ ad Alexandrum, qua indicavit, quoniam convenientes certa quædam definierunt de cauſa, quæ agebatur. Ibid.

Caput CXIII. Synodus Anazarbenſis. Sancta Synodus ſecundæ Ciliciæ, quæ per gratiam Dei in Anazarbo Metropoli convenit, interlocuta eſt quæ ſubjecta ſunt. Ibid.

Caput CXIV. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Helladii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, per quam indicavit quod convenientes Epiſcope ſecundæ Ciliciæ certam formulam dederint de cauſa, quæ vertitur: Quam primæ quoque Ciliciæ Epiſcopi approbant. 269

Caput CXV. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Epiſcopi Dorothei, Metropolitani Mœſiæ, ad Antiochenum Joannem, quàm ſcripſit ex opinione advertens, quod Alexandriæ inter Paulum & Cyrillum convenerit. 270

Caput CXVI. Idem hanc poſuit Epiſtolam. Deo Amiciſſimis, & Sanctiſſimis Dominis meis, & cum omni reverentia nominandis, Sanctis Comminiſtratoribus, Alexandro & Theodoreto, Eutherius gaudere. 271

Caput CXVII. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Eutherii Thyanenſis Epiſcopi, & Helladii Tharſenſis, ſcripta ad magni nominis Romæ Epiſcopum Siſtum. 272

Caput CXVIII. Multa inter has Epiſtolas abſtuli, quæ ex ſua perſona intulit Irenæus. Sed hæc, quæ ſequuntur, ab eo dicta non inutilia, ſicut cætera, credens, ad hoc præcipuè tranſtuli, ut homo Neſtorii ſequaciſſimus, quam ſe hoſtiliter habeat ad ea, quæ in Epiſtola Ibæ, quæ ad Marim Perſam cunctis ſuæ regionis innoteſcenda facta eſt, continentur, ſicut & de aliis ſtudiis fautorum prædicti, ſatis appareat. 277

Caput CXIX. Domino, inquit, meo per omnia Deo Amiciſſimo, & Sanctiſſimo Epiſcopo Alexandro, Theodoreto, Abbibo, Helladi, Mari, Davidi, Acilino Meletius. 278

Caput CXX. Deo Amiciſſimo, inquit, ſecundùm veritatem, & Sanctiſſimo Patri Epiſcopo Neſtorio Theodoretus. 279

Caput CXXI. Ea quæ reſcripta ſunt, inquit, ad Prophetam de ea, quæ dicitur Ægyptii, pœnitentia. Vel ſi veram quis putet, vel ſi fictam Ægyptii pœnitentiam, mihi utique plurimum eſt odium contra eam. 280

Caput CXXII. Domino meo Reverendiſſimo, & Dei Colentiſſimo Comminiſtratori Theodoreto Epiſcopo Joannes in Domino ſalutem. 284

Caput CXXIII. Epiſtola, inquit, Joannis Antiocheni, quam ſcripſit Tauro neque Patritio, congaudens quidem eis de Ordinatione Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi, rogans verò eos adjuvare ſe contra obſtinatos, qui ſe

Digitized by Google

*ſe ab ejus communione ſejunxerant.* 285

Caput CXXIV. *Epiſtola*, inquit, *Meletii Epiſcopi ad Maximinum Anazarbi, per quam ſignificavit de Domitiano Quæſtore, & de Sacris, quas contra eos impetraverit Joannes Antiochenus.* 286

Caput CXXV. *Epiſtola*, inquit, *vel hypomnyſticum Magnificentiſſimi Quæſtoris ad Epiſcopum Tharſi Helladium, hortans cum Antiocheno adjungi.* 288

Caput CXXVI. *Epiſtola*, inquit, *Joannis Epiſcopi Antiocheni ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, per quam indicavit, quod præcepit Imperator, ut nullus Orientalium Epiſcoporum Conſtantinopolim proficiſceretur.* 289

Caput CXXVII. *Epiſtola*, inquit, *Alexandri Epiſcopi in Perſonam Magiſtriani, qui præfatas attulerat litterae.* Ibid.

Caput CXXVIII. Irenæus ait: *Et hæc Epiſtola Theodoreti ad Meletium Neo-Cæſareæ de his, quæ Joannes in diverſis vicibus iniquè commiſit.* 290

Caput CXXIX. Idem Irenæus Inquit. *Per omnia Deo Amiciſſimis & Sanctiſſimis Epiſcopis Syriæ, & Ciliciæ primæ ac ſecundæ, & ſecundæ Cappadociæ, Alexander, Theodoretus, Heliades, Abbibus, Maras, David, Acilinus, in Domino gaudere.* 291

Caput CXXX. *Domino*, inquit, *meo, per omnia Deo Amiciſſimo Patri, atque Sanctiſſimo Alexandro, Theodoreto, Heliadi, Abbibo, Maeæ, Davidi, Acilino, Helladius, Matronianus, Cyrillus, Zenobius, in Domino gaudeee.* 293.

Caput CXXXI. *Dominis*, inquit, *meis, & per omnia Deo Amiciſſimis, & Sanctiſſimis Epiſcopis, Alexandro, Theodoreto, Heliadi, Abbibo, Maræ, Davidi, Acilino, Hermogenes, Meletius, Heſychius, Heliodorus, in Domino gaudere.* 294

Caput CXXXII. *Epiſtola*, inquit, *Alexandri Epiſcopi Apameæ ad Deo Amiciſſimum Alexandrum Epiſcopum, quam reſcripſit rogans, ut ubi poſſibile eſt convenirent ad deliberandum de his, quæ geruntur, quid fieri oporteret.* Ibid.

Caput CXXXIII. *Epiſtola*, inquit, *Theodoreti Epiſcopi ad Magnificentiſſimum Magiſtrum Militum ſcripta de his.* 295

Caput CXXXIV. *Libellus Reverendiſſimis & Deo Amiciſſimis Epiſcopis, Alexandro, Theodoreto, Maræ, Davidi, Acilino, ab Abbibo Epiſcopo Dolichii miſſus, per quem indicavit quæ ab Antiocheno iniquè commiſſa ſunt.* 297

Caput CXXXV. *Epiſtola*, inquit idem, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, Theodoreti, Abbibi, Heliadis, Maræ, Davidis, Acilini, Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcoporum, ad Auguſtas, quibus ſcripſerunt innoteſcentes quæ ab Antiocheno diverſis vicibus in eos commiſſa ſunt.* 298

Caput CXXXVI. *Epiſtola Alexandri Epiſcopi, reſpondentis ſuper his Joanni Archi-Epiſcopo.* 300.

Caput CXXXVII. *Epiſtola*, inquit, *Dorothei, Metropolitani Mæſiæ, ad Deo Amiciſſimum Alexandrum, Epiſcopum Euphrateſiæ, & Theodoretum.* 302

Caput CXXXVIII. *Epiſtola*, inquit, *Theodoreti Epiſcopi ad Dorotheum, Mæſiæ Metropolitam.* Ibid.

Caput CXXXIX. *Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Amicum Chriſti Conſtantinopolitanum Orthodoxorum Populum, per quam eos hortatur ad patientiam, & circa dogmata Contrariorum pœnitentiam declarat.* 303

Caput CXL. *Sacra*, inquit, *à Joanne Antiochiæ impetrata tam contra Deo Amiciſſimum & Sanctiſſimum Epiſcopum Hierapoleos Alexandrum, quam contra Helladium, & Maximinum, & Theodoretum, Deo Amiciſſimos Epiſcopos.* 304

Caput CXLI. *Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Neotherium Comitem, qui eum per litteras fuerat exhortatus, & admonuerat, ut Antiocheno reconciliaretur.* Ibid.

Caput CXLII. *Reſcriptum*, inquit, *publicatum ut terminus eorum, quæ ſcripta ſunt ad Magnificentiſſimum Comitem & Vicarium Titum à Glorioſiſſimo Magiſtro Militiæ Dionyſio.* 306

Caput CXLIII. *Epiſtola*, inquit, *Magnificentiſſimi Dionyſii, Magiſtri Militum, quam ſcripſit ad unumquemque Epiſcoporum, qui nominantur in Sacra, ut aut conſentirent his, quæ ab Antiocheno ſunt geſta, & communicarent ei, aut ab Eccleſiis & civitatibus exirent.* 307

Caput CXLIV. *Epiſtola*, inquit, *Helladii Epiſcopi ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium, quam ſcripſit indicans ei, quod ſunt à Conſtantinopoli Mandata, & de his petens quæ eſſent gerenda Tractatum.* Ibid.

Caput CXLV. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi & Sanctiſſimi Epiſcopi Meletii ad Helladium, per quam reſcripſit, quod neque ipſe ab eis, quæ ſemel piè placita ſunt, abſiſtet, neque credere juſtum eſſet his, qui illa nunciaverint, dum per opera ipſa docuerint, quod propter tempus à Procli ſint ſuſcitati fautoribus.* 308

Caput CXLVI. *Epiſtola Theodoreti*, inquit, *Epiſcopi ad Alexandrum Deo Amiciſſimum Epiſcopum, per quam ſignificavit, quod Magnificentiſſimus Comes Titus, & Sanctiſſimi Monachi inſurrexerint in eum per litteras, tanquam qui debebat pacem, communionemque amplecti Antiocheni Joannis.* 309

Caput CXLVII. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Theodoretum, quam reſcripſit ad hæc, quæ ab illo ſunt ſcripta, dirigens ei conditiones quaſdam de ipſo negotio.* 310

Caput CXLVIII. *Epiſtola*, inquit Irenæus, *ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam* Theodoretus *reſcripſit ſignificans ei, quod legerit directas ſibi conditiones, & unam tanquam minùs ſe bene habentem* non *probaverit.* 311

Caput CXLIX. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam denuò reſcripſit Deo Amiciſſimo Theodoreto, dirigens ei & proœmium Synodicorum Procli.* 312

Caput

Caput CL. *Initium Synodicæ Eccleſiæ de Proclo factæ.* 313

Caput CLI. *Epiſtola*, inquit, *Theodoreti ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit indicans, quod multa oportet cogitare de pace, & maximè quia certi eſſent, qui Thronis eorum inſidiacentur.* Ibid.

Caput CLII. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Theodoretum, quam reſcripſit rogans quidem non ſibi de eiſdem fieri importunitatem, dirigens verò ei litteras à Conſtantinopoli Deo Amiciſſimi Monachi Parthenii.* 314

Caput CLIII. *Epiſtola*, inquit, *Parthenii Preſbyteri & Archi-Mandritæ, ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum.* 315

Caput CLIV. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Acilinum Barbaliſſi Epiſcopum, qui indicaverat ei, quod multam inſtantiam ſuſtineret Magnificentiſſimi Loci Servatoris Titi, his qui ſunt in Caſtro mandantis, ut aut præparent eum introire ad Antiochenum, aut de eodem Caſtro propellerent.* Ibid.

Caput CLV. *Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit cognoſcens, quod poſt introitum Deo Amiciſſimi Epiſcopi Theodoreti in Antiochiam commoti Cilices de rebus propoſitis diverſa tractarent.* 316

Caput CLVI. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium, quam ſcripſit, eum quidem approbans pro tali conſtantia, reliquorum verò inconſtantiam reprobans, & indicans perſecutionem factam Deo amiciſſimo Epiſcopo Acilino.* 317

Caput CLVII. *Epiſtola*, inquit, *Heſychii Caſtabalenſis Epiſcopi ad Epiſcopum Meletium, indicans quod perſuaſo Antiocheno, ut in litteris nihil ſuperfluum poneretur, id eſt, de Neſtorii depoſitione, Perſonæ communicaverint hi, qui erant ex ſecunda Cilicia.* Ibid.

Caput CLVIII. *Velut ut Anagnoſticum*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Meletii ad Maximinum Epiſcopum Anazarbi.* 318

Caput CLIX. *Synodica*, inquit, *Maximini, & eorum qui erant ex ſecunda Cilicia, ad Antiochenum de communione. Et de Capitulis fecit ut hæreticis mentionem.* 320

Caput CLX. *Epiſtola*, inquit, *Theodoreti Epiſcopi ad Helladium Tharſenſem, qui ei ſcripſerat, & direxerat litteras, quæ à Conſtantinopoli venerant. Scripſit verò ei hortando eum, ut uniretur Antiocheno, firmans, quod à nemine cogeretur depoſitioni conſentire Perſonæ.* 221

Caput CLXI. *Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Cyrillum Adanenſem, quam ſcripſit rogans & ipſum, ut pro pace ſatageret, confiſus, quia nihil ab eo expeteretur, niſi ſola communio.* 322

Caput CLXII. *Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Maximum, Deo Amiciſſimum Œconomum Hierapolitanæ Eccleſiæ, per quam ſignificat quod in Antiochiam ingreſſus Joanni collocutus ſit, & ea de quibus agitur, decenter & optabiliter compoſuerit.* 324

Caput CLXIII. *Epiſtola*, inquit, *Meletii, quam ſcripſit ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, indicans quod communicaverint ſecundæ Ciliciæ Sacerdotes, primæ verò eos ſequi potiùs vellent.* Ibid.

Caput CLXIV. *Epiſtola*, inquit, *Helladii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua indicavit, quod ſecundi quidem Cilices communicaverint, compellatur verò & ipſe ab omni Clero, & Epiſcopis Provinciæ ſuæ, Antiocheno conjungi, dicentibus ſibi præfatis, ne deteriora mala contingant his, quibus nunc coarctatur Eccleſia.* 325

Caput CLXV. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam Tharſenſi reſcripſit, vituperans quidem Scripta ipſius, admonens verò eum, ne deſereret ea, quæ ſemel Deo amabiliter judicaſſet.* Ibid.

Caput CLXVI. *Epiſtola Theodoreti*, inquit, *Epiſcopi ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit poſtquam ingreſſus Antiochiam Joanni eſt collocutus, & præfatus Senex Deo Amiciſſimus ejus, id eſt, Theodoreti, colloquium non eſt paſſus ulteriùs.* 327

Caput CLXVII. *Epiſtola*, inquit. *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, qua reſpondit indicans quidem cauſas, quæ id non finerent fieri, rogans verò ne ob hoc ſibi de cætero inſtaretur.* Ibid.

Caput CLXVIII. *Epiſtola*, inquit, *Theodoreti ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua ſignificavit, quod Cilices & Iſauri ſubſcriptis conditionibus Antiocheno ſint adunati.* 329

Caput CLXIX. *Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit Deo Amiciſſimo Epiſcopo Theodoreto, inſinuans quia nihil intereſſet apud ſe, quod Cilices & Iſauri Antiocheno communicaſſent, quando ipſe omnia ſuſtinere pro pietate delegerit.* 330

Caput CLXX. *Domino meo, & ſecundùm veritatem Deo Amiciſſimo, atque Sanctiſſimo Patri & Epiſcopo Neſtorio Theodoretus in Domino ſalutem.* 331.

Caput CLXXI. *Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua ſcripſit, quod hi quidem, qui erant ex ſecunda Cilicia, communicaverint, alii verò Cilices & Iſauri ſimiliter ſint tranſgreſſi, quæ piè indicaverunt olim.* 332

Caput CLXXII. *Epiſtola Deo Amiciſſimi Epiſcopi Theodori ad Joannem Antiochenum, cauſa Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri.* 333

Caput CLXXIII. *Domino meo per omnia Deo Amiciſſimo, & Sanctiſſimo Epiſcopo Meletio Titus.* 334

Caput CLXXIV. *Domino meo per omnia Reverendiſſimo, & Admirandiſſimo, & Magnificentiſſimo Tito Meletius.* 335

Caput CLXXV. *Epiſtola*, inquit, *Zenobii Epiſcopi Zephyrii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, inſinuans exiiſſe ab Eccleſia Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium.* 337

Caput CLXXVI. *Piiſſimis & Amatoribus Chriſti Imperatoribus noſtris, Flaviis Theodoſio & Valentiniano, Triumphatoribus, Victoribus, Auguſtis,*

Auguſtis, poſtulatio & deprecatio à Joanne Antiochenæ Dei Eccleſiæ Epiſcopo. 338

Caput CLXXVII. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Epiſcopi Meletii ad Deo Amiciſſimum Alexandrum, quam ſcripſit, poſtquam militum ſuperventu expulſus eſt. Ibid.

Caput CLXXVIII. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Meletium Deo Amiciſſimum Epiſcopum, quam reſcripſit ad præfatas litteras poſt exitum ejus. 340

Caput CLXXIX. Interpretatio, inquit, Præcepti Magiſtri militum Dionyſii, quam ſcripſit ad Clariſſimum Judicem ſecundæ Ciliciæ. 341

Caput CLXXX. Domino meo Deo Amiciſſimo, & Sanctiſſimo, inquit, Patri Alexandro Epiſcopo Titus. Ibid.

Caput CLXXXI. Domino, inquit, meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Patri Epiſcopo Alexandro Dionyſius. 342

Caput CLXXXII. Epiſtola, inquit, Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit ad litteras ſupraſcriptas, in cauſa eadem ſuum demonſtrans Propoſitum. Ibid.

Caput CLXXXIII. Flavius Titus, Glorioſiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum, implens locum Magiſtri militiæ Poteſtatis, Flavio Lybiano, Clariſſimo Præſidi Euphrateſiæ Provinciæ. 343

Caput CLXXXIV. Relatio, inquit, Lybiani Euphrateſiæ Judicis ad Magnificentiſſimum Vicarium Titum. Ibid.

Caput CLXXXV. Relatio, inquit, ſecunda Euphrateſiæ Judicis, qui perturbationem civitatis agnoſcens propter exitum Sanctiſſimi Epiſcopi Alexandri factam, direxit Magnificentiſſimo Comiti Orientis, tranſmittens & Populi acclamationes, tam ad ſe, quam ad Magnificentiſſimum Comitem Titum factas, & ad ipſum quoque Antiochiæ Præſulem. 344

Caput CLXXXVI. His Irenæus illa ſubjecit. Ideò poſuimus, ne quis miretur, cur hic voces Populi minimè ſcripſerit. Ibid.

Caput CLXXXVII. Hypomneſticum Deo Amiciſſimo Clero Hierapolitano, & Chriſti Amatoribus Plebibus, ab Joanne. 345

Caput CLXXXVIII. Interpretatio, inquit, Sacræ, quæ promulgata eſt Magnificentiſſimis, & Glorioſiſſimis Præfectis de exilio in Petram Magnificentiſſimi Comitis Irenæi. 346

Caput CLXXXIX. Interpretatio, inquit, præfati Præcepti. Ibid.

Caput CXC. Quanti, inquit, à Sanctis Eccleſiis exierunt, nolentes ſuam conſcientiam vulnerare, neque acquieſcere Factis Cyrilli, ſeu ejus ſuſtinere communionem. 347

Caput CXCI. Lex quæ contra Neſtorium propoſita eſt. 348

Caput CXCII. Religioſiſſimis & Piiſſimis Imperatoribus noſtris, dignè honoratis à Deo, Theodoſio & Valentiniano Auguſtis, Helladius, Cyrillus, Valentinus, Minodorus, Jattanus, Epiſcopi primæ veſtræ Ciliciæ. 349

Caput CXCIII. Domino meo Deo Amiciſſimo & Sanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio Helladius in Domino ſalutem. 350

Caput CXCIV. Epiſtola, inquit, Cyrilli ad Ariſtolaum Tribunum, quam ſcripſit rogante Beronitiano Epiſcopo Tyri, formas dans anathematiſmi, qui ab eis fieri debuiſſet. 351

Caput CXCV. Idem Irenæus, ubi propter iſta injuriavit Orientis Epiſcopos, ait: Epiſtola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, per quam cauſatur, quod Orientales anathematizaſſent quidem Neſtorium, ſed eadem, quæ & ille, illi prædicarent. Format autem & quomodò de cætero Anathematiſmus expleri debeat. 353

Caput CXCVI. Epiſtola ſcripta Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo ab Orientali Concilio pro Theodoro & Diodoro, quondam Epiſcopis. 354

Caput CXCVII. Epiſtola Joannis ad Proclum, per quam gloriatur, quod totum perverterit Orientem. Et Perſonam verò in ipſis litteris accuſavit. 355

Caput CXCVIII. Epiſtola, inquit, Cyrilli ad Imperatorem, accuſantis contra eos, qui circa Antiochenum Joannem, eò quod quaſi anathematizare, inquit, viſi Neſtorium, ea ipſa ſentiunt, quæ & ille, eò quod Theodori & Diodori Scripta mirentur. 359

Caput CXCIX. Pars, inquit, Theodoti Ancyræ ad Sanctum Vitalem Monachum, qui erat in Cappadocia. 360

Caput CC. Pars, inquit, Epiſtolæ Rabbulæ Edeſſeni, ſcriptæ ad Ægyptum, ſignificans quod qui ab eis oppugnabatur, id eſt, Neſtorius eos qui circa Beatum Theodorum ſecutus, ſic uſus eſt coram Eccleſia doctrinis. 361

Caput CCI. Epiſtola Eutherii, quondam Thyanenſis Epiſcopi, ad Alexandrum Hierapolitanum, contra pacem ſcripta Eccleſiæ Dei, quæ facta eſt inter Cyrillum & Joannem Epiſcopum. 362

Caput CCII. Presbyter Claudianus. 366

Caput CCIII. Domino meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo, Patri Patrum, & Archi-Epiſcopo Maximiano Epiphanius tuus. 367

Caput CCIV. Domino meo Dilectiſſimo Fratri, & Comminiſtro Donato Cyrillus in Domino ſalutem. 368.

Caput CCV. Epiſtola ejuſdem ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum. 369

Caput CCVI. Epiſtola quædam Lamponi Presbytero & Clericis. 370

Caput CCVII. Epiſtola ejuſdem Joanni Epiſcopo Antiocheno. 371

Caput CCVIII. Epiſtola ejuſdem Maximo, Joanni, Thalaſſio, Presbyteris & Archi-Mandritis. Ibid.

Caput CCIX. Ejuſdem Cyrilli Epiſtola Ariſtolao Tribuno & Notario. Ibid.

Caput CCX. Hanc ſequitur illa, quam & Irenæus poſuit, ab eodem Cyrillo ad Ariſtolaum ſcriptam. Epiſtola ejuſdem Joanni Antiocheno contra Theodoretum. 372

Caput CCXI. Epiſtola ejuſdem Moſæo Epiſcopo Antaradi. Ibid.

Caput CCXII. Epiſtola ejuſdem Acacio Melitinenſi. 373.

Caput CCXIII. Epiſtola Acacii Melitinenſis ad Cyrillum

*rillum poſt Synodum Epheſi habitam.* 373
Caput CCXIV. *Epiſtola ejuſdem ad Succeſſum Epiſcopum Dio-Cæſareæ, Iſauriæ Provinciæ.* Ibid.
Caput CCXV. *Epiſtola ſecunda ejuſdem Sanctiſſimi Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ ad eundem Sanctiſſimum Epiſcopum Dio-Cæſareenſem Iſauriæ.* 376.
Caput CCXVI. *Exemplar ab Hypatia, quæ Philoſophiam docebat in Alexandria, ad Beatum Cyrillum Archi Epiſcopum in Dypticbis.* 378
Caput CCXVII. *Cyrilli Archi-Epiſcopi Alexandriæ ex Sermone de fide, cujus initium hoc proœmium.* Ibid.
Caput CCXVIII. *Ejuſdem ex interpretatione Epiſtolæ ad Hebræos.* 379
Caput CCXIX. *Epiſtola Imperatoris Theodoſii ad ſupra ſcripta.* Ibid.
Caput CCXX. *Epiſtola*, inquit, *Tractoria, ſive Generalis, à Sanctiſſimo & univerſo Concilio.* Ibid.
Caput CCXXI. *Similiter ex antiquo Acæmetenſi Codice tranſtuli, quæ ita prænotatur, Confeſſio fidei Acacii Epiſcopi Berrhææ.* 380
Caput CCXXII. *Epiſtola Eutychetis hæretici, ubi ſcribens ad Papam urbis Romæ Leonem negat in Chriſto duas naturas, id eſt, Divinitatis & humanitatis.* 381
Caput CCXXIII. *Item verba Eutychetis.* 382
Caput CCXXIV. *Exemplar Julii Epiſcopi Urbis Romæ, ut aſſerunt Eutychis Scripta, ad Dionyſium Epiſcopum, cujus ſenſu ductus ipſe Eutyches decidit in errorem.* Ibid.
Caput CCXXV. *Exemplar Epiſtolæ tacito nomine factæ ad quemdam Senem, cupientem ſcire, quid contrarium Catholicæ fidei ſenſerit Eutyches.* 383
Caput CCXXVI. *Commonitorium Papæ Celeſtini Epiſcopis & Presbyteris cunctibus ad Orientem.* 385.
Caput CCXXVII. *Tituli Decretorum Hilari Papæ.* 386.
Caput CCXXVIII. *Concilium Neapolitanum.* 390.

*Extractum ex Volumine ſeu Codice ſic intitulato, Memoria di coſe appartenenti alla Reverenda Camera Apoſtolica con altri particolari, & utili, e curioſi, cavato e reſcritto da un libro intitolato,* DE DOMO REGIA FRANCORUM. fol. 392.

# *FINIS.*

# NOI REFORMATORI
## DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approbazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Ad Epheſinum Concilium Variorum Patrum Epiſtolæ, &c. F. Chriſtianum Lupum, &c.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Sebaſtian Coleti Stampatore, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 26. Gennajo 1725.

( Gio: Franceſco Moroſini Cav. Ref.
( Andrea Soranzo Pr. Ref.
(

*Agoſtino Gadaldini Segr.*

13. Maggio 1726.
Regiſtrato al Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori Contro la Beſtemmia.

*Antonio Canal Nod.*

VA-

# VARIORUM PATRUM EPISTOLÆ,

## *Ad variorum Patrum Epiſtolas concernentes Acta Epheſini & Chalcedonenſis Concilii, nuperrimè repertæ in Bibliotheca celeberrimi Monaſterii Caſſinenſis,*

## SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATÆ.

## CAPUT PRIMUM.

### *Reverendiſſimo & Deo Amantiſſimo Comminiſtro Neſtorio Cyrillus, & quæ convenit in Alexandria ex Ægyptiaca Diœceſi ſynodus in Domino ſalutem.*

Matth. 10. SAlvatore noſtro diceute apertè, *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat Filium aut Filiam ſuper me, non eſt me dignus*, quid patiamur nos, qui à tua Reverentia exigimur te diligere ſuper omnium noſtrorum Salvatorem Chriſtum? Quid nos in die Judicii juvare poterit, aut quam reperiemus excuſatiouem, qui ſilentio ita longo honoravimus in factis à te coutra ipſum blaſphemiis? Et ſi quidem temetipſum ſolum læderes talia ſapiens & docens, minor utique cura eſſet. Quoniam verò omnem ſcandalizaſti Eccleſiam, & inſulitæ ae peregrinæ Hæreſios fermeutum injeciſti Populis, & nou ibidem ſolummodo couſtitutis, ſed enim & his qui ubique ſuut, delati namque ſunt tuarum expoſitionum Codices, qualis jam noſtræ taciturnitati ſufficiet ſermo? Aut quomodò non neceſſarium eſt meminiſſe diceutem
Matth. 10. Chtiſtum: *Non putetis quia Pacem veni mittere ſuper terram; non enim veni mittere Pacem, ſed gladium. Veni enim dividere hominem contra Patrem ſuum, & Filiam contra Matrem ſuam?* Cum enim fides læditur, habetur quidem irrita & fallax Parentum Reverentia. Quieſcat autem & quæ in filios eſt & fratres, affectiouis Lex: Et piis jam melior ſit mors quam vita, ut meliorem reſurrectiouem mereamur, ſecundùm quod ſcriptum eſt. Hebr. 11. Ecce igitur ſimul cum Sancta Syuodo, quæ in Magna Roma eſt congregata, præſidente Sanctiſſimo & Dei colentiſſimo Fratre & Comminiſtro noſtro Celeſtino Epiſcopn, & tertia to hae couteſtamur Scriptura, perſuadentes deſiſtere à tam difformibus & diſtortis Dogmatibus, quæ ſapis & doces; præeligere autem rectam fidem, quæ Eccleſiis ab initio tradita eſt per Sanctos Apoſtolos & Evangeliſtas, qui & perſpectores & miniſtri Verbi facti ſunt. Aut ſi hoc uon egerit tua Reverentia ſecundùm definitas inducias in litteris memorati Sanctiſſimi & Reverendiſſimi Romauorum Epiſcopi, & Comminiſtri noſtri Celeſtini, cognoſce te ipſum uullam ſortem habentem nobiſcum, neque locum, ſive portiouem in Sacerdotibus Dei & Epiſcopis. Non euim poſſibile eſt nos deſpicere Eccleſias ſic perturbatas, & ſcandalizatos Populos, & rectam fidem abjuratam, & diſſipatos à te greges, quos ſalvare debueras, ſi quidem eſſes ſecuudùm nos rectæ gloriæ Amator, Sanctorum Patrum inveſtigans Pietatem. Omnibus autem, qui à tua Reverentia ſeparati ſunt propter fidem, vel depo-

ſiti, tam Laicis quam Clericis, Communicatores ſumus omnes. Nec enim æquum eſt recta ſapere cognoſcentes tuis lædi ſententiis, quia tibi benefacientes contradixerunt. Hoc enim ipſum indicaſti in epiſtola, quæ ſcripta eſt à te ad Magnæ Romæ Sanctiſſimum Coepiſcopum noſtrum Celeſtinum.

Non ſufficiet autem tuæ Reverentiæ confiteri ſolum Fidei Symbolum, quod in tempore expoſitum eſt per Sanctum Spiritum à Sancta & Magna Synodo, tunc in tempore congregata in Nicæa. Intellexiſti enim & interpretatus es hoc non rectè, diſtortè autem magis, quamvis confitearis vocem ſermone; ſed hoc conſequens eſt ut in ſcripto, & cum jurejurando confitearis, quia & anathematizas tua prava & prophana Dogmata, ſapiens autem & docebis quæ & nos omnes, & qui in Occidente, & in Oriente Epiſcopi, & Doctores, & populis Præpoſiti. Conſenſit autem & Romana Sancta Synodus, & nos omnes, ut recta habentibus & irreprehenſibiliter epiſtolis ad tuam Reverentiam ſcriptis ab Alexandrinorum Eccleſia. Subdidimus autem & his litteris noſtris, quæ te oporteat ſapere & docere, & à quibus abſtinere convenit. Hæc enim Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ eſt Fides, cui conſentiunt omnes, quique in Occidente ſunt, & qui in Oriente Orthodoxi Epiſcopi.

*Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium inviſibiliumque factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, natum de Patre, Unigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: Natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in Cœlo & quæ in terra, Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & humanatus. Paſſus, & reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas. Aſcendit ad Cœlos, & ſedet ad dexteram Patris. Venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & quia ex non exſtantibus factus eſt, aut ex alia ſubſiſtentia vel ſubſtantia, dicentes eſſe aut vertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.*

Sequentes autem ubique Sanctorum Patrum Confeſſiones, quas fecerunt loquente in eis Spiritu Sancto, & intelligentiæ, quæ in eis eſt, inveſtigantes intentionem, & quaſi per Regiam viam incedentes, dicimus quia ipſe Unigenitus Dei Sermo, qui ex ipſa natus eſt Patris ſubſtantia, ex Deo vero Deus verus, lumen de lumine, hic per quem omnia facta ſunt, quæ in Cœlo, & quæ in terra, propter ſalutem noſtram deſcendens, & ſemetipſum deponens in exinanitionem, incarnatus & inhumanatus eſt. Hoc eſt, Carnem accipiens à Sancta Virgine, & ſuam eam faciens ex vulva, ſecundùm nos pertulit nativitatem, & proceſſit homo ex muliere, non hoc quod erat amittens, ſed licet factus ſit in aſſumptione Carnis & Sanguinis, etiam ita permanens quod erat. Deus videlicet natura & veritate. Sed neque Carnem dicimus in Deitatis verti naturam. Neque quidem in naturam Carnis ineffabilem Dei Verbi translatam naturam. Inconvertibilis enim eſt, & immutabilis omninò, idem ipſe ſemper permanens ſecundùm Scripturas.

Cum videretur autem & puer, & in pannis exiſtens, & in ſinu enixæ Virginis, omnem implebat Creaturam ut Deus, & Conſeſſor erat Genitori. Divinitas etenim ſine quantitate & magnitudine eſt, & circumterminationem non ſuſtinet. Uniri autem Carni ſecundum ſubſiſtentiam confitentes Verbum, unum adoramus Filium & Dominum Jeſum Chriſtum: Neque ſeorſim ponentes, & determinantes hominem & Deum, quaſi conjunctos ad invicem dignitatis & authoritatis unitione. Novitas enim vocum eſt hoc, & aliud nihil. Neque quidem Chriſtum ſpecialiter nominantes ex Deo Verbum, & ſimiliter ſpecialiter, velut Chriſtum alterum, eum qui ex muliere, ſed unum ſolum ſcientes Chriſtum ex Deo Patre Verbum cum ſua Carne. Tunc enim humanè junctus eſt nobiſcum. Cum utique his, qui digni erant accipere, Spiritum daret ipſe, & non ex menſura acciperet, ſicut dicit Beatus Evangeliſta Joannes. Joan. 3.

Sed neque illud dicimus, quia habitavit ex Deo Verbum quaſi in homine communi, de Sancta Virgine nato, ut Deum ferens homo intelligatur Chriſtus. Et ſi enim habitavit in nobis Verbum, dicitur verò & in Chriſto habitare omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, ſed tamen ſentimus quia factus Caro non ſicut in Sanctis habitare dicitur. Secundùm parem modum circa eum quoque fieri definimus habitationem, ſed unitus ſecundùm naturam, & non in Carnem mutatus, talem facit habitationem, qualem utique habere dicitur & hominis anima ad proprium ſuum Corpus. Unus igitur Chriſtus, & Filius, & Dominus, non ut conjunctionem quamdam ſimpliciter in unitione dignitatis vel etiam authoritatis habens homo ad Deum: Non enim unit naturas par honor. Etenim Petrus & Joannes pares honore quidem ad invicem ſunt, ſecundùm quod Apoſtoli & Sancti Diſcipuli, attamen non unus ſunt, ſed duo. Neque quidem ſecundùm appoſitionem conjunctionis intelligimus modum. Non ſufficit enim hoc ad adunationem naturalem. Neque quidem quaſi ſecundùm participationem affectualem, ſicut & nos adhærentes Domino, ſecundùm quod ſcriptum eſt, *Unus ſpiritus ſumus ad eum*. 1. Cor. 6. Magis autem conjunctionis nomen recuſamus: Utpote non idoneum exiſtens ſignificare unitionem. Sed nec Deum nec Dominum Chriſti ex Deo Patre Verbum nominamus: Ne rurſus apertè ſecemus individuum Chriſtum, & Filium, & Dominum. Et blaſphemiæ crimen incurramus, Deum ſuum & Dominum facientes eum. Unitus enim, ſicut jam prædiximus, Dei Sermo Carni ſecundùm ſubſiſtentiam Deus quidem eſt omnium, Dominator enim Univerſitatis. Neque verò ipſe ſibi ſervus eſt, neque Dominus factus eſt. Magis autem & impium ita dicere vel ſapere. Ait quidem Deum ſuum Patrem, cum certè ſit Deus natura, & ex ſubſtantia ejus; ſed non ignoramus, quia cum ſit Deus, & homo factus eſt ſub Deo, ſecundùm legem quæ condecet humanam naturam. Ipſe

verò

verò ſibi quomodò fiet Deus aut Dominus? Ergò nt homo, & quantum attinet & decet ad exinanitionis menſuras, ſub Deo nobiſcum ſemetipſum ipſe dicit. Sic factus eſt. & ſub Lege, eum locutus ipſe ſit Legem, & Legislator exiſtens, ut Deus.

Recuſamus eutem boc dieere ſuper Chriſto: *Propter eam, qui induit, eum, quem induit, veneror. Propter eum, qui eſt inviſibilis, adoro illum qui videtur.* Pavore plenum eſt ſuper hæc etiam illud dicere: *Ille, qui aſſumptus eſt, et qui aſſumpſit, coappellatur Deus.* Qui enim bæc dicit, ſecat naturas in duos Chriſtos, & bominem ſtatuit per partem ſpecialiter, & Deum ſimiliter. Evidenter enim denegat unitionem, ſecundùm quam, non ut alter alteri coadoratur quiſpiam, neqne qnidem coappellatur Deus, ſed unns intelligitur Chriſtus Jeſus, Filius Unigenitus, nna edoratione adorandus cum ſua Carne.

Confitemur autem, quia ipſe ex Deo Patre natus Filius, & Deus Unigenitus, licet ſecundùm naturam ſuam exiſtens impaſſibilis, Carne paſſus eſt pro nobis ſecundum Scripturas. Et erat in crucifixo Corpore ſuæ Carnis inſeparabiliter proprias faciens paſſiones: Gratia autem Dei pro omnibus guſtavit mortem, dans ei ſuum Corpus, quamvis ſecundùm naturam exiſtens vita & ipſe ſit reſurrectio. Ut enim ineffabili virtute conculcans mortem, utique primùm quidem ſuam Carnem, que fieret primogenitus ex mortnis, & Primitiæ dormientium, iterque nt faceret hominis naturæ ad incorruptionis recurſum, gratia Dei, ſicut diximus nuper, pro omnibus guſtavit mortem, Triduanus etiam revixit, exſpolians Inſernum. Unde licet dieatur per hominem facta reſurrectio mortuorum, ſed intelligimus hominem factum ex Deo Verbum, & ſolutam eſſe per eum mortis poteſtatem. Veniet autem in tempote, ut unus Filius & Dominus in gloria Patris, ut judicet mundum in Juſtitia, ſicut ſcriptum eſt.

Neceſſario verò & illud adjiciemus. Annuntiantes enim ſecundùm Carnem, mortem Unigeniti Filii Dei, hoc eſt, Jeſu Chriſti, & ex mortuis reſurrectionem, & ad Cœlos adſcenſionem confitentes, ſine ſanguine in Eccleſiis celebramus Sacrificium. Accedimus etiam ite ad myſticas Benedictiones, & ſanctificamur participes effecti Sanctæ Carnis, & pretioſi Sangoinis omnium noſtrorum Salvatoris Chriſti. Et non ut Carnem communem accipientes: Abſit. Neque quidem ut Viri ſanctificati, & conjuncti Verbo ſecundùm unitionem dignitatis, vel etiam quaſi inbabitationem Divinam habentis, ſed ut vivificatoriam verè, & propriam ipſius Verbi. Vita enim exiſtens ſecundùm naturam ut Deus, quoniam factus eſt ad ſuam Carnem, vivificatoriam eam oſtendit. Quare licet ad nos dicatur,
Joan. 6. *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, nnn ut hominis ſecundùm nos nnin ſcujuslibet & hane eſſe æſtimavimus. Quomodo enim hominis Caro vivificatoria erit ſecundùm naturem ſuam? Sed ut propria verè facta ejus, qui propter nos & Filius hominis factus eſt appellatus.

*Chriſt. Lupi Opera T. VII.*

Evangelicas antem Salvatoris noſtri voces nec ſubſiſtentiis duabus, neque quidem perſonis dividimus: Nec enim eſt duplex unus & ſolus Chriſtus, licet ex duabus intelligitur & diverſis rebus unitione impartibili coadunatus. Sicut certè homo ex anima intelligitur & Corpore, & non duplex magis, ſed unus ex utriſque. Humanas etiam ad hoc & Divinas voces eb uno dici certi ſumus, ſapientes rectè. Quando enim Deus decibiliter dicit de ſemetipſo, *Qui videt me, videt & Patrem*, &, *Ego & Pater unum ſumus*, Joan 14. 10.
Divinam ejus & ineffabilem ſentimus naturam, ſecundùm qnam & unum eſt ad ſuum Patrem propter identitatem ſubſtentiæ, Imago, & figura, & ſplendor gloriæ ejus. Quando antem bumanitatis menſuram non exhonorans, Judæos alloqnitnr, *Modo me quæritis occidere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum*, iterum nihilominùs eundem, qui eſt in æqualitate & ſimilitudine Patris, Deum Verbum & ex humanitatis ejus menſuris agnoſcimus. Si enim eſt neceſſarium credere, quia Deus exiſtens natura factus eſt Caro, vel homo animatus anima rationali, qnalem utique babebit rationem vereri quempiam in vocibus ejus, ſi factæ ſunt hominem condecentes? Si enim recuſaret hominem decentia verba, quis fuit qui coegit eum fieri ſecundùm nos hominem? Qui verò depoſuit ſemetipſum in ſpontaneam exinanitionem, quam ob cauſam recuſaret exinanitionem decentes ſermones? Perſonæ antem uni eas, qnæ ſunt in Evangeliis, omnes applicamus voces ſubſiſtentiæ unius Verbi Incarnati. Unus enim eſt Dominus Jeſus Chriſtus ſecundùm Scripturas. Joan. 8.

Si entem vocatur & Apoſtolus & Pontifex Confeſſionis noſtræ, ut ſacrificans Deo & Patri, quæ ex nobis eſt, ſibi & per ſe Deo & Patri oblatam Fidei confeſſionem, necnon & Sancto Spiritui, iterum ipſum eſſe dicimus ex Deo ſecundùm naturam Unigenitum, & non homini impertiemus præter ipſum alteri vel Sacerdotii nomen, vel ipſam verò rem. Factus eſt enim Mediator Dei & hominum, & Conciliator ad Pacem, ſemetipſum conſecrans in odorem ſuavitatis Deo & Patri. Nam & dicebat: *Holocauſtomata pro peccato non poſtulaſti. Corpus autem perfeciſti mihi. Tunc dixi, Ecce venio. In Capite libri ſcriptum eſt de me facere, Deus, voluntatem tuam.* Obtulit enim pro nobis in odorem ſuavitatis proprium Corpus. Et non magis pro ſe. Pſal 39.
Quali enim utiqne indigeret oblatione vel ſacrificio pro ſe, potior exiſtens ab omni peccato, ut Deus? Si enim omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, ſecundùm quod facti ſumus nos prompti ad tranſgreſſionem, & ægrotavit humana natura in peccato, ipſe verò non ita, & egnimus ob hoc gloria ejus, qnomodo jam erit ambiguum, qui mactatus eſt propter nos, & pro nobis Agnus Dei verus? Et dicere quod obtulit ſemetipſum pro ſe & pro nobis, exors erit nullomodo ab impietatis criminibus. Deliquit enim nullo modo, neque fecit peccatum. Qua ergo eguit oblatione, peccato non exiſtente, pro quo utique fieret? Et valde congruè.

Cum autem dicit de Spiritu, *Ille me clarificabit*, Joan. 16.

intelligentes rectè non ut gloria indigentem alte-
rius dicimus unum Chriſtum & Filium à Sancto
Spiritu gloriam accipere, quia nec potior eo &
ſupra eum Sanctus Spiritus eſt. Quoniam autem
ad demonſtrationem ſuæ Divinitatis utebatur ſuo
ſpiritu ad magnas operationes, glorificari ſe ab
eo dicebat. Velut ſi quiſpiam eorum, qui ſe-
cundùm nos ſunt, dicat de inſita ſibi fortitudine,
vel diſciplina, vel de quolibet: *Quia glorificabit*
*me*. Si enim & eſt in ſubſiſtentia Spiritus ſpecia-
lis, vel certè intelligitur per ſe, ſecundùm quod
Spiritus eſt, & non Filius, ſed tamen eſt non
alienus ab eo. Spiritus enim Veritatis nomina-
tur, & eſt Spiritus Veritatis, & profluit ab eo,
ſicut denique & ex Deo Patre. Operatus eſt enim
Spiritus & per manus Sanctorum Apoſtolorum
mirabilia poſt adſcenſum Domini noſtri Jeſu
Chriſti ad Cœlos, & glorificavit eum. Creditus
eſt enim, quia Deus ſecundùm naturam eſt. Ite-
rùm ipſe eſt operatus per ſuum Spiritum. Propter
hoc & dicebat: *Quia de me accipiet, & annun-*
Joan. 16. *tiabit vobis*. Et non uſpiam dicimus: Quia ex
participatione Spiritus eſt ſapiens & potens. Un-
dique enim perfectus eſt, & non indigens omni
bono. Qui autem Patris Virtutis & Sapientiæ,
hoc eſt, Filii Spiritus eſt, ipſa in ſe Sapientia eſt
& Virtus.

Quoniam verò Deum adunatum Carni ſecun-
dùm ſubſiſtentiam Sancta Virgo genuit Carnali-
ter, hinc & Dei Genitricem eſſe eam dicimus.
Non quaſi natura Verbi ſubſiſtendi initium ha-
bente de Carne, *Erat enim in Principio Verbum*,
Joan. 1. *& Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*,
& ipſe eſt ſæculorum factor, Conſempiternus Pa-
tri, & omnium Opifex; ſed ſicut jam prædixi-
mus, quoniam ſecundum ſubſiſtentiam uniens
ſibi illud humanum, & ex ipſa vulva nativitatem
ſuſtinuit Carnalem, non ut indigens neceſſariò,
ſeu propter ſuam ſempiternam naturam, etiam in
tempore & ultimis ſæculi temporibus nativitate,
ſed ut ipſum eſſentiæ noſtræ benedicat initium,
& pariente muliere adunatum eum Carni, quie-
ſcat jam, quæ contra omne genus humanum,
maledictio tranſmittens ad mortem de terra noſtra
Corpora, & illud quod eſt, *In triſtitia paries fi-*
Geneſ. 3. *lios*, per ipſum deſtructum verè oſtenderet. Quod
1. Cor. 15. Prophetæ voce dictum eſt: *Abſorpta eſt mors præ-*
Apoc. 21. *valens*. Et iterùm: *Abſtulit Deus omnem lachry-*
*mam ab omni facie*. Propter enim hanc cauſam
dicimus eum diſpenſativè & ipſas benedixiſſe
Nuptias, & perrexiſſe vocatum in Cana Galileæ
ſimul cum Sanctis Apoſtolis.

Hæc ſapere docti ſumus tam à Sanctis Apoſto-
lis, quam Evangeliſtis, & ab omni à Deo in-
ſpirata Scriptura: Et ex Beatiſſimorum Patrum
vera Confeſſione. Hæc omnia & tuam Reveren-
tiam confiteri oportet, & conſentire ſine dolo
aliquo. Quæ verò ſunt neceſſaria ut anathemati-
zet tua Reverentia, ſubjecta ſunt huic noſtræ
Epiſtolæ.

## ANATHEMATISMUS PRIMUS.

Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc Dei Genitricem Sanctam Virginem (genuit enim Carnaliter Carnem factum ex Deo Verbum) Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS II.

Si quis non confitetur Carni ſecundùm ſubſiſtentiam unitum ex Deo Patre Verbum, unumque eſſe Chriſtum cum ſua Carne, eundem videlicet Deum ſimul & hominem, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS III.

Si quis in uno Chriſto dividit ſubſiſtentias poſt adunationem, ſola copulans eas conjunctione, quæ ſecundùm dignitatem vel authoritatem eſt, vel ſecundùm potentiam, & non magis concurſu ſecundùm adunationem naturalem, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS IV.

Si quis perſonis duabus vel ſubſiſtentiis vel eas, quæ ſunt in Evangelicis & Apoſtolicis Scripturis, impertit voces, aut de Chriſto à Sanctis dicta ſunt, aut ab ipſo de ſe, & quaſdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbum ſpecialiter intellecto applicat, quaſdam verò velut Deo decibiles ſoli ex Deo Patre Verbo, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS V.

Si quis audet dicere Deum ferentem hominem Chriſtum, & non magis Deum eſſe ſecundùm veritatem, ut Filium unum, & naturam, ſecundùm quod factum eſt Caro Verbum, & communicavit ſimiliter nobis Carne & Sanguine, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS VI.

Si quis dicit Deum vel Dominum eſſe Chriſti ex Deo Patre Verbum, & non magis eundem confitetur Deum ſimul & hominem, utpotè facto Carne Verbo ſecundùm Scripturas, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS VII.

Si quis dicit ſicut hominem factum eſſe à Dei Verbo Jeſum, & Unigeniti gloria circumactum eſſe, tamquam altero præter eum exiſtente, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS VIII.

Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, & conglorificari, & coappellari Deum, quaſi alterum alteri, id enim quod eſt, *Co*, ſemper quoties additur, hoc quod intelligit, cogit; & non magis una adoratione honorificat Emmanuelem, & unam ei glorificationem adhibet, ſecundùm quod factum eſt Caro Verbum, Anathema ſit.

ANA-

## ANATHEMATISMUS IX.

Si quis dicit unum Dominum Jeſum Chriſtum glorificatum à Spiritu, quaſi aliena virtute illa, quæ per eum eſt, utentem, & ab eo accipientem operari poſſe, & contra Spiritus immundos, & ad implenda in bomines Dei miracula, & noo magis proprium ejus dicit Spiritum, per quem & operatus eſt Dei ſigna, Anatbema ſit.

## ANATHEMATISMUS X.

Pontificem vel Apoſtolum Confeſſionis noſtræ ſactum Chriſtum Divina Scriptura dicit, obtuliſſe etiam pro nobis ſemetipſum in odorem ſuavitatis Deo & Patri. Si quis ergò Pontificem dicit & Apoſtolum noſtrum fieri noo ipſum ex Deo Verbum, quando ſactum eſt Caro, & ſecundùm nos bnmo, ſed quaſi alterum præter ipſum ſpecialiter bominem ex muliere: Aut ſi quis dicit & pro ſe obtuliſſe oblationem, & non magis pro nobis ſolis (nec enim indiguit Sacrificio, qui neſcit peccatum) Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS XI.

Si quis non confitetur Domini Carnem Vivificatoriam eſſe, & propriam ejus Verbi, quod ex Deo Patre eſt, ſed velut alterius præter ipſum, copulati quidem ei ſecundùm dignitatem, aut quaſi ſolummodò Divinam babirationem babentis, & non magis Vivificatoriam, ſicut diximus, quia ſacta eſt propria Verbi, omnia vivificare valentis, Anathema ſit.

## ANATHEMATISMUS XII.

Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum Carne, & Crucifixum Carne, & quia mortem guſtavir Carne, ſactum etiam primogenitum ex mortuis, ſecundùm quod vira eſt, & vivificans ut Deus, Anathema ſit.

Data menſe Novembri, die trigeſima, indictione decima tertia.

*In Acœmitenſium jacet XCI.*

## SCHOLION.

EPiſtola hæc & Græcè exſtat & Latinè. Exſtat bina ejus Latina translatio: Altera vulgata io Conciliorum tomis, cujus author ignoratur; altera ſacta per Marium Mercatotem, nuper vulgata per R. P. Joannem Garnerium. Placuit & hanc tertiam publicare, ob duas præſertim cauſas. Primò, quod aliquid præ aliis duabus ſingulare babeat, atque ita veritatem ac S. Cyrilli mentem illuſtret. Secundò, quod nos aliquid doceat circa tempus datæ Epiſtolæ: *Data Menſe Novembri, die trigeſima, Indictione decima tertia*. Audiendus eſt præſatus Joannes Garnerius: *in Codice maneſcripto Carmelitarum Diſcalceatorum Conventus Pariſienſis data legitur Menſe Novembri, die trigeſima, Indictione decima quarta. Quæ temporis notæ, niſi emendentur, cobærere noa poſſunt. Nam ſcripſit proculdubio Cyrillus poſtremùm Neſtorio anao quadriageſimo trigeſimo, & Neſtorius Cyrilli litteras accepit Conſtaatinopoli ſeptimo Idus Decembris. Si qua igitur fides Codici, accepta fuiſſet Epiſtola Conſtaatinopoli ſeptem poſt diebus, quam Alexandriæ ſcripta eſſet, quod omnino incredibile. Cobærebunt omnia facilè, ſi dicatur Alexandriæ ſcripta tertia Novembris, accepta Conſtantinopoli ſeptima Decembris, & indictio, ut par eſt, non à Janaario, quomodo eſſet decima tertia, ſed à Septembri, quo meaſe decima quarta incepit.* Et alibi habet de hac ipſa Epiſtola: *Tempus, quo data eſt Synodica, atque adeò Synodus habita, in veteri manuſcripto inveaimus, nempe diem tertium Novembris*. Codex Caſſinenſis vacillat. Etenim rubris ac Originalibus litteris diſertè expreſſum eſt: *Data Menſe Novembri, die trigeſima, indictione decima tertia*. Ar verò nigris & recentioribus litteris, antiquis ramen, neſcio quis, correxit. Videtur ſuperſcripſiſſe: *Secunda Menſis*. Litteræ non ſunt lucidæ. Interim iſta correctio facit nos vacillare. Hæc Epiſtola eſt ſummi momenti: Inter primarias S. Cyrilli. Et propter ipſam per centum annos fuerunt graviſſimæ contentiones in Eccleſia. Comprehendit omnes Neſtorii impietates, ipſaſque nervosè refutat. Totam exponere ac elucidare eſſet operoſi moliminis: Eſt alterius loci.

## CAPUT SECUNDUM. —77

*Epiſtola Sancti Joannis Archi-Epiſcopi Antiochiæ ad Orientales Epiſcopos de facta Pace univerſalis Eccleſiæ, quam à Beati Cyrilli, ad Acacium quæ nominatur, Epiſtola nominavit.*

OBtinuit Pietas, & omnis Diaboli abſcedat invidia. Et obtinuit, nullum locum de cætero admittens impudenter calumniari tentantibus expoſitionem Fidei Eccleſiæ Magiſtrorum. Obtinuit ſic, quatenus pia Confeſſio Divinæ inhumanationis non aliter apud nos, & aliter alibi ſuſcipi queat. Concurrimus enim ad invicem nos & Dominus meus Deo Amiciſſimus Cyrillus, unam & eandem Fidem ſecundùm veram Evangeliorum regulam conſervantes. Nihil enim medium, neque dubietate dignum in his, quæ ad nos de Fide per Epiſtolam ſcripſit, expoſuit, ſed omnia clarè atque aperte ſecundùm noſtras propoſitiones ſatisfactioni ſuæ, quam nobis direxit, intexuit. Facta eſt igitur, propitiante Deo, per hæc una communio, & concordia omnium totius Orbis Eccleſiarum. Neque oobis ſubdolè accedentibus ad Eccleſiæ pacem, oec prædicto Amiciſſimo Viro contento extraneam nobis eloqui vocem, præter quam vult Scriptura Divina. Sic enim purè, mundèque, ac ſine dolo diſſolvit dubietatem, quæ inter nos erat, ut nullam relinqueret occaſionem his, qui contra eum volunt de Divinis diſſentire Dogmatibus.

Suſcipiamus ergo piæ Fidei conſonantiam, & cum hac ſuper eam Eccleſiæ pacem, non cedentes de reliquo illis, qui ex occaſione pietatis Zelotas, ac ſtudioſos noſtri ſeipſos deſiderant. Soluta eſt enim per gratiam Fidei univerſa dubietas, & contradictio de diſpenſatione Domini ſecundùm Carnem: Et quicumque volunt contendere, manifeſti ſunt, quod non hoc à principio vindicaverint, ſed Eccleſiarum Dei concordiæ inviderint. Aliqui enim ex veritate Chriſtum prædicant, aliqui verò ex contentione. Et ſcit hoc plus à me Religioſitas Veſtra. Erant enim & inter Adverſarios, qui in utraque parte in Fidei expoſitione nutabant. Quorum mens quidem veritati acquieſcebat, lingua verò & ſtudium his, quæ ſentiebant, res contrarias intendebant. Inimicitiæ enim & gratiæ ſerviebant, ut nos inventis occaſionibus impugnarent.

Omnia hæc jam per Dei gratiam ſunt extincta. Quæ enim nos dictavimus, quædam quidem in Epheſo de recta fide componentes, quædam verò hìc, id eſt, in Antiochia, tractatu inter nos habito hæc non ſolùm ſuſcepit Cyrillus Sanctiſſimus, ſed & præveniendo laudavit, voces noſtras ſacratiſſimas nominans, & approbans atque confirmans. Juxta quas & ipſe ſimilia expoſuit, contexens nobis Paternam traditionem, paulominùs perire ab hominibus, ut ita dixerim, periclitatam: Secundùm ipſam nobiſcum, id eſt, cum Orientalibus conſentiens, & ſenſus & rectæ Fidei expoſitionem; nihil medium, neque quod vel parviſſimam dubitationem facere poſſit, in ſuis ad nos litteris interponens; ſed docens & illos, qui adhuc veritati reſiſtunt, clara voce confiteri quidem differentiam naturarum, dividere veró Divinas voces ſimiliter ut naturas, confeſſa utique ab omnibus Unigeniti Filii Dei identitate Perſonæ.

Et credo, Deo Amiciſſimi Fratres, cum charta hæc fuerit deſtinata, ſicut ipſe promiſit, his qui ubique ſunt in orbe fidelibus, quia his quidem, qui bonæ voluntatis ſunt, ſatisfiet, confuſio verò naſcetur incredulis, & convictioni ultimæ ſubjacebunt. Efficiet verò & illud Propheticum Dictum præſentibus quoque compleri temporibus, *Quia linguæ mutorum diſcunt loqui diſertè*, quibus eſt feſtinatio vel ſtudium, ut abuſi occaſione Viri Sanctiſſimi omnia facilè credant, & illa univerſa confundant, quæcumque ad pia dogmata pertinent, & renovent immundi atque polluti Apollinarii impiam hæreſim. Sed ut non prolixiora dicam, ipſum direxi vobis Epiſtolæ librum, in ſatisfactionis ſimilitudine ab illo compoſitum, à nobis verò cum communione indubitatè ſuſceptum: Quem, quod eſt amplius & animati ſumus pro rectitudine Fidei, & adjacet vobis, dilectiſſimi Fratres, legere, & ſatis facere vobiſmetipſis, & gloriam dare Sanctiſſimo Deo. In eo Ægyptus quidem ea, quæ Orientis ſunt, Oriens verò ea, quæ Ægypti ſunt, ſapit atque complectitur. Generationibus enim, quæ poſt nos erunt, pia confeſſio tranſmittetur, quam proprio ſanguine, ac multis valdè paſſionibus noſtris, per gratiam Dei, mundi ſervabimus. Permanſit ſcintilla Fidei, & Deo donante temporis permutationem, flammam pietatis erexit, ita ut lumine Divinæ agnitionis effulgeant, tam qui illic ſunt, tam qui hic: Immò verò, & qui in toto ſunt mundo fideles, quibus oratio, ut arbitror, votumque, ac deſiderium fuit, unam eandemque impetrare confeſſionem, quæ poſt deſperationem cunctorum mentes erigeret.

Sap. 10.

Direxi verò Epiſtolam conjunctionis etiam cum Litteris meis, quas ſcripſi ad ipſum Religioſum Cyrillum Epiſcopum, ut agnoſcatis quia non turpiter, neque ſerviliter intellectu pietatis uſi ad hanc beatitudinem venimus pactionum. Rogo igitur etiam nunc Deum, rogo etiam vos, ut ei gloriam detis, & laborem nobis nullus de cætero ingerat, quos decet ut ædificemus, non ut ea quæ voluntate Domini benè ſunt, pervertamus.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola non eſt ſuo ordine & loco poſita. Eſt ſcripta, & per omnem Orientalem Diœceſim tranſmiſſa poſt completam ejuſdem Diœceſis cum Ægyptiaca Eccleſia pacem, poſt Pauli Emeſeni Epiſcopi reditum. Tunc Joannes Antiochiæ Patriarcha, pacem publicaturus, omnia ipſius Acta, nempe ſuas ad S. Cyrillum Synodales litteras, & Pacificatorium Cyrilli Reſcriptum, unà cum præſenti Epiſtola traſmiſit ad omnes ſui Patriarchatus Provincias, ita ſperans quietem, quam ipſe turbaverat, reparare ſuis Eccleſiis. Ipſum fuiſſe non minimum diſcordiæ fontem, demonſtrant ejus Acta & antè, & apud, & poſt Epheſinam Synodum. Etenim ipſe omnium primus, ſaltem poſt Neſtorium, S. Cyrilli Capitula cœpit de Apollinario infamare ac anathematizare, atque ita Hæreſiarchæ præbuit valida fomenta impietatis, ac pertinaciæ. Hoc ſtatim patebit ex ejus litteris ad Helladium Tharſenſem, ac alios ſuæ Diœceſis Metropolitas & Provincias. Eas ſcripſit quinti ſæculi anno trigeſimo, aut certe in trigeſimi primi exordio, ſtatim poſt factam Neſtorio Capitulorum inſinuationem. Porrò modum, quo ſuas ad S. Cyrillum Pacificatorias litteras, & in ipſis contentam fidei profeſſionem, aliaſque Pacis conditiones conceperat, exponit ipſe in iiſdem litteris: *Quod conſilium*, Pauli Emeſeni Epiſcopi in Ægyptum legandi, *Sanctiſſimo Patri noſtro Acacio*, Berrhenſi Epiſcopo, *cæteriſque, qui nobiſcum erant, Deo dilectiſſimis Epiſcopis probatum fuit*. Hæc omnia egerat cum ſolo Acacio & paucis aliis Epiſcopis in Synodo ſolius ſuæ Provinciæ. Nec ſine rationibus. Etenim noverat ſuorum Epiſcoporum plures eſſe à S. Cyrilli Capitulis & perſona longe alieniſſimos. Et iſtud odium ipſe illis inſtillaverat. Hinc pacis negotium cenſuit tractandum cum paucis, & poſtmodò omnibus potenter imponendum. Et hoc tentavit per præſentes litteras. At quod non ſucceſſerit, docebunt inferiora. Plures Epiſcopi objecerunt varia: Etiam inter cætera, quod hæc pax eſſet clancularia, fabricata per paucos.

Palmaria pacis capita erant tria: Reprobatio

Ne-

Neſtoriani dogmatis, Degradatio Neſtorianæ Perſonæ, & in ejus degradati Sedem ordinatio Maximiani. Hæc tria & Princeps & S. Cyrillus poſtulaverant, & Joannes admiſerat, ſalemniter profeſſus. At verò ipſe etiam tria poſtularat: Aboleri omnia Acta Epheſina, admitti ſalum Nicænum ſymbolum, & anathematizari Cyrilli Capitula. Et nihil obtinuerat. Suam de Dominica Incarnatione fidem Cyrillus ſolummodò expoſuit, ac demooſtravit rectam: Et Joannes debuit eſſe contentus. At verò in præſenti pscis publicatorio inſtrumento nulla eſt memoria de Neſtorio aut ejus dogmate, nulla de Maximiano, nulla de Cyrilli Capitulis: Cyrillus ſolummodò laudatur rectè jam ſentire, ac eſſe orthodoxus. Nempe Joanoes ſuæ pro Neſtorio, & adverſus Maximiani Ordinationem, ac præſertim adverſus Capitula contumaciæ memor erubeſcebat, & certiſſimè norat iſta à ſuorum Epiſcoporum multis pertinaciſſimè abjicienda & conſpuenda. At ipſa aliunde innotuerunt. Hinc pacis publicatio plurimos habuit obices, modicos ſucceſſus. Epiſtola ſcripta eſt ſub exordium anni trigeſimi tertii. Etenim anno trigeſimo ſecundo, die vigeſima quinta Decembris, in Dominicæ Nativitatis feſto, Paulus Emeſenus Epiſcopus Alexandria coram S. Cyrillo eſt ad plenum populum de fide ac pace ſolemniter concionatus, ideòque redire non potuit, niſi in exordio ſequentis anni. Epiſtola eſt ſcripta poſt ejus reditum.

## CAPUT TERTIUM. —78

Epiſtola Neſtorii, quam direxit Sancto Joanni Antiocheno Epiſcopo de Conſtantinopolitana Civitate, reſpondens ad ejus Epiſtolam, quam direxerat ei, antequam cum tertiis Litteris Beati Cyrilli Epiſtolam Sancti Celeſtini Papæ Romanæ Urbis acciperet, id eſt, antequam fieret Sancta Synodus Epheſina.

*Deo Amantiſſimo & Sanctiſſimo Comminiſtratori Joanni Neſtorius.*

OMnem rem faciliùs contra me ab hominibus putabam moveri poſſe, potiùs quam calumniam, veluti de Pietate Fidei recta non ſaperem, qui uſque hactenus propter pugnam, quam contra univerſos hæreticos habeo, multa millia hoſtilitatum contra me delector inſurgere. Verumtamen & hanc tentationem oportet cum gaudio ſuſtinere, quia & ipſa, ſi optime vigilemus, ad pietatem nobis multam poteſt conſerre fiduciam. Hoc verò quod nobis evenit, & ad illud proficit, ut clareret, quantum pro nobis tua Religioſitas cogitet. Ea enim, quæ ad nos nuper ſcripſiſtis, & ad Magnificentiſſimum Chriſti Amatorem Irenæum, Filium noſtrum, inſuper & ad Deo Amiciſſimo Epiſcopos Muſæum & Helladium, ſinceram circa nos tuæ Religioſitatis dilectionem clariùs prædicavere, quam tuba. Nec non & quanta cura ſit vobis pro quiete totius univerſalis Eccleſiæ, pro qua & nos habentes præcipuam curam, ſoli nobis contra reliquos univerſos aſſumere authoritatem quodammodo circa hæc ipſa, quæ mota ſunt, extremæ dementiæ, fraternitatis odii credimus rem.

Scientes quidem, quod ſermo, quo dicitur *Theotocos*, à multis hæreticis aſſumatur ut ſuus. Retinentes verò, quia nonnulli, qui hic ſunt, hanc vocem ſumentes incautiùs, per hoc ipſum in hæreticas, & minimè pias cogitationes incidunt: Et præcipuè Arii & Apollinarii impiorum. Cognoſcens igitur ex his, quæ ſcripſiſtis, ut dixeram, tam Religioſitatis tuæ benevolentiam circa nos, quam curam pro Dei Eccleſiis competentem, per has meas litteras cauſæ, quæ mota eſt, certamen ſolvere feſtinavi apud amicam Deo Animam veſtram, Domine. Et hoc innoteſcere intendimus, quia & ante tuæ Religioſitatis litteras, ut ita dixerim, ſolvi & ego ipſe, reſpiciens quia oportebat ex deliberatione omnium noſtrum conſonè & unanimiter vocem, qua *Dei Genitrix* nominatur, exponere. Non ut vel ad modicum vocis hujus Confeſſio differretur, ſed ut nulli eorum permitteretur occaſio, qoi quæ Dei ſunt, minimè ſapiunt, ut quaſi pro hoc noſtra ſi capiens verba Schiſma contra Eccleſiam faceret.

Puto enim & tuam Religioſitatem cognoviſſe, quia mox ut venimus huc, aliquos hìc adverſùm ſemetipſos eorum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſeditioſè diſſidentes invenimus, quorum aliqui quidem Sanctam Virginem *Theotocon* tantummodo nominabant, alii verò *Hominis Genitricem*. Undè utramque partem ut diligenter colligerem, nullamque ovem, quò poſſet perire, deſpicerem, ſicut ipſum hominem Dominum feciſſe conſpicimus, *Chriſti* eam vocavimus *Genitricem*, ut hæc vox utrumque manifeſtè ſignaret, id eſt, Deum & hominem. Circa Evangelii voces volentibus conceſſi, ut piè *Genitricem*, vel *Particem Dei* Virginem nominarent, id eſt, neque circa Apollinarii, neque ſecundùm Arii ſenſum, ſed nec tanquam Divinitas Unigeniti ex S. Virgine ſumpſiſſet initium, ſed propter unitionis rationem, quæ facta eſt ex ipſo Angeli vocum principio, quas de Conceptione loquutus eſt.

Quæſo igitur, ut quieſcentes ab hujuſmodi curis de cauſa præſenti, & ſcientes quia per gratiam Dei eadem & ſapuimus ſemper, & ſapimus in his quæ ad pietatem Fidei pertinent, orate conſuetè, ut & in his ipſis, & in omnibus reliquis à Domino Chriſto impetremus auxilium, & digni efficiamur ut ad invicem. Manifeſtum eſt enim, quia ſi nos invicem viderimus, dum nobis hanc ipſam Synodum donaverit, quam ſperamus, & iſtud & reliqua quæcumque fieri oportet, ad correctionem generalitatis atque juvamen, abſque ſcandalo & cum concordia diſponemus, ut omnia quæ fuerint ordinata, ex communi & univerſali Decreto dignitatem credulitatis accipiant, & nulli occaſionem contradictionis efficiant, vel ſi ad hanc omninò ſit facilis. De conſueta verò Ægyptii præſumptione

maxi-

maximè tua Religioſitas non debet admirari, dum habes antiqua hujus exempla perplurima. Poſt paululum verò, ſi Deus voluerit, laudabitur noſtrum circa iſtud quoque conſilium. Omnem, quæ tecum, fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus. Incolumis, oranſque pro nobis permaneas, omni honore digne, & Deo Amiciſſime.

Poſt ſubſcriptionem conſpiciens, ut arbitror, contra eos, qui occaſionem exquirunt, & alio, quod ampliùs expedit, utimur. Nam priùs tuæ Religioſitatis Epiſtolas in illa doctrina, quam publicè in Eccleſia fecimus, ampliùs per gratiam Dei & Clerum, & Populum, & hos qui in Imperialibus ſunt *Aulis*, attraximus.

## Sermo Neſtorii Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem dixit, dum tardiùs intraſſet ad Menſas, eò quod neceſſitates popoſciſſent in Secretario. Unde omni Clero concurrenti ad eum multa de Dogmate diſputat, qui ſic ejus Magiſterium ſunt admirati, ut anathematizarent eos, qui ita non ſapiunt.

Cum diverſis diverſa expediant ſuper terram, & aliis quidem militia proſit, aliis autem fori negotium, aliis verò maritimæ artes, nunc verò quibuſdam terrena exercitia; pietatis agnitio omnibus hominibus ſimul eſt utilis: Et Principibus, & Sacerdotibus, & Potentibus, & Populis. Hæc ipſa verò, id eſt, pietatis agnitio, ut breviter aliquis dicat, parco enim, quoniam & ego valde ſum fatigatus, & vos omninò conſtricti, conſubſtantialis eſt Deiloquium Trinitatis, humanatio Unigeniti, & Divinæ naturæ ad humanam naturam noſtram in utero Virginali unitio ineffabilis, duarumq; in uno Filio contemplatio naturarum. Ob hæc vobis frequentiùs diximus, quoniam *Chriſtus*, id eſt, hoc appellationis nomen, ſignificativum eſt utrarumque, id eſt, Dei & hominis. Et ſi dixerit aliquis ſolùm Chriſtum dicere utrumque, intellectus verò eorum, quæ dicuntur, coaptatur ad unamquamque naturam. Hinc & Beatus Evangeliorum Conſcriptor Matthæus, ad Genealogiæ Myſterium veniens, à neutra natura principium generationis exorſus eſt, niſi ab ipſo Chriſto, qui eſt omnium Dominus. Oportet vero idipſum & manifeſtiùs dicere, ut efficiatur ad perſpiciendum cunctis facilior intellectus. *Liber*, inquit,
Matth. 1. *Generationis Jeſu Chriſti*. Non ait: *Liber Generationis Dei Verbi*. Neque: *Liber Geneſios hominis*. Si enim dixiſſet, *Liber Generationis hominis*, putum nobis hominem Chriſtum videretur oſtendere; ſi verò dixiſſet, *Liber Geneſios Dei Verbi*, Divinitatem nobis ex parte humanitatis induceret. Utraſque igitur naturas in appellatione Domini Chriſti complectitur, ne quid horum ſine alio poſſit intelligi. Hinc eſt quod & Beatæ Sanctæque Virgini aptum eſt, ut & Chriſti Genitrix nominetur, duplici ſignificatione vocabuli, id eſt, Dei Genitricis, & hominis Genitricis.

Quoniam verò conveniens eſt propter illos, qui etiam clariorem de Partice Chriſti exigunt intellectum, & maximè cum ſint Eccleſiæ Filii, & hoc apud eos uti vocabulo clariori, propterea quæ priùs brevi appellatione de Beata illa & Sancta Virgine prædicavimus, hæc & nunc manifeſtioribus nominibus exclamamus: Quoniam Sancta Virgo & Dei Genitrix ideò, quia illud Templum, quod in ea ex Spiritu Sancto creatum eſt, Deitati erat unitum; hominis verò Genitrix, eòquod noſtræ naturæ primitias aſſumpſit Deus. Hæc ſunt in brevi dogmata pietatis. Hæc ſemper memoriter cuſtodite, ubique malè hæreticis placita declinantes. Non credatis, eoquod apud illos conſuetum nomen eſt, ut Dei Genitrix nominetur, ſic & Eccleſiam Dei dicere *Theotocon*: Quia ſic & Filii apud nos & apud illos appellatio una eſt, ſed ipſius Filiationis inter nos & illos non unus eſt intellectus. Apud illos enim vocabulum Filii nomen eſt ſolùm, nudumque illa ſimilitudine, quam Filius habet ad Patrem, apud nos Filii appellatio vera eſt inſtituta. Sic rurſus apud illos Dominus omnium Chriſtus appellatur Deus, quod confitemur & nos: Sed apud illos, ut creatus, creditur Deus, apud nos verò, ſicut ejus Genitor, increatus.

Non igitur pro ſimilitudine nominis in eundem deponamur ab hæreticis de his quæ loquimur intellectum, ſed Deum & hominem unum Filium fateamur. Neque Deo in Carne confuſo: Immutabile eſt enim quodcumque Divinum eſt. Et hoc Deus Judæis oſtendens inquit: *Ego ſum*, Malach 3.
*ego ſum, & non ſum mutatus*. Neque in naturam incorpoream Carne translata. Non enim erubeſcit videns quam ſuſcepit naturam. Neque confunditur in ipſa regnante. Si enim revereretur, eam minimè ſuſcepiſſet. Suſcipiens verò propter incommenſurabilem charitatem, habet inſeparabiliter quam ſuſcepit. Horum bonum eſt poſſidere memoriam ſemper in Chriſto, cui gloria in ſæcula. Amen.

## S C H O L I O N.

HÆc Epiſtola docet nos plura. Primò, intolerabilem faſtum, vanitatem, ac ſuperbiam Neſtorii. Vanitatem tantam, qua credidit ſuſpicionem Hæreſis in ſe nequidem poſſe cadere. Vanitatis fundamentum erat, quod bellum indixiſſet omnibus Hæreticis. Etenim quomodò inter ipſa ſuæ Epiſcopalis Conſecrationis Solemnia ſtatim cœperit debacchari in cunctas tunc graſſantes Hæreſes, videre poſſis apud Socratem & alios. Hinc ſuos Legatos ſtatim tranſmiſit in Lydiam, aliaſque Aſiaticæ Diœceſis Provincias, vexaturus Quarto-decimanos, alioſque iſtic Hæreticos. Et re vera fuiſſe zeloſum, ac indefatigabiliter ſtudioſum affirmat in ſcriptis ad ipſum litteris S. Pontifex Celeſtinus: *Expergiſcere tandem, quia non ſunt iſtæ dicendæ vigiliæ, quas* Part. 1. Epiſt. 18.
*non exhibes cuſtodiæ, ſed rapinæ. Dormire te vellimus in hoc quod prædicas, & vigilare in hoc quod impugnas. Quid dico? Leviùs certè ferremus, ſi in utroque dormires*. Ex grandi hac ſtudii diligentia fuiſſe ab omnibus æſtimatum ac dilectum, &

evectum

evectum in Regiæ civitatis Cathedram teſtatur in Apologetico ad Imperatorem Theodoſium libro S. Cyrillus: *Electus fuit Neſtorius tanquam in Apoſtolicis ac Evangelicis doctrinis exercitatus, promovendæque pietatis artifex, quique rectam & omnino inculpatam fidem teneret. Et talem eſſe hunc hominem cupiebat etiam veſtra Majeſtas, univerſique Sanctarum Eccleſiarum Præſides, & ego ipſe.* Huic publicæ famæ innixus audebat omnia, & cenſebat ſe ſecurum adversùs omnem ſuſpicionem. Attamen quod potiùs loquax, quam eruditus fuerit, teſtantur graviſſimi Scriptores. Idem Cyrillus in habita ad Epheſinam Synodum Homilia ſic ipſum alloquitur: *Ratus es te omnibus Eccleſiis dominari ejus, qui te è ſtercore in cæleſtem ſublimitatem evexit.* Videtur notare viles ejus natales. Et Alipius, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ apud Sanctos Apoſtolos Presbyter, ſcripſit ad Sanctum Cyrillum: *Tu voracem Bel evertiſti, ac inanem illius ſpem labefactaſti & compreſſiſti, aureæque ſtatuæ apparatum perdidiſti.* Notat Neſtorium de inſatiabili avaritia, videturque notare inſuper de Simonia. *Quod peſtilenti Epiſcopalis Cathedræ deſiderio laboraverit*, in præfata Homilia teſtatur laudatus Cyrillus, & adjungit: *Hic Magicis quoque illuſionibus, auſim dicere, operam navavit. Divinam Scripturam non ſincerè inſpexit; inſpexit autem argentum & aurum.* Hæc facinora & vitia hominem inflarunt, evacuarunt Spiritu Sancto, & Hæreſes impugnantem præcipitarunt in Hæreſin.

Litteras ſuas, quibus Neſtorio, ut intra decem dies, niſi Degradationis Elogium mallet ipſo facto incurrere, ſolemnem ſui erroris palinodiam in Eccleſia cantaret, ac præſertim Sacroſanctam Virginem profiteretur Deiparam, Apoſtolica authoritate injunxerat, Sanctus Celeſtinus non ad ſolum Sanctum Cyrillum, per ipſum Neſtorio inſinuandas, ſed etiam ad Joannem Antiochiæ Patriarcham, alioſque Orientalium Eccleſiarum Primates Epiſcopos tranſmiſerat. Hinc præfatus Joannes videns agi ex pectore, ſeriò ac inſtanter Neſtorium admonuit, ut Pontifici obediret, atque ita declinaret hanc tempeſtatem. Ut imitaretur ſuum olim Magiſtrum, Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum, qui iſtis ipſis in Benedictam Virginem blaſphemiis graviſſimè uſque ad lapidationis periculum offenderat Antiochenum populum, & recantando non ſolum pacem ac populi gratiam ſibi reddiderat, ſed inſuper meliorem famam. Hiſce litteris Neſtorius per præſentem Epiſtolam reſpondet, & affirmat ſe iſtud ipſum etiam ante receptas litteras præſtitiſſe.

Porrò ſermo, quem à ſe ante iſtas Joannis litteras dictum affirmat & adducit Neſtorius, adducitur etiam à Mario Mercatore. Eſt ſecundus poſt receptas litteras ac minas Sancti Celeſtini. Ad primum ſermonem Marius præfatur: *Sermo duodecimus in Eccleſia habitus, in qua litteras Celeſtini Romani Epiſcopi, & Cyrilli Alexandrini denuntiationes accepit, ſeptimo Idus Decembris, Conſulatu Theodoſii decimo tertio, & Valentiniani tertio, Auguſtorum, poſt ſextum diem, quam eaſdem litteras ſumpſit.* Accepit litteras die ſeptima, ideoque hunc ſermonem dixit Decembris die decima tertia. Erat dies Sabbathi, apud Græcos feſtivus, ac habens publicam Synaxim. Ad præſentem ſermonem hæc Mercator. *Ejuſdem ſermo decimus tertius, die altera, id eſt, Dominica dictus.* Erat quinti ſæculi annus trigeſimus. Hæc ſermonis verba, *Quoniam & ego valde fatigatus ſum*, quæ Mercator non exponit, exponit harum litterarum Collector & Scholiaſtes: *Quem dixit, dum tardiùs intraſſet ad menſas, eò quod neceſſitates popoſciſſent in Secretario.* Quæ neceſſitates fuerint, ignoro. Forſitan quatuor à Sancto Cyrillo Legati Epiſcopi, tunc adhuc hærentes apud Conſtantinopolim, hominem denuò acceſſerant, atque ita ante Sacrificium & Synaxim detinuerant ac fatigaverant in Eccleſiæ Secretario. Hic Scholiaſtes haud dubiè eſt Comes Irenæus tunc Tyriorum Metropolita, pertinaciſſimus Neſtorii Sectator Patronus, ac Encomiaſtes. Lucet ex his verbis: *Unde omni Clero concurrente ad eum, multa de dogmate diſputat, qui ſic ejus Magiſterium ſunt admirati, ut anathematizarint eos qui ita non ſentiunt.* Quod plurima Cleri & populi turba adfuerit, lucet ex his ipſius Neſtorii verbis: *Et vos omnino conſtricti.* Marius Mercator tranſtulit: *Conſtipatione laboratis.* Papalium litterarum tenor, & ipſarum terribilia in Neſtorium mandata toti Regiæ civitati innotuerant: Cyrilli Legatio ipſas haud dubiè non ſolummodo inſinuaverat Neſtorio, ſed inſuper affixerat in publicis locis, ac ſolemniter promulgarat. Hinc ad audiendas ſui Epiſcopi palinodias aut Apologias confluxerat omnis Clerus & populus. De ipſorum applauſu Neſtorius propria manu ſubjecit ſuis ad Joannem Patriarcham litteris: *In illa doctrina & Clerum & populum, & hos qui in Imperialibus ſunt Aulis, attraximus.* Eſt vano ac tumido Hæreſiarchæ conſuetus Thrazoniſmus. Nam & ad Sanctum Cyrillum non erubuit ſcribere: *Quæ ad Eccleſiam noſtram pertineat, quotidie augentur in melius. Et quæ ad plebem, noveris in majorem extendi profectum per gratiam Chriſti, in tantum ut multitudo hæc vocibus Prophetæ clamet*: Replebitur terra ſcientia Domini, ſicut aqua multa cooperiens maria. *Noveris & Regiam domum, dilucidato dogmate, in magno gaudio degere, & ut paginæ finem faciam, illam de Eccleſia quoque apud nos ſuper omnibus Hæreſibus, quæ adversùs Deum litigant, vocem vide impleri*: Ibat Domus Saul, & infirmabatur; ibat Domus David, & confortabatur. *Hæc noſtra tamquam fratris ad fratrem conſilia.* Homo facinoroſus per domum Saul omnino intelligit Orthodoxum Eccleſiæ dogma.

Porrò qualiter Sancti Celeſtini Litteris ac Mandatis obediverit, docent hæc Epiſtola, & ipſi adnexus ſermo. Etenim ambo perſiſtunt vocem, *Deipara*, infamare de Ario ac Apollinario. Ambo Sacro-ſanctam Virginem pernegant *Deiparam*, & prædicant ſolummodò *Chriſtiparam*. Eſt antiqua Pauli Samoſatenſis, à quo virus deſcendit in Neſtorium, doloſa vafrities. Hujus Magiſter fuerat Theodorus Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus, qui ſuas ad Antiochenum populum blaſphemias eadem arte dilnerat, aut potiùs incruſtaverat, atque ita Joannes Patriarcha ejus exemplum ac imitationem non ſine ſuſpicione de conſortio erroris ſuaſit Neſtorio,

rio. Porrò ſuperbus & contumax Hæreticorum ſpiritus ſemper accuſat Eccleſiam. Hinc etiam præſens Hæreſiarcha affirmat Regiam civitatem & ex Apollinario, & ex adverſo penitus errore uſque ad ſuum Epiſcopatum ac prædicationem laboraſſe: Sacro-ſanctam Virginem ab aliis ſolius Dei, ab aliis ſolius hominis fuiſſe creditam Genitricem. Hinc neceſſariam fuiſſe ſuam doctrinam & opem, quæ ipſam prædicaret Chriſti-param. Et certè poſſint illic fuiſſe quædam reliquiæ Apollinarii. Quod enim Nectarius, Regiæ civitatis Epiſcopus, fuerit in ipſis ejiciendis ſegnior, in datis ad ipſum litteris queritur Sanctus Gregorius Nazianzenus. Et Sancti Joannis Chryſoſtomi *Zelus in Arianos* potiùs vigilavit, quam in Apollinariſtas. Et in Synodalibus ſuæ Provinciæ pro Chalcedonenſi Concilio ad Leonem Auguſtum litteris Baſilius Seleucienſis Epiſcopus, Iſauriæ Metropolita, ſcripſit: *Beatus Cyrillus, dum apertè contra Neſtorii veſaniam dimicaret, & Beato Celeſtino, Eccleſiæ Romanorum Paſtori, particeps eſſet in priori Patrum Epheſi Concilio, pro veritatis defenſione maximus propugnator emicuit, quando uno fonte & iiſdem ſyllabis à ſe conſcriptis & impietatem Neſtorii perculit, & contra Zizania pravæ Sectæ Eutychis, quæ jam quidem tunc germinabant, necdum tamen videbantur apertè, falcem ſectionis apertiſſimè præparavit.* Quod Eutyches tunc Orthodoxus, immaculatus & ſummæ auctoritatis Archi-mandrita fuerit, infra patebit. Proinde Seleucienſis Baſilius loquitur de Apollinarii reliquiis. Attamen Neſtorius ipſas non notat in hiſce litteris. Omnino calumniatur Orthodoxos. Nam & hos notavit in litteris ad Celeſtinum Pontificem, & in pluribus aliis. Et ſuorum Clericorum quoſdam, certè inſigniter Orthodoxos, degradavit, & civitate ejecit tanquam Apollinariſtas.

Notanda ſunt hæc verba: *Facta eſt ea ipſo Angeli vocum principio.* Neſtorius ſtatim in ſuæ prædicationis exordio accepit duos potentiſſimos ſuæ blaſphemiæ Adverſarios: Extraneum & Domeſticum. Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham, qui Scripto, & Sanctum Proclum, qui viva etiam voce Apoſtolicum dogma tuebantur. Hic enim è Regiæ civitatis Clero per Neſtorii Anteceſſorem Siſinnium Cyzicenus ordinatus Antiſtes, & ex cauſis iſtic non receptus, rediit Conſtantinopolim, atque ita plurimùm adjuvit Eccleſiam. Dum enim Clerus, prophani Epiſcopi Tyrannidem metuens, paſſim ſileret, Proclus ferè ſolus, utpote ob Epiſcopalem gradum ſecurus ab ejus violentiis, palàm & publicè invaſit blaſphemias. Adversùs primam illius deviam concionem ſtatim repoſuit: *Neque Chriſtus per ſuccedentia virtutum incrementa factus eſt Deus. Abſit. Verùm, ut fides noſtra prædicat, Deus factus eſt homo. Neque hominem Deificatum, ſed Deum Incarnatum confitemur.* Utique ſtatim à primo Virginalis conceptus exordio. Et in libro ad Reginas de Neſtorio ac ejus aſſeclis ſcripſit Sanctus Cyrillus: *Exiſtimant homini, ad noſtram ſimilitudinem ex Sancta Virgine prognato, cum Filiationis, tum Dominationis quoque gloriam per modum cujuſdam gratiæ, ac per progreſſus obveniſſe.* Et infrà: *Non eo ſenſu id dicimus, quo illi, quaſi nimirum Emmanuel ſecundùm gratiam tantùm Deus, aut Filius, aut Dominus nominatus ſit, aut per aſſiduos progreſſus & incrementa, perinde ac unus è grege, noſtrique ſimilis homo ſanctificatus, ad illud gloriæ culmen conſcenderit.* In hujus novæ prædicationis exordio nec Sanctus Cyrillus, nec Sanctus Proclus crediderunt hominem eſſe adeò abreptum, ut Sacro-ſanctæ unionis Myſterium penitus abjiceret: Crediderunt abjici ſolam Incarnationem, ſeu iſtius unionis exordium ad primum conceptum Dominicæ Carnis. Videbatur enim ſolam vocem, *Deipara*, invadere, ideòque averſari ſolum iſtud exordium. Crediderunt illum Pelagianizare, atque ita ab ipſo dogmatizari humana merita, quibus Dominicus homo per progreſſus & incrementa ad Hypoſtaticæ unionis gratiam tandem veraciter profeciſſet. Ita ſuadebat ejus cum Pelagianis familiaritas. Hanc ergo peſſimam de ſe opinionem diluit per verba præſentia. Quid autem re vera ſenſerit in hoc articulo, eſt altioris indaginis. Hinc interim vides unam è rationibus, ob quas Sanctus Proclus ac quidam alii Patres fuerunt averſati hanc propoſitionem: *Chriſtus eſt homo Deificatus.* Item hanc: *Hominis cum Deo unio eſt humanæ naturæ Deificatio.* Cenſuerunt voces iſtas non eſſe ſufficientis energiæ ad exprimendam iſtius unionis excellentiam. Ad hanc exprimendam Sanctus Cyrillus induxit voces: *Unio Hypoſtatica*, ſeu *Unio ſecundùm Hypoſtaſim.* Hæ namque palam important unionem factam in primo puncto, quo creata eſt, & exiſtere cœpit humana natura.

Laudatus in hiſce litteris Comes Irenæus eſt ſummus Neſtorii ſectator & aſſertor. Ejus indoles ac varia Acta exponentur inferiùs. Porro Muſæus fuit Antaradi Epiſcopus in prima Phœnicia, homo ejuſdem commatis. Quis hìc laudetur Helladius, videtur incertum. Inter Neſtorii enim aſſeclas fuerunt duo eodem nomine: Alter Tharſenſis Epiſcopus, Metropolita primæ Ciliciæ, alter Antiſtes Ptolomaidis in prima item Phœnicia. Joannes Patriarcha poſſit ad hunc & ad Muſæum, quoniam ejuſdem Provinciæ, communes dediſſe pro Neſtorio litteras. Attamen quod etiam ad Metropolitam Helladium ſcripſerit, ſtatim docebimur. Quem igitur hìc Neſtorius laudet, manet ambiguum. Quas, & quidem plurimas, Sancti Cyrilli præſumptiones hìc notet, quid juvet curioſiùs inquirere? Sunt calumniæ. Et quaſdam infra audiemus. Præſertim notat duodecim Sancti Cyrilli Capitula, quæ non ipſe ſolus, ſed plures alii cenſuerunt & clamaverunt eſſe præſumptiones Apollinarii.

Hujus Epiſtolæ tempus docent hæc verba: *Dum nobis hanc ipſam Synodum donaverit, quam ſperamus.* Affirmant eſſe ſcriptam eo tempore, quo Neſtorius, à Celeſtini Pontificis judicio appellans, Generalem Synodum poſtulaverat à Principe, ſed necdum impetraverat. Ita videri poſſit. Verùm Sacra Divalis, qua Imperator Theodoſius omnes Patriarchas ac Metropolitas evocavit ad Synodum, data fuit decimo tertio Calendas Decembris, die decima nona Novembris, ſub ejuſdem Principis decimo tertio, tertio Conſulatu

tu

tu Valentiniani tertii, anno trigeſimo quinti ſæculi. Erat ferè Menſis ante Celeſtini ad Neſtorium litteras. Proinde Neſtorius dudum antea provocaverat ad Synodum, & ipſam impetraverat. Et quod dudum antea jactarit ſe fore iſtius Synodi Præſidem, lucet ex Sancti Cyrilli litteris, exſtantibus in prima parte Epheſini Concili, ad Clerum Conſtantinopolitanum. Attamen indicta Synodus, neſcio ex quibus cauſis, ceſpitavit & hæſit. Hinc enim Baſilius Diaconus & Archimandrita, & plures cum ipſo Collegæ, dum Neſtorius apertum Hæreſiarcham ac Tyrannum ageret, fieri Synodum inſtantiſſimè poſtularunt à Principe, & niſi fieret, provocarunt ad Dominum Deum. Facta hæc omnino ſunt poſt adductas & publicatas Sancti Celeſtini litteras. Nam iſto tempore Neſtorius, licèt doloſè, profitebatur vocem, *Deipara*. Nempe ex metu Papalis Mandati. Hoc igitur tempore ſcripta etiam eſt præſens Epiſtola. Propter neſcio quos tunc pendentis Synodi obices dicit; *Dum nobis Synodum donaverit, quam ſperamus*. Quo Menſe id fuerit, neſcio conjecturare. Ut Joannes de Apoſtolico Mandato, quod ante Neſtorium non poteſt accepiſſe, ad ipſum perſcriberet, opus fuit aliquo tempore.

---

## CAPUT QUARTUM. —79

*Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Firmum, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum.*

AFfectus quidem, qui ſecundùm Deum eſt, tempore neſcit extingui, nec poteſt quomodocumque corrumpi. Unde tuæ Religioſitatis memores permanemus, qui parvo quidem tempore in Conſtantinopoli tuis amicitiis fruebamur, virtutis verò tuæ experimentum tempore prolixiori ſumpſimus. Præter alios enim in cohabitationibus es ſuavis, & videntibus te humilitatem cum ſuavitate præſtas. Dum verò humilitatem ſecteris, excelſas habes cogitationes. Sed de his quidem hactenùs habes, & dictum ſit. Excedit enim ſtyli epiſtolaris menſuram virtutum tuarum dinumeratio.

Quod autem nunc inſtat, hoc tuæ Deo Amabilitati ſignifico: Quoniam per Dei gratiam perturbatio, quæ erat Conſtantinopoli, jam quievit, de quæſtione diſpenſationis piæ ſuſceptione ſententiæ: Non quod pœnitentia vel correctio ſit ſecuta, ſed quia ſana intelligentia. Et nomen Dei Genitricis competenter accepit. Sapiebat ſiquidem ſic priùs Sanctiſſimus Epiſcopus Neſtorius, ſicut res ipſæ docuerunt. Cavebat verò nomen, veluti dare poſſet, ut diximus, unde nos ſequaces hæretici Apollinarii reprehenderent. Quia verò ſic & ante ſapuerit, inde convincitur, quia & citò conſtitit, admonentibus nobis, ſicut à propriis ſit, & ipſum nomen accepit, & in duobus ſermonibus ſanam fidei expoſitionem & irreprehenſibilem nobis detexit. Tranſmiſit autem nobis & Capitula quædam, ſive propoſitiones, quæ circumferuntur in Regia Civitate ad læſionem communis Eccleſiæ, tanquam quæ Religioſiſſimi Epiſcopi Cyrilli. Quæ quidem ejus eſſe non credo, eòquod ipſa compoſitio ab ejus diſcrepet charactere: Et multùm ſint peregrina ab his, qui piam Doctrinam diſcendo nutriti ſunt. Conſonant enim, magis verò ſunt eadem his, propter quæ Apollinarius à Chriſti eſt diſruptus Eccleſia, in unaquaque antiquarum Synodorum eſſe hæreticus judicatus, qui nec jam condemnatus.

Intendunt namque iſta Capitula, ſicut licet tibi legenti cognoſcere, Corpus, quod Deus Verbum de Sancta Virgine aſſumpſit, ejuſdem, cujus Divinitas, eſſe naturæ: Divinitate permutationem, ſicut noſti, non valente ſuſcipere. Unitionem namque ſummam & conjunctionem dicere pium eſt, identitatem verò naturæ dicere nimis illicitum eſt: Quod præſumpſerunt quondam Apollinarii & dicere & ſapere. Licet ipſi quoque, qui hoc ad interemptionem repererunt fidei, ſuam tamen impiam hanc perfidiam denegabant. At verò eorum, qui nunc ſunt, quidam hoc ipſum cum fiducia docent: unam dicentes & eandem *Humanitatis*, Divinitatiſque eſſe naturam.

Quæ ne patiamur & nos, rogo tuam Religioſitatem, ſi hæc Capitula in Pontica ſint Diœceſi vulgata, dignare hæc ipſa inſpicere, & cognoſcens incongruitatem, quæ in eis eſt, abjura ea apud omnes Deo Amiciſſimos Epiſcopos, qui eadem ſentiunt, innominato authore ſeu Patre verborum, quem neque novimus, neque credimus, ſi diſcamus. Verbum enim Caro factum eſt, non permutatione naturæ, abſit: Immutabile eſt quod Divinum eſt. Sed quia in forma Dei exiſtens evacuavit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, id eſt, perfectum hominem ſumens. Invenies verò in his ſapientibus Propoſitionibus ſive Capitulis & alteras quaſdam vocum novitates, quæ omninò ab Eccleſiaſtico charactere, ac fide quæ in nobis eſt, aliena ſunt. Ego quidem hæc velut in brevi Capitulo nonciavi, hoc tantùm interim ſtudens, ut ego nota hæc tuæ Deo Amabilitati tantummodò facerem. Tua verò diligentia ubique adſtruet, ut ſi illic fuerint ubicumque perlata, minimè approbentur, ut fidem Paternam ſervare incolumem immobiliter valeamus, quam nos defendere convenit ac tutari, etſi vitam nos oporteat ponere, valedicentes Apollinarii malæ credulitati.

Idem verò Joannes multis Archiepiſcoporum legitur ſcripſiſſe ſimilia.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola ſcripta eſt poſt Neſtorii receptum à Joanne Reſponſum. Docet quod Neſtorius bis Joanni reſponderit, duoſque ſuos Apologeticos ſermones ad ipſum tranſmiſerit. Forſan etiam illum ſermonem, quem die deci-

decima tertia Decembris ad Populum dixerat in Sabbatina Synaxi. Eſt tamen incertum. Haud dubiè & Joannes bis ad ipſum ſcripſerat. Altera utriuſque Epiſtola latet aut periit. Notanda ſunt hæc verba: *Perturbatio, quæ erat Conſtantinopoli, quievit*. Hæc qualiſcumque quies forſitan eſſecit, ut indicta Synodus videretur non neceſſaria, ideòque dormitaret. Verùm erat doloſa quies. Et ipſa abuſus Neſtorius cœpit in Orthodoxos, Clericos præſertim ac Monachos, apertum Tyrannum agere: Patrare illa, quæ Baſilius ac alii Regiæ civitatis Archimandritæ Theodoſio repræſentarunt, & adversùs illa poſtularunt omninò fieri Synodum, alioqnin ad tremendum Divinæ Majeſtatis Tribunal provocaturi. Et ſic Synodus revixit. Notanda ſunt & hæc verba: *Non quod pœnitentia vel correctio ſit ſecuta, &c.* Conantur plenè expurgare Neſtorium. At lavant Æthiopem. Et hinc Joannem forſan potuit dici, quod in Acacium Conſtaotinopolitanum Epiſcopum, ſimile dealbationis ſtudium Petro Mogo ac Petro Cnapheo impendentem, ſcripſit Sanctus Felix tertius Pontifex: *Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui evidenti facinori deſinit obviare*. An Joannes non ſolam Neſtorii Perſooam, ſed etiam errorem aliquando dilexerit, eſt alibi diſcutienda quæſtio.

Notari oportet etiam hæc de S. Cyrillii Capitulis verba: *Quæ quidem ejus eſſe non credo*. Erant manifeſta mendacia, vaſerrimæ Syri hominis ſutelæ. Etenim quatnor Ægyptii Epiſcopi, à S. Cytillo ac ejus Synodo Conſtantinopolim Legati, iſta Synodalibus litteris annexa & inſerta Capitula Neſtorio ſolemniter ac publicè tradiderant in proprias manus, aſſerentes eſſe Cyrilli, & Synodi cui ipſi adſuerant, ideoque uti Neſtorius, ita & Joannes de ipſorum auctore non potuit dubitare. Præſertim quia ambigi non poteſt, quin Cyrillus, S. Celeſtini Pontificis & Sedis Apoſtolicæ ad iſta Vicarius, dum Apoſtolicas in Neſtorium litteras Joanni tranſmiſit, adjunxerit & ſuas cum Capitulis. Verùm S. Cyrilli doctrina, vita, fama, atque auctoritas erant ſumma per omnem Eccleſiam, ideòque Joannes erubuit ipſa vel tangere: Hinc ad inſamanda Capitula fuit uſus iſta vaſririe. Poſtmodò larvam depoſuit, & revelata facie eſt Cyrillum aggreſſus. Etenim ipſum in ſuo apud Epheſum Conventicnlo degradavit uti Hæreſiarcham. Et Chalcedone coram Auguſto Theodoſio juravit eum, licet pœnitens anathemarizaret Capitula, numquam à ſe recipiendum in Epiſcopalem communionem. Et Epheſo ad propria redux hæc eadem Synodaliter confirmavit. Adeò durum & pertinax fuit in Capitula odium.

Notanda tandem eſt ſubjecta huic Epiſtolæ ſubnotatio. Demonſtrat Joannis pro Neſtorio adversùs Capitula zelum, ex quo non ſolos ſuæ Diœceſis, ſed & alios Metropolitas atque Epiſcopos tentavit ſibi adjungere. Et ex Pontica Diœceſi Himerium Nicomedienſem, Bithiniæ Metropolitam, ac Eutherium Tbyanenſem, Metropolitam ſecundæ Cappadociæ, adeò ſibi devinxit, & in tantam deduxit contumaciam, ut poſtmodò initam Eccleſiarum pacem participare nequiverint, nec in ſuis firmari Eccleſiis. Ejuſdem ſortis fuit Helladius, Tharſenſis Epiſcopus, Metropolita primæ Ciliciæ. Et hinc ſuprà dixi ipſum forſitan laudari in adducta Neſtorii Epiſtola. Verùm Firmus Cæſaræenſis Epiſcopus, primæ Cappadociæ Metropolita, ac Primas Ponticæ Diœceſeos, permanſit conſtantiſſimus pro fide Catholica. Etenim in Epheſina Synodo fuit unus è præcipuis S. Cyrilli adjutoribus. Unus item è Synodi ad Principem Legatis, unuſque ex S. Maximiani, novi Conſtanrinopolitani Epiſcopi, conſecratoribus. Alia ejus heroica opera adducentur inferius.

Epiſtola hæc nos etiam docet palmare Joannis, ac totius factionis adversùs iſta Capitula fundamentum. Nempe quod ab ipſis cenſeret doceri duarum in Chriſto Domino naturarum non unionem, ſed unitatem & confuſionem. Et rectè adjungit hunc eſſe errorem, non Apollinarii, ſed Apollinariſtarum. Etenim Dominicarum Naturarum confuſionem ſemper & conſtanter abnegavit, & de iſta ſibi impacta calumnia acriter ſe expurgavit Apollinarius. Ejus error fuit ſola humanæ naturæ diminutio & truncatio per ſubtractam animam, aut mentem. Confuſio & unitas ſunt ab ejus diſcipulis, Polemone, Valentino, ac Timotheo. Adversùm illos S. Athanaſius ſcripſit eruditam ac venerandam Epiſtolam ad Epictetum Metropolitam Corinthiorum. Undè ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum rectè ſcripſit Magnus Leo: *Non Deum tantùm di-* Epiſt. 48.
*cimus Chriſtum, ſicut Hæretici Manichæi; nec ho-* Cap. 5.
*minem tantùm, ſicut Hæretici Photiniani; nec ita hominem ut aliquid ei deſit quod ad humanam certum eſt pertinere naturam, ſive animam, ſive mentem rationalem, ſive carnem, quæ non de femina ſumpta ſit, ſed facta de Verbo in carnem converſo atque mutato; quæ tria falſa & vana Apollinariſtarum Hæreticorum tres partes varias protulerunt*. Quod ipſum hinc inde advertit S. Auguſtinus. Alii itaque totam animam, alii ſolam mentem, alii Apollinariſtæ docuerunt Domino defuiſſe veram carnem: Garriverunt naturarum converſionem, mixtionem, confuſionem, unitatem. Ita garriverunt Polemon, Timotheus, ac Valentinus. Et hic omninò eſt Valentinus, de cujus ſectatione ac errore Sancti Patres frequenter notant Hæreſiarcham Eutychetem. Quidam exiſtimant notari de ſolo antiquo illo, & Gnoſtico Valentino. Peſſimè. Non nego aliquando notari: Dumtaxat aſſero paſſim notari de Apollinariſta. De tertia Apollinariſtarum Secta Joannes Patriarcha hìc etiam notat Sancti Cyrilli Capitula. Hinc dicit ipſa conſentire, non Apollinario, ſed Apollinariſtis. Ea enim notat de naturarum confuſione ac unitate. Videatur Leontius Scholaſticus Byzantinus in libris contra Neſtorianos ac Eutychianos.

CAPUT

## CAPUT QUINTUM.

*Conteſtatio propoſita in publico contra Clericos Conſtantinopolitanos, & in Eccleſia inſinuata, quia Sectator eſſet Neſtorius Pauli Samoſateni, anathematizati ante annos centum viginti ab Epiſcopis Orthodoxis.*

### SCHOLION.

VAticana, & omnis paſſim alia generalium Conciliorum editio præſenti conteſtationi præfigit hanc Epigraphen: *Conteſtatio publicè propoſita à Clericis Conſtantinopolitanis, & in conſpectu Eccleſiæ publicata, quod Neſtorius ejuſdem ſit ſententiæ cum Paulo Samoſateno, ante centum ſexaginta annos ab Orthodoxis Epiſcopis anathemate condemnato.* At verò in tertio contra Neſtorianos ac Eutychianos libro ſcribit de Neſtorianæ perfi-
Cap. 91. diæ exordiis Leontius Byzantinus: *Propoſita eſt utriuſque refutatio, Pauli ſcilicet* Samoſatenſis *& Neſtorii, ex teſtimonio publicè propoſito, ut ajunt, ab Euſebio, qui tunc florebat in judicandi poteſtate, poſteà autem præfectus fuit Eccleſiæ Dorylæenſium, qui Divino Zelo, ut teſtantur, incenſus, hæreſim Neſtorii & Eutychis deprehendit & convicit, infinitis periculis pro pietate objectus. Audi igitur cum quibus & cujuſmodi blaſphemiis ex Paulo Samoſateno collectis Neſtorii blaſphemias conjunxit, & unam utriuſque mentem amentiſſimam eſſe demonſtravit.* Et adducit præſentem famoſam conteſtationem. Euſebiani Zeli exordium habemus apud Marium Mercatorem in Scholio ad tertium Neſtorii ſermonem: *Cum Neſtorius in media Eccleſia profanis uteretur vocum novitatibus, quibus &* θεοτόκον *& geminam Chriſti Nativitatem inſectabatur, vir quidam, ſanè probus, qui adhuc inter Laicos erat, ſed tamen admirabilem ſibi collegerat eruditionem, ferventi & religioſo Zelo permotus, & contentiori voce inclamans, inquit ipſum ante ſæcula Verbum etiam ſecundam ſubiiſſe generationem, id eſt, illam ſecundùm carnem, & ex muliere.* Hæc verba, *Qui tunc adhuc inter Laicos erat*, edicunt ipſum poſtmodò adſcendiſſe in Clerum. Leontius rectè affirmat tunc floruiſſe in judicandi arte. Etenim fuiſſe ipſius Imperatricis Pulcheriæ Scholaſticum teſtantur in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, & Martyr Theophanes. Ejus pro Catholica fide Zelum docet nos Sanctus Flavianus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ad Eutychetis Legatos dicens in ſua Synodo: *Cognoſcitis Zelum accuſatoris. Quoniam & ipſe ignis frigidus illi videtur propter pietatis Zelum.* Hinc igitur non contentus Neſtorio concionanti reſtitiſſe in faciem, ipſumque publicè coram omni Populo & Clero confudiſſe, etiam toti Regiæ civitati propoſuit præſentem conteſtationem.

Ejuſdem rei meminit Breviculus Eutychianiſtarum, ſeu Acta ſuper nomine Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani: *Cum Eutychen Euſebius Dorylitanus Epiſcopus ſuadere talia reperiſſet, zelo fidei, quem etiam, cum Agens in rebus eſſet, oſtendit, ipſe enim Neſtorium quoque in tempore reprehendit in Eccleſia res ſacrilegas prædicantem, detulit ad Flavianum Epiſcopum.* Et infrà: *Euſebius autè, dum adhuc eſſet Laicus, Neſtorii fuerat accuſator.* Erat ergò tunc non ſolummodò Auguſtæ Dominæ Scholaſticus, ſed & Agens in rebus. Eadem ſcribunt laudatus Anaſtaſius, & S. Theophanes. Et omnia confirmat noſter Codex Caſſinenſis. Et quoniam ex inſomni apud Conſtantinopolim Cœnobio deſumptus atque translatus eſt, eſt irrefragabilis authoritatis. Proindè præſens conteſtatio non ab Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clericis adversùs Neſtorium, ſed eſt contra ipſos propoſita ab Euſebio. Nequaquam contra omnes: Abſit. Etenim iſtorum Clericorum plures fuerunt Hæreſiarcham adeò averſati, ut ab ipſo degradari, ac è civitate proſcribi maluerint, quam ejus impietatibus aſſentire. Propoſita igitur fuit adversùm ſolos profani Epiſcopi fautores. Certè cum ſumma iſtius Eccleſiæ infamia. Quid enim infamius, quam Regiæ civitatis Epiſcopum & Clerum adeò labi à Catholica veritate, ut corrigi & doceri debeat per Laicum, Palatinum Advocatum?

Porrò centum & viginti anni, quos fluxiſſe dicit à dato Synodaliter in Paulum Samoſatenſem anathemate, computari debent non à prima, ſed à ſecunda in ipſum Antiochena Synodo, à qua non ſolummodò admonitus fuit, ſed damnatus ac degradatus ob hæreſim, & propter relapſum anathematizatus. Hæc Synodus paſſim creditur facta anno ſeptuageſimo tertii ſæculi. At verò Neſtorius, quinti ſæculi anno trigeſimo primo damnatus, per tres ferè annos vomuit blaſphemias, & nullis conſiliis, monitis, aut minis potuit ſiſti, aut reduci ad ſaniora. Ita in Apologetico ad Imperatorem Theodoſium, ſtatim poſt Epheſinam Synodum ſcripto, libro teſtatur S. Cyrillus. Proinde vigeſimo octavo iſtius ſæculi anno, quo Epiſcopatui admotus, erumpere cœpit, atque ita eodem tempore contigit hæc conteſtatio. Quare tunc à Pauli Samoſatenſis damnatione lapſi erant anni centum & ſexaginta. Proinde vulgata hujus conteſtationis editio rectè ſe habet, Codex autem Caſſinenſis deviat. Immò non ſolus Codex, ſed & neſcio quis ipſius Corrector. Deſcriptor poſuit: *Annos oct.* videtur voluiſſe exprimere annos octoginta. Hoc neſcio quis Lector vidit alienum à vero, ideoque ſuprà poſuit: CXX. Ita & ipſe deviavit. Conteſtationis textus Caſſinenſis eſt unus & idem cum impreſſo jam ſæpiùs, ac etiam cum deſcripto per Marium Mercatorem: Hinc duxi non repetendum.



Digitized by Google

## CAPUT SEXTUM. —80

*Epiſtola Sanctiſſimi Doctoris Eccleſiæ Iſidori, Presbyteri & Abbatis Monaſterii circa Peluſium, ad Archiepiſcopum Alexandriæ Beatiſſimum Cyrillum.*

Has omnes Beati Iſidori, Presbyteri & Abbatis Peluſiotæ, excerpſi & tranſtuli ex epiſtolis ejus duobus millibus, quæ ſunt per quingentenas diſtributæ in Acemetenſis Monaſterii Codicibus vetuſtiſſimis quatuor. Ubi etiam per Ordinem ſingularum numerus continetur. Et ultima eſt, quam ego quoque ultimam poſui. Deo gratias.

Teſtimonium, quod Irenæus poſuit in opere ſuo, quod *Tragœdiam* nominavit, ex Neſtorii Dictis in libro de Hiſtoria, ut laterent quæ ad Epheſum pertinent. Intexit verò Irenæus hæc verba in libro ſuo primo, per quæ oſtenditur, quia ipſe quoque Neſtorius Quaterniones, vel alia Scripta ſua, quæ Romam Sancto Celeſtino direxerát, abnegavit. Et hinc quoque Orientales Epiſcopi eum tardiùs à cæteris damnaverunt, quia ejus hæc eſſe probari nequiverant.

Hæ quidem contra Ægyptiacum, quod ex ſola voluntate pendebat, à nobis deſtinatæ ſunt litteræ. Ille verò omittens mihi per epiſtolam declarare, ſi quid ei tanquam blaſphemum vel impium videbatur debere notari, convictionum terrore permotus, & adjutrices ob hoc perturbationes exquirens, ad Romanum Celeſtinum convertitur. Quippe ut ad ſimpliciorem, quam qui poſſet vim dogmatum ſubtiliùs penetrare. Et ad hæc inveniens viri illius ſimplicitatem, circumfert pueriliter aures ejus illuſionibus litterarum, olim quidem noſtra Conſcripta tranſmittens, quaſi ad demonſtrationem convictionum, quibus contradici non poſſet. Tanquam ego Chriſtum purum hominem definirem. Qui certè Legem inter ipſa meæ Ordinationis initia contra eos, qui Chriſtum purum hominem dicunt, & contra reliquas hæreſes innovavi. Excerptiones verò intertexens ſermonum Conſcripta compoſuit, ne ſocietatis compactione detegeretur illata calumnia. Et quædam quidem allocutionibus noſtris adjiciens, aliquorum verò partes abrumpens, & illa contexens quæ à nobis de Dominica humanatione ſunt dicta, velut de puro ea homine dixerimus. Divinitatis autem, quæ à nobis dictæ ſunt, laudes quaſdam quidem modis omnibus à Conſcriptis abſcindens, nonnullas verò extra ordinem relinquens, ita ſeductionem veriſimilem concinnavit.

Et ut paucis ejus nequitiam, qualis ſit etiam circa reliqua, propalemus, dictum eſt à nobis alicubi, dum contra Paganos loqueremur, dicentes quod nos ſubſtantiam Dei creatam noviter ex Virgine prædicemus: *Non peperit, optimi, Maria Deitatem, ſed peperit hominem, Divinitatis inſeparabile inſtrumentum.* At ille vocem, *Divinitatis*, immutans fecit: *Non peperit, optimi, Maria Deum.* Hic verò multum differt dicere *Deum*, & dicere *Deitatem*. Nam hoc quidem ſubſtantiam Divinam incorporeamque ſignificat, Carnem verò nequaquam. Compoſita enim Caro eſt, & creata. Vox autem, qua dicimus, *Deus*, & templo Divinitatis eſt apta, quod unitate ad Divinam ſubſtantiam Dei obtinet dignitatem, non tamen in Divinam ſubſtantiam permutatum eſt.

Rurſus à nobis alibi eſt dictum contra eos, qui nominum ſimilitudinem audientes ſic ſcandalizantur, tanquam ſimilis dicatur & honor. Et cum dicimus *Chriſti Particen*, ſic paveſcunt, tanquàm ſi hoc nomine Dominatoris Chriſti Deitas obnegetur: Eoquod multi hoc nomine apud Scripturam veterem ſimiliter appellati ſunt. Et inde putant, quia circa eos Chriſtum nominamus. Et hinc contra hos ergo, ut dixi, in Eccleſiaſticis ſermonibus à nobis eſt dictum, quia non ſequitur ſimilitudinem nominis honoris æqualitas. Et ſunt allocutiones meæ, quæ his prorſus factæ ſunt vocibus: *Vel ſi templum Deitatis, & Spiritus Sancti deſcenſionem, non eandem dicimus, qualis facta eſt in Prophetas. Non talem, qualis in Apoſtolos celebrata eſt. Sed neque talem, qualis eſt in Angelis, qui ad Divina Miniſteria confortantur. Dominator enim Chriſtus etiam ſecundùm Corpus omnium Dominus. Sicut ergo Deum dicimus omnium Creatorem. Dicit verò Scriptura & Moyſen* Exod 7.
*Deum. Inquit enim:* Deum te poſui Pharaonis. *Sed illi voci honorem ſimilem minimè deputamus. Sic neque quod communis vox ſit, qua dicimus,* Chriſtus, & Filius, *circa vocis ſimilitudinem debemus offendere. Sicut enim Iſrael filius nominatur, inquit enim,* Primogenitus meus filius Iſrael. *Et Filius iterùm Dominus. Ait enim:* Hic eſt Filius meus Exod 4.
Dilectus. Match 8. *Non tamen ſicut una vox, ſic & unus eſt intellectus. Et ſicut dicitur Chriſtus Saul, & Chriſtus David, & rurſus Chriſtus Cyrus, & deinde Babylonius, dum certè David circa pietatem nequaquam fuerint ſimiles; ſic vocamus quidem Chriſtum vel Filium etiam Dominatorem, verùmtamen communio nominum æqualitatem non facit dignitatis.* His ita dictis à nobis illa ultima ubique ſubducens, id eſt, *Id quod eſt Chriſtus.* Id quod eſt: Non eandem dicimus habitationem, qualis facta eſt in Prophetas. Non talem, qualis in Apoſtolos facta eſt: Id quod eſt: *Sed ſimilibus vocibus honorem ſimilem minimè deputamus.* Et id quod eſt: *Verumtamen communio nominum æqualitatem non facit dignitatis.* Hæc omnia calumniæ dentibus ſecans jactat in auribus hominum ea, quæ ante iſta ſunt poſita. Id eſt: *Dicimus Deum omnium Creatorem. Dicit verò & Scriptura Moyſen Deum,*

Et

Et id quod eſt: *Filius nominatur Iſrahel Dei, filius nominatur etiam Dominus*. Et id quod eſt: *Dicitur Saul Chriſtus, & David Chriſtus. Et deinde Babylonius. Sic ergò dicimus Chriſtum etiam Dominum Chriſtum*. Hæc igitur ita componens, & ab aliis abſcindens, ut diximus, contexuit per iſta calumniam, tanquam ſi quis ex Pauli verbis, per quæ conteſtatur ſcribens, *Quia ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*, abrumpat id, quod ait priùs, *Si circumcidamini*, & accuſet Paulum quaſi prædicantem: *Quia Chriſtus nihil vobis prodeſt*.

Et quid oportet, ut per ſingula ita dicendo prolongemus orationem? Simpliciter multis talibus & latrociniis & additamentis, ſicut ei viſum eſt, utente Cyrillo, ſeductionibus ejus mox tam alii, quam etiam Celeſtius abreptus eſt.

Ecce his verbis uſque adeò negavit ſua fuiſſe Neſtorius, quæ apud Sanctam Synodum Epheſinam ab eo dicta leguntur, ut ſic ſe dicat has impietates minimè prædicaſſe, ſicut Paulus Apoſtolus poſt converſionem docere non potuit, Quia Chriſtus nihil prodeſſet hominibus. Quid ergo aliud Orientalibus Epiſcopis ad purgationem ſuam, ſicut putabat, dixiſſe credendus eſt, niſi quod etiam in ea, quam vocavit, hiſtoria quaſi pro ſua ſatisfactione conſcripſit? Aut quis ei neganti non facilè crederet, dum videat non ſolùm Catholicos, ſed & univerſos hæreticos totis viribus non ſolùm non negare propria dogmata, ſed etiam vindicare?

## SCHOLION.

QUod Sanctus Iſidorus Peluſiotes duo Epiſtolarum millia reliquerit Eccleſiæ, teſtatur etiam in ſuo ſecundo ad Imperatorem Juſtinianum libro Facundus Hermianenſis Epi-
Cap. 4. ſcopus: *Vir Sanctiſſimus, & magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ, Iſidorus, Presbyter Ægyptius Peluſiota, quem duo millia Epiſtolarum ad ædificationem Eccleſiæ multi ſcripſiſſe noverunt, qui etiam pro vitæ ac ſapientiæ ſuæ meritis ut Pater à Sancto Cyrillo & honoratus eſt, & vocatus*, &c. Ad quem locum ſcribit Jacobus Sirmondus: *Quod Facundus Iſidori Epiſtolas in univerſum numeret bis mille, viderat fortaſſe Codices Acœmetenſis Monaſterii Conſtantinopoli, in quibus totidem continebantur, ut in Veteri Manu-Sripto adnotatum invenitur ab antiquo earum interprete, his verbis*; Has omnes B. Iſidori, Presbyteri & Abbatis Peluſiotæ, recenſui & tranſtuli ex Epiſtolis ejus duobus millibus, quæ ſunt per quinquaginta diſtributæ in Acœmetenſis Monaſterii Codicibus vetuſtiſſimis quatuor. *Nec plures hactenus triplici editione in lucem prodiere, quam bis mille tredecim. Cæterùm ad decem millia* ſcripſiſſe Iſidorum, *atque in his ter mille Scripturam Sacram expoſuiſſe, Autor eſt Suidas, vel quem Suidas exſcripſit*. Vetus iſtud Manu-Scriptum eſt palam diverſum à noſtro. Etenim Latina tranſlatio non eſt concepta eiſdem verbis. Et præſens noſter Codex non adducit omnes, ſed ſolummodò quaſdam, ad Neſtorii negotia ſpectantes, S. Iſidori Epiſtolas. Et noſtri Codicis Scholion eſt largius. Interim hæc utriuſque Codicis verba, *Abbatis Peluſiotæ*, innuunt Iſidorum poſt ei impactas ac revictas Theophili Patriarchæ calumnias receſſiſſe ab Alexandrina Eccleſia, ac Peluſium rediiſſe ad ſuum Monaſterium.

Hæc verba, *Teſtimonium quod Irenæus poſuit*, &c. ſunt iſtius Authoris, qui has omnes Epiſtolas & Acta tranſtulit è Græco in Latinum. Docent nos, quod Comes, aut potiùs Epiſcopus Irenæus, Epheſini Concilii juratus hoſtis, & tam blaſphemiæ quam perſonæ Neſtorianæ pertinaciſſimus defenſor, de laudata Synodo, ſuo Neſtorio, & cunctis circa aut propter ipſum geſtis Commentarium compoſuerit, cui dedit nomen: *Tragœdia*. Occurret frequens illius memoria. Fuit opus diviſum in plures libros, quorum unus erat *de Hiſtoria*. Continebat plurima: Epiſtolas, Synodos, Sacras Principum Juſſiones, aliaque iſtiuſmodi. Ex ipſo Acœmetenſis Codicis Compilator deſumpſit, & ad nos tranſmiſit illa, quæ adjuvandæ Eccleſiæ ac inſtruendæ poſteritati cenſuit utilia & congrua. Etenim erat doloſa conſcriptio, ad Epheſinæ Synodi auctoritatem convellendam, ad S. Cyrilli Scripta & Acta infamanda, & ad Neſtorii impietatem diluendam conſuta. Hinc noſtri Majores cenſuerunt ſola ejus utilia nobis communicanda, & ſupprimenda cætera. Et vide effrontem Hæreſiarchæ audaciam: Etiam Exegeſes ſuas, quas ad plenum Regiæ civitatis Clerum ac Populum blaterarat, & quas propria manu ſubſcriptas non ſolummodò cum ſolemnibus litteris, ſed inſuper per Illuſtrem Bajulum, Valerium Auguſtæ Majeſtatis Cubicularium, deſtinarat ad Sedem Apoſtolicam, aliaque ſua Scripta & Dicta abnegare non erubuit. Erat amicus & Collega Juliani Eclanenſis Epiſcopi, adversùs quem Sanctus Auguſtinus meritò ſcripſit, quod frontem non in facie gereret, ſed ſub axillis. Iſtiuſmodi interim technæ Orientalibus Epiſcopis dudum perſuaſerunt Neſtorium fuiſſe iniquè damnatum, atque ita ipſos permoverunt ad recalcitrandum ac detrahendum Epheſino Concilio. Epiſtolam, cujus hic fragmentum adducitur, Neſtorius ad neſcio quem ſcripſit poſt acceptas Sancti Celeſtini litteras, ſui erroris ac ſuæ perſonæ, niſi intra decem dies pœnitens ſolemnem palinodiam caneret, damnatrices. Eas accepit trigeſimo iſtius ſeculi anno, die ſeptima Decembris. Et in ipſa pergit mentiri & calumniari. Calumniatur Sanctum Cyrillum, quod ejus verba alteraverit: Quod pro voce, *Deus*, ſuppoſuerit vocem, *Deitas*. Etenim hæc, teſte Mario Mercatore, in primo ſermone fuerunt ejus verba: *Non, vir optime, Maria peperit Deum. Non peperit creatura Creatorem, ſed peperit hominem, Deitatis inſtrumentum*. Attamen in quarto, qui eſt primus contra Sanctum Pro-

clum, & in quo iſtud ipſum ſuum Aſſertum exponit ac repetit, ſermone ſic dixit: *Aliud eſt dicere, Quia nato de Maria conjunctus erat Deus ille, qui eſt Verbum Patris, quod eſt liquidiſſimum, & firmum, atque irreprehenſibile Gentilibus; & aliud, Quia Divinitas indiguit nativitate in menſibus decurrente*. Cur hic ſcribat ſe iſta adversùm Gentiles dixiſſe, docet in priori ſermone: *Habet Matrem Deus? Ergo excuſabilis Gentilitas Matres Diis ſubintroducens*. Homo blaſphemus Evangelicum dogma, quo Sacram Virginem credimus Deiparam, ac ex ipſa profitemur genitum Deum Verbum, blaterat eſſe Gentile ridiculum ac fabuloſum. Porrò an etiam hæc propoſitio, *Deitas eſt nata aut paſſa*, poſſit legitimum ſenſum facere, ſuo loco diſcutietur.

Aliud, quod Neſtorius à Sancto Cyrillo vitiatum queritur, Dictum fuit lectum & damnatum in prima Actione Epheſini Concilii. Fuit deſumptum ex Neſtoriani Codicis Quaternione vigeſimo ſeptimo. Quod ipſum advertit præſens Scholiaſtes: *Ecce his verbis uſque adeò negavit ſua fuiſſe Neſtorius, quæ apud Sanctorum Synodum Epheſinam ab eo dicta leguntur*. Attamen iſtic lecta eſt ſola quædam præſentis fragmenti pars, incipiens his verbis: *Sicut ergò Deum dicimus omnium Creatorem*. Et eſt alia translatio. Eadem verba Sanctus Cyrillus exagitat ac expugnat in
Cap. 4. ſecundo libro contra Neſtorium. Quam autem ſit immunis ab illo, quod ei imponitur, latrocinio, quiſque poſſit intueri propriis oculis. Nec ſolum Cyrillum, ſed inſuper Sanctum Pontificem Celeſtinum calumniatus eſt, garriens eſſe hominem ſimplicem, imperitum Chriſtiani dogmatis. Nec mirandum: Nam & omnes ſuos An-
Serm. 2. teceſſores arguit de imperitia ac negligentia, addens idcircò Regiæ civitatis Populum circa Chriſtianam fidem cæcutire. Contempſit omnes Sanctos Patres, ſe ſolum exiſtimans omnibus majorem ac doctiorem. Epiſtola hæc videtur ſcripta ad Orientales Epiſcopos. Per ſimiles ſtrophas eis perſuaſit ſe Catholicum, & ab Epheſina Synodo injuſtè damnatum. Porrò lex, quam in ipſo ſuæ ordinationis exordio à ſe impetratam gloriatur contra omnes hæreſes, eſt effectus primæ ſuæ ad Regiæ civitatis Populum concionis, in qua declamavit ad Imperatorem Theodoſium: *Tribue mihi terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis ſubveni, & ego tibi in profligandis Perſis ſubveniam*. Ad hanc concionem meritò ſcribit Socrates:
Lib.7.c.19 *Qua voce Neſtorius viſus eſt non tam Zelum fidei, quam animi intempeſtivam audaciam, & inanis gloriæ cupiditatem prodidiſſe*. Ad eundem ſermonem ſcribit in priori Commonitorio Vincentius Lerinenſis: *Neſtorius, ut uni ſuæ Hereſi aditum patefaceret, cunctarum Hereſeon blaſphemias inſectatus eſt*. Nihilominùs in hominem, quem Antiochia evocaverat, nimia benevolentia circumſcriptus Theodoſius ex iſto Thrazoniſmo concepit ſpem, & emiſit poſtulatam ab ipſo legem. Eſt data Conſtantinopoli, ad Florentium Prætorio Præfectum, tertio calendas Junias, ſub Conſulatu Felicis & Tauri, anno vigeſimo octavo iſtius ſæculi. Eodem anno ordinatus fuit Neſtorius die decima Aprilis. Hinc rectè dicit legem emanaſſe inter ipſa ſuæ Ordinationis exordia. Rectè item dicit per ipſam damnari etiam illos hæreticos, qui blaterarunt Chriſtum Dominum eſſe purum hominem. Etenim damnantur Pauliani, Marcelliani, ac Photiniani. Hac arte ſtuduit ab omni ſimili ſuſpicione ſemetipſum eximere. Sed fruſtrà. Lex exſtat in Codice Theodoſiano Li. 16. tit. 2. cap. 65.
ad Titulum de hæreticis.

## CAPUT SEPTIMUM.

Conteſtatio directa Beato Cyrillo, & his qui cum eo convenerant, ab aliis diverſarum Provinciarum Epiſcopis, qui Joannem Antiochenum ſuſtineri volebant, & tunc eo præſente Synodum fieri, eòquod, ſicut ſcripſerat Beato Cyrillo, vix ei iter triduanum ſupererat. Directa verò eſt pridie, quàm celebrarentur Geſta contra Neſtorium, per quæ depoſitio ejus eſt facta.

*Dominis noſtris Fratribus & Comminiſtratoribus, Cyrillo & Juvenali Epiſcopis, Tranquillinus, & Alexander, & Helladius, & reliquis Epiſcopis, qui cum eo, in Domino gaudere.*

Nota quidem rectæ glorificationis eſt Fides, quæ à Divinis & adorabilibus Scripturis ab olim nobis eſt prædicata. Nihilominùs hæc ipſa nobis à Sanctis Patribus tradita eſt, qui in Nicæna Synodo congregati ſunt, quorum tot paſſiones erant pro pietate, quot membra. Quia verò propter nonnulla certamina piiſſimus & Amicus Chriſti Imperator litteris ſuis Orthodoxos Sacerdotes undique ad Epheſum convocavit, in hoc quoque imitatus proprium circa Fidem zelum: Et ſumus penè omnes per Divinam gratiam congregati. Deeſt autem præſentiæ Sanctæ Synodi Religioſiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui & ipſe jam in januis eſt, juxta ea quæ nuper ſuis litteris intimavit: Et *ea*, *quæ* per eos, quos præmiſit, Præſectianos atque Magiſtrianos nunciata ſunt. Similiter etiam nonnulli ex Occidentalibus Epiſcopis Synodo adſuturi. Mandarunt autem veſtræ Reverentiæ, tanquam qui graviter habent ſuſtinere uſque ad ejus adventum, & urgent de his, quæ viſa ſunt Piiſſimo Imperatori, *ut* audientia celebretur, antequam prædicti Deo Amiciſſimi Epiſcopi ſint præſentes. Hujus gratia has ad Reverentiam veſtram direximus litteras, ut ſuſtineatis Deo Amiciſſimorum Comminiſtrorum præſentiam: Et nec eos, qui depoſiti ſunt, ſuſcipiatis quoquo modo, neque illos qui ab Epiſcopis ſuis vel olim ſunt excommunicati, vel nuper. Manifeſta enim ſunt quæ de his definiunt Regulæ: Et prævarican-

cantibus ſe defixere increpationes non modicas, quæ nullo modo queunt deſpici à Sancta Synodo. Et illud verò Reverentia Veſtra cognoſcat, quia omnia, quæ ab audacibus abruptè fuerint perpetrata, contra præſumentium retorqueantur audaciam, & à Chriſto Domino, & à Divinis Canonibus.

1. Tranquillinus Epiſcopus Antiochiæ Piſidiæ ſubſcripſi.
2. Alexander Epiſcopos Apamææ Syriæ ſubſcripſi.
3. Helladius Epiſcopus Tharſi Ciliciẹ ſubſcripſi.
4. Berenianus Epiſcopus Pergæ Pamphyliæ ſubſcripſi.
5. Fritilas Epiſcopus Heraclææ Europæ ſubſcripſi. Per Euprepium Epiſcopum Byziæ.
6. Himerius Epiſcopus Nicomediæ Bithyniæ ſubſcripſi.
7. Dalmatius Epiſcopos Cyzici ſubſcripſi.
8. Severus Epiſcopus Synnadenſis Phrygiæ ſalutaris ſubſcripſi.
9. Memonius Epiſcopus Sardæorum Lydiæ ſubſcripſi.
10. Maximianus Epiſcopus Anazarbi Ciliciæ ſecundæ ſubſcripſi.
11. Dexianus Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ ſubſcripſi.
12. Dorotheus Epiſcopos Marcianopoleos Mœſiæ ſecundæ ſubſcripſi.
13. Alexander Epiſcopos Hierapoleos Euphrateſiæ ſubſcripſi.
14. Pius Epiſcopus Peſſinuntis Galatiæ ſubſcripſi.
15. Timotheus Epiſcopus à Scbytia ſubſcripſi.
16. Eutherius Epiſcopus Thyanorum Cappadociæ ſecundæ ſubſcripſi.
17. Aſterius Epiſcopus Amidæ Meſopotamiæ ſubſcripſi.
18. Petrus Epiſcopus Trajanopoleos Rhodopes ſubſcripſi.
19. Baſilius Epiſcopus Lariſſæ Theſſaliæ ſubſcripſi.
20. Diogenes Epiſcopus *Lonopoleos*, obtinens etiam locum Metropolitæ Boſſerii, Epiſcopi Gangrenſis, Paphlagoniæ, ſubſcripſi. Em. Nor. legit Junopoleos.
21. Julianus Epiſcopus Sardicæ Dacienſis ſubſcripſi.
22. Benuantius Epiſcopus Hierapoleos Phrygiæ ſubſcripſi.
23. Jacobus Epiſcopus Doroſtoli Mœſiæ ſubſcripſi.
24. Athanaſius Epiſcopus Dinela Mœſiæ ſecundæ ſubſcripſi.
25. Theophanius Epiſcopus Philadelphiæ Lydiæ ſubſcripſi.
26. Paulus Epiſcopus Daldi Lydiæ ſubſcripſi.
27. Euprepius Epiſcopus Byziæ Europæ ſubſcripſi.
28. Joannes Epiſcopus totius Lesbi ſubſcripſi.
29. Fuſcus Epiſcopus Lydiæ ſubſcripſi.
30. Commodus Epiſcopus Tripoleos ſubſcripſi.
31. Eutherius Epiſcopus Stratoniciæ Lydiæ ſubſcripſi.



32. Joannes Epiſcopus civitatis *Autiliopolitarum* Lydiæ ſubſcripſi. Nor. legit Aurilio-politarum
33. Nimenius Epiſcopus Helenopoleos Lydiæ ſubſcripſi.
34. *Theoſebius* Epiſcopus *Cy* Bithyniæ ſubſcripſi. Nor. legit Theoſe-lius. Pro Cy: Cai.
35. Petrus Epiſcopus Pruſæ Bithyniæ ſubſcripſi.
36. Eugenius Epiſcopus Apolloniadis, Bithyniæ, ſubſcripſi.
37. Anaſtaſius Epiſcopus Tenedi, Cycladum, ſubſcripſi.
38. Cyrillus Epiſcopus Adanorum, Ciliciæ primæ, ſubſcripſi.
39. Eſychius Epiſcopus Caſtabalorum, Ciliciæ ſecundæ, ſubſcripſi.
40. Severus Epiſcopus Sozopolis, Piſidiæ, ſubſcripſi.
41. Ætius Epiſcopus Piolitenſis, Helleſponti, ſubſcripſi.
42. Timotheus Epiſcopus *Termanorum* Civitatis, Helleſponti, ſubſcripſi. Adn. Nor. Germinorum ex act 6. Syn. Chalc. & 16.
43. Athanaſius Epiſcopus Pſimorum Civitatis ſubſcripſi.
44. Daniel Epiſcopus Fauſtinopolitanus ſubſcripſi.
45. Filtanius Epiſcopus Theodoſianopolitanorum ſubſcripſi.
46. Euſtratius Epiſcopos ſubſcripſi.
47. Theodorus Epiſcopus Italiæ ſubſcripſi.
48. Paulus Epiſcopos Eutinnorum ſubſcripſi.
49. Timotheus Epiſcopus Termeſi & Eudociadis ſubſcripſi.
50. Ædeſius Epiſcopus Iſiodorum ſubſcripſi.
51. Geruntius Epiſcopus Claudiopolis, Iſauriæ, ſubſcripſi.
52. Aurelianus Epiſcopus Trenopolis, Iſauriæ, ſubſcripſi.
53. Abrahamius Epiſcopus Amorii ſubſcripſi.
54. Polichronius Epiſcopus Heraclææ, Cariæ, ſubſcripſi.
55. Zoſis Epiſcopus Echinti, Arabiæ, ſubſcripſi.
56. Hermolaus Epiſcopus Alludeorum ſubſcripſi.
57. Aſclepiades Epiſcopus Trapezopolis ſubſcripſi.
58. Evadius Epiſcopus Nalentiæ ſubſcripſi.
59. Libanius Epiſcopus Paulæ ſubſcripſi.
60. Saluſtius Epiſcopus *Corltici*, Ciliciæ, ſubſcripſi. Nor. legit Coryci.
61. Valentinus Epiſcopus Malli ſubſcripſi.
62. Pauſianus Epiſcopus Hipatæ, Theſſaliæ, ſubſcripſi.
63. Theotiſtus Epiſcopus Cæſareæ, Theſſaliæ, ſubſcripſi.
64. Maximus Epiſcopus Demetriadis, Theſſaliæ, ſubſcripſi.
65. Julianus Epiſcopus Lariſſæ, Syriæ ſecundæ, ſubſcripſi.
66. Diogenes Epiſcopus Seleucobeli, Syriæ ſecundæ, ſubſcripſi.
67. Theodoretus Epiſcopos Cyri, Auguſtæ Euphrateſiæ, ſubſcripſi.
68. Meletius Epiſcopus Cæſareæ, Auguſtæ Euphrateſiæ, ſubſcripſi.

## SCHOLION.

EPheſina Synodus fuit indicta in ſacrum diem Pentecoſtes, qui iſto quinti ſæculi trigeſimo primo anno erat dies ſeptima Junii. Et Sanctus Cyrillus cum plurimis aliis Epiſcopis tempeſtivè adfuit. Adfuit & Neſtorius. Verùm Romana Legatio defuit, nempe Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter: In itinere moras paſſi à maris tempeſtatibus. Abfuit & Joannes Antiochiæ Patriarcha cum Epiſcopis ſuæ Diœceſeos. Rationem dat Evagrius Epiphanienſis: *Joannes Antiochenſis Epiſcopus unà cum ſuis ad conſtitutum diem non adfuit. Non tamen ſua ſponte, ſicut multis videtur, dum moram ſuam excuſat, ſed propterea quod Epiſcopos Provinciæ ſuæ citiùs colligere non potuerat. Quippè urbes, quæ ſub illo erant, ab urbe Antiochia, homini quidem expedito diſtant duodecim dierum itinere, aliis verò ampliùs etiam quam duodecim. Epheſus autem diſtat ab urbe Antiochia itinere dierum triginta. Proinde affirmabat Joannes ſe ad conſtitutum diem occurrere non potuiſſe, quando Epiſcopi, quos ſecum habebat, Dominicam illam, quæ nova vulgò dicitur, in ſuis Sedibus celebraſſent.* Priorem Evagrii translationem, obſcuram, ac vitioſam, ita illuſtravit & correxit Henricus Valeſius. Evagrii verba, pauculis mutatis, deſcripſit Nicephorus Caliſtus. Ambo ſtudent purgare Joannis abſentiam. At longè aliud ſcribit in Apologetico ad Imperatorem Theodoſium libro Sanctus Cyrillus. *Intellige autem non deeſſe, qui Joannem à delicto in nos commiſſo abſolvere conentur, aſſerentes eum juſtè ob id nobis ſuccenſuiſſe, quod ipſe adhuc abſente contra blaſphemum Neſtorium ſit celebratum Concilium. At hi longè rectiùs facerent, ſi in nos culpam conjicere omittentes, ſuam ipſorum cunctationem potiùs accuſarent.* An Joannes & ejus Epiſcopi Paſchales Octavas in ſuis Eccleſiis celebraverint, ignoro. Poſſint celebraſſe. Interim iſtam ſuæ ſero-venientiæ cauſam nunquam prætexuerunt, nec apud Principem, nec apud Synodum. Proinde veram iſtius tardationis cauſam edicit Sanctus Cyrillus in litteris ad quoſdam Epiſcopos, & ad Clericos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: *Poſtquam piiſſimum Joannem Epiſcopum Antiochenum adventare accepiſſemus, adhuc ſexdecim dies exſpectavimus, cum tamen tota Synodus reclamaret, aſſerens illum conſeſſui adeſſe nolle, quod metueret, ne fortè Reverendiſſimus Neſtorius, qui ex illius Eccleſia adſumptus fuerat, loco moveretur, quæ res ipſi juſtum pudorem incuteret. Quam ſuſpicionem veram exſtitiſſe ipſa poſtmodò experientia liquidò oſtendit. Nam diſtulit adventum ſuum.* Et præmiſit duos Epiſcopos, dicturos exſpectanti Synodo: *Præcepit nobis Dominus Joannes Epiſcopus, ut veſtræ Pietati dicamus; Si tardavero, quod facturi eſtis, hoc faciatis.* Pergit Cyrillus: *Neſtorius quia ad blaſphemiarum ſuarum defenſionem nihil adferre poteſt, noxæ ſuæ velamen quærens ait;* Quatuor dierum dilationem petii, donec veniret Epiſcopus Antiochenus, & noluerunt concedere, *cum tamen memoratus Sanctiſſimus Epiſcopus Joannes venire recuſaſſet. Nam ſi adeſſe voluiſſet, quorſum pertinuit, ut per ſuos Epiſcopos ſignificaret:* Si tardavero, quæ facturi eſtis facite. *Noluit enim intereſſe, ſciens fore, ut Sancta Synodus depoſitionis ſententiam in Neſtorium omnino ferret.* Et plena Synodus ad Imperatorem Theodoſium hæc retulit: *Exactis ſexdecim integris diebus poſt Pentecoſten, ad Synodicam Audientiam convenimus. Cum verò Joannes quoque, Sanctiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, per Alexandrum Apameæ & Alexandrum Hierapolis religioſiſſimos Epiſcopos, quos præmiſerat, nobis ſignificavit, ut rem propoſitam aggrederemur, nondum comparens longiori tarditate moleſtiam Sanctæ Synodo attulit. Itaque vigeſimo ſecundo menſis Junii congregati ſumus.* Sanctus Cyrillus in Apologetico libro adjungit. *Qui Antiochenæ Eccleſiæ præeſt, à veſtra Majeſtate ad præfinitum diem adeſſe juſſus, à Sancta Synodo abfuit. Studio enim in itinere hærebat, ut ea cunctatione illius improbitati gratificaretur, qui contra Chriſtum nugatus fuerat. Vel etiam, quod veriſimile, aut verum potius indubitatum, quod eadem cum eo ſentiret. Nam cum ſextus decimus dies jam ageretur, primarii quidam ex illis, qui cum eo erant, erant enim Metropolitani, vix tandem venerunt, illiuſque nomine Sanctæ Synodo denunciarunt, exſpectandum prorſus non eſſe illius adventum, ſed maturandum potius, ut Decreta perficerentur.* Cyrillus conſtanter, & quidem apud Principem affirmat ſero-venientiæ cauſam fuiſſe ſpontaneam in via cunctationem, ideòque quibuſdam videtur, quod Joannes & ejus Epiſcopi Paſchales Octavas non egerint in ſuis Eccleſiis.

Rei veritatem diſcimus ex prima Relatione, quam de ſuis in Sanctum Cyrillum Attentatis Joannes fecit ad Principem: *Quod verò tardiùs aliquando advenerim, aliud cauſæ fuit. Nam ſi terreſtris itineris intervallum, terra enim venimus, Pietas veſtra ſpectaverit, magna profectò celeritate nos iter hoc confeciſſe comperiet. Siquidem quadraginta manſiones peragravimus, nulla unquam à progrediendo relaxatione uſi, quemadmodum veſtra Chriſto dilecta Majeſtas ex earum civitatum incolis, per quas iter fecimus, facilè intelligere poteſt. Fames præterea, quæ Antiochenam civitatem vehementer afflixit, & quotidianæ Populi perturbationes, & ingens præter tempus vis imbrium, quæ Torrentibus inundantibus in diſcrimen civitatem adduxerat, non paucos quoque dies in ſupradicta civitate nos detinuerunt.* Quo die Joannes Epheſum intraverit, quibuſdam videtur incertum. Etenim Ibas Edeſſenæ Eccleſiæ tunc Presbyter, poſtmodò Epiſcopus, in famoſa ad Marim Perſidis Antiſtitem Epiſtola ſcripſit: *Poſt duos dies damnationis Neſtorii venimus in Epheſum.* Ex his verbis in Epheſini Concilii Scholiis dixi Ibam adfuiſſe Joanni. At verò Joannes Garnerius mihi opponit verba Facundi Hermianenſis Epiſcopi: *Ibas non interfuit Epheſino Concilio, in quo damnatus eſt Neſtorius.* Nempè Facundus de vera Epheſina Synodo loquitur, cui certum eſt Ibam non adfuiſſe. Nec potuiſſe adeſſe. Erat enim Clericus, non Epiſcopus. Ejus ad Marim verba ſunt lucida, ideòque video me ex fundamento locu-

Lib.1.c.3.

tum.

Lib. 7 tum. Et illa eodem modo intellexit atque expoſuit ipſe item Facundus: *Cum poſt damnationem ipſius Neſtorii Orientales Epiſcopi, atque ipſe Re-* Cap. 3. *verendiſſimus Ibas, cum Joanne Antiocheno Epheſum pervenirent, de Capitulis tantum Beati Cyrilli, quod ibi fuerint approbata, conqueſti ſunt, ſicut eorum Scripta declarant, nihil autem de Neſtorii damnatione cauſati*. Et hæc probat ex Epiſtolæ verbis: *Poſt duos autem dies depoſitionis ejus venimus Epheſum*. At verò in ſua ad Joannem Antiochenum, facta in ipſo ejus ingreſſu, Relatione di- Lib. 7 xit Comes Candidianus: *Cum ante quinque pro-* Cap. 5. *ximos hoſce dies Reverendiſſimus Epiſcopus Cyrillus, & qui cum ipſo ſunt, in Sancta Eccleſia convenissent*. Et conſonat plenæ Synodi ad Principem Relatio tranſmiſſa per Palladium Magiſtrianum: *Joannes S. Synodum poſt terminum à veſtra Majeſtate præſtitutam per dies viginti & unum ſuſpenſam tenuit*. Reſpondeo eſſe nodum difficilem. Et omnia Ibianæ Epiſtolæ exemplaria ſunt invicem conſona. Proindè ego aliud neſcio, quam quod Ibas, tunc adhuc Presbyter, cum neſcio quibus Collegis alios prævenerit. Igitur Joannes quinto poſt damnatum Neſtorium, vigeſimo ſeptimo Junii die advenit Epheſum, atque ita Antiochia exiverat die decima ſexta, aut decima ſeptima Maii. Proindè non ſolum ipſe, ſed & omnes ejus Epiſcopi potuerunt Paſchales Octavas agere in ſuis Eccleſiis. Quidquid ſit, hanc rationem Joannes nuſquam adduxit. Unde ipſam Evagrius acceperit, ignoro.

Res plurimùm elucidatur ex litteris, quas Joannes ex itinere ſcripſit ad Sanctum Cyrillum, & quas Cyrillus inſeruit ſuo Apologetico: *Non mediocriter me angit, quod cum Sanctitas veſtra Epheſum advenerit, pauci planè hìc itineris dies mihi ſint reliqui. Deſiderium enim tuæ Sanctitatis me magis urget, ut iter hoc celeriter abſolvam, quam ulla alia neceſſitas. Ora igitur, Domine, ut hos quinque aut ſex dies nobis reſiduos ſine moleſtia tranſigamus, occurrentesque ſacrum nobis Divinumque Caput tuum complectamur*. Integra Epiſtola extat in prima parte Epheſini Concilii, & adjungit: *Tandem poſt multas exantlatas itineris moleſtias, Sanctitatis tuæ precibus adjutus, præ foribus ſum. Nam triginta totos dies, tot enim ſpatii intercapedo poſtulat, iter uſque facio, nihil quidquam quietis mihi prorſus indulgens, multis interim Epiſcopis ob itineris difficultatem graviter afflictis, neque paucis jumentis ob continuum profectionis laborem extinctis*. Quæ omnia an vera ſint, novit Dominus Deus. Certè jam ſtatim Sanctus Cyrillus nobis conſtantiſſimè edixit Joannem ſtudio & arte per viam hæſitaſſe. Cyrilli Reſcriptum periit, ejus tamen ſubſtantiam habemus à Joanne in Relatione ad Principem de ſuis apud Epheſum Actis: *Sed & ipſe quoque Cyrillus Alexandrinus biduo antè habitum ab illo Conſeſſum illum ſcripſerat ad me Antiochenum Epiſcopum, quod univerſa Synodus meum adventum præſtolaretur*. Et in Relatione ad Reginas: *Cyrillus, cum nobis ſe noſtrum adventum præſtolari ſcripſiſſet, ac didiciſſet tridui itinere nos abeſſe, tyrannico Conſeſſu conſtituto res flagitioſas auſus eſt*. Proindè Sanctus Cyrillus decreverat ac promiſerat exſpectare Joannem, & ſine ipſo non progredi. At ecce poſt iſtas ipſius ad Joannem litteras adveniunt Alexander Apameenſis, & Alexander Hierapolitanus Epiſcopus, à Joanne ad Cyrillum Legati, & ex illius nomine hunc rogarunt, ut pergeret, quod Joannes adeſſe non vellet, aut non poſſet. Haud dubiè etiam ſpoponderunt Synodalia ejus Geſta fore rata & grata.

Aliæ inſuper rationes Cyrillum permoverunt ad procedendum. Palmarem edicit Epheſinæ Synodi ad Principem Relatio: *Cum omnes juxta præſtitutum nobis terminum Epheſum veniſſemus, accidit ut Joannes, Sanctiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, adventum ſuum differret. At nos itineris difficultatem tarditatis cauſam rati, poſt terminum, nobis à veſtra Majeſtate præfinitum, elapſum diſtulimus Seſſionem ad totos ſexdecim dies. Jam verò alii quidem Sanctorum Epiſcoporum ſenio confecti in extera regione morari non ſuſtinebant, alii adverſa valetudine in periculum vitæ adducebantur, nonnulli quoque ex illis in hac Epheſiorum Metropoli diem extremum obierunt, quidam verò rerum penuria conſtricti nos adeuntes inſtanter urgebant, ut mox inchoaremus audientiam*. Quintæ Actionis ad Principem Relatio docet & aliam cauſam: *Et ipſe quoque Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus propter cunctationem ſuam, ſicut ex quorumdam rumore accepimus, metuebat ne reus ageretur*. Iſtiuſmodi igitur rationes Cyrillum permoverunt ad acquieſcendum Joannis Legationi ac Poſtulatis. Proindè adunavit Synodum, & damnavit Neſtorium. Die vigeſima ſecunda Junii, quam dicit decimam ſextam poſt Pentecoſten, à Principe præfixam Conventui. Præfixa erat dies ſeptima Junii. Proindè in ſuo computu incluſit diem primum & extremum. Intermediant enim ſoli dies quatuordecim. Ita Sanctus Matthæus, & Sanctus Marcus, dum de Domini Transfiguratione agunt, dicunt: *Poſt ſex dies*. At verò S. Lucas. *Poſt octo dies*.

Nihilominùs contra juſtiſſimum Sancti Cyrilli proceſſum plures Epiſcopi fuerunt ſolemniſſimè proteſtati, flagitantes exſpectari Joannem, & uſque ad ejus adventum differri Synodum. Præſertim quod ille Cyrillo jam ſcripſiſſet ſe non abeſſe niſi ad triduum. Huc uſque novimus ſimilem proteſtationem ipſius Neſtorii. Etenim ſuas ad Principem contra ſuam Synodalem damnationem querimonias ſic incipit: *Ad Epheſiorum civitatem à Pietate veſtra convocati, citra ullam cunctationem nos eò contulimus. Piis autem litteris veſtris morem gerentes voluimus piiſſimorum Epiſcoporum undecumque venientium, præcipuè verò magnæ civitatis Antiochenæ Epiſcopi, cum piiſſimis ejuſdem Metropolitanis Epiſcopis, cæterorumque qui ex Italia & Sicilia exſpectabantur, adventum operiri, atque ita communem omnium Conſeſſum inſtituere*. Et huic Relationi decem præter Neſtorium Epiſcopi ſubſcripſerunt. Huc uſque item novimus ſimilem proteſtationem Comitis Candidiani, quem Theodoſius ſervandi ordinis cuſtodem Synodo dederat. Etenim prima & primaria, quam de Cyrillo ad ingreſſum Joannem idem Comes fecit, querimonia fuit hæc: *Cum ante quinque proximos hoſce dies Reverendiſſimus Epiſcopus Cyril-*

*lus,*

*lus, & Memnon hujus civitatis Epiſcopus, & qui cum ipſis ſant Reverendiſſimi Epiſcopi, in Sancta Eccleſia conveniſſent, à me probibiti ſunt, ne contra Dominorum noſtrorum & piiſſimorum Imperatorum Decreta inter ſe conſeſſum facerent, atque moniti ut omnium veſtram adventum expectarent; illi autem, ut Sacram prælegerem flagitarant. Cum verò id recuſaſſem propter veſtræ Sanctitatis abſentiam, quodque multi præterea alii Epiſcopi & Metropolitani necdum adveniſſent, coegerunt me illi, ſe ignorare aſſerentes, quid à Dominis noſtris perſcriptum eſſet*. Et ipſe Joannes in data contra Cyrillum & Memnonem ſententia poſuit & hoc crimen: *Neque Religioſiſſimorum Epiſcoporum à piiſſimis Imperatoribus noſtris undecumque convocatorum adventum exſpectaſtis, cum tamen magnificentiſſimus Comes Candidianus & Scriptis monuiſſet & verbis, ne quidquam tale auderetis, ſed communem omnium Sanctiſſimorum Epiſcoporum conſeſſum exſpectaretis*. Idem cum ſua factione Joannes in variis ad Principem Relationibus acerrimè urſit iſtum exceſſum, clamans eſſe ſubſtantiale vitium, ideòque omnia Cyrilli Acta, & inprimis Neſtorii damnatinnem, non fuiſſe Synodalia, ſed factioſa Attentata.

Verùm præſens proteſtatio, qua præter Neſtorium ſexaginta octo Epiſcopi intercedunt, & volunt Joannem exſpectari, fuit hactenus ignota, ideòque huic Caſſinenſi Codici debemus non modicas gratias. Eſt enim res non modica. Et quidem inter hoſce proteſtantes ſunt etiam iſti duo Metropolitæ Alexandri, quos Antiochenus Joannes præmiſerat Sancto Cyrillo denunciaturos, ut ſe non exſpectaret, ſed ad Synodale opus procederet. Quare hæc iſtorum Acta ſibi invicem non cohærent. Iniquitatis myſterium detegit in Apologetico ad Imperatorem Theodoſium libro Sanctus Cyrillus, amiciſſimas illas Joannis ad ſe litteras adducens, ac ſubjungens: *Quomodò qui me Comminiſtrum & Fratrem appellabat, ex inopinato factus eſt inimicus, nihil à me læſus? Verùm ut commiſſi in me delicti culpam repellat, illum audio ſibi videri acutè dicere, quod ſcripſerit inimicitiam adhuc celans, quam ſuo tempore eſſet prolaturus in lucem. Quomodò itaque, ſi hæreticus eram, ſi impiæ Apollinarii, Arii, ac Eunomii improbitatis conſors, me Comminiſtrum vocabat? Cur caput meum ſanctum, ac præterea ſacram appellat? An non omnibus perſpicuum eſt, quod ſi quis cum barbaris conſpirat, is ſacerrimi veſtri Regni inimicus omninò futurus ſit? Sed inimicitiam occuluiſſe ait, & dulcem ſermonem uſurpaſſe, cor autem dolo & amarulentia refertum habuiſſe. At quis eum laudare audeat, qui ad hunc modum vivere conſuevit? Vultne forſan Græcorum lectiſſimos nos inquirere? Sed illi etiam oderunt eum, qui aliud in corde gerit*. Joannes igitur doloſum Syrum egit, & Sanctum Cyrillum ſtuduit in aliquam Divalis Sacræ prævaricationem circumſcribere. Hinc contraria egit, & agi juſſit à ſuis Legatis.

Quæſtio prima eſt, An hæc proteſtatio ſit illa ipſa, quam Neſtorius unà cum decem Epiſcopis ſupra urſit in ſua Relatione ad Principem? Ratio dubitandi eſt: Quia hæc facta eſt per ſexaginta octo Epiſcopos, iſta per ſolos undecim. Deinde, huic Relationi, adeoque & laudatæ per ipſam proteſtationi etiam Neſtorius ſubſcripſit, non verò iſti. Reſpondeo tamen eſſe eandem & unicam. Etenim & Relationi & proteſtationi omnes iidem, licet in diſpari numero, ſubſcripſerunt Epiſcopi, ideoque Relatores videntur laudare ſuam communem proteſtationem, quæ non eſt alia præter hanc præſentem. Quin immò etiam ſubſcripſerunt in pari numero. Etenim Caſſinenſis Codex Relationem adducit cum his ſubſcriptionibus: *Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſubſcripſi. Helladius Epiſcopus Tharſi Metropolitanus ſubſcripſi. Berinianus Epiſcopus Pergæ Metropolitanus ſubſcripſi. Mæonius Epiſcopus Sardeorum Metropolitanus ſubſcripſi. Dexianus Epiſcopus Seleuciæ, Iſauriæ Metropolitanus, ſubſcripſi. Alexander Epiſcopus Apameæ Metropolitanus ſubſcripſi. Dalmatius Epiſcopus Cyzici Metropolitanus ſubſcripſi. Eutherius Epiſcopus Thyanorum Metropolitanus ſubſcripſi. Petrus Epiſcopus Trajanopolitanus Metropolitanus ſubſcripſi. Julianus Epiſcopus Sardicenſis Metropolitanus ſubſcripſi. Baſilius Epiſcopus Theſſaliæ Metropolitanus ſubſcripſi. Cyrus Epiſcopus Aphrodiſiadis Metropolitanus ſubſcripſi. Maximinus Epiſcopus Anazarbi Metropolitanus ſubſcripſi. Alexander Epiſcopus Hierapolites ſubſcripſi. Dorotheus Epiſcopus Marcianopolitanus, Mœſiæ Metropolitanus, ſubſcripſi. Et omnes alii, qui aderant, pariter ſubſcripſerunt ſimiliter*. Ex quo patet in omnibus huc uſque editis Codicibus Neſtorianæ Relationis ſubſcriptiones eſſe mutilas, & hoc modo ſupplendas. Proinde manifeſtum eſt, quod præſens conteſtatio ſit illa ipſa, quam laudat & urget Neſtoriana Relatio. Porrò Neſtorius ſoli Relationi ſubſcripſit, non proteſtationi: Quod nempe reus eſſet, & quidem jam citatus, ideoque mallet rem agi per alios.

Altera quæſtio eſt, Quomodò proteſtationi ſubcripſerint plures Epiſcopi, quos conſtat cum Joanne Antiocheno non fuiſſe Epheſi? Etenim Joannes Epheſum præmiſit ſolos duos, Alexandrum Apameenſem, & Alexandrum Hierapolitanum, cæteri omnes manſerunt cum ipſo in itinere, & non niſi aliquot à peracta Neſtorii damnatione diebus pariter intrarunt Epheſum. Inter hos omninò fuerunt Helladius Tharſenſis, Maximinus Anazarbi, Dexianus Seleucienſis, Aſterius Amidenſis, Theodoretus Cyrenſis, & plures alii. Reſpondeo hoc verum eſſe, ideòque iſtos Epiſcopos proteſtationi non adfuiſſe, ſed poſtmodò ad ipſam ſuis ſubſcriptionibus acceſſiſſe. Exiſtimo adfuiſſe Epheſi ante querulam Neſtorii Relationem ad Principes; Ei ſubſcripſiſſe, ideoque & tunc acceſſiſſe ad proteſtationem. Poſt enumeratos omnes, qui datæ in Neſtorium ſententiæ ſubſcripſerunt, Epiſcopos Synodalium Actorum Compilator adjungit: *Poſtquàm hi omnes Neſtorii depoſitioni ſubſcripſiſſent, acceſſerunt alii Epiſcopi ad Sanctam Synodum, qui & ipſi quoque præpoſitæ damnationi ſubſcripſerunt*. Eodem modo actum eſt circa hanc proteſtationem.

Quæſtio tertia eſt, Quo die ſit facta proteſtatio? Reſpondeo diem & horam edici à Comite Candidiano in ſuis, quas ingreſſo Epheſum Joan-

ni Antiocheno fecit ſtatim in ipſo hoſpitio, querimoniis: *Lecta Sacra omnes applauſerunt, Ita ut non dubitarem, quin verè omnibus, quæ à piiſſimis Imperatoribus noſtris ſancita erant, morem eſſent geſturi. Et eam ob rem gaudio perfundebar. Verùm cum poſteà rogarem, ut litteris parerent omnes, nullus audire me ſuſtinere voluit. Sed & Religioſiſſimos Epiſcopos, quos Sanctiſſimus Neſtorius miſerat, cæteroſque qui comites ipſis adjuncti fuerant, non abſque ignominia exegerunt. Me quoque, cum precibus iterum obnixius inſtarem, veluti qui non deberem eorum particeps eſſe, quæ ab illis gerebantur, è ſuo Conſeſſu expulerunt*. At verò Synodalis hæc Actio facta eſt die vigeſima ſecunda Junii. Erat feria ſecunda ſecundæ hebdomadæ poſt Pentecoſten. Et de iſta S. Cyrillus in litteris, quas Epheſo poſt ipſam ſcripſit ad ſuæ Eccleſiæ Clerum & populum, habet: *Scitote Sanctam Synodum in magna civitatis Epheſi Eccleſia, quæ appellatur Deipara Maria, vigeſima octava menſis Pauni fuiſſe factam. Cum autem totus dies ibidem fuiſſet inſumptus, tandem Neſtorium depoſitionis ſententiæ ſubjecimus. Univerſus verò civitatis Populus à primo diei ortu uſque ad veſperam præſtolabatur Sanctæ Synodi judicium*. Actio igitur duravit à primo diei ortu uſque ad noctem. Ejus exordium fuit lectio Divalis Sacræ, & ſtatim ſubſecuta eſt Comitis Candidiani proteſtatio. Et tunc mox præſens proteſtatio Epiſcoporum. Proinde facta eſt hora prima aut ſecunda diei. Facta eſt per Epiſcopos miſſos à Neſtorio. Ex quo lucet ipſum fuiſſe hujus operis Authorem & Principem. Et iſti Epiſcopi Synodo obtulerunt præſentes litteras, præſens inſtrumentum hujus proteſtationis. De ipſo Comes Candidianus in ſua ad Joannis Antiocheni Conventiculum Relatione adjunxit: *Sed neque Commonitorium, quod Religioſiſſimi Epiſcopi ad illos deſtinaverant, legi permiſerunt, quemadmodum Sanctiſſimi Epiſcopi norunt, qui mecum acceſſerunt, qui teſtantur etiam quæ à me convenienter geſta ſunt*. Hoc Commonitorium eſt omninò præſens Epiſtola. Hæc verba inſuper docent Comitem Candidianum & factioſos Epiſcopos, licet ex alia & alia cauſa proteſtationem interjecerint, ſimul tamen introiiſſe Synodum, & mutuam proteſtationem audiviſſe. Qui fuerint hi ſpecioſi Legati, ignoro.

Proteſtatio poſtulavit tria. Primò firmam cuſtodiam Nicænæ fidei. Ad ipſam enim provocaverat Neſtorius, clamans eam everti per Cyrilli Capitula. Et orientalis Factio pertinaciter perrexit ad ipſam ſolam proclamare. Et iſta forſitan eſt radix ſervati per Synodalem Actionem proceſſûs & ordinis. Etenim ante omnia lectum fuit, tanquam omnium agendorum ac decernendorum fax & dux, Nicænum Symbolum. Exinde litteræ & Scripta Sancti Cyrilli: Et declarata ſunt Symbolo conſonare. Hinc lecta ſunt Epiſtolæ & Scripta Neſtorii: Et judicata ſunt penitus diſſonare. Ita Patres ſatisfecerunt primo proteſtationis articulo. Alter articulus erat, ne ante Joannis Antiocheni adventum cauſa inchoaretur, adeoque non judicaretur Neſtorius, longè minùs damnaretur. Tertius erat, ne quis olim aut nuper à ſuo Epiſcopo depoſitus aut excommunicatus antea repararetur in communionem aut gradum. Proteſtabatur præſertim adversùm Clericos, quos de Arii aut Apollinarii lue profanus Neſtorius fuerat infamare conatus apud Celeſtinum Pontificem, & quos conſtanter blaſphemiis reſiſtentes tandem damnaverat, ac ejecerat Regia civitate, & quos laudatus Pontifex non ſolummodo conſolatus fuerat, ſed & reveſtierat, gaudens quod etiam Chriſtianis temporibus inveniſſent Martyrii gloriam, ſed dolens quod Epiſcopo perſequente. Porrò proteſtatio poſtulavit quatuor dumtaxat dierum inducias. Lucet ex ſupra adductis litteris Sancti Cyrilli ad quoſdam è Clero Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Et quia id non eſt expreſſum in ipſo inſtrumento, videtur fuiſſe verbo poſtulatum. Quidquid ſit, quinto præciſè die advenit Joannes Antiochenus. Quæ rerum connexio ſuadet omnia ex compoſito contigiſſe.

S. Cyrillus, & ejus Collega Memnon in precibus, quibus à Synodo poſtularunt inflictam ſibi à Joannis Factione degradationem circumduci, hæc habent: *Sancta Synodus, quæ Neſtorium depoſuit, Sanctos Epiſcopos ſupra ducentos habuit, Joannes verò alios ad triginta numero collegit, vel hæreticos vel de criminibus delatos*. Et quinta Epheſinæ Synodi Actio in relatione ad Principes ſcripſit: *Pauci quidam Neſtorio adhærentes, omnes triginta tantùm, inſaniæque ſuæ Joannem Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum adjutorem adſciſcentes, contra Cyrillum & Memnonem depoſitionis contumeliam protulerunt*. Et in relatione ad Sanctum Celeſtinum Pontificem: *Viri numero triginta, qualem Synodi faciem contra Synodum ex univerſo orbe collectam haberent?* Eadem paucitas, idemque numerus frequenter urgetur in Synodalibus Actis. At verò proteſtationi ſubſcripſerunt ſexaginta octo Epiſcopi præter Neſtorium. Hinc quæſtio quarta eſt, Quomodo hæc cohæreant? Reſpondeo diſtinguenda tempora, & omnia tunc cohærere. Res mutari cœpit, dum Joannes Patriarcha manus violentas in Sanctum Cyrillum, Romanæ Sedis Vicarium, ac Synodi Præſidem, cœpit extendere, & attentare ejus degradationem. Plures horruerunt facinus, & ab ipſo receſſerunt. Hinc iſti facinoroſæ ſententiæ ſubſcripſerunt ſoli tres & quadraginta. Omnes ferè Orientales. Exinde ſupervenit nova Romanæ Eccleſiæ Legatio, Arcadius & Projectus Epiſcopi, ac Philippus Presbyter, cum novis adversùs Neſtorium Papalibus litteris ac Mandatis; Horum Legatorum pro Sancto Cyrillo adversùs Joannem Acta pluribus aperuerunt oculos, atque ita illos reduxerunt quaſi ad triginta. Hoc docet plena Synodus in Relatione ad Principem, tranſmiſſa per Palladium Magiſtrianum: *Sunt illi, qui diverſa à recta fide ſentiunt, ad tegendam impoſturam adeò callidi, ut quidam quoque Sanctiſſimi Epiſcopi, occultato errore, à Neſtorio decepti ſint, & ei ſe adjunxerint, Actiſque illius ſubſcripſerint, qui tamen poſteaquam dilucidè quid ſentiret, eſſent percunctati, illumque ſuas blaſphemias retegentem comperiſſent, ab eo deſciverunt, ac Sanctæ Synodo ſe adjunxerunt, patefactaque ejuſdem blaſphemia condemnationis ſententiam adversùs prædictum Neſtorium unà no-*

*nobiſcum tulerunt*. Nempe accedendo ad Synodi judicium, & ipſi ſubſcribendo. Relatio adjungit ſingulorum, qui cum Joanne ac Neſtorio permanſerunt, Epiſcoporum nomina: Et non ſunt, niſi triginta quinque, computato ipſo Joanne.

Quæſtio quinta eſt, Quo die Alexander Apameenſis & Alexander Hierapolitanus intraverint Epheſum? Quomodò item Sancta Synodus, quæ non niſi per ſedecim dies exſpectavit Joannem Antiochenum, in miſſa per Palladium Magiſtrianum ad Principem relatione dicat: *Joannes Sanctam Synodum poſt terminum à veſtra Majeſtate præſtitutum ſupra viginti & unum dies ſuſpenſam tenuit?* Ratio circa primum dubitandi deſumitur ex Sancti Cyrilli ad Principem Apologetico libro, dicente præfatos Epiſcopos adveniſſe, *cum ſextus decimus dies jam abiiſſet*. Hoc enim ſi verùm ſit, advenerunt poſt damnatum Neſtorium, ideoque Cyrillus non poſſit ipſorum relatione permotus proceſſiſſe ad Synodum. Reſpondeo Sancti Cyrilli textum a nuperrimis Conciliorum Vulgatoribus eſſe depravatum. Vaticana & authentica editio legit: *Cum ſextus decimus dies jam ageretur*. Proinde præfati Metropolitæ videntur Epheſum intraſſe die vigeſima prima Junii ad veſperam, dum tres Epiſcopi Neſtorium in proximam lucem citaſſent, aut citarent ad Synodum. Certè tunc omninò agebatur dies decima ſexta. Etenim Græci ſuos dies tunc menſurabant juxta antiquam Synagogæ regulam: *A veſpera in veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*. Lucet ex authore, apud Sanctum Athanaſium exſtante quæ-
Q. 53. ſtionum ad Antiochum, ac ex alio ibidem authore, qui ſcripſit interpretationem Evangelica-
Q. 57. rum Parabolarum. Præfati Epiſcopi videntur omninò tunc, & non ſequenti luce adveniſſe. Etenim Synodalis Conſeſſus ſtatim à primo iſtius lucis exordio cœpit, & duravit uſque ad plenas tenebras, ideoque tunc illi non potuerint conveniſſe Sanctum Cyrillum, ac illi expoſuiſſe ſua negotia. Synodalis ad Principem relatio eſt rectiſſima. Etenim Joannes quinto poſt decimum ſextum die advenit, ideoque vigeſimo primo poſt diem præſtitutum à Principe. Hoc vult Synodus. Ex quibus omnibus etiam diſcimus Joannis factionem non totam ſimul, ſed diviſim adveniſſe Epheſum. Et hinc Ibas Presbyter advenit ſecundo die poſt damnatum Neſtorium.

## CAPUT OCTAVUM.

*Epiſtola Neſtorii, & qui cum ipſo, ad Imperatorem Theodoſium, de his quæ tunc in Epheſo geſta ſunt.*

IN Epheſinam Civitatem convocati à Veſtra Pietate, & abſque mora venientes, voluimus quidem veſtris obedientes litteris ſuſtinere omnes undique adventuros Deo Amiciſſimos Epiſcopos, maximè verò ſanctiſſimum magnæ Civitatis Antiochiæ Præſulem, & eos qui cum ipſo veniunt Deo Amiciſſimos Metropolitanos Epiſcopos: Et eos qui ab Italia vel Sicilia veniunt. Et ſic commune cum cunctis celebrare Concilium, & communi Decreto firmare fidem ſanctorum Patrum, qui Nicæam congregati ſunt. Nam multæ poſt illam Synodi factæ nihil innovare præſumpſerunt contra eam, ſed in ea permanendum eſſe ſanxerunt. Dum verò videremus ad hoc eos, qui ab Ægypto ſunt, valde reſiſtere, & putare quod nos nequidquam dilationibus uteremur, promiſimus ad Concilium convenire, quocumque tempore Magnificentiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum Candidianus, hujus rei gratia à Pietate veſtra deſtinatus, nos convenire voluiſſet. Hæc verò & ipſi per Deo Amiciſſimos Epiſcopos demandavimus. Quia verò agnovit Magnificentia ejus & Sanctiſſimum Joannem, magnæ Antiochenorum Civitatis Epiſcopum, & eos qui cum eo ſunt, propinquaſſe: Hoc enim directi ab eo Præfectiani & Magiſtriani manifeſtum fecerunt. Nunciati verò ſunt & alii ex Occidente Deo Amiciſſimi Epiſcopi advenire. Conſtituit omnibus univerſorum ſuſtinere præſentiam, ſecundùm quod viſum eſt pio veſtro Regimini. Et nos quidem quietem diliximus, acquieſcentes hic, quæ veſtra ſcripſerat Pietas. Ægyptii verò & Aſiani, neque quod communiter expedit Eccleſiis cogitantes, neque pacificam legitimamque intentionem veſtræ Pietatis amplexi, immò verò & Eccleſiaſticas & Imperiales ſanctiones calcando, effugerunt quidem conſonam fidei confeſſionem, abrumpere verò clarè volentes Eccleſiaſticum Corpus, inter ſemetipſos ſunt congregati, alienaque operati, tam Eccleſiaſticæ Conſequentiæ, quam etiam litteris his, quæ nuper à veſtra Pietate ſunt ſcriptæ. Unam ſiquidem cum concordia univerſorum fidem exponi in litteris, quas deſtinavit veſtra Pietas, præcepiſtis, Apoſtolicis Evangelicisque Conſcriptis, & Sanctorum Patrum Dogmatibus conſonantem, ſed prædicti nihil horum cogitantes ex toto, apud ſemetipſos egerunt quæcumque egerunt, quæ à cunctis Imperium veſtrum faciet aliena. Secum verò ſeditionarios quoſdam diſpergentes in forum, Civitatem confuſione impleverunt, Domos noſtras publicè circumdantes, aggreſſi & perturbantes noſtrum commune Concilium, quædam quoque intolerabilia comminantes. Princeps verò Seditionis factus eſt Memnon Epiſcopus. Et Sanctas Eccleſias, Sanctaque Eccleſiaſtica Martyria, & Sanctam Apoſtoli Baſilicam nobis quidem clauſit, ne eſſet vel quo refugere, ſeditione fugante, poſſemus; ipſis verò majorem patefecit Eccleſiam, ibique illos effecit habere Concilium. Et mortem minatur omnibus nobis.

Igitur veſtram ſupplices Pietatem quæſumus, & nimium rogamus, ac poſcimus, quoniam veſtri Amatoris Chriſti Verticis obedimus litteris, & ſimpliciter ad Epheſum venimus, ignorantes nobis has congreſſiones barbaricas imminere, ut jubeatis nos illæſos ab omni frau-

de

de ſervare, & legitimè Concilium fieri, nullo Clericorum neque Monachorum, nec noſtro nec Ægyptiorum, introeunte Concilium: Neque ullo Epiſcopo, qui ad perturbationem Concilii adſit, niſi qui vocatus advenerit. Duos autem cum Metropolitano uniuſcujuſque Provinciæ electiſſimos, & qui poſſint ſcire hujuſmodi quæſtiones, intrare jubete Concilium, & Sanctorum Patrum fidem cum pace & conſonantis confirmare. Aliàs jubete nos abſque periculo redire ad propria. Minantur enim & ipſa nos vita privare.

Et Subſcriptiones.

Neſtorius Conſtantinopolitanorum Epiſcopus ſubſcripſi.
Fritilas Epiſcopus Heraclææ, Thraciæ Metropolitanus, ſubſcripſi.
Helladius Epiſcopus Tharſi Metropolitanus ſubſcripſi.
Berinianus Epiſcopus Pergæ Metropolitanus ſubſcripſi.
Mæonius Epiſcopus *Sardæorum* Metropolitanus ſubſcripſi.
Dexianus Epiſcopus Seleuciæ, Iſauriæ Metropolitanus, ſubſcripſi.
Alexander Epiſcopus Apamææ Metropolitanus ſubſcripſi.
Dalmatius Epiſcopus Cyzici Metropolitanus ſubſcripſi.
Eutherius Epiſcopus Thyanorum Metropolitanus ſubſcripſi.
Petrus Epiſcopus Trajanopolis Metropolitanus ſubſcripſi.
Julianus Epiſcopus Sardicenſis Metropolitanus ſubſcripſi.
Baſilius Epiſcopus Theſſaliæ Metropolitanus ſubſcripſi.
Cyrus Epiſcopus Aphroſidiadis Metropolitanus ſubſcripſi.
Maximianus Epiſcopus Anazarbi Metropolitanus ſubſcripſi.
Alexander Epiſcopus Hierapolitanus ſubſcripſi.
Dorotheus Epiſcopus Marcianopolis, Mœſiæ Metropolitanus, ſubſcripſi.
Et omnes alii, qui erant pariter, ſubſcripſerunt ſimiliter.

## SCHOLION.

HÆc facinoroſa Neſtorii adversùs primam, à qua damnatus, Synodi Actionem ad Principem relatio & querimonia eſt vulgata. Duxi tamen hic adjungendam ob duas præſertim rationes. Primo, quod hæc ſit alia translatio, non parum illuſtrans rei ſeriem. Deinde, quod adnexam habeat omnium Epiſcoporum ſubſcriptionem: Non undecim dumtaxat, ſed ſexaginta novem. Notanda ſunt hæc querimoniæ verba: *Promiſimus ad Concilium convenire, quocumque tempore Comes Candidianus nos convenire voluiſſet. Hæc verò & ipſi per Deo Amiciſſimos Epiſcopos demandavimus.* Elucidant Synodi ſeriem, & edicunt cauſam, ex qua Neſtorius adductæ proteſtationi non ſubſcripſerit. Die vigeſima ſecunda Junii inchoatam Synodum ſummo mox mane acceſſerunt Legati à Neſtorio Epiſcopi, Legati ab ejus factione, & ipſe Comes Candidianus. Neſtorius, quoniam pridiè fuerat ſolemniter citatus, contumaciæ notam evitare ſtudens ſpopondit adeſſe, dummodò Comes non intercederet. Et præſens Comes ſtatim interceſſit. Exinde Factionis Legati exhibuerunt ſuæ proteſtationis inſtrumentum, & viva voce quædam addiderunt. Neſtorius igitur, ne ſuam obedientiæ ſponſionem videretur evertere, inſtrumento ſubſcribere non potuit. Omnia fuerunt facta per ſtudium & artem.

Verùm qui ſunt Epiſcopi, quos relatio affirmat fuiſſe exſpectandos ex Italia & Sicilia? Aliqui exiſtimant fuiſſe Julianum Eclanenſem, Orontium, Florum, alioſque Pelagianos, quos Neſtorianæ Factioni conſtat adhæſiſſe. Verùm iſti, utpote proſcripti, & quaſi Cain per Orbem vagabundi, non erant in Italia. Erant in Thracia, aut fortè apud Epheſum, vel etiam in Comitatu Patriarchæ Joannis. Proinde exiſtimo Relationem proclamare ad Celeſtini Pontificis Legatos, Arcadium, Projectum, ac Philippum, qui ad ſecundam Synodi Actionem, factam die decima Julii, dixerunt: *Etſi tardus navigationis progreſſus, adverſaque tempeſtas nos maximè detinuerint, ita ut, ſicut ſpes erat, ad deſtinatum locum pervenire nequiverimus, attamen Dei gubernatione, veſtræque Beatitudinis orationibus, noſtra Mediocritas huc applicuit, ipſique gratias agimus, quod Beatitudinem veſtram, uno in loco, & una in fide manentem, & pro Eccleſia Dei ſollicitam, invenerimus.*

Et hinc oritur quæſtio, Quomodò Neſtorianæ Factionis querimonia non fuerit juſta? Qua ratione Sanctus Cyrillus præſumpſerit ſine Romanis Legatis ad Synodalia Acta procedere? Quomodò non attentarit acephalum Conciliabulum? Reſpondeo non iſtos ſolos, ſed etiam Sanctum Cyrillum fuiſſe Celeſtini Pontificis ac Romanæ Sedis Vicarium & Legatum, & quidem in ſolidum, ideoque poſt lapſum Synodo præfixum terminum potuiſſe procedere. Ita lucidè patebit ex infra adducendo Commonitorio, quod iſtis Legatis dedit laudatus Pontifex. Idem patet ex Philippi Legati verbis ad Synodum. *Gratias agimus Sanctæ ac adorandæ Trinitati, quod nos humiles ſancto veſtro Conventu dignata eſt. Dudum quidem Sanctiſſimus Papa noſter Celeſtinus per ſuas epiſtolas ad Cyrillum, Sanctum Virum, de præſenti hac cauſa definivit, quæ litteræ ſacro veſtro Cœtui ſunt exhibitæ. Et nunc alias rurſum ad corroborationem catholicæ fidei per nos miſit ad veſtram omnium Pietatem.* Neſtorianæ impietatis ac perſonæ damnatio jam peracta erat per ſolum Pontificem: Erat opus ſola executione. Hanc ille delegaverat & Cyrillo, & tribus aliis Legatis è ſuo Latere. Singulis in ſolidum. Hinc Cyrilli proceſſus fuit per hoſce tres comprobatus ac ſtabilitus. Et certum eſt, quod Neſtorius

horum

horum Legatorum adventum averſatus fuerit: Nam adversùs Celeſtini judicium provocaverat ad Synodum, & à Principe extorſerat ſuſpenſivum effectum, aut certè per fucatam obedientiam ac palinodiam ſiſti fecerat Romanam ſententiam. Proindè hæc proclamatio fuit techna ad Cyrillo & Synodo qualitercumque derogandum. Et hinc iſtorum Legatorum moram nec Joannes Antiochenus, nec Comes Candidianus, nec ipſe Irenæus, nec quivis Neſtorii Patronus unquam culpavit. Porrò Epiſcopi, quos ex Sicilia exſpectandos Neſtorius voluit, crediderim fuiſſe Pelagianos. Eorum aliqui, licèt ex toto Occidente proſcripti, latitabant in Inſula, atque à Neſtorio aut Juliano evocati exſpectabantur. Wandalica Africæ calamitas fecit ſecuritatem illic latitandi.

Relatio Sanctam Synodum accuſat præſertim de tribus. Primò, de violato Nicæno Symbolo. Ad ipſum enim Neſtorius proclamabat aſſiduè. Non dumtaxat poſt edita, à quibus ipſum everti vociferabatur, Cyrilli Capitula, ſed à primo exordio ſuæ Hæreſis. Hinc ad illum in ipſa ſuorum Capitulorum Epiſtola Sanctus Cyrillus ſcripſit: *Non ſufficit tuæ Religioni ſolummodò fidei Symbolum confiteri. Hoc enim nec intellexiſti, nec rectè interpretatus es, licet perverſæ vocis ſono eadem verba protuleris.* Loquax interim homo verſutè adeò novit Symboli verba circumſcribere, ut multos cum ſcrupulo dimiſerit. Hinc Sanctus Cyrillus & in ipsâ Synodo per multa Sanctorum Patrum teſtimonia, & poſt ipſam per ſingularem Commentarium compulſus fuit illud exponere, ac demonſtrare Neſtorium eſſe ab eo remotiſſimum. Et ſanè Symbolum, quod inter alias blaſphemias etiam Pauli Samoſatenſis impietatem invaſerat ac damnarat, quomodò poſſit favere Neſtorio? Erat tunc iſto loco, in quo apud noſtrum ſæculum ſunt Sacræ litteræ. Uti nunc Lutherus, Calvinus, cæterique Sectarii proclamant ad haſce ſolas, ita tunc quævis Peſtes provocabant ad iſtud. Sed qua fide, docent nos Polemon, Timotheus, & alii ſimiles ex fœdo Apollinarii luto prognati diſcipuli, duarum in Chriſto Domino Naturarum confuſionem firmantes ex hiſce verbis: *Conſubſtantialem Patri.* Adversùm quos Sanctus Athanaſius in litteris ad Epictetum Corinthi Epiſcopum meritò exclamavit: *Quis infernus iſta evomuit?* Quod ipſum in Neſtorium exclamari poſſe, ſuo loco demonſtrabitur.

Alterum accuſationis caput eſt Divalis Sacræ prævaricatio. Hoc crimen & Neſtorius, & Joannes, & omnis Factio aſſiduè conclamarunt. Hinc quæritur, An Sacra Synodus re vera hic impegerit? Rationem dubitandi facit ſecunda Sacra, directa ad omnes Metropolitas. Tres enim exſtant Sacræ. Prima ad Sanctum Cyrillum, duriſſimè eum arguens uti authorem harum omnium turbarum, ipſumque uti reum potenter cogens ad Synodum. Altera eſt ad omnes Orientales Metropolitas, mandans ipſos cum competenti Suffraganeorum numero Epheſi adeſſe ante diem Pentecoſtes. Tertia eſt ad plenam Synodum, directa per Comitem Candidianum, futuris Synodi Actibus præſcribens modum & ordinem. Porrò ſecunda Sacra habet: *Cæterum ante Sanctiſſimam, coactam Synodum, communemque ejuſdem, quæ de omnibus dabitur, ſententiam, nihil quidquam in ulla prorsùs re privatim à quoquam innovetur.* Hæc verba quidam volunt reſpici à Neſtorio: *Unam ſiquidem cum concordia univerſorum fidem exponi in litteris, quas deſtinavit veſtra Pietas, præcepiſtis, Apoſtolicis Evangeliciſque Conſcriptis, & Sanctorum Patrum dogmatibus conſonantem.* Ex eiſdem cenſent Factionem aſſiduè clamitaſſe Neſtorii damnationem fuiſſe non Synodale judicium, ſed privatum ac à Principe vetitum Conventiculum; ideòque circumducendum ac damnandum.

Labuntur. Etenim Sacra, ad cujus prævaricationem aſſiduè proclamavit factio, eſt palam illa, de qua Comes dixit ad Joannem Patriarcham: *Cyrillus & Memnon, ut Sacram prælegerem, efflagitarunt. Cum verò id recuſarem, coegerunt me illi, ſe ignorare aſſerentes, quid à Dominis noſtris præſcriptum eſſet.* At verò Sacram, qua Epiſcopi fuerant evocati ad Synodum, ipſorum nullus poterat ignorare. Porrò iſta Sacra ſic habet: *Candidianus operam det ſedulam, ut omnibus & ſingulis, quæ dicuntur, ſinguli inoffensè, quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propoſitum, ſi opus fuerit, refutare queant, ut ea tandem ratione, quod omnibus placitum probatumque fuerit, communi veſtræ Sanctitatis ſententia conſtituatur & decernatur.* Hæc verba fuerunt fundamentum tanti clamoris. At quis non videat fuiſſe frivolas calumnias? Etenim Sacra manifeſtè ſanxit adversùs agenda ante diem, quem Princeps Synodo præfixerat. Hinc enim evocatoria Sacra habuit: *Omninò autem perſuaſum habemus neminem ex piiſſimis Epiſcopis fore, qui ſimul atque rerum Eccleſiaſticarum cauſa, atque adeò controverſiarum totius Orbis gratia, noſtra hac ſanctione Sanctiſſimam Synodum cogi intellexerit, non properè ſtudioſeque accurſurus ſit, rebuſque tantoperè neceſſariis, ac Deo uſque adeò gratis, pro virili conſulturus. Nos quoque harum rerum curæ ſedulo incumbentes, nullum impunè abeſſe ſinemus: Nec ullam ille vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus eſt excuſationem, qui ſtatim impigrè ſecundùm præfinitum tempus ad deſtinatum locum præſtò non fuerit. Enimverò quicumque ad Sacerdotalem Synodum accitus alacriter non accurrit, is ſanè conſcientiæ parùm ſinceræ ſe eſſe oſtendit.* Et in hæc Sacræ verba ipſe Joannes impegit. Quare omnes ejus in Sanctum Cyrillum ac ſacram Synodum clamores erant inanes calumniæ.

Tertium accuſationis caput erant Neſtorio ac ejus aſſeclis in ipſo etiam Pentecoſtes Feſto clauſæ per Memnonem Epheſinum Epiſcopum Eccleſiæ. Factio clamabat Memnonem eſſe Cyrillo ſervilem per omnia ſatellitem, ideoque omnes haſce turbulentias ac violentias eſſe pariformiter utriuſque. Rei ſeriem exponit ipſa Factio, Joanni jam Epheſum advecto ediſſerens omnia Acta ante ejus adventum: *Cyrillus Reverendiſſimus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, nec non Memnon Religioſiſſimus hujus civitatis Antiſtes, qui ſe Cyrillo in omnibus adminiſtrum exhibuit, Sanctas Eccleſias, Sanctaſque Martyrum Ædes, & ſanctam quoque*

*Apoſtoli*

*Apoſtoli Baſilicam præcluſit, & ne ſacrum quidem Pentecoſtes diem Religioſiſſimis Epiſcopis celebrare permiſit.* Et prima factionis ad Principem Relatio: *Cyrillus Alexandrinus & Memnon Epheſius, ſatellitio comparato, magnaque agreſtium hominum multitudine coacta, ne Sanctæ quidem Pentecoſtes Feſtum celebrare, matutinave, aut veſpertina officia obire permiſerunt. Ac præter hæc Sanctas etiam Eccleſias, Sanctaſque Martyrum Ædes nobis præcludentes, ipſi cum quibuſdam in errorem illorum abductis inter ſe conſeſſum inſtituerunt, Sanctorumque Patrum Canonibus, veſtriſque Decretis proculcatis, ſexcenta ſcelerum exempla ediderunt.* Et Relatio ad Senatum Conſtantinopolitanum: *Comperimus Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum, & Memnonem Epheſiorum, ſexcenta graviſſima contra Dei Eccleſiam geſſiſſe, civitatem Sanctamque Synodum turbis & tumultibus compleſſe, atque ex nautis Ægyptiis, ac Aſiaticis ruſticis ſatellitio collecto, Tyrannidi ſuæ miniſtros quæſiviſſe, Sacram Sanctæ Pentecoſtes Solemnitatem celebrari vetuiſſe, Sacra Templa & Martyrum Ædes præclaſiſſe, ita ut ne orare quidem volentibus licuerit venientibus è locis uſque adeò remotis, Sanctorumque Martyrum, maximè verò Beatiſſimi Joannis Theologi ac Evangeliſtæ, monumenta omnia complectendi deſiderio flagrantibus.* Factio frequenter urſit hanc querimoniam.

Nec ſolum Neſtorium ita tractavit Memnon, ſed ipſum etiam Patriarcham Joannem, ac ipſi adhærentes Epiſcopos. Etenim hi in ſua ad Principem, per Palladium Magiſtrianum tranſmiſſa, Relatione ſcribunt: *Profecti ſumus ad Sancti Joannis Evangeliſtæ Apoſtolicam Eccleſiam gratias acturi, Deumque pro veſtra Majeſtate rogaturi. Cum autem illi nos conſpicati eſſent, repentè Templum nobis occluſerunt. Itaque cum foris ſecus adoraviſſemus, ſilentioque reverteremur, famulorum quorumdam multitudo erumpens, alios quidem noſtrorum detinuerunt, nonnullis jumenta ſua abſtulerunt, quoſdam etiam vulneraverunt, nos autem fuſtibus & lapidibus longo intervallo inſectati ſunt, ita ut, tanquam Barbaris inſequentibus, magna tum feſtinatione fugam capeſſere cogeremur.* Etiam Joannes frequentiſſimè urget hanc injuriam. Nec ſolus Memnon, ſed etiam Chalcedonenſis Epiſcopus iſto modo tractavit Joannem, ac ejus in iſta Legatione Collegas. Lucet ex litteris Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi ad ſuum Metropolitam Alexandrum, exponentibus Legationis Acta apud Chalcedonem: *Populus omnis, gratia Dei, bene habet, & jugiter ad nos egreditur. Incepimus autem ipſis etiam diſſerere, & celebravimus Collectas maximas, & quarto illic enarratum eſt de fide. Et tanta audierunt voluptate, ut uſque ad horam ſeptimam non diſcederent, ſed perduraverint uſque ad æſtum Solis. In Aula enim maxima, quatuor habente porticus, multitudo congregata fuit, & nos supernè concionabamur è ſuggeſtu prope tectum. Noverat autem Rex Pientiſſimus, quod multitudo congregaretur contra nos, & nobis occurrens dixit: Novi quod malè congregamini. Dicebam autem ei: Quia dediſti fiduciam loquendi, cum venia audi. Juſtum eſt Hæreticos excommunicatos in Eccleſiis agere, nos verò, qui pro fide certamus, & propter hoc ab illis communionis exortes factos, non intrare in Eccleſiam? Et ille reſpondit: Et ego quid faciam? Reſpondi igitur illi: Quod fecit Magiſter tuus, Comes Largitionum, in Epheſo. Ille enim ut invenit nonnullos congregari, nos autem non congregari, compeſcuit eos dicens: Si non fueritis pacifici, non concedam uni Parti congregari. Oportebat etiam tuam Pietatem præcipere hic Epiſcopo, ne permitteret, neque illis, neque nobis congregari, donec conveniamus, vel juſta tua ſententia omnibus nota fiat. Ad hæc dicebat: Equidem Epiſcopo imperare non poſſum.* Pro verbis, *Congregaretur contra nos*, Caſſinenſis Translatio rectiùs habet: *Congregaretur ad nos*.

Ex his diſcimus varia. Primò, quod etiam Joannes ſacrarum Largitionum Comes, dum Epheſum advenit, ſolos ſanctæ Synodi Patres invenerit exercentes Divina Miniſteria, orientalem autem Factionem viderit ſine Eccleſia, ſine omni ſacra functione. Secundò, quod utramque partem uſque ad initam pacem tentaverit à Sanctis ſuſpendere, atque ita cogere ad concordiam. At non obtinuit. Tertiò, quod etiam Chalcedonenſis Epiſcopus factioſis Legatis, inter quos cum Theodoreto erat ipſe Patriarcha Joannes, omnes Eccleſias clauſerit, aperuerit verò Legatis Sancti Cyrilli. Quartò, quod hac de cauſa Theodoretus debuerit concionari in ſuo hoſpitio, neſcio qua ſæculari domo. Quintò, quod hanc ejus audaciam etiam Chalcedonenſes Clerici ac Monachi tanto impetu invaſerint, ut tam ſuæ quam Regiæ civitatis Populum, ex curioſitate accedentem ad iſtas conciones, ac præſertim ex ipſis redeuntem, lapidibus impeterent. Quorum omnium ratio eſt, quod cuncti Orthodoxi Epiſcopi ſuſpenſivum effectum, quem Neſtorianæ ad Synodum appellationi Imperator Theodoſius adſcripſerat, haberent pro frivolo, ac ſacris Canonibus & Divinis Apoſtolicæ Sedis privilegiis adverſo. Noverant Neſtorium Celeſtini Papæ Decretis doloſè ac mendaciter obediiſſe, & poſt iſtum obedientiæ ſucum patraſſe pejora, ideoque etiam ante Synodi ſententiam habebant pro degradato ac excommunicato. Ante repertum harum Epiſtolarum theſaurum ignoravimus Neſtorii palinodiam.

At quare etiam Joanni Patriarchæ, ejuſque Epiſcopis fuerunt clauſæ Baſilicæ, ac interdicta Divina Officia? Reſpondeo quod ob duas cauſas. Primam edicit Memnon in litteris ad Clerum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: *Joannes quotidie venerandum Senatum, Illuſtriſſimoſque cives ad ſe evocans, magna importunitate flagitabat, ut eorum ſuffragiis alius in meum locum ordinaretur Epiſcopus. Denique ita hic inſtabat, ut omnes Orthodoxi civitatis incolæ Oratoria occuparent, ibique ſe continerent, ne illius temeritas & nefarius auſus, publicè propoſitus, quod vulgi ſermone circumferebatur, effectum ſortiretur. Unde ad Sancti Joannis Evangeliſtæ Baſilicam adſcendens, & quod ibidem ordinaturus eum eſſet divulgans, ſeditionem & tumultuationem eo in loco concitavit. Tanta namque Armatorum multitudine comitatus adſcendit, ut aliquos ibi mendicantium ſemi-neces*

*reliquerit, & quaſi affectus fuiſſet injuria ab eis, qui ibi reperti ſunt, ut Synodo poſſet conflare invidiam, apud Imperatores & alios conqueſtus eſt.* Hanc igitur ſui Epiſcopi injuriam avertere volens Epheſinus Populus oppoſuit arma armis, & ipſum Aſiatici ruſtici, & nautæ Ægyptii adjuverunt. Nam novi Epiſcopi intruſio erat contumelia etiam Sancti Cyrilli. Ex his interim diſce antiquum morem Orientalis Eccleſiæ, quæ pauperes non permittebat intra Eccleſiam, ſed jubebat ad illius fores ſedere & mendicare. Ad haſce fores erant & fontes & pauperes. Iſti ad manus & corpus, hi ad abluendam animam: Quo fideles & corpore & mente puri intrarent ad Dominum Deum, apti ad exorandam ejus clementiam. Quem morem frequenter laudat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Eſt è Synagoga traductus in Eccleſiam. Nam claudus ille, quem Sanctus Petrus erexit, mendicabat ante portam ſpecioſam Templi.

Altera, ob quam etiam Joanni Patriarchæ fuerunt clauſæ Eccleſiæ, ratio erat ejus communio cum damnato ac anathematizato Neſtorio. Antiquam Eccleſiæ regulam Euphemio Conſtantinopolitano Epiſcopo, roganti, *Quando fuerit damnatus Acacius*, exponit Sanctus Gelaſius Pontifex: *Oſtendite quæ Synodus in unaquaque Hæreſi cum erroribus Succeſſores eorum bis communicantes, ſimulque omnes non damnet complices?* Uti ergo Acacius Eutychianis communicando attraxit ſibi Chalcedonenſe anathema, ita cum ſuis Aſſeclis Joannes non dumtaxat communicando, ſed inſuper defendendo Neſtorium traxerat in ſe omnem ſcabiem Neſtorianæ damnationis. Quod præſertim verum fuit, poſtquàm ipſum Synodus ob patrata in Sanctum Cyrillum ac Memnonem, immò & in omnem Synodum contumelioſa facinora, necnon ob duriſſimam contumaciam nominatim excommunicavit. Hinc etiam Chalcedonenſis Epiſcopus Eccleſias ipſi clauſit, & Imperator Theodoſius ad proteſtantem Theodoretum dixit: *Epiſcopo imperare non poſſum.*

Notanda ſunt adducta Factionis verba in Relatione ad Principem, facta ſtatim poſt attentatam contumeliam in Cyrillum ac Memnonem. Lamentatur Neſtorio ac ejus Aſſeclis fuiſſe clauſas Eccleſias in Feſto Pentecoſtes, & adjungunt: *Ac præter hæc Sanctas etiam Eccleſias, Sanctaſque Martyrum Ædes nobis præcludentes, ipſi cum quibuſdam in errorem illorum abductis quendam inter ſe Conſeſſum inſtituerunt.* Exponit in ſua ad Principem querimonia Neſtorius: *Memnon Sanctas Eccleſias, Sanctaque Eccleſiaſtica Martyria, & Sanctam Apoſtoli Baſilicam nobis quidem clauſit, ne eſſet vel quo refugere ſeditione fugante poſſemus, ipſis verò majorem patefecit Baſilicam, ibique illos effecit habere Concilium.* Neſtorius, poſtquam nec ſuam, nec ſuorum Collegarum, nec Comitis Candidiani proteſtationem vidit admitti à Synodo, ſe tranſtulit ad alia conſilia: Occupare ſategit S. Joannis Evangeliſtæ Baſilicam, iſtic agitare Synodum, damnationis talionem Cyrillo reddere, atque ita ſaltem turbare omnia. Explere dudum meditatum ac jactitatum facinus, de quo Cyrillus in litteris ad Clerum Conſtantinopolitanum: *Neque tamen miſer ille, licèt complures & graves viri, ejus opera ſeducti, nos accuſaturi eſſent, rerum noſtrarum Judicem ſe fore ſperet, quamvis jure Amphitryonum hoc ſibi demandari faciat.* Verùm contra omnes ejus artes & violentias vigilantiſſimus Memnon, licet Synodo præſens in Cathedrali Eccleſia, potenter intercesſit: Per ſuum Clerum juſſit occludi omnes Eccleſias, præſertim Baſilicam, Epheſiorum ſecundariam, Sancti Joannis Evangeliſtæ. Hinc Hæreſiarcha compulſus eſt ad aliam machinam, comprehenſam his verbis: *Cyrillus & Memnon, ſecum ſeditionarios quoſdam diſpergentes in forum, civitatem confuſione impleverunt, Domos noſtras publicè circumdantes, aggreſſi & perturbantes noſtrum commune Concilium.* Omnibus Eccleſiis excluſa Factio egit Synodum in domo Neſtorii. Et iſtud etiam ſceleratum Conventiculum Epheſinus Clerus & Populus diſſiparunt. Clariùs hæc expoſuit Factio Patriarchæ Joanni advecto Epheſum: *Memnon multitudine agreſtium hominum coacta, civitatem turbis implevit. Inſuper Clericos ſuos ad Piiſſimorum Epiſcoporum diverſoria mittens, vel extrema quæque, niſi confuſo eorum Concilio ſe adjungerent, illis comminatus eſt.*

---

## CAPUT NONUM.

### Conteſtatio Candidiani Comitis, quam publicè, manè audiens Synodum celebrari, in Epheſo propoſuit.

*Sanctiſſimo Epiſcopo Metropolis Alexandriæ Cyrillo, & Reverendiſſimis Epiſcopis qui cum eo ſunt congregati, Flavius Candidianus, Magnificentiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum.*

QUoniam ex quo in Epheſinam civitatem veni, nihil aliud deprecatus ſum communem Sanctamque Synodum veſtram, niſi ut cum pace atque concordia, quæ ad Fidem rectamque glorificationem noſtram pertinent, exponerentur, ſicut & Dominus noſter juſſit, & Piiſſimus Imperator, ſcit Religioſitas veſtra. Et ſufficit mihi teſtimonium, quod ipſa veritas præbet, quia nihil aliud egerimus præter hæc. Quoniam verò & dum congregandos vos eſſe in Sanctiſſimam Eccleſiam præter aliorum Epiſcoporum cognoſcerem voluntatem, nondum veniente Sanctiſſimo Epiſcopo Antiochenæ Metropolis Joanne, vel his qui cum ipſo ſunt, non ceſſavi rogans ut id fieret, quod dixi ſuperiùs, & unumquemque

quemque

quemque ſum conteſtatus ob hoc, ne fortè particularis fieri Synodus videretur.

Extremò verò nihilominus cum congregati eſſetis in Sanctiſſima Eccleſia, occurrere feſtinavi, & ea quæ viſa ſunt Domino noſtro, & Piiſſimo Principi, licet videam ex ſuperfluo facere, dum ſemel noſceretis hæc eadem ex litteris Divinitatis ejus, directis ad vos. Verumtamen edocui diſpoſitionem ejuſdem Domini noſtri & Piiſſimi Principis hanc eſſe. Velle namque eum dixi fidem noſtram abſque ulla diſcordia ab omnibus idem ſapientibus roborari, & nolle particulares quaſdam Synodos fieri, quod maximè in hæreſes & ſchiſmata convertere novit Religionem noſtram, Fidemque Orthodoxam. Inſuper dum Reverentia veſtra exigeret Sacram Domini noſtri & Piiſſimi Principis, quæ directa eſt ad Sanctam Synodum, relegi, priùs quidem id facere non annuebam, nec enim dicere refutabo, eò quod non adeſſent omnes, qui ad Sanctiſſimam Synodum juſſi fuerant convenire, ſed quia veſtra Religioſitas inquit ignorare ſe, quæ præcepta ſint à Domino noſtro & optimo Principe, neceſſarium mihi viſum eſt apparere, ut etiam non præſentibus aliis Reverendiſſimis Epiſcopis omnibus relegerentur Divinæ atque adorabiles Litteræ.

Nihilominus verò, & poſtquam vobis manifeſtavi quæ ſunt Decreta Divinitùs, in eadem ſupplicatione permanſi, deprecans Reverentiam veſtram, & poſcens nihil novum fieri, priùſquam cuncti Sanctiſſimi Patres atque Epiſcopi ad Synodum convenirent, ſed ſuſtineretis quatuor tantummodò dies Sanctiſſimum Epiſcopum Antiochenorum Metropoleos cum aliis qui pariter ſunt, nec non & illos qui cum Sanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio ſunt, ut veſtra Religioſitate pariter congregata, & omni Sancta Synodo collecta ſimul in unum, ſi qua eſſent, quæ forſan in dubitationem venirent, à quibus nos ſumus extranei, cunctis vobis præſentibus judicarentur. Et tunc cum conſenſu omnium veſtrum oſtenderetur, quis pravè ac præter Regulas Eccleſiaſticas credere videretur, an certè rectè omnes pariter confiteri, ſicut Sanctorum Patrum Religio habet. Hæc igitur non ſemel, ſed etiam ſæpiùs admonens, & ſuppliciter poſtulans, nihil profeci.

Verùm quia nihil eorum, quæ à me ſunt dicta, ſervatum eſt, ſed à vobis injurioſè ac violenter expulſus ſum, neceſſarium duxi hoc mea conteſtatione vobis conſtituere manifeſtum, & per hoc Edictum clarè dicere nullum veſtrum novi aliquid facere, ſed omnium Sanctorum Epiſcoporum ſuſtinere præſentiam, & ſic communi Concilio, quæ ad Catholicam Sanctamque Fidem pertinent, judicari. Si quis verò ex propria voluntate ductus ea, quæ ab immortali & optimo Vertice juſſa ſunt, commovere voluerit, ſciat ſe ſibi ipſi reputaturum quidquid evenerit, præjudicium verò ſe alii non inferre. Non enim pigebit me hæc eadem denuò iterare.

Quoniam verò, ſicut veſtra Sanctitas novit,



hoc placuit Domino noſtro & Piiſſimo Principi, ut ſub præſentia ſimul omnium Sanctorum Epiſcoporum, qui ab ejus Divinitate ſunt convocati, ea quæ in vocationem veniunt diſſolvantur, propterea & Sacra, quæ ad Sanctiſſimam Synodum veſtram directa ſunt, & quæ ad me ipſum ab eorum Divinitate ſunt ſcripta, huic Edicto præpoſui, ut per omnia cognoſcentes, quæ à Domino noſtro & optimo Imperatore præcepta ſunt, à tali præſumptione ceſſetis. Cognoſcite igitur, quod Scripti hujus exemplar etiam Domino noſtro Piiſſimo Imperatori tranſmiſſum eſt.

## Propoſitum eſt decimo kalendas Julii, in Epheſina Civitate.

### SCHOLION.

HUjus & duorum ſequentium Edictorum frequens eſt memoria in Actis Synodalibus. Etenim in ipſa, quàm adversùs Sanctum Cyrillum & omnem Epheſinam Synodum lattavit, ſententia Joannes Antiochenus ſic habet: *Neque Religioſiſſimorum Epiſcoporum adventum exſpectaſtis, cum tamen Magnificentiſſimus Comes Candidianus & Scripto monuiſſet & verbis, ne quidquam tale auderetis*. Et in Relatione ad Imperatorem Theodoſium: *Cum tamen Magnificentiſſimus Comes Candidianus à Chriſti amante Celſitudine veſtra miſſus, & Scripto & verbis quoque illis denunciaſſet*. Et in Relatione ad Reginas: *Cum tamen Magnificentiſſimus Comes Candidianus, ordinis ſervandi cauſa ab Imperatoribus noſtris miſſus, & verbo & Scripto illis denunciaſſet, ut Piiſſimorum Epiſcoporum adventum exſpectarent*. Edicta hæc uſque nunc latuerunt. Quare magnum eſt Caſſinenſis Codicis beneficium. Præſens Edictum docet nos plura. Primò, quod Candidianus ipſa Synodi die ſtatim à prima luce fuerit in opere. Etenim omnes & ſingulos Primates Epiſcopos acceſſit, deprecans non procedi, ſed exſpectari Antiochenum Patriarcham. Secundò, quod hac via nihil obtinens intraverit Synodalem Conſeſſum, obteſtans eadem. Tertio nos docet modum, quo Sanctus Cyrillus Candidianum permovit ad prælegendam Sacram, ſine cujus prælectione procedi non poterat. Iſtud ipſum Candidianus expoſuit in ſua Relatione coram advecto Patriarcha Joanne: *Cyrillus & Memnon, ut Sacram prælegerem, efflagitarunt. Cum verò id recuſarem propter Sanctitatis veſtræ abſentiam, quodque alii præterea Epiſcopi ac Metropolitani necdum adveniſſent, coegerunt me illi, ſe ignorare aſſerentes quid à Dominis noſtris eſſet præſcriptum. Coactus ergo, ne turbæ cujuſpiam aut ſeditionis occaſionem præberem, ipſis congregatis Sacram legi. Verumtamen etiam diſceſſurus, & præſens ipſos conteſtatus ſum, ne prorſus aliquid agerent*. Per hæc igitur omnia non proficiens Comes, tandem publicè



Digitized by Google

blicè ad omnem Epheſinam civitatem propoſuit Conteſtatotium Edictum, ei in capite adnectens Divalem Sacram. Hoc turbido Edicto ſperavit omnem Populum commovere in Synodum. Acta hæc ſunt decimo Calendas Julii, die ipſa Synodi, vigeſima ſecunda Junii.

---

## CAPUT X.

### *Item Conteſtatio alia Magnificentiſſimi Comitis Candidiani poſt Synodum,*

QUoniam cognovi à multis Reverendiſſimis Epiſcopis, quod aliqui eorum, poſtquàm prima particularis Synodus facta eſt, illic neceſſitate perducti ſunt, quorum nonnulli etiam ſubſcripſiſſe perhibentur his, quæ facta ſunt ab illis, qui primo die fuerant congregati, ob hoc univerſis, qui eodem die minimè convenerunt, per epiſtolam ſcribo, conjurans per Deum omnipotentem, & per Chriſtum ejus, & per Sanctum Spiritum, & incolumitatem Dominorum Mundi, ut nihil præter illa, quæ à Dominis noſtris Piiſſimis Imperatoribus præcepta ſunt, faciatis, ſed exſpectetis univerſalem Synodum, & Sanctiſſimorum Epiſcoporum præſentiam, necnon & judicium Dominorum noſtrorum, Piiſſimorumque Principum. Cognoſcat ergò Religioſitas veſtra eis relatum fuiſſe de omnibus.

### SCHOLION.

DUorum ſequentium Edictorum originem & cauſam Comes Candidianus expoſuit in præfata Relatione ad Joannem Patriarcham: *Sequenti die cum penitus quid actum eſſet neſcirem, repente Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium ab ipſis eſſe depoſitum audivi. Refixi ſcripturam illam depoſitionis publicè propoſitam, & legi. Quam ad Piiſſimos Imperatores noſtros miſi. Paulò poſt & publicos quoque Præcones, forum obeuntes, memoratique Sanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii depoſitionem ſolemni pompa ebuccinantes audio. Cum igitur hæc reſciviſſem, inhibitiones ad illos miſi, ne quiddam omninò præter ea, quæ à Religioſiſſimis Imperatoribus noſtris decreta fuerant, molirentur. Effeci quoque, ut Sanctiſſimi Epiſcopi noſtri, qui illorum Congregationi non interfuerant, veſtræ Sanctitatis adventum præſtolarentur.* Poſteriora verba tangunt præſens Edictum. Ea illuſtrat Sanctus Cyrillus in litteris, quas ſtatim poſt Neſtorii damnationem ſcripſit ad ſuæ Eccleſiæ Archi-mandritas: *Compreſſum eſt os blaſphemum, & conticuit impuriſſima lingua, nec amplius blaſphemas contra Chriſtum voces in Pontificali & Doctorali authoritate in poſterùm depromet. Et qui ipſius amicitiam charitati, quæ in Chriſtum eſt, potiorem ducebant, vultus jam nunc gerunt dedecore plenos. Hoc eis debebatur.* Quod horum Epiſcoporum plures poſtmodò ad veritatem ac Synodum rediverint, ſupra audivimus. Deinde novi quotidie Epiſcopi adventabant Epheſum, prompti ad ſubſcribendum Actis Synodalibus. Et ex utroque genere aliqui jam ſubſcripſerant. Ad hunc itaque Synodi profectum ſiſtendum Candidianus emiſit hoc Edictum. Ad terrendos ac divertendos Epiſcopos, qui necdum ſubſcripſerant.

Et ipſum armavit hac clauſula: *Cognoſcat Religioſitas veſtra, Dominis Imperatoribus relatum eſſe de omnibus.* De ſua ad Principem referendi diligentia Candidianus dixit ad Joannem Patriarcham: *De his omnibus Orbis Dominos certiores fecimus, ſignificantes Sanctitatis tuæ, Sanctiſſimorumque Epiſcoporum, qui tecum ſunt, adventum nos exſpectare.* Et in litteris, quas ſtatim poſt Neſtorii damnationem dedit ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clerum, ſcripſit Sanctus Cyrillus: *Quoniam verò, ut intellexi, relationes à Magnificentiſſimo Comite Candidiano delatæ ſunt, cauti & vigilantes eſtote, ac docete Commentarios rerum in Neſtorium geſtarum necdum perfectè tranſcriptos eſſe, unde ne ad Religioſos quidem Victoreſque Imperatores noſtros Relationem, quæ mitti debet, adhuc mittere potuimus. At Deo bene favente, mittetur unà cum Commentariis.* Hæc Epiſtola omninò videtur ſcripta altero die poſt Synodalem Actionem. Omninò enim videtur fuiſſe miſſa cum Synodalibus ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Œconomos litteris, habentibus hanc Epigraphen: *Epiſtola ad Clericos & Œconomos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, eo ipſo die miſſa, quo & ad ipſum Neſtorium damnationis ſententia ſcripta fuerat.* Hunc verò diem diſcimus ex ſubſcripta ad iſtam ſententiam ſubnotatione: *Hæc Epiſtola die damnationem ejuſdem Neſtorii proximè ſubſecuta ad ipſum tranſmiſſa eſt à Sancta Synodo.* Eodem igitur die Candidianus omninò retulit. Etenim qui ab Epiſcopis circa lectionem Sacræ fuerat ingenioſè circumſcriptus, ſtuduit in referendo non præveniri. Porrò facta ad Principes Relatio habet virtutem ac effectum Appellationis; Suſpendit omnia. Hinc factam à ſe Relationem Candidianus in præſenti Edicto laudavit, atque ita ſperavit Epiſcopos à contraveniendo deterrere. Quo die emiſerit, non poſſim certò dicere: Forſitan altera die poſt factam Relationem. Quidquid ſit, hoc Edictum eſt ſequenti poſterius, ideoque fuerat & ipſi in Codice poſtponendum. Sequens enim fuit emiſſum altera die poſt Synodum.

CA.

## CAPUT XI.

### Item Edictum Magnificentiſſimi Comitis ad Synodum.

*Flavius Candidianus, Magnificus & Glorioſiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum, ad confuſionem perturbationemque totius Civitatis intendens.*

NOn mediocri ſtupore detentus ſum. Nimis namque rationi contrarium eſt propter ea, quæ heſterno die ſunt acta, cujuslibet animum non permoveri. Nec enim quemlibet Reverendiſſimorum Epiſcoporum neſcire arbitratur Devotio mea, quoniam nec ſemel, nec ſecundo ſolùm, ſed etiam ſæpiùs juxta ea, quæ à Divino & inviolabili Vertice ſunt præcepta, cunctis manifeſtum feci, quod oporteret omnibus ſimul Reverendiſſimis Epiſcopis convenientibus pariter de piæ & orthodoxæ fidei acribia diſcuti quæſtionem. Unde etiam Scripto ac ſine Scriptis apud eos, quos oportebat, aſſerui, ne quis particularem Synodum faceret: Neque verò cum eo aliquis conveniret, ſi quis irrationabiliter agere aliquid tale præſumeret. Clarum namque eſt, quia quæ ex una parte ſunt geſta præter formam, quæ à Mundi Dominis data eſt, nec firma nec legitima putabuntur. Propter quod & nunc unumquemque admoneo, ut exſpectet per omnia Deo Amiciſſimi Antiocheni Epiſcopi Joannis adventum, & eorum qui venire pariter nunciati ſunt. Inſuper & illorum, qui ab Occidente, ut dicitur, aderunt. Impoſſibile eſt, ut aliquid eorum, quæ ex parte atque utcumque geruntur, ulla dignum ratione ducatus, eòquod & contra Dominorum Mundi Præcepta ſit factum.

### SCHOLION.

HOc Edictum Candidianus emiſit, dum affixam Neſtorii damnationem refixit, & ipſam vulgantes Præcones compeſcuit. Per illud declaravit damnationem eſſe irritum Attentatum, & vetuit deinceps ſimilia à Synodo attentari. Emiſit die vigeſima tertia Junii, altera poſt Synodalem Actionem.

## CAPUT XII. —95

### *Incipiunt ſecunda Commenta Synodi, quæ cum Joanne Antiocheno Epiſcopo convenit in Epheſo.*

SAnctiſſimus Joannes, præſente Sancta Synodo, & Magnificentiſſimo & Glorioſiſſimo Comite Candidiano, dixit:

Sabbatho meridie, dum jam adveſperaſceret, agnoſcentes quoniam qui omnia iniquè & illicitè faciunt, volunt & nunc, propria utentes temeritate ac pertinacia, Miſſarum celebrare Collectam, rogavimus Magnificentiam tuam, dantes in Scripto petitionem, ut tranſires uſque ad eos, & conteſtareris, ne calcarent Eccleſiaſticas Sanctiones, & pia Decreta, neque Collectam celebrarent Viri, quorum juſtè quidem quidam depoſiti, alii verò communione privati ſunt propter hæreticam veſaniam, & inexplicabiles tumultus illicitos, piarumque Sanctionum contemptum. Rogamus ergò Magnificentiam veſtram, ut certum Sanctæ Synodo faciatis, ſi hæc ipſa verè illis Magnificentia veſtra innotuit.

Magnificentiſſimus Comes Candidianus dixit: Poſtquàm petitionem à veſtra Religioſitate ſuſcepi, nihil omninò monui, quia nec ratio erat. Sed quia ad Reverendiſſimos Cyrillum Epiſcopum & Memnonem, & reliquos iter direxi, & illic apud eos plurimos reperi congregatos, & rogavi, ne Miſſas per ſe ipſi tenerent. Quia & in præcedentibus diebus, etiam priùſquam venirem, & Sanctam Pentecoſten & reliquas Collectas uſque ad hanc Dominicam celebrare noluerunt, ſed reverà Clerici officium compleverunt. Rogavi etiam ut ſuſtinerent de his, quæ egerunt, Reſponſa Piiſſimorum Principum, Dominorumque veſtrorum. Ego autem neutram partem volo celebrare Collectam, ne fortè aliquod ſchiſma Sanctæ atque Orthodoxæ generetur Eccleſiæ.

Sancta Synodus dixit: Rogamus adhuc & hæc addiſcere à Magnificentia veſtra, utrum depoſitionem Cyrilli & Memnonis, & reliquorum excommunicationem; quam & per petitiones edocuimus Magnificentiam veſtram, prædicti cognoverint, quam publicè ob hoc ipſum per omnem propoſuimus Civitatem, ut manifeſta hæc omnibus, qui cum ipſis ſunt, Epiſcopis fieret?

Magnificentiſſimus Comes Candidianus dixit: Si de aliqua vili cauſa proponeret Sancta Religioſitas veſtra, & hoc quoque notum fieri poſſet. Quantò magis virorum depoſitio præfatorum, quæ tantopere publicata eſt, & per totam propoſita Civitatem? Hoc ipſum namque Civitas commurmurat univerſa. Et magna eam multitudo transſcripſit. Inſuper & me rogante, ut Dominico die Miſſæ non fierent ab eis, reverà

Memnon hujus Civitatis Epiſcopus coram omnibus dixit: Quia quantum cognovi, & depoſuit nos Sanctiſſimus Epiſcopus Joannes, cum Synodo quæ cum eo eſt. Quì non dicam contra hanc Synodum prævalere quodcumque non potuit, crede quia nec ſoli mihi ſine Synodo poterat prævalere. Qui ergo iſta dixit, quomodò depoſitionem ſuam neſcire potuerit, me interrogari ſuperfluum eſt.

Sancta Synodus dixit: Quæſumus ut diſcamus à Magnificentia veſtra, ſi obedierint conſiliis vel denunciationibus veſtris, & minimè collegerint?

Magnificentiſſimus Comes Candidianus dixit: Ego in ipſo ſabbatho ad veſperam rogavi, & ſequenti die valdè diluculo vadens ad Reverendiſſimum Epiſcopum Cyrillum, id eſt, Dominico die, non ceſſavi rogare atque precari, ut meæ poſtulationi concederet. Illi verò non acquieſcentes exierunt, Collectamque fecerunt. Contra quos contendere ultra non valui.

Sancta Synodus dixit: Manifeſta ſunt, quæ audaciter & illicitè ab eis conſuetè ſunt facta, quæ in tempore competenti ad pios & Chriſti Amicos perferemus auditus.

## SCHOLION.

SYnodalis in Neſtorium Actio fuit habita feria ſecunda hebdomadæ, Joannes autem Antiochenus advenit feria ſexta, eademque die peregit ſuum conventiculum: Cyrillum & Memnonem communione & gradu, reliquos autem S. Synodi Epiſcopos ſola Communione exuit, aut potiùs tentavit exuere. Etenim quartæ Synodalis Actionis ad Principes Relatio habet: *Joannes in ipſa die, qua in Epheſiorum civitatem ingreſſus eſt, Cyrillum & Memnonem depoſitionis ſententia contumelioſè petiit*. Et quintæ Actionis ad Sanctum Papam Celeſtinum Relatio; *Joannes, ſimulatque Epheſum ingreſſus eſt, antequam pulverem ex itinere contractum excuſſiſſet, antequam ſe veſte exuiſſet, rem auſus eſt impiam. Etenim privatum Scriptum quoddam confecit, depoſitioniſque nomen & contumeliam impegit Sanctiſſimo Cyrillo, & Pientiſſimo Memnoni. Excommunicationis nomine etiam univerſæ Synodo contumeliam fecit*. Inſuper *hæc Scripta etiam publico mandata depoſuit legenda quibuslibet, Theatri parietibus affigens, ut ſuæ impietatis ſpectaculum exhiberet*. An hæc affixio & publicatio ſit eodem, an ſequenti die facta, non velim conſtans affirmare. Quidquid ſit, Joannes ſequenti die, Sabbatho, circa veſperam intellexit à Cyrillo, Memnone, ac aliis Epiſcopis parari omnia ad ſolemnem die ſequenti Collectam celebrandam: Etiam ſolemne Sacrificium. Hæſit an fortè ignorarent latam in ſe ſententiam, an verò ipſam contemnerent, ideoque vellent facinori addere facinus, attentatæ in Neſtorium damnationi prævaricationem quarti Antiocheni canonis. Hinc advocavit Candidianum Comitem, rogavit ab ipſo accedi Cyrillum ac alios Epiſcopos, eis inſinuari ſententiam, urgeri ad obediendum, ac deterreri à prævaricatione Eccleſiaſticarum ſanctionum. Et hanc petitionem dedit Comiti in Scriptis.

In præſenti igitur Actione Comes facit ſuorum Actorum relationem, rogatus à Joanne & ejus Aſſeclis. Refert varia. Primò, quod Cyrillum, Memnonem, alioſque Epiſcopos de lata in ipſos ſententia non monuerit, ſeu quod ipſe ſententiam non inſinuaverit: Eò quod nulla eſſet neceſſitas, nulla ratio. Etenim ſententia nec erat, nec eſſe poterat eis ignota: Utpotè ſolemniter publicata, expoſita oculis totius civitatis, lecta ab omnibus, & à plurimis deſcripta. Undè & Memnon candidè profeſſus fuit ipſam ſibi eſſe notiſſimam. Deindè Candidianus retulit, quod ipſos ad abſtinendum à ſolemni Collecta ac Sacrificio fuerit hortatus, & inter plures cauſas adduxerit hanc: *Quia in præcedentibus diebus, etiam priuſquam venirem, & Sanctam Pentecoſten & reliquas Collectas uſque ad hanc Dominicam celebrare noluerunt, ſed revera Clerici officium compleverunt*. Quæ poſteriora verba poſſint habere duplicem ſenſum. Primò hunc: Cyrillus & alii Epiſcopi uſque tunc nulla celebrarunt Divina officia, ſed coram ipſis celebrarunt eorum Clerici. Secundus ſenſus eſt: Huc uſque celebrarunt non ut Epiſcopi, ſed duntaxat ut Clerici. Et hic omninò videtur eſſe legitimus.

Proinde oritur quæſtio, Quare Cyrillus & alii Epiſcopi uſque tunc adeò humiliter egerint? Reſpondeo ita egiſſe propter Apoſtolicum Canonem, ex quo Innocentius primus Florentium Tiburtinum Epiſcopum graviter arguit, quod in Feliciensi Eccleſia, ad Urſi Nomentani Epiſcopi Parochiam pertinente, Divina celebraſſet *Myſteria, inconſulto eodem ac neſciente*. Et adjungit: *Quod ſi verum eſt, non leviter te culpam incurriſſe cognoſcas*. Ex eadem regula ſtatuit prima Arelatenſis Synodus: *De Epiſcopis peregrinis, qui in urbem ſolent venire, placuit eis locum dare ut offerant*. Vult eos à loci Epiſcopo fraternè invitari ad honorem ſolemnis Sacrificii ac verbi. Quod nempe ſine tali gratioſo invitatu nec celebrare poſſint, ſolemniter. Obligabantur ſe gerere ut Clerici: Ut ſimplices Presbyteri celebrare. Eſt Apoſtolicus Canon, ex quo Sanctus Paulus dixit ad Aſiæ Epiſcopos: *Attendite univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. At verò inter regiminis & Paſturæ characteres eſt omninò Populi Collecta, ſeu ſolemne Sacrificium. Porrò Sanctus Cyrillus & cuncti ejus Epheſum evocati Collegæ uſque ad apertam Synodum erant Epiſcopi advenæ, ideoque ſe exhibere cogebantur ut Clericos, non uti Epiſcopos. Etiam in Feſto Pentecoſtes. Synodi Apertura eis dabat plenum Epiſcopalis auctoritatis exercitium, ideoque habent Acta Synodalia: *Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Homilia, Epheſi dicta, cum Synaxes peragerentur, depoſito Neſtorio*. Etiam Rheginus Conſtantienſis Epiſcopus, Cypriorum Metropolita, tunc ſolemniter dixit ad Synodum. Neſtorianæ cauſæ diſcuſſio duravit à prima luce

uſque

Digitized by Google

uſque ad noctem: Ea peracta Patres obtulerunt ſolemne Sacrificium. Quod etiam manè antè examinis ingreſſum obtulerint, non eſt dubitandum. Comes ergo Candidianus Cyrillum ac ejus Collegas rogavit, ut illam modeſtiam, in qua uſque ad ſua in Neſtorium Acta, etiam in ipſa Pentecoſtes ſolemnitate perſtiterant, continuarent uſque ad Reſcripta Principis: *Ut Synodum haberent pro necdum aperta*.

Verùm hæc ratio non militabat in Memnone, reſidente in propria civitate & Cathedra. Hinc Candidianus eſt ipſum ſingulariter aggreſſus, latam à Joanne Patriarcha ſententiam ei intimavit, & hortatus eſt obedire. Hinc & ille repoſuit: *Quia quantum cognovi, depoſuit nos Sanctiſſimus Joannes cum Synodo, quæ cum ipſo eſt. Qui non dicam contra hanc Synodum prævalere quodcumque non potuit, crede quia nec ſoli mihi ſine Synodo poterat prævalere*. Admiratur Joannis audaciam, qui in plenam Synodum præſumpſerit tale facinus. Hoc ſenſu: *Joannes nec me ſolum damnare poſſit. Ego enim ſum Aſiaticus Epiſcopus, & quidem totius Diœceſeos Autocephalus Exarchus, ideoque Antiochiæ Patriarcha nihil in me, juxta ſextum Nicænum Canonem, habet penitus poteſtatis. Quomodo igitur habeat in univerſalem Synodum?* Memnon excepit de nullitate ſententiæ: Dixit ipſam eſſe non Synodale judicium, ſed hoſtile convitium, ideoque ipſi nullatenus deferendum.

Candidianus ad permovendum Cyrillum adduxit & aliam rationem: *Ego autem neutram partem volo celebrare Collectam, ne fortè aliquod ſchiſma Sanctæ atque Orthodoxæ generetur Eccleſiæ*. Utique uſque ad Reſcriptum Principis. Voluit utriuſque partis Acta manere ſuſpenſa: Suſpenſam omnem Synodum. Omnes iſtic utriuſque partis Epiſcopos degere ut advenas, & fungi ſolo Clerici officio, ac ſi Synodus necdum eſſet aperta. Quantò impetu Comes iſtud poſtulaverit, edicunt hæc ejus verba: *Ego in ipſo Sabbatho ad veſperam rogavi, & ſequenti die valde diluculo vadens ad reverendiſſimum Epiſcopum Cyrillum, ideſt, die Dominico, non ceſſavi rogare atque precari, ut meæ poſtulationi concederet. Illi verò non acquieſcentes exierunt, Collectamque fecerunt. Contra quos contendere ultra non valui*. Ex quibus patet, quod Joannes Sabbatho ad veſperam, proximo die poſt ſuum adventum & attentatam ſententiam, vigeſimo ſeptimo Junii, Candidianum advocaverit, & has ad ipſum fecerit preces. Et quod Candidianus ſtatim fuerit ipſis obſecutus. Sententia fuerat matutino ejuſdem diei tempore promulgata, ideoque Joannes dubitabat, an forſitan ad Cyrilli & Collegarum aures perveniſſet. Quo die facta fuerit hæc Relatio, non conſtat. Haud dubiè facta fuit ſtatim poſt diem Dominicum. Forſitan feria ſecunda. Niſi Principum Apoſtolorum feſtivitas diſtulerit in feriam tertiam.

Quidquid ſit, audita Relatione Joannes concluſit Cyrillum cum ſuis Aſſeclis denuò prævaricatum: Deliquiſſe in quartum canonem Antiochenum, ideoque eſſe obfirmatum in ſua degradatione, exutum omni ſpe recuperandi honoris. Et minatus eſt referre ad Principes. Nec dubitandum, quin minas expleverit. Haud dubiè idem fecit Candidianus. Et ex hujus forſan relatione Joannes ſacrarum Largitionum Comes didicit modum, quo & ipſe ambas partes, donec in gratiam redirent, voluit à Collectis ac aliis Divinis Miniſteriis ſuſpendere. Quidquid ſit, utraque Relatio periit aut latet. Interim in Synodalibus Actis eſt frequens hujus rei mentio. Etenim Sancta Synodus ſcripſit Joannis Attentatum fuiſſe incompetens, infirmum, puerile judicium, dicacitatem, audaciam, temeritatem, convitium, contumeliam, ideoque ipſi in nullo fuiſſe deferendum. At verò Joannis Antiocheni factio pertinaciſſimè ſuſtinuit, omnemque Synodum clamavit prolapſam in prævaricationem quarti Antiocheni canonis.

---

## CAPUT XIII.

*Dominis Reverendis, & Honorandis Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis, & Amico Chriſti Populo in Hierapoli Euphrateſiæ, Sancta Synodus Orientalium, & eorum qui ex diverſis Regionibus atque Provinciis per gratiam Dei in Epheſum convenerunt, in Domino gaudere.*

QUoniam conſequens videtur exiſtere, quod hi, qui ſurſum univerſa fecerunt ad peremptionem rectæ fidei, & confuſione ac perturbationibus atque iniquitatibus res Eccleſiaſticas compleverunt, ſalutem propriam deſperantes, dirigat ad vos, ut etiam veſtram Reverentiam perturbent illicitis & iniquis litteris ſuis, idcirco agnoſcite, quod aliqui eorum propter hæreticam Cyrilli ſententiam, quam confirmare præſumpſerunt ſubſcriptionibus ſuis, & propter alias perverſitates ſuas depoſiti ſint, reliqui verò univerſi excommunicationis nodo ſuppoſiti, & nullam vim Sacerdotii retinent ad ligandum ſive ſolvendum, vel aliquid aliud ad Sacerdotes quod pertinet operandum. Non igitur perturbet Reverentiam veſtram, ſi quæ ab eis litteræ dirigantur. Infirma enim ſunt, & araneis debiliora, quæ à Depoſitis atque Excommunicatis fiunt. Oportet verò Religioſitatem veſtram, ſcientem quoniam de nulla re tantopere cogitamus, quantum de pia fide, quam prædicti tentaverunt ſuis vocum novitatibus amovere, non ſolùm pro nobis oretis, ſed & fortiter voto animi propugnetis, ut Communicatores efficiamini pro pietate ſudantium, & laborum retributiones

hujus

hujus mundi reportetis ab omnium Deo. Pro rectis autem Dogmatibus æſtuamus, pro quibus Divinus Apoſtolorum Chorus pium ſanguinem ſudit, pro quibus Martyres temporum ſingulorum omni modo in ſuis corporibus excepere tormenta, & varias mortis ſpecies ſuſtulerunt; quæ Sanctorum Patrum, qui Nicæam ſunt collecti, Concilium ſcripta Confeſſione confirmans, uſque ad nos, & eos qui poſt nos erunt, homines deſtinavit.

Epiſcopus Antiochiæ incolumes vos in Domino perſiſtere oro, Reverendiſſimi atque fideliſſimi.

Joannes Epiſcopus Damaſci Metropolitanus ſimiliter.

Tranquillinus Epiſcopus Antiochiæ Piſidiæ Metropolitanus.

Alexander Epiſcopus Amaſeæ Metropolitanus.

Fritilas Epiſcopus Heracleæ Metropolitanus.

Dexianus Epiſcopus Seleuciæ Metropolitanus.

Cyrus Epiſcopus Tyri Metropolitanus.

Himerius Epiſcopus Nicomediæ Metropolitanus.

Helladius Epiſcopus Tharſi Metropolitanus.

Antiochus Epiſcopus Boſtrorum Metropolitanus.

Alexander Epiſcopus Hierapolitanus,

Julianus Epiſcopus Sardicæ Metropolitanus.

Maximinianus Epiſcopus Anazarbi Metropolitanus.

Petrus Epiſcopus Trajanopolis Metropolitanus.

Entherius Epiſcopus Thyanorum Metropolitanus.

Baſilius Epiſcopus Lariſſæ Theſſaliæ Metropolitanus.

Rabbulas Epiſcopus Edeſſæ Metropolitanus.

Aſterius Epiſcopus Amidæ Metropolitanus.

Boſſorus Epiſcopus Gangrorum Metropolitanus.

Paulus Epiſcopus Emeſæ.

Dorotheus Epiſcopus Marcianopolis Metropolitanus.

Macarius Epiſcopus Laodiceæ.

Geruntius Epiſcopus Claudiopolitanus,

Muſæus Epiſcopus Aradiæ.

Poliehronius Epiſcopus Epiphaniæ.

Heſychius Epiſcopus Caſtabalorum.

Flaccus Epiſcopus Laodiceæ.

Theophanius Epiſcopus Philadelphiæ.

Theodoretus Epiſcopus Cyri.

Valentinus Epiſcopus Malli.

Jacobus Epiſcopus Doroſtoli.

Jarianus Epiſcopus Auguſtæ.

Olympius Epiſcopus Carpaſiæ.

Aurelius Epiſcopus Irenopolis.

Heliades Epiſcopus Zeugmatis.

Meletius Epiſcopus Neo-Cæſareæ,

Marcellus Epiſcopus Arcæ.

Anaſtaſius Epiſcopus Tenedi.

Marcianus Epiſcopus Abydi.

Theoſebius Epiſcopus *Cy*. Nor. legit Cii.

Euſtaſius Epiſcopus Notinæ,

Daniel Epiſcopus Fauſtinopoleos.

Helladius Epiſcopus Ptolomaidis.

Auſonius Epiſcopus Himeriæ.

Diogenes Epiſcopus Lonopolis.

Cyrillus Epiſcopus Adanorum.

Cyrus Epiſcopus Marcopolis.

Julianus Epiſcopus Lariſſæ.

Evagrius Epiſcopus Balentiæ.

Zoſis Epiſcopus Heſbuntis.

Petronius Epiſcopus Neuvæ.

Saluſtius Epiſcopus *Cortici*. Nor. legit Coryci.

Maximus Epiſcopus Demetriadis.

## SCHOLION.

HAnc Epiſtolam crediderim fuiſſe Encyclicam: miſſam ad omnes Orientalis Diœceſeos Metropoles & civitates. Joannis factio timuit ſimiles de damnato Neſtorio litteras à Synodo tranſmittendas, ideoque duxit ipſam præveniendam, atque ita ab ea divertendum populum. Et fecit non ſine fructu. Quam enim quædam in iſta Diœceſi civitates adversùs Synodum contumaces fuerint, infra docebimur. Singularis & horrenda fuit duritia Hierapulitanæ civitatis, Metropolis in Euphrateſia Provincia. Ejus Epiſcopus Alexander, vir ſenex & doctus, nullis precibus aut conſiliis voluit acquieſcere: Perpetuum in metalla deportari maluit, quam Synodum agnoſcere. Ejus populus, dum ſe à Principe cogendum vidit ad obediendum Synodo, minatus eſt ſemetipſum violentis manibus invadere. Hac forſitan de cauſa Acæmetenſis Codicis Compilator hanc Encyclicam Epiſtolam inſcripſit ſoli iſtius civitatis Clero ac Populo. Porrò Epiſtola Synodum arguit non de præcipitatione ſententiæ, non de prævento Joannis Patriarchæ adventu, nec de prævaricatione Divalis Sacræ, ſed dumtaxat de prævaricatione Nicæni Symboli per comprobata & confirmata Sancti Cyrilli duodecim Capitula, quæ omnis iſta factio pertinaciſſimè cenſuit fœtere ex Ario, Apollinario, atque Eunomio. Pertinaciſſimè cenſuit per Synodum fuiſſe authenticè probata ac ſtabilita. Hæc fuit palmaris cauſa, ex qua Sanctum Cyrillum, uti Hæreſiarcham, irreparabiliter degradavit, & omnem Synodum, uti ejus comprobatricem, exuit Chriſtiana communione. Hinc Patriarcha Joannes frequenter, etiam coram ipſo Principe, juravit Cyrillum, etiamſi ex animo pœnitentem, nunquam à ſe reddendum Epiſcopali honori. Hæc ſunt verba factioſæ ſententiæ: *Quoniam vos heretico ſenſu ac mente uſi, temeritate & confuſione privatum inter vos Conſeſſum celebraſtis, omnique turbarum genere civitatem & Sanctam hanc Synodum impleviſtis, ne videlicet in Capita, quæ cum Apollinarii, & Eunomii, atque Arii impietate ac perverſa doctrina congruunt, inquireretur, ideo tu Cyrille Alexandrine, & tu Memnon hujus civitatis Epiſcope, ſcitote vos depoſitos, & ab Epiſcopatu alienos. At verò reliqui omnes anathemati ſubjacete, donec Capita heretica,*

*hæretica, à Cyrillo Alexandrino expoſita, anathematizetis*. Hanc Synodalem Capitulorum confirmationem factio & in litteris & in Actis non deſiit vociferari.

Et hinc quæſtio eſt, An Synodus revera probaverit Capitula? Videntur fuiſſe probata. Etenim poſt lectam & probatam ſecundam Sancti Cyrilli ad Neſtorium Epiſtolam, poſt item lectas & probatas litteras, quibus Celeſtinus Pontifex Neſtorii doctrinam ac perſonam damnavit, Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, & Synodalium Notariorum Primicerius dixit ad Synodum: *His quæ modò audiviſtis, Sanctitas quoque Epiſcopi noſtri Cyrilli conſona ſcripſit, quæ & præ manibus habemus, & ſi Pietas veſtra juſſerit, recitabimus*. Et Flavianus Philippenſis Epiſcopus, primæ Macedoniæ Metropolita, ac Rufi Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopi Vicarius repoſuit: *Legantur hæc quoque, & in Actorum Commentarios referantur*. Et præfatus Notarius legit totam tertiam, quæ eſt duodecim Capitulorum, Sancti Cyrilli Epiſtolam. Et fuit comprobata. Fuit enim relata in Actorum Commentarios. Et huc reſpicit Sanctus Cyrillus in Apologetico libro ad Imperatorem Theodoſium. Etenim illic de Joannis Antiocheni in ſua Capitula impotenti furore graviter queritur, atque adjungit: *Fidei namque meæ rectitudini teſtimonium perhibuit & Romana Eccleſia, & Sancta quoque Synodus ex univerſo Orbe congregata. Quod enim nulla ex parte ab Evangelica & Apoſtolica traditione aberraverim, immò quod rectam, minimèque obliquam Sacrorum dogmatum ſemitam teneam, & poſteaquam Epiſtolas, quas ad Neſtorium perſcripſeram, legiſſent communi ſententia confeſſi ſunt omnes: Et quidem Scripto in ipſa fide monimentorum, rerumque geſtarum*. Palam affirmat ſuam Capitulorum Epiſtolam fuiſſe & à Romana Eccleſia, & ab omni Epheſina Synodo comprobatam. Et in hoc Codice exſtat Epiphanii, Alexandrinæ Eccleſiæ Archi-Diaconi, & Sancto Cyrillo Syncelli, ad Maximianum Conſtantinopolitanum Antiſtitem Epiſtola, conſtanter hæc habens: *Dum priùs Orientales & expeterent, ut Capitula, quæ Sanctiſſimus Frater noſter Cyrillus expoſuit, hæc ipſa anathematizans idem extra Eccleſiam Catholicam faceret, in hoc idem Dominus meus Sanctiſſimus Pater Cyrillus recertabat, atque dicebat, quod Sancta & magna Synodus agnoſcens, quorum veritatem ſancivit, ea rectæ & ſanæ fidei eſſe, & Joannem cum reliquis ſegregationi ſubjecit. Et quomodo, inquit, ego cum eis faciam pacem, & evertam Synodale Judicium?* Poſſet legi: *Synodus agnoſcens eorum veritatem, ſancivit ea rectæ fidei eſſe*. Quidquid ſit Cyrillus apud Orientales conſtanter aſſeruit ſua Capitula omninò fuiſſe confirmata Epheſi, & ſe ab iſto Synodali judicio non poſſe recedere. Hoc ex ejus ore ſcripſit Epiphanius.

Hoc ipſum affirmat in Synodicis ſuis ad Imperatorem Leonem litteris Joannes Sebaſtenſis Epiſcopus, Metropolita primæ Armeniæ: *Celeſtini & Cyrilli Epiſtolæ, adversùs impium Neſtorium ad Orientales univerſos datæ, & ab eodem Cyrillo contra eundem Neſtorium Anathemata propoſita ſunt firmata atque roborata*. Utique Epheſi. Et in Breviario Liberatus Diaconus: *Joannes Antiochenus, cognoſcens quæ geſta fuerant Epheſi in damnatione Neſtorii, & illa duodecim capitula Cyrilli in ipſo Concilio ſuſcepta & confirmata, indignabatur valdè contra Cyrillum*. Et habemus teſtimonium adhuc longe firmius. Etenim in Decreto, quo ſuos Cardinales Diaconos Ruſticum ac Sebaſtianum degradavit, Vigilius Pontifex poſuit: *Synodicam beatæ recordationis Cyrilli Epiſtolam ad Neſtorium cum duodecim Capitulis Sancta Synodus Epheſina prima ſuſcepit, & beata Chalcedonenſis Synodus ad convincendas Neſtorii veſanias in definitione fidei legitur poſuiſſe*. Et Gregorius ſecundus Pontifex in profeſſione fidei, quam tranſmiſit ad Sanctum Germanum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, hæc habet: *Hunc utique nonum Sancti Cyrilli Anathematiſmum cum reliquis omnibus anathematiſmis recepit tertia Sancta ac Œcumenica Synodus, quo ſenſu Sanctus ediderat. Manifeſtum enim eſt, Sanctos PP. in dicta Sancta Synodo congregatos totam tertiam dicti Patris Epiſtolam, adversùs impium Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcriptam, abſque ulla retractationis hæſitatione ſuſcepiſſe. Scimus autem extremam dictæ Epiſtolæ partem dictos duodecim Anathematiſmos continere*. Et unica cauſa, ex qua Domnum Antiochenum, Ibam Edeſſenum, ac Theodoretum Cyrenſem Epiſcopum damnavit Epheſinum Latrocinium, fuit in Epheſinum Concilium per Capitulorum impugnationem contumacia ac prævaricatio; Quod nempe probatis per iſtam Synodum Capitulis pertinaciter reſtitiſſent. Et in Conſtantinopolitana Collatione conſtanter dixerunt Severiani Epiſcopi: *Duodecim Capitulorum, quæ inſerta eſt in Epheſi Sancto Concilio, Epiſtolam, quàm neque vos poteſtis denegare Synodicam eſſe, cur non recepit Chalcedonenſe Concilium?* Conſtanter affirmant Epiſtolam Epheſi non ſolummodo ſuſceptam, ſed inſuper eſſe Synodicam, ſeu ab omni Synodo confirmatam & canonizatam. Addunt eſſe rem adeò lucidam, ut nemo poſſit inficiari. Hinc Chalcedonenſem, quæ iſtud non comprobavit Judicium, Synodum averſantur. Loquuntur ex apologetico Sancti Cyrilli libro, à quo ſupra audivimus Epiſtolam fuiſſe firmatam in fide & Actis Synodalium monimentorum. Nec deſunt alia hujuſmodi teſtimonia.

Et quidem quod Celeſtinus Pontifex ac Romana Eccleſia comprobaverint Capitula, non eſt dubitandum. Etenim in opuſculo, quo blaſphema, Sancti Cyrilli Capitulis oppoſita, Neſtorii Capitula refutat, Marius Mercator præfatur: *Epiſcopi Cyrilli Capitula priora poſuimus, quæ Romana Eccleſia approbavit vero Judicio*. Hoc eſt, Synodali, maturo, irrefragabili. Et hocce judicium omninò laudat Sanctus Cyrillus in Apologetico libro ad Imperatorem Theodoſium. Omnis quæſtio eſt de Epheſino Concilio. Eam in Conſtantinopolitana collatione ſolvit Hypatius Epheſinus Epiſcopus, ſupra adducto Severianorum argumento reſpondens: *Si omnes formas ac definitiones fidei in Epheſo adversùs Neſtorium*

*rium facti Concilii ſuſcepit & confirmavit Chalcedonenſe Concilium, quemadmodum habuit hanc refellere? Sed quia adverſùs Neſtorii blaſphemias, quæ duas naturas in duas perſonas & duas ſubſiſtentias dividunt, unam perſonam & unam ſubſiſtentiam volebant definire, illa autem Epiſtola duarum ſubſiſtentiarum iniulit mentionem, proptereà propriè eam nominare diſtulerunt, ut non invenirentur aut illi aut ſibi eſſe contrarii, ſed magis illam alteram Epiſtolam ejus præpoſuerunt, quæ ſuper conſenſu Nicæni Symboli laudata eſt.* Affirmat Epiſtolam, oti non Chalcedone, ita nec Epheſi fuiſſe Synodaliter ſuſceptam, ideoque non eſſe Synodicam. Hinn & infra dicit; *Nos ea quæ Synodicis Sancti Cyrilli Epiſtolis continentur, ſuſcepimus; quæ autem non conſentiunt, neque damnamus, neque velut legem Eccleſiaſticam ſequimur. Synodicas autem ejus dico Epiſtolas, quæ à Sanctis Conciliis & ſuſceptæ, & confirmatæ ſunt.* Addit ſolas duas eſſe tales: Nempe ſecundam ad Neſtorinm, & Pacis Epiſtolam, ſcriptam ad Orientales Epiſcopos. Solam primam Epheſina, utramque admiſit Chalcedonenſis Synodus. Nam in ſua adverſùs Eutychetem Synodo ſolas iſtas probavit Sanctus Flavianns. De duodecim Capitulorum Epiſtola nullam penitus fecit mentionem.

Sciendum eſt, quid & Severiani Epiſcopi, & cum ſuis Orthodoxis Collegis Hypatius intellexerint per Synodicam Epiſtolam. Nequaquam intellexerunt omnem illam, quæ per Synodum fuit lecta, laudata, & Actis inſerta. Intellexerunt ſolam iſtam, quæ poſt maturum examen fuit omnium Epiſcoporum ſuffragio comprobata, & ab omnibus ſubſcripta, atque ita recepta in Eccleſiaſticam legem, ſeu in immobilem fidei Canonem. Et hocce ab Epheſina Synodo beneficium accepit ſola ſecunda ad Neſtorium Epiſtola, de qua Hypatius: *Super conſenſu Nicæni Symboli laudata eſt.* Neſtorius ad iſtud Symbolum aſſiduè proclamaverat, affirmans ſuum dogma per omnia illi conforme, proindeque ex integro eſſe rectum. Hinc Epheſina Synodus iſtud ſibi ſtatuit in regulam. Ante omnia ſibi juſſit legi: Exinde ſecundam Sancti Cyrilli Epiſtolam. Et tunc idem Cyrillus eſt ſtatim interlocutus: *Audivit Sancta & magna hæc Synodus, quæ ad religioſiſſimum Epiſcopum Neſtorium ſcripſi, ea rectæ fidei congruere. Certè namque perſuaſum habeo, nullam me in partem ab Orthodoxæ fidei doctrina deflexiſſe, aut à Symbolo per Sanctam & magnam illam Synodum Nicææ olim congregatam tradito declinaſſe. Quare Sanctitatem veſtram rogatam cupio, ut coram exponat, rectène & inculpatè, Sanctoque illi Concilio convenienter hæc ſcripſerim, an ſecus.* Cyrillus agebat Romanæ Sedis Vicarium, ac Synodi Præſidem, ideoque hæc erat Prærogativa Apoſtolici ſuffragii. Etenim iſtam Epiſtolam Cœleſtinus Pontifex omnino viderat ac probarat. Et Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus ſtatim repoſuit: *Sacram fidei Symbolum, Nicææ quondam editum, & paulò ante hæc recitatum, & Sanctiſſimi Archi-epiſcopi Cyrilli Epiſtolam, cæteraque omnia à Sancta illa Synodo expoſita, per omnia ſibi conſentanea, ac inter ſe conſentientia comperio, quocirca piis his dogmatibus aſſentior & ſubſcribo.* Et ita fecerunt omnes alii Epiſcopi. Sic iſta Epiſtola evaſit Synodica, ac recepta eſt in Eccleſiaſticam legem, ſeu in immobilem Chriſtianæ fidei regulam. Quod ipſum in erudita cum Acephalis diſputatione largiter docet Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. Frequenter affirmat non tertiam, ſed ſolam ſecundam Epiſtolam fuiſſe Epheſi canonizatam, & dat rationem: *Epiſtola Sanctæ memoriæ Cyrilli ad Neſtorium, quam Epheſina Sancta & Univerſalis Synodus omnium Epiſcoporum interlocutionibus roboravit.* Adducit magnam partem ſecundæ Epiſtolæ, & ipſi dat iſtam Epigraphem. At verò tertia Epiſtola fuit quidem lecta & laudata, nequaquam tamen collata cum Nicæno Symbolo, nec omnium ſtabilita ſuffragiis & ſubſcriptionibus.

Etenim ad ipſam lectam Flavianus Philippenſis eſt interlocutus: *Theopemtas & Daniel, Religioſiſſimi Comminiſtri noſtri, qui præſentes adſunt, exponant an ejuſmodi Epiſtolas reddiderint.* Theopemtus Cabaſorum, Daniel erat Darnenſis Epiſcopus, à Sancto Cyrillo ac ejus Synodo Conſtantinopolim ablegati ad Celeſtini Decretum; & has ipſius expoſitorias ac executorias litteras tradendas Neſtorio in proprias manus. Conteſtati ſunt ſe tradidiſſe, & Theopemtos adjunxit: *Litteris acceptis Neſtorius conſtituit nobis, ut ſequenti die ſermonem cum ipſo haberemus. Abivimus ergo. At poſtero die reverſos non admiſit, neque etiam ſatisfecit litteris, ſed publicè pro concione eadem quæ ante, & his quoque deteriora dogmata propoſuit. Neque verò ſolùm ante redditas litteras hæc docebat, ſed multò pejora, poſtquam accepit, docuit, & uſque hodie docere non deſinit.* Horum verborum occaſione Fidus Joppenſis in Paleſtina Epiſcopus Synodum divertit ad diſputationem, quam in ipſa Epheſina civitate Neſtorius cum Theodoto Ancyræ Epiſcopo, primæ Galatiæ Metropolita, & cum Acacio Melitinæ Epiſcopo, Metropolita ſecundæ Armeniæ, blaſphemè habuerat, atque ita demonſtrare cœpit Neſtorium etiam poſt accepta Celeſtini Decreta non ſolùm Conſtantinopoli, ſed & in ipſa Epheſo blaterraſſe pejora, atque ita palam incidiſſe in latam à Celeſtino ſententiam. Hoc proſecuta eſt Synodus, & nullam deinceps fecit mentionem de duodecim Capitulis. Proinde quicumque dixerunt Epiſtolam Epheſi confirmatam, locuti ſunt de confirmatione per ſimplicem laudem, ac inſertionem in Acta. Interim erat non modica confirmatio. Etenim propter ipſam Joannes Antiochenus Epiſcopus præſumpſit omnem Synodum excommunicare.

Iſta omnia acta ſunt per Primatum Epiſcoporum induſtriam ac artem. Etenim uti confirmare, ita & improbare noluerunt Epiſtolam: Noluerunt Sanctum Cyrillum contriſtare, nec item contraire judicio Romanæ Eccleſiæ. Hinc ſe diverterunt ad alia. Haud dubiè non ſine cauſis. In ſuis ad Liberati Diaconi Breviarium Notis Joannes Garnerius adducit hanc: *Atqui lecta quidem eſt tertia Cyrilli ad Neſtorium Epiſtola cum ſuis Capitulis, at nullum fuit de ipſa Patrum judicium,*

*ſed*

Digitized by Google

*ſed de ſecunda ſola, quemadmodam conſtat tum ex Actis Concilii, tum ex Chalcedonenſi, tum ex quinta Synodo. Neque miram: Sola enim ſecunda habuit reſponſionem Neſtorii, cum qua poſſet conferri, ut Cyrillianæ Orthodoxia, Neſtorianæ Heterodoxia oſtenderetur.* Eſt ratio incompetens. Etenim tertia etiam Epiſtola omnino habuit Neſtorii reſponſionem. Et quidem ſimiliter per duodecim Capitula. Et ſecunda Epiſtola nequaquam cum Neſtorii Reſponſo, ſed cum Nicæno Symbolo fuit collata, & propter hanc, non propter iſtam collationem confirmata omnium Epiſcoporum ſuffragiis.

Veram igitur rationem ſupra nobis edixit Epheſinus Hypatius: *Epiſtola duarum ſubſiſtentiarum intulit mentionem, propterea eam propriè nominare diſtulerunt.* Vox, *Hypoſtaſis*, eſt æquivoca: Eam Patres quandoque pro natura aut ſubſtantia accipiunt, quandoque pro ſubſiſtentia aut perſona. Cyrillus in ſuis Capitulis accepit utroque modo. Tertium namque Capitulum affirmat inter Dominicas Hypoſtaſes non ſolam paris dignitatis aut poteſtatis conjunctionem, ſed naturalem interceſſiſſe unionem. Iſtam vocem palam accepit pro eſſentia. Et hoc in undecimo ſuo libro inſigniter oſtendit Facundus Hermianenſis Epiſcopus. Quod ipſum amplè demonſtrat in ſua cum Acephalis diſputatione Ruſticus Diaconus Romanæ Eccleſiæ. Hæc æqui-
Cap. 7. vocatio quibuſdam Epheſini Concilii Patribus non placuit. Nec ſine fundamento. Etenim ſignificatio, qua iſta vox perſonam importat, eſt apud Eccleſias omnino famoſior. Hinc iſtud tertium Capitulum poterat Neſtorii Sectatoribus eſſe petra offenſionis & ſcandali. Quod ipſo poſteà Maro Edeſſenus, Neſtorianæ Factionis magnus Dux, abuſus fuerit, teſtatur Sanctus Ana-
Cap. 23. ſtaſius Sinaita. Eodem abuſi ſunt Acephali, ex ipſo conati evincere, quod Chalcedonenſis Synodus, unicam in Domino Hypoſtaſim definiens, à Sancti Cyrilli doctrina diſceſſiſſet, adeoque eſſet prævaricatoria. Ita habes in laudata diſputatione Ruſtici, ad lucidè evertendam calumniam compulſi, in longum ſermonem. Hinc igitur Epheſini Patres cenſuerunt Epiſtolam prætereundam.

Porrò iſtis Capitulis nullus unquam intulit majorem injuriam, quam in Epheſino Latrocinio Dioſcorus. Ea enim laudavit hæretico Eutychetis ſpiritu: Aſſeruit ab eis prædicari unicam in Chriſto Domino naturam, atque ita Domni, Ibæ, ac Theodoreti, quos ob iſtud crimen degradavit, in ipſa contumelias ſtabilivit. Eximiè hoc demonſtrat in ſuo Conſtituto Vigilius Pontifex. Eadem de re ad Romulum Epiſcopum ſcribit Theodoretus. Lamentatur ſe ab iſto Latrocinio iniquè degradatum, oſtendit ante iſtud varios circa Capitula fuiſſe variè affectos, ac varia ſenſiſſe, & proſequitur: *Benignus autem Dominus timoris quoque occaſiones nunc penitus amputavit, nuper excitatam retegens impietatem, Evangeliorumque manifeſtam oſtendens veritatem. Nos verò, quamvis ora nobis tot eſſent quot capilli, benignum Dominum pro dignitate laudare non poſſumus, quod quæ à nobis prædicantur, ad eadem palam prædicanda vel repugnantiſſimos adegit. Audivimus enim ipſum etiam tuæ Pietatis Contubernalem, cum anathematiſmos in magnis urbibus editos cognoviſſet, ab obliquo cancrorum inceſſu deſtitiſſe, rectaque ingreſſum eſſe, cum de dogmatibus in conventu quodam diſſereret.* Unum è palmaribus Eutychianæ blaſphemiæ fundamentis erant Capitula. Hinc dum deliro Seni Aula faveret, & Epheſina propter ipſum Synodus appropinquaret, plures faverunt Capitulis: Paſſim ex metu. Et ipſe tandem Synodaliter, aut potiùs Latrocinaliter confirmavit Dioſcorus. In ſenſu Eutychiano. Et propter ipſa Sanctum Flavianum occidit, & plures innocentes degradavit Epiſcopos. At Sanctus Leo non ſolummodo circumduxit omnia, ſed & damnavit. Hinc pejus, quam unquam, olere cœperunt Capitula. Etiam apud ſuos antea Patronos. Opinabantur etiam ipſa eſſe proſcripta per tantum Pontificem. Et hoc mirum in modum perplacuit Theodoreto: Fuit ipſi non modicum inflictæ degradationis ac infamiæ ſolatium. Nam uſque ad mortem non deſiit impugnare Capitula.

Altera quæſtio eſt, An iſta Capitula fuerint confirmata per Synodum Chalcedonenſem? Quod ſecunda Sancti Cyrilli ad Neſtorium Epiſtola, item Pacificatoria ad Joannem Antiochenum ac ejus Orientales Collegas Epiſtola fuerint ſolemniter confirmatæ, eſt manifeſtum. Omnis quæſtio eſt de tertia duodecim Capitulorum Epiſtola. Et fuiſſe confirmatam, ſupra nobis dixit Vigilius Pontifex in Decreto, quo degradavit Ruſticum ac Sebaſtianum Diaconos. Dixit fuiſſe confirmatam in ipſa definitione Fidei. Et in quinta Synodo Thomas Diaconus ac Notarius legit adversùs famoſam Ibæ Edeſſeni Epiſtolam: *Chalcedonenſis Sancta Synodus Cyril-* Coll 6.
*lum Sanctæ memoriæ & Doctorem ſibi adſcribit, & ſuſcipit Synodicas ejus Epiſtolas, quarum uni duodecim Capitula ſuppoſita ſunt, in quibus Neſtorius condemnatus eſt.* Et iterum; *Chalcedonenſis Sancta Synodus Domnum Antiochiæ Epiſcopum, eò quod ſcripſit debere taceri duodecim Capitula Sanctæ memoriæ Cyrilli, & poſt mortem condemnavit.* Proinde omnino confirmavit Capitula. Quod ipſum in ſuo adversùs tria Chalcedonenſis Synodi Capitula Edicto ſcribit Imperator Juſtinianus. Et in litteris ad Eliam Aquilejenſem Metropolitam ac ejus Epiſcopos Pelagius ſecundus è Theodoreti adversùm Capitula ſcriptis quædam adducit, & adjungit: *Quis hæc plena omni impietate non videat? Aliquibus tamen conſtat, quod ſe poſtmodum ipſe correxit, qui in Sancta Chalcedonenſi Synodo Neſtorium anathematizare conſenſit. Quis non videat, quanta temeritate plenum ſit Theodoreti ſcripta ſuperbiendo defendere, quæ eundem ipſum conſtat, recta poſt profitendo, damnaſſe?* Affirmat Theodoretum Chalcedone ex Synodi mandato probaſſe Capitula, & ſua de ipſis Scripta anathematizaſſe. Quod Synodus mandare non potuit, niſi Synodicè probando Capitula. Quod ipſum non de ſolo Theodoreto, ſed etiam de Iba Edeſſeno affirmat in præfato Edicto

Im-

Imperator Juſtinianus. Et quinta Synodus confirmavit ejus Aſſertum. Etenim ad Edicti & adjunctarum Litterarum lectionem Patres repoſuerunt: *Chalcedonenſe Sacrum Concilium Theodoretum & Ibam graviter verbis inſectatum, non alia conditione in gratiam recepit, quam ut priùs damnarent ſua mala Scripta.*

Ad quæſtionem tamen reſpondeo negativè. Etenim poſt lectas & probatas priores Sancti Cyrilli Litteras Atticus Nicopolitanus Epiſcopus, veteris Epiri Metropolita, dixit ad Chalcedonenſem Synodum: *Quoniam nunc Domini noſtri, & Sanctiſſimi Patris, & Archi-Epiſcopi Leonis, adornantis Apoſtolicam Sedem, lecta eſt Epiſtola, oportet verò & beatæ memoriæ Cyrilli Epiſtolam* Actor 3. *ſcriptam ad Neſtorium, in qua hortatur eum conſentire duodecim Capitulis, & hanc dari nobis, ut in tempore diſceptationis parati inveniamur.* Dogmatica Sancti Leonis Epiſtola, quod aliqui ex Illyrico ac Palæſtina Epiſcopi de quibuſdam ejus articulis dubitarent, erat diſcutienda ac exponenda: Hinc Atticus rogavit adjungi & duodecim Capitulorum Epiſtolam, ad quam conferretur iſta, atque ita altera ex altera probaretur, & ambæ confirmarentur. Et Præfati dubitantes Epiſcopi clamaverunt: *Si jubetis dari nobis inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari.* Ambas ſimul Epiſtolas. Et magnificentiſſimi Judices repoſuerunt: *Differatur Audientia uſque ad quinque dies, ut inter hos convenias veſtra Sanctitas ad Sanctiſſimum Anatholium Archi-Epiſcopum, & communiter de fide tractetis, ut qui dubitant doceantur.* Et Epiſcoporum plurimi Sancto Leoni, adeoque & ejus Epiſtolæ acclamarunt, nullus autem Sancto Cyrillo. Etiam poſt elapſum iſtum terminum in quarta Actione Apoſtolici Legati & omnis Synodus ſolemniter profeſſi ſunt ſe credere cum Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolo, cum Sancti Leonis Epiſtola, *Et iis quæ in Epheſo ſub Beatiſſimo Cyrillo geſta ſunt ab univerſali & Sancto Concilio, quando maledictum Neſtorium condemnavit.* Palam firmant ſolam ſecundam Sancti Cyrilli Epiſtolam, de tertia aut ejus Capitulis nemo fecit mentionem. Hinc Nonnus Edeſſenus Epiſcopus, Oſrhoenæ provinciæ Metropolita, Alexander Sebaſtenſis in prima Cilicia Epiſcopus, aliique plures ſuo ſuffragio diſertè addiderunt: *Et Epiſtolæ Cyrilli in Epheſina Metropoli confirmatæ.* Quæ eſt ſola Secunda. Eadem de cauſa octava Actio Theodoretum, qui Capitula petulantiſſimè invaſerat etiam poſt factam pacem inter Ægyptum ac Orientem, in plenam Epiſcopalis gradus communionem recepit, & non compulit ad ullam palinodiam. Quod nempe iſta Capitula non eſſent admiſſa in Canonem. Nam & Sanctus Flavianus Conſtantinopolitanus Antiſtes in ſua adversùs Eutycheten Synodo probavit ſolam ſecundam Epiſtolam, ac Epiſtolam Pacis. Quin & illius poſt Anatholium & Chalcedonenſem Synodum Succeſſor Sanctus Gennadius hæc ſcripſit: *Væ mihi à malis. Heu, heu! Unde enim quis in præſenti ſumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri, & quantas blaſphemias audivi? Quis revera det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Adeò impotenter invadit Capitula, ut ejus Invectivas nolim ſcribere. Eas videre poſſis apud Facundum Lib. 2. c. 3. Hermianenſem Epiſcopum. Certè ſi vel Epheſina vel Chalcedonenſis Synodus Capitula admiſiſſent in canonem, iſtum Gennadium Eccleſia non veneraretur ut Sanctum, ſed averſaretur ut calumniatorem.

Et adducta in contrarium argumenta non evincunt. Omnis iſte error ab Imperatore Juſtiniano ducit originem. Hic ut Vigilium Papam ac latinos Epiſcopos ad tria Chalcedonenſis Synodi Capitula damnanda induceret, vulgare cœpit, & perſuadere ſtuduit Sancti Cyrilli Capitula fuiſſe probata Chalcedone, & tam Theodoretum, quam Ibam ſua de ipſis Acta & Scripta ibi abjuraſſe. Fuit circumventus à Theodoro Cæſarienſi apud Cappadoces Epiſcopo, ac ejus Symmyſtis. Quam fœdos illi ac ejus Edicto errores impreſſerint, lucet ex illis, quæ ſcripſit de Sancto Proterio Alexandrino Epiſcopo: Eum ſcripſit occiſum ante Martiani Imperium, ac Synodum Chalcedonenſem. Quod igitur hæc in ipſa fidei definitione ſolam ſecundam ad Neſtorium, nec non & Pacis Epiſtolam, non autem duodecim Capitula probaverit, eſt nimis manifeſtum. Interim Vigilii error eſt digniſſimus venia. Rationem ipſe dat in ſuo pro tribus Capitulis Conſtituto: *Quia Græcæ linguæ ſumus ignari, nunc per noſtros, qui ejuſdem linguæ videntur habere notitiam, Geſta Sancti Chalcedonenſis Concilii in Synodalibus Codicibus diligentiſſimè perquirentes,* &c. Eodem tempore ſcripſit in ſuo Breviario Li- Cap. 12. beratus Diaconus: *Quærenti pleniùs ſcire Latrocinia Dioſcori in ipſa Synodo perpetrata, prima Actio Synodi Chalcedonenſis, in qua nec nominandi ſecundi Epheſini Concilii recitata ſunt Acta, & Geſtis inſerta, legenti omnia, pleniſſimè innoteſcet. Nam nos iſta nuper Alexandriæ de Græco in Latinum tranſlata ſuſcepimus.* Quare Vigilius Chalcedonenſia Acta ſcrutari non potuit, ſed alienis oculis debuit credere, atque ita à trium Capitulorum Oſoribus fuit circumſcriptus. Et hæc eſt ratio, cur ejus Diaconus ac Nepos Ruſticus Acta iſta in Latinum tranſtulerit. Acceſſit & alia ratio: Quod nempe Alexandrina tranſlatio non eſſet fidelis, aut accurata. Ita non obſcurè colligitur ex ſubnotatione præfati Ruſtici: *Explicit prima cognitio Chalcedonenſis Concilii, quæ finita, emendata, & collata eſt anno Domini quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, duodecimo Calendas Aprilis, feria quarta, Indictione nona. Ruſticus per gratiam Dei Diaconus Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, contuli, annotavi, diſtinxi.*

Manu ſcriptus, primæ Actionis partem continens, Thuanæ apud Pariſios bibliothecæ Codex dicitur habere hanc ſubnotationem. *Explicuerunt quæ ante Geſta præmiſſa ſunt. Nunc incipiunt Geſta prima Concilii Chalcedonenſis. Ruſticus ex Latinis & Græcis exemplaribus, maximè Acæmetenſis Monaſterii, emendavi. Concilii Chalcedonenſis Actio prima in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti cœpit emendari Calendas martias decimo, indictione*

duo-

Digitized by Google

*duodecima*. Ex his addiſcimus plura. Primò, quod neque Alexandrina, neque Ruſticiana translatio fuerint omnium primæ. Etenim prima translatio fuit emendata & collata anno quinquageſimo ſexto quinti ſæculi. Proinde aliquot annis antea prodierat. Hæc fuit omnino illa, de qua ad Julianum Coenſem Epiſcopum ſcripſit
Epiſt. 86. c. 5. Sanctus Leo: *Geſtorum Synodalium, quæ omnibus diebus Concilii in Chalcedonenſi civitate confecta ſunt, parum clara propter linguæ diverſitatem apud nos habetur inſtructio. Et ideò Fraternitati tuæ ſpecialiter injungo, ut in unum Codicem universa facias congregari, in latinum ſcilicet ſermonem abſolutiſſima interpretatione translata: Ut in nulla parte Actionum dubitare poſſimus, neque ullo modo eſſe poſſit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit ſtudente perductum.* Scripta hæc ſunt Conſulatu Opilionis, iſtius Sæculi anno quinquageſimo tertio, menſe Martio, ideoque non niſi ad anni finem expleri per Julianum potuit iſta translatio. Et de ejus expletione non eſt dubitandum. Secundò diſcimus, quod imperfecta manſerit, aut potius quod ſtatim per Eutychianos fuerit vitiata, ideoque tertio poſt anno debuerit reviſi, conferri, emendari. Tertiò, quod iſta translatio nunquam advenerit Romam, aut ad alias latinas Eccleſias. Alioquin quomodo ipſam Vigilius ac Liberatus ignoraſſent? Julianus eam confecit Conſtantinopoli, & illic permanſit, impoſita bibliothecæ Acæmetenſis Monaſterii. Quartò addiſcimus, Quod ſola prima actionis translatio videatur fuiſſe vitiata. Hæc enim ſola videtur fuiſſe reviſa ac emendata. Quintò diſcimus quod ſimilis iſti Actioni corruptio obvenerit tempore Juſtiniani, agitantis tria Capitula. Hinc enim apud Alexandriam prodiit nova iſtius Actionis translatio. Sextò, quod nec iſta omnibus placuerit, ideoque Ruſticus cœperit antiquam Juliani translationem quærere. Et ipſam tandem reperit apud Acæmetenſes. Eandem contulit, annotavit, diſtinxit. Septimò quod Ruſticus tunc eſſet ſolutus à degradationis elogio, & redditus in gratiam Vigilii. Etenim hæc correctio omnino videtur facta poſt emiſſum Papale Conſtitutum, quod eſt iſta degradatione poſterius. Et in iſta correctione Ruſticus ſe ſcribit Diaconum Romanæ Eccleſiæ. Hinc octavò diſcimus, quod hanc correctionem fecerit in Pontificis gratiam: Ad ipſum deinceps præſervandum à ſimilibus Græcorum circumſcriptionibus. Eundem in finem, eodemque tempore ſcripſit ſuam diſputationem contra Acephalos: Et in ipſa conſtanter docet ſolam Secundam, non autem Tertiam Sancti Cyrilli Epiſtolam fuiſſe Epheſi & Chalcedone Synodaliter comprobatam. Proindè Ruſticus non eſt primus translator, ſed dumtaxat antiquæ translationis collector & traductor per omnem Eccleſiam. An & quare ſolam Primam Actionem traduxerit, ignoro. Redeamus ad oppoſita nobis argumenta. Etiam falſum eſt, quod Chalcedonenſis Synodus Domnum Antiochenum ob impugnata Sancti Cyrilli Capitula damnaverit. Ipſum enim ob iſtam cauſam, uti etiam Ibam ac Theodoretum, damnavit Epheſinum Latrocinium. At Domnus patravit iſtic aliud facinus. Conſenſit, ſuffragatus eſt, & ſubſcripſit in damnationem Sancti Flaviani. Se Dioſcoro, ne ab illo cum præfatis Epiſcopis damnaretur, præbuit tantæ iniquitatis ſatellitem. Et Dioſcorus fuit de ſatellitio admodum gaviſus. Aſt ipſo expleto irruit & in Domnum, ipſumque ægrotum & abſentem degradavit. Hinc ejus damnationem firmavit Sanctus Leo: Non propter damnata Capitula, ſed propter iſtud ſatallitium. Et Leonis Judicium comprobavit Chalcedonenſis Synodus.

Similitar devium eſt, quod Theodoretus ac Ibas ſint illic compulſi profiteri Capitula, & ſua Scripta damnare. Dumtaxat compulſi ſunt profiteri Epheſinam damnationem Neſtorii. Synodalia Acta ſunt lucida. Ipſa exponit in libro do Sectis Leontius Byzantinus: *Hæſitantes objiciunt, cur Chalcedonenſis Synodus à Theodoreto non poſtulaverit, ut Scripta ſua, quæ adverſùs duodecim Sancti Cyrilli Capitula compoſuerat, anathematizaret? Reſpondemus ob id non tam accuſandam Synodum, quam ipſam Cyrillum, hominem ſanctum. Nam is communione cum Orientalibus & ipſo Theodoreto conſtituta, non poſtulavit ab eo, ut anathemate Scripta ſua, quæ contra duodecim Capitala facta fuiſſent, exſecraretur. Quod igitur ipſe Cyrillus, Vir Sanctus, non fecit, an ob ejus intermiſſionem Synodus culpari meretur? Atque Synodus id fecit, quod Cyrillus ille non fecit: Quippe Theodoretum in omnium præſentia coegit ore ſuo Neſtorium anathematizare.* Quod uſque tunc, nulli Mandato aut conſilio cedens, pertinaciſſimè detractarat. Quæ omnia etiam ſcribit in ſuo Conſtituto Vigilius Pontifex.

Porrò Ratio, ex qua Juſtinianus Imperator & quinta Synodus ſtuduerunt omnibus imprimere, quod Theodoretus ac Ibas ſua de Capitulis Scripta apud Chalcedonem damnaſſent, lucet ex decimo tertio eorum Canone, qui iſta Theodoreti Scripta damnat, & adjungit: *Qui non anathematizat ea, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt, inſuper autem & omnes, qui ſcripſerant contra rectam fidem, & Sanctam Cyrillum, & duodecim ejus Capitula, & uſque ad mortem in tali impietate permanſerunt, talis anathema ſit.* Eodem modo loquitur quartus decimus Canon, qui eſt adverſus Ibæ Epiſtolam. Eorum, qui uſque ad mortem impugnarunt Cyrilli Capitula, non ſolummodo Scripta anathematizat uterquo Canon, ſed etiam Perſonas. At verò tam Synodus, quam Juſtinianus conſtanter proteſtati ſunt nullatenus Ibæ ac Theodoreti Perſonas à ſe damnari, ſed ſola Scripta: Hinc compulſi ſunt dicere, quod uterque ante mortem recantaſſet. Dixerunt id factum apud Chalcedonem.

Quæſtio tertia eſt, Quo tempore, & qua ratione præfata Sancti Cyrilli Capitula cœperint in omni Eccleſia habere Canonicam ac irrefragabilem authoritatem? Reſpondeo necdum habuiſſe ſub Pontificatu Hormiſdæ. Etenim hujus Preſbyter Trifolius ad Fauſtum Senatorem hæc ſcri-

pſit: *Vita, quidquid quatuor Synodi in fidei definitione non poſuerunt, id eſt, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina prima, & Chalcedonenſis. Et quod in Epiſtolis Sanctorum Patrum, quos quatuor Sanctæ Synodi in authoritate fidei eſſe voluerunt, id eſt, Athanaſii Epiſcopi Alexandrini ad Epictetum Epiſcopum, Cyrilli ad Neſtorium una, & ad Joannem Antiochenum altera, & Epiſtolas Papæ Leonis*. Scripſit adversùs Joannem Maxentium ac ejus Collegas, qui haſce propoſitiones, *Deus eſt mortuus, Unus è Trinitate eſt mortuus*, per Romanam Eccleſiam canonizari inſtabant ex duodecimo Sancti Cyrilli Capitulo. Affirmat iſtam Epiſtolam non eſſe firmatam ab ulla Generali Synodo, ideoque non eſſe Canonicam. Inter Sancti Cyrilli Epiſtolas eſſe dumtaxat duas Canonicas: Secundam ad Neſtorium, ac Pacis Epiſtolam ad Epiſcopos Orientales. Priorem Epheſina, Secundam canonizavit Chalcedonenſis Synodus. Loquitur ex ſenſu ſui Pontificis Hormiſdæ, qui iſtos Scythiæ Monachos abjecerat.

Res ita manſit uſque ad Joannem Secundum Pontificem. Tunc Juſtinianus, iſtorum Monachorum fautor, ex Orientis Comite factus Imperator, Romam miſit potentiorem Legationem, duos Primates Epiſcopos, Hypatium Epheſinum ac Demetrium Philippo-Cæſaræenſem, poſtulaturos canonizationem eorumdem præfatorum articulorum. Et Joannes canonizavit. Ex variis Patrum authenticis teſtimoniis, quorum unum fuit duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum. Conſideravit iſta Capitula, ut à Mario Mercatore audivimus, fuiſſe à Sancto Celeſtino probata, ideoque iſtam confirmationem, quæ ob duram multorum contradictionem dudum dormiverat, duxit reſuſcitandam. Etenim non ſoli Orientales cum quibuſdam aliarum provinciarum Aſſeclis Epiſcopi eis contradixerant, ſed & Sanctus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & alii ſimiles. Etiam Epheſinum Latrocinium eis malam notam impreſſerat. Et ipſam confirmarat facinoroſum Zenonis Auguſti Henoticon, ipſa etiam profitens. Et Joannis judicium omnes Succeſſores ſtabilierunt, quod Vigilius Capitula iſta probaverit ut fidei articulos. Ideoque Ibæ Epiſtolam, ac Theodoreti de ipſis Scripta damnaverit, patet ex ejus Conſtituto: *Pari ratione decernimus, ne quiſquam Epiſtolam Beati Cyrilli, cui duodecim ſunt ſubjecta Capitula, vel ipſis Capitulis adversùs Neſtorii perfidiam promulgatis exiſtimet derogandum, cum conſtet Ibam poſt explanatum ſibi eorumdem Capitulorum intellectum Beati Cyrilli Communicatorem toto vitæ ejus tempore permanſiſſe*. Eodem modo loquitur de Scriptis Theodoreti. Et hæc omnia iteravit in Decretali ad Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum Epiſtola, qua licet non quintam Synodum, tamen ejus Conſtituta admiſit & confirmavit. Quinta namque Synodus zeloſiſſimè canonizavit Capitula. Eadem repetivit Pelagius Secundus in litteris ad Eliam Aquilejenſem, ac alios Hiſtriæ Epiſcopos. Romana Eccleſia poſtmodo tanti fecit Capitula, ut ipſa inſeruerit ſecundæ profeſſioni ſui Pontificis. Ita vides in ejus Diurno libro. Hæc breviter dicenda cenſui ad intellectum multorum ſequentium.

---

## CAPUT XIV.

*Ejuſdem Synodi alia Epiſtola ad Imperatorem Theodoſium, quam ſcripſerunt poſt Irenæi diſceſſum, cognoſcentes quæ contra eos adverſa Pars egerat. Direxerunt verò jam prædicto Comiti, ut cum aliis Principi offerret & hanc.*

His igitur præponentes Nicænam fidem ſubſcripſerunt univerſi Epiſcopi, qui cum Joanne convenerant.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt vulgata: Eſt prima inter Conciliabuli Relationes ad Principem. Attamen vulgatus textus non habet hanc appendicem: *His igitur præponentes Nicænam fidem ſcripſerunt univerſi Epiſcopi, qui cum Joanne convenerant*. Haud dubiè iſti ipſi, qui ſubſcripſerant præcedenti Epiſtolæ. Porro præfixerunt Nicænum Symbolum, quoniam Cyrilli ſcripta, præſertim Capitula ipſi adverſari, Neſtorii autem blaſphemias cum ipſo conciliari poſſe prætenderent, ideoque has purgandas ſperarent, iſta verò omnia cum Epheſini Concilii Actis abolenda ac damnanda. Etenim Concilium hæc conſonare Symbolo, iſtas repugnare definiverat. Hæc fuit unica ac perpetua Factionis machina. Dum ſcripta fuit hæc Epiſtola, Comes Irenæus Epheſo Conſtantinopolim abjerat, ideoque ad ipſum fuit tranſmiſſa, in proprias manus tradenda Principi. Quo tempore redierit ille, infra lucebit.

CAPUT

## CAPUT XV.

### *Epiſtola Neſtorii ad Scholaſticum Eunuchum Imperatoris Theodoſii.*

ADmiror Amatricem Dei Animam tuam, & certè dum firma eſt, & circa fallacias nou expanſa, quomodo fabolas epprobaverit immundorum, dicentes de nobis, quod ebjuraverimus vocem, qua *Dei Genitrix* nominatur: Quam, ſicut noſti, ſæpiùs diximns. Diximus verò ita, ne eot purum Hominem quis ſuſpicaretnr Dominom Jeſum Chriſtum, aut Deum bnmanitate nodum. Si enim Dœmonum Filii pro vera ſatiſfectione ſatagerent, dixiſſent utique illa, quæ à nobis in Conſtantiuopoli dicta ſuut: Sicut & tua Admirebilitas novit. Nunc autem maximè quidem neque collocutio nobis ad iuvicem fuit. Si euim verba, quæ inter me atque alios Epiſcopos habita ſunt, quæ privatim velut in exercitationis experimentum ſunt facta, has noſtras & Cyrilli collocutiones vocant, meutiuntur qoidem.

Scito tamen, quia hoc à nobis ſæpiùs ad ipſos dictum eſt, & benè ſe babere & ab ipſis & à nobis eſt creditum, *Dei Partken & hominis* Sanctam Virginem nominere. *Dei Partken* non ite, quaſi ex ipſa Dens Verbum ſumpſerit exiſtendi principium. Quomodò euim boc eſſet, dum Virginis ipſe Creetor ſit? Sed ne purum quis bominem fuiſſe illum, qui eſt genitus, ſuſpicetur. *Hominis* verò *Partken*, ne diſpenſationem, noſtras Primitias, cum Manichęis pariter abjuremus. Hæc euim ab ipſorum velut in præexercitatione ſuut Epiſcopis dicta. Et mutuè ad iuvicem ſæpiùs, & beuè ſe habere frequenter utraque Pars dixit, ita ut binc plaudentes quoque recederent. Cyrillus tamen colloqui nobis & autè omninò fugit, & bacteuùs ſugit, Capitulorum, quæ ſcripſit, convictionem, eòquod ebſqun contradictione ſiut Hæretica, per hoc evadere putans. Quomodò igitur Admirabilitas tua contra nos accuſationem recepit bujuſmodi, dnm certè retineat, qui ſic utraſque voces & in Conſtantinopoli propter diſpeuſationis Myſterium, unitionemque ineffabilem dixerimus?

Non igitur, qoæſo, ſic facilè factis contra nos eccuſationibns credatis. Nos euim vocem, qua *Dei Genitrix* nominatnr, ſi cum voce ponetur illa, quæ eſt *Hominis Genitrix*, integerrimom pietatis credimos cbaracterem. Quando euim dicimus, *Chriſtus*, & *Jeſus*, & *Filius*, & *Unigenitus*, & *Dominus*, embo hæc appellatio iſta ſignificat. Et banc nou approbautibus vocem ſiguificat. Tenquam duerum uaturarum, id eſt, Diviuitetis & Humauitatis ſignificativum, *Dei Genitricis & Hominis Genitricis*, protulimus nomen, ut latere neminem poſſet, quia nec Manichęi errorem, nec Pauli poſſimus incurrere, undique præmuniti. Qui enim dicit id, qnod nobis conſubſtentiale eſt, inſeparabili Divinitate pleuum de Virgine genitum, in re ingenuè totum Dominicæ diſpenſationis Myſterium prædicat. Negatio verò borum cnjuslibet unius eſt totius diſpenſationis ablatio. Quam quicumque abjurant, contra eorum caput & converſum eſt, & citò ampliùs convertetur.

Quod verò eſt omninò deteriùs, & maximè nunc, & multam Domini Chriſti indignationem provocat, dignomque eſt mille fulguribus atque fulminibus: Violabilem dicere Unigeniti Deitatem, & mortuum Domini Verbum, & in ſepulchro indiguiſſe ſolatio, & reſurrectionem meruiſſe cum carne. Quæ univerſa ab Eccleſiaſtica Orthodoxia ſunt aliena, & quæ nunquam recipientur à nobis. Abſit enim à nobis, ot Diviuitatem, quæ noſtrarum Primitiarum Vivificatrix exſtitit, hanc eliqoendo putem vita fuiſſe privatam, aut indiguiſſe Vivificantis majoris. Cujus enim nec caro vidit corruptionem, quomodò quis bujus Diviuitatem dicens cum carne fuiſſe corruptam, non erit dignus particeps eſſe cum Dœmone? Incorruptilis enim Divinitatis, & omnis mutationis inſuſceptibilis ſecundùm vocem, quam dixit per Prophetam Deus: *Ego ſum, ego ſum, & non mutabor*. Malach. 3.

Licet autem Deo Amicabili Animæ tuæ, quæ ſcripſerunt Patres, ſumere univerſa, & ab illis addiſcere, quia nos orthodoxè prædicamus: Et quie ſordidis illis ea ſit ſpes, quod per ſubreptiones verbum ſuperent veritatis. Fingentes enim æquivoca Orthodoxis Petribus nomina, ſimpliciores ſeducere tentant. Ut puta eſt Baſilius quidam de Ancyra, vir qui unus ex hæreticis fuit; eſt Cæſareæ Cappadociæ, unus eorum qoi pericula pro fide ſuſtinuit plurima. Eſt & hæreticus Melithon, eſt & elius Melitbon Orthodoxus. Eſt Vitalis qui Orthodoxorum fuit Epiſcopus, eſt & alius Viralis, qui ab impio eſt Apollinario conſecratus. Sunt & aliorum multorum ſimilie nomina. Et ut non per ſingulos borum ſumentes ſimilitudinem nomiuum *ſimus*, ſimplicibus proferunt, & ad perditionem trahunt per æquivocationem nou intelligentes, quia ſit etiam Baſilius Ancyræ.

Et à multis verò hujuſmodi facilè corrumpitur ars eorum, quod ad decipiendum æquivocationibus ebutantur. Sed bæc, quæſo, ot ipſe devites, ſicut qui vas integerrimæ ec ſinceriſſimæ rectitudinis fidei, & temetipſum laboribus exercere dignare ad excidendam, quæ moltis innititur fraudibus, hæreſim. Teſtis enim eſt Deus, quia ſi bæc epud Eccleſias obtinuerint, quæ uunc ab immuudiſſimis iſtis, neſcio quomodo, nihil aliud reſtat, niſi ut illa colant Eccleſiæ, quæ Arius, & Eonomius, & Apollinatius tradiderunt. A me verò Dominns omnium nibil exacturus eſt ampliùs, niſi ut eos, qui poſſint hæc prohibere, commemorem: Quod à principio & uunc uſque facieus nou quievi. Et vos Dei ſervos ſemper commemorans, ne deſpiciatis perennem Nobilitatem Religionis, ita ut ſi ea, quæ ad Orthodoxiam pertinent, veſtro ſtudio confirmationem

debitam potuerint obtinere, à me, teſte Deo, Epiſcopalis honor facillimè reſpuatur.

Et ne forſitan de hoc me fingere arbitreris, ſi fuerit confirmata Religio, & Orthodoxia Eccleſiis reſtituta, exige à me, ut hinc jam vobis per litteras valedicam, & ad priſtinam converſationem Monaſterii valenter redeam. Ab hujuſmodi enim quiete nihil eſt Divinius, neque beatius apud me. Vellem verò & Relationes, quas contra nos & Orientales Religioſiſſimos Epiſcopos direxerunt, venire ad diſcuſſionem coram Piiſſimo & Amatore Chriſti Imperatore, aut illic me quoque præſente, aut coram directis huc aliquibus, ut vel ex ipſis commoveremini ad exterminationem illorum, qui falſiloquiis ſuis omnia turbaverunt. Ex toto enim cunctorum, quæ retulerunt, nihil omninò eſt verum.

## SCHOLION.

HIc Scholaſticus Eunuchus eſt Gryſoretes, quem Epiphanius, Sancti Cyrilli Archidiaconus & Syncellus, in litteris ad Maximianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum appellat Præpoſitum: Utique Sacri Cubiculi. Porro Scholaſticus eſt idem, quod Advocatus, ſeu cauſarum Patronus. Nam & Cœleſtius, Hæreſiarcha & Eunuchus, à Mario Mercatore ſcribitur fuiſſe Advocatus Scholaſticus. Etiam Leontius Byzantinus, author librorum contra Neſtorianos & Eutychianos, & Joannes tertius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Evagrius Epiphanienſis, & alii plures fuerunt Scholaſtici. Hinc in ſeptimo ſuper Sancti Joannis Evangelium tractatu ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Qui habent cauſam, & volunt ſupplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholaſticum Juriſ-peritum, à quo ſibi preces componantur.* Olim in Romana Republica fuit honoratiſſimum officium. Quod enim clariſſimi Viri poſt domitas Gentes, ac reportatos triumphos egerint cauſas, teſtatur Ammianus Marcellinus. Sardicenſis Synodus eos vocat *Advocatos Forenſes*. Etiam Ælius Lampridius in vita Imperatoris Alexandri. Voci, *Scholaſticus*, Quandoque additur vox, *Auditorialis*. An hæc illam explanet, aut contrahat, eſt quæſtio. Quidquid ſit, aliud eſt Scholaſticus, aliud Eccleſiarum aut civitatum Defenſor. Uti Conſules, Præſides, Præfecti, ita & Defenſores paſſim creabantur ex Scholaſticis. Ita Chryſoretes ex Scholaſtico pervenerat ad Præfecturam ſacri Cubiculi. Et conſtanter ac ſemper favit Neſtorio. Quod ejus damnationem, ac alia Epheſini Concilii Acta adverſatus dudum fuerit, infra videbis ex præfatis litteris Epiphanii Syncelli. Erat tamen Orthodoxus, ſolam perſonam diligens, non errorem. Forſitan fuerat unus iſtorum, qui hominem Antiochia evocandum, ac Regiæ civitatis Epiſcopali Cathedræ præficiendum Theodoſio perſuaſerant. Et ob ejus haud dubiè reverentiam vanus homo ſimulabat ſe obedire Cœleſtini Pontificis ac Romanæ Eccleſiæ dogmaticis decretis, non mente, ſed ſola voce cantans doloſam ac mendacem palinodiam. Fuiſſe mendacem ac doloſam eventus docuit. Etenim non dumtaxat Conſtantinopoli, ſed in ipſa etiam, quò judicandus venerat, Epheſina civitate evomuit fœdiora. Et quidem diſputans cum doctiſſimis ac ſanctiſſimis Epiſcopis, præſertim cum Acacio Melitinenſi, ſecundæ Armeniæ Metropolita, & cum Theodoto Ancyrano, Metropolita primæ Galatiæ. De qua re dixit ad Synodum Fidus Joppenſis Epiſcopus: *In ſuanè doctrina etiamnum ad præſens uſque tempus perſiſtat Neſtorius, id piiſſimi Epiſcopi, Acacius & Theodotus, qui coram adſunt, & non abſque alicujus ex ipſis periculo cum eo diſſeruerunt, optimè nobis explicare poterunt. Hos proinde obnixè rogamus, & per Sacro-ſancta Evangelia, coram hic propoſita, obteſtamur & adjuramus, ut in præſentium Actorum fidem & confirmationem nobis exponant, quidnam ante hoc proximum triduum ex ipſo Neſtorio audiverint.* Neſtorius feſtinus & gloriabundus accurrit Epheſum, ſua omnia firmanda ſperans, & Cyrilli cuncta, præſertim Capitula, damnanda. Fuit iſtic pluribus diebus ante Pentecoſten. Et quia propter Orientalium abſentiam Synodus per ſedecim adhuc dies prorogata fuit, viſitarunt ſeſe invicem Epiſcopi, atque ita Neſtorius, ſolemni Hæreticorum more ſemper quærens & pruriens, cum variis diſputavit, & diſputando ſuas blaſphemias, ſuamque in ipſis obcæcatam & obduratam proterviam omnibus prodidit.

Fidi Joppenſis interlocutionem confirmavit Sanctus Cyrillus, Synodi Præſes, atque ita Theodotus Ancyranus obediens dixit: *Equidem amici cauſa graviter affligor, nihilominus omni amicitiæ præpono pietatem. Adigor proinde, idque non abſque magna animi mei triſtitia, ut eorum de quibus interrogor, veritatem exponam: Etſi interim hoc noſtrum teſtimonium non magnopere deſiderari exiſtimem. Nam cujus ſententiæ ſit Neſtorius, ex litteris, quas ad Pietatem tuam dedit, ſatis apertum eſt. Siquidem humana, quæ ibi de Verbo, hoc eſt, Unigenito, tamquam illo indigna prædicari poſſe negavit, eadem & hic quoque inficiari non erubuit. Etenim ut lactationem, ex Virgine generationem, aliaque ejuſmodi de Deo dici non poſſe in Epiſtola contendit, ita hoc in loco diſſerens, Deum bimeſtrem aut trimeſtrem appellare nefas eſſe repetivit. Atque hoc non ſolum nos ex eo intelleximus, cum paucis ante diebus in hac Epheſiorum civitate contra nos diſceptaret, ſed alii præterea non pauci.*

Etiam Acacius Melitinenſis dixit teſtimonium: *Fide & pietate erga Deum in medium propoſitis, omnis privata affectio faceſſat neceſſe eſt. Quamobrem licèt Dominum meum Neſtorium præ cæteris ardenti quodam amore proſecutus ſim ſemper, eumque omnino ſervare ſtuduerim, nunc tamen neceſſitas hortatur, ut quæ ab ipſo probata mihi conſtant, vera narratione hic ea explanem, ne fortè, ſi veritatem celavero, meritam damnationis ſententiam animæ meæ adferam. Igitur ubi primùm in hanc Epheſiorum civitatem ingreſſus ſum, cum prædicto viro in colloquium veni. Cumque inter diſſerendum animadverterem illum minus recta ſapere,*

ab

Digitized by Google

*ab erronea opinione, qua tenebatur, eum abducere, & ad veritatis tramitem transferre conatus ſum, eoque hominem induxiſſe videbar, ut ſe verbis ſaltem ab ea ſententia receſſiſſe fateretur. Cæterum decem aut duodecim dierum intervallo interjecto, intermiſſam diſceptationem denuò redintegramus. Cumque ego veritatis patrocinium ſuſcepiſſem, deprehendi illum & veritati feriò obniti, & in duas graves abſurditates ſimul prolabi. Primò namque ex illius interrogatione, quæ non parum inepta erat, eò reſponſurum adigere contendebam, ut vel Unigenitum Incarnatum inficiaretur, vel certè, quod impium erat, Patrem & Spiritum Sanctum una cum Verbo carnem ſumpſiſſe profiteretur. Quod mentis erat perverſiſſimæ, & piam fidem modis omnibus evertere paratæ. Mota deinde altera concertatione Epiſcopus quidam, qui ipſi adhærebat, ſermonem excipiens, alium aſſerebat eſſe filium, qui mortem ſubierat, & alium item Deum Verbum. Quam blaſphemiam amplius ferre non valens, omnibus conſalutatis abivi. Aderat ipſi & quidam alius, qui Judæis patrocinatus, eos non in Deum, ſed in hominem impios exſtitiſſe affirmabat*. Igitur per iſtos vacantes dies Neſtorius varias cum variis diſputationes miſcuit, & duo laudati Epiſcopi ſtuduerunt hominem moderari, ut ſaltem in palinodia, quam ex Papalis Mandati metu doloſè fecerat, perſiſteret, ſperantes paulatim & gradatim ad ſaniora perducere. At nihil obtinuerunt. Perrexit enim vocem, *Dei-para*, projicere, & addidit eſſe neſas, *Deum bimeſtrem aut trimeſtrem* profiteri.

Hanc ejus audaciam atque in blaſphemia contumaciam frequenter referunt Sanctus Cyrillus & univerſa Synodus. Cyrillus in litteris ad quoſdam Conſtantinopolitani Cleri Primates: *Neſtorius neque pœnituit, neque ea fletu diluit, quæ contra gloriam omnium noſtrum Salvatoris Chriſti dicere auſus fuerat. Quin etiam cum veniſſet Epheſum, eiſdem rursùm eſt uſus ſermonibus, quibus anteà, ac denuò certum omnibus judicium fecit ſe à perverſa ſententia minimè alienum eſſe. Itaque cum quidam celebriores Metropolitani, piiſſimique Epiſcopi adversùs eum quæſtionem meritò moverent, clareque ex Divina Scriptura convincerent, & oſtenderent Deum eſſe illum, quem Sancta Virgo ſecundùm carnem genuerat, in hanc ſceleratam vocem prorupit*: Ego bimeſtrem & trimeſtrem Deum non dico. *Quibus alia addidit non pauca, Unigeniti incarnationem de medio planè tollens*. Et univerſa Synodus in relatione ad Principes de degradatione Neſtorii: *Neſtorius, cum adverſum piiſſimos quoſdam Epiſcopos diſſereret Divinum illud ac adorandum Myſterium noſtrum tamquam deridens eſt auſus dicere*; Equidem bimeſtrem aut trimeſtrem Deum non dico. *Idque triduo antequam Synodus congregaretur*. Et in relatione ad Regiæ civitatis Clerum ac Populum. *Neque indicta Sancta Synodus, neque Multitudo, quæ pietatis gratia congregata eſt, Neſtorii impetum compeſcuit, verùm graviores blaſphemias adjecit, dicens nolle ſe bimeſtrem, aut lacte nutritum adorare, neque illum, qui fugit in Ægyptum, Deum nominare*. Proinde nec ejus Matrem profiteri Deiparam.

Hæc igitur blaſphema Neſtorii diſputatio ſimul cum Synodali de ipſo degradato relatione pervenit Conſtantinopolim, multorum animos ab ipſo diſtraxit, ac permovit ad ipſius degradationem laudandam, aut certè hæſitandum graviſſimè de ejus juſtitia. Et inter hos fuit etiam Præfectus Sacri Cubiculi. Et quoniam fama paſſim veritatem comitatur, & eundo ſemper creſcit, adjunxit quod Neſtorius cum ipſo Sancto Cyrillo diſceptaſſet, atque ita evomuiſſet blaſphemias. Hinc ille aſſumpſit ſe purgandi fiduciam, ſperans unicum famæ mendacium tranſfundere in omnia. Et adjecit plura ſua. Primò, quod Sancti Cyrilli Capitula eſſent manifeſtè hæretica. Secundò, quod ipſorum inconvictionem Cyrillus metuens detractaſſet congredi, ideoque ſeſe mutuò apud Epheſum nec vidiſſent. Tertiò, quod alii cum ipſo diſputantes Epiſcopi comprobaſſent omnis ejus Dogmata: Et quidem ſtequenter. Quartò quod apud Epheſum conſtans perſeveraret in ſuis apud Conſtantinopolim prædicationibus: Utique palinodicis. Quæ omnia ſunt mendaciſſima. Etiam quartum. Nam in hac ipſa Epiſtola aſſeverat Sacram Virginem potius Chriſti-param dicendam, quam Dei-param. Quæ ejus vox eſt palam doloſa, ac plena veneni.

Adjunxit & alia manifeſta mendacia. Primò, quod Catholicorum apud Epheſum Epiſcoporum aliqui ipſum Deum Verbum non in aſſumpta humanitate, ſed in ſua naturali Deitate blaterarent paſſum, mortuum, reſuſcitatum. Secundò, quod Sanctus Cyrillus ſua dogmata ſtabiliret per impoſturas; Per Baſilii Ancyrani, Euſebiani ac Ariani hominis, authoritatem & Scripta, mentiens eſſe magni Baſilii. Tertiò, quod nullatenus Epiſcopatum, ſed ſolam veritatem diligeret, ideoque hac confirmata eſſet paratus Infulas exuere, ac redire ad ſuæ profeſſionis Monaſterium. Quartò, quod Synodalis Relatio nihil penitus veri, ſed omnia falſa contineret, ideoque diſcuti deberet atque puniri. Hiſce artibus ſtuduit Synodi Acta, ſuam præſertim damnationem, licèt non evacuare, tamen circumſcribere. Et omnino aliquid obtinuit. Etenim Præpoſitus diu permanſit ipſi fideliſſimus. Ex quo autem fundamento Sanctum Cyrillum accuſet de iſta circa Magnum Baſilium fraude, ignoro.

## CAPUT XVI.

*Poſt hæc directus eſt Comes Largitionum Joannes cum Sacris de depoſitione Neſtorii, & Beatorum Cyrilli & Memnonis, quæ in priori Codicis parte poſuimus, Cujus Comitis iſta Relatio eſt.*

SCiens quod ad pietatem pertinet Divinis parere Decretis, omnia juxta intentionem Incontaminabilis Apicis, ſecundùm quod potui, egi. Quæ verò ſint ſubſecuta, ex iſtis agnoſcere poteritis. Multo labore & celeritate uſus *ad* Epheſiorum Civitatem *ſum*. Et adhuc celeriùs potui pervenire, niſi diverſo impedimento cauſæ fuiſſent, quas, annuente Deo, cum venerim, præſentialiter enarrabo Magnificentiæ veſtræ. Continuò ergò tam hos qui hinc, quàm eos qui indè convenerant, ſanctiſſimos Epiſcopos cum reverentia ſalutavi. Partes namque has conveni nominatim propter diſcordiam, quæ contigit inter eos. Perturbatis autem cunctis, & Cyrillo ac Memnone includentibus ſemetipſos, illis qui convenerant per me ipſum præcepi, per alios verò his, qui erant abſentes, mandavi ut alio die abſque ulla dilatione ad meam manſionem cuncti concurrerent. Ne fieret pugnæ conflictus, intermiſcui eis militum turbas, circa loca utrique Parti contigua. Oportebat ſiquidem me de hoc ipſo eſſe ſuſpectum, propter rabiem, quæ inter eos neſcio unde provenit.

Adveniente autem Neſtorio, mox ut effulſit aurora, & poſt non multum Joanne Religioſiſſimo Epiſcopo cum Sanctiſſimis Epiſcopis qui pariter ſunt, etiam Cyrillus advenit cum cunctis Deo Amiciſſimis Epiſcopis præter Memnonem ſolum. Mox itaque multa perturbatio atque confuſio nata eſt, dicentibus his, qui convenerant cum Cyrillo, ſe nullo modo poſſe vel ipſum adſpectum Neſtorii ſuſtinere, qui ab eis fuerat condemnatus. Convenientibus tamen eis Divinæ *Scripturæ* facere volui lectionem. Dicentibus verò his, qui Cyrillo conſentiunt, neque abſque ipſo Divinorum terribiliumque fieri lectionem, neque præſente Neſtorio, ſed neque convenientibus ſecum Orientalibus Sanctiſſimis Epiſcopis.

Et multa propter hoc facta ſeditione, magna verò pugna & bello, hæc ipſa dicere cœperant, & qui *cum* Deo Amiciſſimo Joanne perſiſtunt Sanctiſſimi Epiſcopi, confirmantes & ipſi Cyrillum non oportere eſſe præſentem, dum lectio Divinorum fieret Decretorum. Quippe quia & ipſe cum Memnone damnatus eſſet ab eis. Multa verò contentione facta de hoc, & magna diei parte conſumpta, expedire providi, ut abſque Cyrillo atque Neſtorio Decreta Imperialia reliquis vulgarentur. Quia nec ſcripti in præfatis fuerunt à Dominis Mundi. Reclamantibus verò & ad hoc Deo Amiciſſimis Epiſcopis, qui una cum Cyrillo convenerant, & volentibus neque cum his, qui cum Deo Amiciſſimo Joanne advenerant, patienter audire, eò quod dicerent eos irregulariter feciſſe damnationem Cyrilli & Memnonis, vix prævalui perſuaſione, ac violentia, ſi oportet veriùs dicere, uſus, ſeparatis Neſtorio & Cyrillo univerſam Synodum præparare, ut audire Decreta Imperialia paterentur. Coadunatis igitur omnibus, lectionem celebravi Venerabilium Syllabarum, per quas damnati ſunt Neſtorius, & Cyrillus, & Memnon.

Patienter verò ſuſcipientibus lectionem, atque faventibus his qui cum Joanne Reverendiſſimo convenerant, illi qui cum Flaviano Reverendiſſimo fuerant congregati, quia non canonicè Cyrilli & Memnonis fuerat damnatio facta, graviter ſuſceperunt hujus lectionis auditum. Sic ergo eſt lectio celebrata, ad veſperum declinante *die*. Ne verò major adhuc perturbatio fieret, Neſtorium quidem ſuſcepit ad cuſtodiendum Magnificentiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum Candidianus, qui in omnibus, quæ à me vel deliberata vel acta ſunt, adfuit. Cyrillum verò cuſtodiendum tradidi Clariſſimo Comiti, & Præpoſito quartæ Scholæ Jacobo. Quoniam verò Memnon, ut prædictum eſt, aberat, evocans Œconomum, atque Defenſorem, necnon & primum Diaconum Sanctiſſimæ Epheſinæ Civitatis vel Eccleſiæ, manifeſtavi hæc ipſa eiſdem, quia idem Memnon cum prædictis fuerat condemnatus. Admonui eos & hoc, ut Eccleſiaſticas pecunias ſuas ſub omni *cautela*, & periculo cuſtodirent.

His ita diſpoſitis, quia oportebat me orationibus quoque vacare, ad Eccleſiam deſcendi Sanctiſſimam. Cognoſcens verò in Epiſcopio Memnonem degere, direxi ex his qui mihi miniſtrabant, Devotiſſimorum Palatinorum Primicerium ad prædictum, *ut* ſaltem pariter loqueremur, & diſcerem ſi ad me ſe venturum modis omnibus abnegaret. Ille verò abſque mora venit ad me. Cumque à me culparetur, cur manè non venerit, dixit ſe ægritudine fuiſſe retentum, atque ideò non veniſſe, ita ut nec ſuſtineret ſecundum Admonitum, meumque ſibi præberi conſilium, ſed ad meam Domum, ſermones meos præveniens, adveniret, acquieſcens Divinis Imperialibuſque Præceptis.

Traditus eſt igitur & ipſe eidem Clariſſimo Comiti Jacobo, & cuſtoditur tam à Devotiſſimis Scutariis, quàm ab Honeſtiſſimis Palatinis. Hæc ſunt, quæ à me primo geſta ſunt die. Quoniam verò me oportebat Deo Amiciſſimis Epiſcopis etiam pro pace adhibere ſermones, ob hoc ne contra Orthodoxam Religionem Hæreſes innaſcantur & Schiſmata, & ad hos ſermones depoſui memetipſum, & omni virtute quæ poſſibilia ſunt ſtudeo agere, Domino adjuvante, & pietate atque recta intentione, Domini Mundi. Quamvis videam execrabiles & implacabiles ad invicem Deo Amiciſſimos Epiſcopos: Neſcio-

que

que unde ad tantam uſqne triſtitiam aſperitatemquc perverenint. Quidquid verò ampliùs agi poruerit, aut per me aut per litteras, propiriante Deo, cum multa celeritate maniſeſtabo Magnitudini veſtræ.

## SCHOLION.

HÆc Relatio latinè exſtat, ooo Græcè. Et præſens ipſius translatio, quoniam oon parum diverſa eſt, nos poſſit aliqua docere. Hinc duxi adjungendam.

---

## CAPUT XVII.

*Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi, & Synodi quæ cum eo convenit, ad Imperatorem Theodoſium, quam direxerunt per eundem Joannem Comitem, in qua etiam Catholicæ fidei illa Confeſſio continetur, quam poſtea Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus per Pacificam laudavit Epiſtolam, ſcribens eidem Joanni Antiocheno Præſuli per Legatum Pacis Paulum, Emeſenum Epiſcopum.*

COnſequenter quis eos, qui nnne ſunt, valdè beatifieet bomines ultra illos, qui antè noſtram fuere progeniem, eò quod à veſtro gubernentur Imperio. Decem millibus ſiquidem curis pro Mundo veſtra Pietas utens, omnibus cæteris providentiam pro pia Religione præpoſuit. Præhonorat etiam laudandiſſimnm regnum veſtrum ea, quæ Dei ſunt, ultra univerſa terrena, quoniam fides in eum optimas cogitationes veſtras & actus ad univerſa bona Pietati veſtræ eooperatur. Hæc ita ſe habere ſemper quidem cognnſcimus ex ipſis effectibus: Maximè verò in præſenti hoc factum eſt tempore maniſeſtum. Nam dum Sacerdotes improviſis perturbationibus comprehenſi ſunt, & contra invicem bella commovere conſligunt, commotaque ſit noſtra concordia, Ægyptio Mundum conſuetè turbante, Decretum veſtræ Pietatis, qnod per Magnificentiſſimnm & Glorioſiſſimum Comitem cunctarum Largitionum Joannem promulgatum eſt, ſat eſt ad vanas æſtuationes omoium reprimendas, ſi tamen velimus ſobriè agere. Illud verò magis eſt univerſis, quod in ipſis litteris veſtrum præcepit Imperium auſerri quidem ſcandala, quæ ab aliquibns rectæ ſuperintroducta ſunt fidei, illa verò uti regnla & menſura fidei, quæ de Deo à Patribus in Nicæa expoſita eſt, quæ neque minùs habens aliquid neque ſuperfluum, compendioſam ſalutem præſtat, paucis verbis contincns totum, qnidqnid nobis de pietate tradiderunt Scripturæ Divinæ: Quæ & abjuravit eos, qui nobis volunt inducere novitates ſenſuum errantium.

Hujus rei gratia, litteris Pietatis veſtræ ſoſceptis, intuentes quod Imperii veſtri intentio rectæ Patrum fidei conveniret, feſtinavimus illa, quæ nuper expoſita ſunt à Cyrillo, Capitula Evangelieæ & Apoſtolicæ Doctrinæ contraria condemnare: Io qnibus omnes, tam qui nunc ſunt, quam qui olim qunlibet tempore fueruot, Sanctos anathematizare præſumpſit. Quæ ille in præſenti tempore quaſi Epiſcopalis perturbarionis quæſitam diu occaſionem reperiens, & cooperatricem ſumens ignorantiam plurimorum, qnorundam verò & morbum, qui occultatus olim, nunc maniſeſtus effectus eſt, & fraudulenta pertinacia utens, Synodica confirmare authoritate tentavit. Hæc autem, ſicut veſtrum cognovit Imperinm, & Deo Amiciſſimus atque Sanctiſſimus Pater noſter & Epiſcopus Acacius Sanctam Synodum per litteras edocuit, quod Apollinarii impietati conveniunt. Novit verò hæc clarè vir, qui centum decem vitæ annos explevit, omnem verò vitam in Evangelicis certaminibus deſudando tranſegit; & Synodis multis interſuit; & eos qui Apolliuaris dogmata ſentiunt, ſemper ſecundùm locum proximos babuit. Unde & tam facillimè comprehendere valuit, quod illius veſaniæ ſint præfata Capitula.

Hæc ut projicerent, & eos qui olim ſeducti ſunt Epiſcopos, & in eis ſubſcribere fuerunt paſſi, rogavimus cum Joanne Glorioſiſſimo Comite, & ut à recta fide ea faterentur aliena, ac nobiſcum ſubſcriberent rectam Patrum fidem, qui Nicæam convenerunt: Et eos perſuadere oequivimus. Quia tam ſemel eos contigit malè præveniri. Et compulſi ſumus inter noſmetipſos ipſius ſinceritatem fidei confiteri, atque ipſi ſubſcribere, & excutere ſcripta Confeſſione illam ſuperfluam, malorum ſenſuum plenam, expoſitionem Capitulorum. Illorum namque paucorum verborum rectæ fidei Confeſſio ſufficit & omnem bæreticum errorem convincere, & veritatem volentes imbuere.

Neque enim de his, quæ ad Unigeniti Divinitatem pertinent, prædicta Sanctorum fides Patrum huc atque illuc ferri permiſit, ſed conſubſtantialitatem prædicans inconcuſſè intellectus fidelium præmuniit, Arianam deſtruens bæreſim. Et Diſpenſationi integerrimos terminos tradidit, inconvertibilitatem nos & immutabilitatem Divinitatis Unigeniti docens, & non eſſe hominem purum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſed reverà Filium Dei credi præcipiens, conſonans Divinis Sanctiſque Scripturis, annunciat. Undè & nos illa ſequentes, fidei quidem confeſſioniſque expoſitioni neque adjicimus quidquam, neque ſubtrahimus, ſufficiente ad omnia expoſitione Paterna. Quoniam verò, Imperatores Piiſſimi, præcepiſtis poſt hunc aſſenſum inviolabilis fidei & de Sancta & Dei Genitrice

Virgine

Virgine innoteſcere nos veſtræ inſuperabili Pietati, hoc enim nobis nunciavit Joannes Magnificentiſſimus & Glorioſiſſimus Comes, & hoc à Deo auxilium poſtulantes, ultra hominem namque eſt de talibus diſceptare, innoteſcimus Pietati veſtræ, quæ ſumus ex Divinis Scripturis edocti, non quaſi contra incomprehenſibilia quidlibet annitentes, ſed confeſſione propiæ infirmitatis his, qui contra nos tentant aſſurgere, præcludentes, inquimus illa quæ ſunt ultra hominem.

Confitemor igitur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum, Deum perfectum & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante ſæcula quidem ex Patre natum ſecundùm Deitatem, in fine verò dierum eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem, de Maria Virgine ſecundùm Humanitatem: Conſubſtantialem Patri eundem ſecundùm Divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm Humanitatem. Duarum verò naturarum unitio facta eſt: Propter quam unum Chriſtum, unum Dominum, unum Filium confitemur. Secundùm hunc inconfuſæ unionis intellectum confitemur Sanctam Virginem Dei Genitricem, propter quod Deus Verbum Incarnatus eſt, & in Humanitate, & ex ipſa conceptione ſibimet uniit Templum, quod ex ipſa ſuſcepit. Hæc à Deiloquis Viris edocti, Evangeliſtis, Apoſtolis, atquè Prophetis, & his qui per ſingula tempora piæ Fidei ſuere Doctores, nos quoquè expoſuimus in brevi Capitulo, veſtrum poſtulantes ac depiccantes Imperium, piam Religionem, quæ periclitatur corrumpi ab eo morbo, qui illatus eſt ex Ægyptiacis Capitulis, conſuetè protegere, ac decernere, ut omnes, qui præſunt Sanctis Eccleſiis, Sacerdotes damnent ea, quæ ad inficiendas Eccleſias introducta ſunt contra Orthodoxam Fidém à præfato Cyrillo, Capitula; ſoli autem Confeſſioni ſubſcribant, quæ à Sanctis Patribus in Nicæa congregatis eſt facta. Nec enim poſſibile eſt aliter pacem in Dei Eccleſias obtinere, niſi illa impia expoſitio fuerit abdicata.

## SCHOLION.

HÆc Relatio huc uſque latuit, & nos docet non pauca. Primò docet fundamentum, ex quo Joannis Antiocheni Factio dudum cenſuit ac pertinaciter tentavit nihil eſſe admittendum, niſi ſolum Nicænum Symbolum, ita ſtudens Neſtorii, etiam ad ipſum aſſiduè proclamantis, damnationem exſufflare. Fundamentum, aut ſaltem grande fomentum fuerunt Divalis Sacræ, per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem tranſmiſſæ ad utramque Synodi partem, hæc verba: *De aliis apud vos geſtis certum nobis eſt Chriſtianam vos ſervare fidem & rectitudinem, quam etiam Sanctiſſima Synodus, ſub Conſtantino Divæ memoriæ celebrata, quam à Patribus & Majoribus accepimus, conſentiens confirmavit.* His animata Factio tentavit apud Joannem Comitem, quod Relatio exponit: *Hæc, Cyrilli Capitula, ut projicerent, & eos qui olim ſeducti ſunt Epiſcopos, & in eis ſubſcribere fuerunt paſſi, rogavimus cum Joanne glorioſiſſimo Comite, ut à recta fide ea faterentur aliena, & nobiſcum ſubſcriberent rectam Patrum fidem, qui Nicæam convenerant, & eos perſuadere nequivimus.* Tentavit Epheſinæ Synodi Epiſcopos ad Neſtorii, Cyrilli, ac Memnonis damnationem acceptandam, ad ſolum Nicænum Symbolum ſubſcribendum, & ad Cyrilli Capitula, tamquam illi adverſa, projiciendam permovere, atque ita unire Synodum, & pacem dare Eccleſiis. Verum futura erat leonina, ac Divinæ veritatis prævaricatoria pax, ideoque Patres nec ſuſtinuerunt audire. Nequaquam Nicænam fidem recuſabant ſubſcribere: Abſit. Ipſam enim, uti Ducem & Lucem ſecuti fuerant in omnibus ſuis Actis. Dumtaxat recuſabant profiteri, quod ipſa adverſaretur Sancti Cyrilli Capitulis: Uti talem nolebant ſubſcribere. Et hanc Epiſcoporum concertationem, quam uſque huc ignoravimus, docet nos præſens Relatio.

Secundò nos docet plura circa Acacium Berrhæenſem Epiſcopum. Primò, quod iſto tempore expleſſet centum & decem vitæ annos. Porrò hæc ſcripta ſunt quinti ſæculi anno trigeſimo primo: Proinde Acacius fuit natus quarti ſæculi anno vigeſimo primo, quatuor annis ante Nicænam Synodum. Ejus Epiſcopalem conſecrationem habemus in Eccleſiaſtica Theodoreti hiſtoria: *Magnus Euſebius*, Samoſatenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, *ab exilio reverſus, Acacium, qui in magna gloria apud omnes fuit, Berrhææ Epiſcopum ordinavit.* Statim poſt cædem Valentis Auguſti, quæ contigit anno ſeptuageſimo octavo iſtius ſæculi, menſe Auguſto, adeoque Acacius eodem anno eſt conſecratus in Epiſcopum, ætatis ſuæ anno quinquageſimo ſeptimo. Proinde Epheſini Concilii tempore fuerat Epiſcopus per annos quinquaginta tres. Et hos omnes Evangelicis certaminibus reverà impenderat, & pluribus interfuerat Synodis. Etenim Euſtatianum Antiochenæ Eccleſiæ ſchiſma compoſuit, & Flavianum Patriarcham reconciliavit Romanæ Eccleſiæ. Ipſe tamen prius excommunicatus, ob quoſdam exceſſus. Item omnibus contra Sanctum Joannem Chryſoſtomum motibus interfuit, & adversùs ipſum non modica egit. Quare in quibuſdam recta, in quibuſdam geſſit iniqua.

Et iſtis veſtigiis ambulavit etiam in cauſa Neſtorii. Etenim Sancto Cyrillo, qui ei Neſtorianas blaſphemias, ac Romanæ Eccleſiæ contra ipſas Judicium retulerat, repoſuit Neſtorium eſſe paſſum quid ſimile illi, *quod Beato Paulino*, Antiocheno Epiſcopo, *accidiſſe traditur. Hic enim etſi tres Hypoſtaſes palam dicere recuſaret, re tamen & virtute ab illorum ſententia & fide, qui hoc profitebantur, non recedebat. Sectabatur hic autem Piiſſimos Occidentis Epiſcopos, propterea quod Romanæ linguæ anguſtia, ſicuti Græca phraſis, tres Hypoſtaſes dicere commodè non ferat.* Reſpondit Cyrillum & Celeſtinum, uti olim Paulinum

ſinum Patriarcham ac Damaſum Papam, hærere in ſyllabis, ideoque has lites eſſe parvi ponderis. Adjecit vocem, quæ Sacram Virginem negavit Dei-param, improvide elapſam Neſtorio, & pertexit: *Quamquam plurimi, tum Clero adſcripti, tum Plebei quoque, ex urbe Conſtantinopolitana Antiochiam, & ad nos uſque profecti, à prædicto ſermone abhorrere non videantur. Ajunt enim in ſenſu nihil continere, quod vel Apoſtolicæ doctrinæ adverſetur, vel fidei à Sanctis Patribus in Nicæa congregatis definitæ repugnet.* Affirmat eſſe quæſtionem de nomine, & Neſtorium, licèt forſitan male locutum, tamen recta ſentire. Quin immò nec malè locutum. Quoniam & è Clero & è Populo Conſtantinopolitano multi voces ejus non improbarent. Acacius erat vir verſatilis ingenii, verus Syrus, ideoque noverat inflectere omnia. Ex iſtis ejus forſitan Litteris Socrates ſcripſit ſequentia: *Neſtorius apud complures venit in opinionem, quod Dominum eſſe ſolum hominem aſſereret, quodquod Pauli Samoſateni & Photini opinionem in Eccleſiam introducere niteretur. Atque de hac cauſa tanta certatio & tumultus cibatur, ut generali Concilio ad eam ſedandam opus eſſe videretur. Ego verò, dum libros Neſtorii editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrinæ penitus expertem. Hoc verè, & ex animo dico: Neſtorius meo Judicio neque Paulum Samoſatenum, neque Photinum imitatus, Dominum eſſe ſolum hominem dicit, ſed vocem dumtaxat*, Dei-para, *tamquam larvam reformidans, declinat.* Verùm Evagrius Epiphanienſis rectè advertit Socratem fuiſſe imperitum Neſtoriani negotii.

Acacius aliud inſuper malum operatus eſt in Epheſina Synodo: *Synodum*, Joannis Antiocheni Factionem, *per Litteras edocuit, quod Cyrilli Capitula Apollinarii impietati convenirent.* Joannem & omnem ejus Sequelam confirmavit in iſto perverſo judicio. Et ejus in hac re authoritas erat non modica. *Etenim eos, qui Apollinaris dogmata ſentiunt, ſemper ſecundùm locum proximos habuit. Unde & tam facillimè comprehendere valuit, quod illius veſaniæ ſint præfata Capitula.* Perpetuum hæreticorum ſtudium eſt Lupum ovinis lanis, venenum melle, devia Senſa Orthodoxis ſyllabis obtegere: Eadem arte Cyrillus dicebatur ſuis Capitulis intexuiſſe Apollinarium. At verò hujus fraudulentum dogma præſertim Antiochiæ, Laodicææ, ac in aliis primæ Syriæ urbibus fuerat graſſatum, atque ita Acacius ipſum ſemper habuerat loco vicinum. Et penetraverat omnia ejus myſteria. Hinc ipſius de Cyrilli Capitulis judicium habebatur irrefragabile. Portò de quibus præſertim Apollinarii erroribus iſta Acacius infamaverit, demonſtrant Relationis verba de Nicæno Symbolo: *Diſpenſationi integerrimos terminos tradidit, inconvertibilitatem nos & incommutabilitatem Divinitatis Unigeniti docens, & non eſſe Hominem purum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.* Ea accuſavit de naturarum converſione & confuſione, qui non ipſius Apollinarii error fuit, ſed Polemonis atque Timothei. Relatio, plures alios imitata, Diſcipulorum ſordes tranſcribit in Magiſtrum.

Quæſtio eſt, Quando Acacius ſuas adversùm Cyrilli Capitula Litteras tranſmiſerit Epheſum ad Joannis Antiocheni Conventiculum? Reſpondeo tranſmiſiſſe cum ipſo Joanne, proficiſcente Epheſum. Haud dubiè ipſas tradiderit Paulo Emeſeno Epiſcopo, ſuo ad Synodum Legato, ac apud ipſam Vicario. Eas huic tradidit tamquam ſuum Synodale ſuffragium. Etenim Joannes ipſo ſui in Epheſum ingreſſus die damnavit Cyrillum & Memnonem, & præcipua damnationis cauſa fuerunt Capitula, ideoque iſta Acacii Epiſtola videtur fuiſſe directrix ſcelerati judicii. Eadem de cauſa Acacius Imperatori Theodoſio fuit author, ut non ſolius Neſtorii, ſed etiam Cyrilli ac Memnonis confirmaret damnationem. Diſertè hoc profitetur ipſe Princeps in Litteris, quas per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem miſit ad Synodum: *Ut autem Sanctitas veſtra non modò per noſtræ Pietatis Litteras incitata ad concordiam ſpectet, univerſalemque pii dogmatis pacem, etiam Acacii Berrhœenſium Epiſcopi lectam à nobis Epiſtolam, quæ idem ſuadet, ad vos miſimus.* Sancti Cyrilli damnationem, quam per Conventiculum operatus fuerat, Acacius ſtuduit per Principis authoritatem confirmare. Hæc omnia, antequam Joannes Patriarcha abiret Epheſum, haud dubiè fuerant concepta ac præparata.

Alia quæſtio eſt, Quomodo Acacius Theodoſio fuerit author confirmandi etiam damnationem Neſtorii? Etenim in præfatis ad Sanctum Cyrillum Litteris Neſtorium judicarat ſenſu ſanum, & lapſum in ſolis ſyllabis. Si tamen lapſum. Inſuper Joannis Antiocheni Factio, quæ Neſtorii damnationem cenſuit irritam ac exſufflandam, omnino ita cenſuit ex judicio ac Litteris Acacii. Quomodo igitur Acacius vela verterit, & propria Senſa eſt prævaricatus? Reſpondeo fuiſſe permotum iſtis ipſis rationibus, quæ Regii Cubiculi Præfectum fecerunt circa Hæreſiarcham titubare. Ex blaſphemis ejus apud Epheſum diſputationibus. Ipſas purgare neſciens Acacius, deſeruit hominem; Et omnem Eccleſiam, quam ipſum ſervare maluit. Et ejus Judicium amplexa fuit cuncta Joannis Antiocheni Factio. Etenim ad ineundam cum Synodo pacem parata fuit omnium trium damnationem admittere. Nec refert, quod poſtmodò & Factio & Acacius contra iſtam damnationem pertinaciter calcitrarint. Ita namque ſolent verſatilia ingenia: Ariſtæ agitabiles ad omnem ventum.

Notanda ſunt Relationis verba de Sancti Cyrilli Capitulis: *In quibus omnes, tam qui nunc ſunt, quam qui olim quolibet tempore fuerunt, Sanctos anathematizare præſumpſit.* Sanctus Cyrillus magno mentis ſuæ zelo ac impetu adverſus Dorothei, Martianopolitani Metropolitæ, in ſolemni Neſtorii Synaxi blaterantis ad omnem Regiæ civitatis Clerum & Populum, *Si quis Mariam eſſe Dei-param dixerit, anathema ſit*, blaſphemam audaciam ſcripſit ad Berrhæenſem Acacium: *Ecquid ergo in Orthodoxorum Eccleſia cum Sanctis Patribus anathema facti adoriemus? Comperio namque æternæ memoriæ Epiſcopum Athanaſium ſæpius*

illam

*ſillam Dei param appellare, atque etiam Beatos Patres noſtros, Theophilum, Baſilium, Gregorium, Atticum, & alios præterea non paucos, qui per id tempus vixerunt, Sanctos Epiſcopos. Erunt itaque anathemate conſtricti Sancti Patres, qui jam dudum ante ad Deum evolarunt, cæterique omnes, quotquot Chriſtum Deum eſſe confeſſi, recta veritatis dogmata conſectantur.* Frequenter iſtud ipſum verbo & Scripto declamavit ad omnem Eccleſiam. Et juſtiſſima querimonia permovit plurimos, ideoque & acriter momordit Factionem Neſtorii. Eadem de cauſa idem Cyrillus ſingulis ſuis Capitulis adjunxit: *Anathema ſit*. Hinc præſens ad Principem Relatio per eadem fermè verba conatur ipſi reddere talionem.

Notanda ſunt & hæc ejuſdem Relationis verba: *Synodica confirmare authoritate tentavit.* Affirmant Capitula fuiſſe confirmata per Synodum, ideoque ipſam omnem eſſe lapſam in virus Apollinarii. Hinc enim Antiochenus Joannes in ſua ſententia, qua Sanctum Cyrillum, uti novum per Capitula Hæreſiarcham, gradu & communione exuit, adjecit adversùs Synodum: *Ac vos reliqui omnes, qui ſeditiosè & iniquè contra Eccleſiaſticas ſanctiones, Regiaque Decreta agentibus conſenſiſtis, anathemati ſubjacete, donec agnita culpa veſtra reſipiſcatis, fidemque à Sanctis Patribus in Nicæna civitate congregatis expoſitam ſuſcipiatis, nihil illi extraneum aut peregrinum attexentes, Capita præterea Heretica à Cyrillo Alexandrino expoſita anathematizetis.* Excommunicat omnem Synodum, quod confirmaſſet Capitula, & ipſa declaraſſet conformia Nicæno Symbolo, atque ita huic, licet extranea & peregrina, attexuiſſet. Quod ipſum Factio frequentiſſimè clamavit ac repetivit uſque ad nauſeam. An per errorem, an per impoſturam, ignoro. Interim certum eſt deviaſſe. Etenim Synodus non Capitula, ſed ſolam ſecundam Sancti Cyrilli Epiſtolam contulit cum Nicæno Symbolo, & omnium Epiſcoporum ſuffragiis confirmavit.

Synodalem Joannis Antiocheni Epiſtolam, qua Epheſinam fidei definitionem, Neſtorii damnationem, ac Succeſſoris Maximiani Ordinationem admiſit, atque ita cum Sancto Cyrillo & omni Eccleſia pacem fecit, omnes huc uſque credidimus fuiſſe ex integro novam, ſcriptam iſto tempore. Erravimus. Etenim ejus pars eſt dudum anterior, utpote pars præſentis Relationis. Uti Joannes Cyrillum de Apollinario atque Eunomio, ita hic illum frequenter accuſavit de Neſtorio. Hinc dum pacem inierunt, neuter conſtanter voluit erraſſe in dogmate aut opere, uterque voluit alterius Acta & Senſa dumtaxat non plenè intellexiſſe. Hinc uti Cyrillus ſua Capitula anathematizare conſtantiſſimè detrectavit, ita & ille, nec quoad apicem, voluit à ſuis Scriptis retrocedere. Proinde iſtam ipſam fidei profeſſionem, quam in medio litigii æſtu ad Principem miſerat, voluit admitti in pacem, & à Cyrillo confirmari. Et cum omni ſua Diœceſi Cyrillus libenter admiſit & confirmavit. Et certè quod Joannes nunquam blaſphemiæ, ſed ſolis Neſtorianæ, innoxiam credens, perſonæ faverit, disertè ſcribit Sixtus tertius Pontifex in datis poſt initam pacem litteris ad Sanctum Cyrillum: *Non ſe exuli veſtro*, Neſtorio, *frater noſter Joannes addiderat, non ejus eſt blaſphema prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit.* Utique in Neſtorii damnationem. Poſtmodò enim ipſam plenè confirmavit.

---

## CAPUT XVIII.

*Honorandiſſimis & Deo Amiciſſimis Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis, ac Monachis, & Amicæ Chriſti Plebi, quæ eſt in Antiochia Orientis, Sancta Synodus Orientalium, & aliarum Regionum, Provinciarumque, quæ per Dei gratiam in Epheſo congregata eſt.*

N*Obiſcum Deus*, cum Propheta clamamus. Eſai. 8.
Pro Divinis enim Dogmatibus certamus, & hæreditatem Paternæ Fidei intactam ſervari ſtudemus, & Apoſtolicam Doctrinam, ſicut ſuſcepimus illibatam, ſic ſervare poſteris feſtinamus. Propter quod & audacter longum iter aſſumpſimus, & itineris labores ſuſtinuimus, & multitudinem, quæ ad hæreticam veſaniam declinavit, fiducialiter deſpeximus, & impietatis Authorem Cyrillum Alexandrinum ab Epiſcopatu fecimus alienum, & Epheſium, qui ei ad univerſa cooperatus eſt, Memnonem eodem Decreto damnavimus, & ſubjectos eorum, qui etiam confirmare impietatem ipſorum ſubſcriptionibus præſumpſerunt, excommunicatos effecimus. Et nota hæc Piiſſimis & Deo Amiciſſimis Imperatoribus fecimus. Et ſuſcipientes quæ à nobis geſta ſunt, reſcripſerunt ſignificantes ſe condemnationem prædictorum ſuſcipere Patrum. Et præcepere, ut omnes expoſitæ in Nicæa Fidei à Sanctis ac Beatis Patribus ſubſcribamus, & exorta ſcandala abſcindantur, & à rectitudine Fidei abdicentur. Directus verò eſt & Joannes Magnificentiſſimus & Glorioſiſſimus Comes Univerſarum Largitionum, ut hæc perduceret ad effectum: Qui in cuſtodia munitiſſima Cyrillum tenet ac Memnonem, ſemotim quemque detrudens, & multitudinem militum præfatis Domibus circumſiſtens.

Sed nec his factis quieſcunt illi, qui furſùm verſùm cuncta perturbant, & confuſione ac ſeditione Mundum compleverunt; ſed perpetrantes conſueta perturbant, & contra ſemetipſos Regulam commoventes. Nam dum ſint excommunicati, ſemetipſis audacter Sacerdotii Miniſterium reſumpſerunt, & communicaverunt damna-

damnatis, quod fieri non licet: Eò quod clarè id Canones interdicant. Id eſt, ut qui damnantur vel excommunicantur, abſolutionem ſibimetipſis minimè tribuant, ſed ſuſtineant Synodale Judicium. Quod ſi ſemetipſos abſolverint, nullam pro ſe cauſationem tales objicere ulteriùs admittantur, ſed & quiſquis eis communicaverit, fiat ab Eccleſiaſtico Miniſterio alienus. Hac confixi Regula, & nullam, ſicut placet Canonibus, ſpem reſtitutionis habentes, confundunt atquè perturbant, & ubiquè conſtitutas Eccleſias ſeditionibus complent.

Hæc igitur ſciens Religioſitas veſtra pro nobis quidem ſecuro ſit animo, & laudet in Canticis omnium Deum pro ejus circa nos habita providentia, pro illis verò oret, ut tandem aliquando ab infeſtiſſima ſibi ægritudine liberentur, & invitet Doctores Eccleſiæ continuè in Collecta contra hoc impium Dogma facere ſermonem, & per Sanctorum Patrum veſtigia Dei Populum ducere, ut univerſi cognoſcant, qualis ſit, circa quam pugnamus, impietas. Si verò fuerit quicumquè tranſmiſſus ab his, qui hujus hæreſis languore detinentur, ad noſtram maximam Civitatem, & quæ mater eſt pietatis, hunc tenere cautè Religioſitas veſtra dignetur, atquè Judicibus tradere, ut diſcant, qui ſeditionem agere tentant, quantum bonum ſit diſciplina, & quantum malorum ferculum pertinax tyrannicaque voluntas.

Joannes Epiſcopus Antiochiæ: Incolumes in Domino conſervemini, Domini Honorandiſſimi atque Religioſiſſimi.
Joannes Epiſcopus Damaſci, ſimiliter.
Dexianus Epiſcopus Seleuciæ, ſimiliter.
Antiochus Epiſcopus Boſtri Metropolitanus, ſimiliter.
Alexander Epiſcopus Hierapolitanus, ſimiliter.
Aſterius Epiſcopus Amidæ Metropolitanus, ſimiliter.
Helladius Epiſcopus Ptolomaidis, ſimiliter.
Muſæus Epiſcopus Aradiæ Tentaridi, ſimiliter.
Apringius Epiſcopus Chalcidis, ſimiliter.
Meletius Epiſcopus Cæſareæ Auguſtæ, ſimiliter.
Macarius Epiſcopus Laodiceæ, ſimiliter.
Theodoretus Epiſcopus Cyri, ſimiliter.
Diogenes Epiſcopus Seucobeli, ſimiliter.

Eò quod nimiùm Portitoris inſtaret occaſio, non potuerunt univerſi, qui nobiſcum ſunt, Epiſcopi ſubſcribere.

Idem Religioſiſſimus Joannes Archi-Epiſcopus interlocutus eſt ſupra-ſcripta.

## SCHOLION.

Epiſtola hæc ſcripta eſt eodem tempore, quo præcedens Relatio: Nempe poſt Joannis Comitis adventum in Epheſinam civitatem, aut potiùs poſt ipſius ex ea reditum ad urbem Regiam. Forſitan eadem die. Hinc enim tanta fuit feſtinatio, ut omnes Factionis Epiſcopi non potuerint ſubſcribere. Joannes Patriarcha timuit, ne Epheſini Patres ſua Acta tranſmitterent Antiochiam, atque ſua authoritate illam in ſuas partes traducerent. Hinc duxit ipſam inſtruendam ac muniendam. Lamentabilis erat iſta Catholicæ Eccleſiæ calamitas. Etenim in eadem Synodo Patriarcha ſtabat contra Patriarcham, Diœceſis contra Diœceſim, invicem arguens & damnans de hæreſi in invicem quocumque terrarum tranſmittens Relationes ac litteras, atque ita crudeliter crucians ac lanians fidelis Populi infirmas conſcientias. Porrò vera Synodus ſemper, Antiochena Factio numquam retulit ad Sedem Apoſtolicam: Laica Principis poteſtate ſe firmare ſtuduit. Et ita demonſtravit ſe non in Apoſtolicæ veritatis Petra ſtare, ſed jacere in arena mendacii.

Et nota hic aliud mendacium. Etenim ſolam Cyrilli ac Memnonis à ſe attentatam damnationem prædicant, clamantque ipſam ſtabilitam, ac executioni datam à Principe, de Neſtorii per Synodum facta, ac etiam per Principem ſtabilita, ac in executionem miſſa damnatione penitus tacent. Nempe quò circumſcribant Antiochenos. Addunt & alia mendacia. Primo, quod univerſa Synodus Cyrilli ac Memnonis impietatem, utique duodecim Capitula, præſumpſerit confirmare ſuis ſubſcriptionibus. Aliud mendacium eſt in his verbis: *Sacerdotii Miniſterium reſumpſerunt*. Etenim Synodus, Acacii Melitinenſis Metropolitæ Judicium ſecuta, attentatam à Joannis Factione audaciam cenſuit non Synodalem ſententiam, ſed hoſtilem contumeliam, ideoque numquam ceſſavit à Sacro Miniſterio. Joannes Comes rogavit, ut pacis gratia ceſſaret ad tempus: Et obtinere non potuit. Et hinc tertium mendacium eſt, quod per iſtius Miniſterii ſumptionem omnis Synodus ceciderit in prævaricationem ac pœnas quarti Antiocheni Canonis. Quartum eſt in his verbis: *Cuncta perturbant*. Hinc vides eſſe conſuetum, ut publicæ quietis turbatores ſuas petulantias tranſcribant in eos, quos turbant. Notanda ſunt & hæc verba: *Qui damnantur, abſolutionem ſibimetipſis minimè tribuant*. Re vera enim omnes Epiſcopi, quos Joannes ligare tentaverat, ſeſe invicem abſolverunt. An rectè & conſequenter egerint, eſt quæſtio. Factio iſtud opus eſt infectata multis calumniis. Suo loco diſcutietur.

CAPUT

## CAPUT XIX. ---107

*Domino meq per omnia Sanctiſſimo Patri, Epiſcopo Acacio Joannes, Joannes, Alexander, Alexander, Dexianus, Paulus, Macarius, Apringius, Theodoretus, Muſæus, Meletius, Diogenes.*

ET ólim qnidem tuam perdocuimns Sanctiratem, quanto ſtudio egerimus, ut ah Eccleſiaſticis Dogmatibus radicitus amputemus Apollinarii veſaniam, redivivam per Cyrilli Alexandrini Doctrinas, & quia deponentes ipſum, vel Memnonem, qui ei ad omnem nequitiam Cooperator acceſſit, innotuimus Piiſſimis & Amicis Chriſti Imperatoribns noſtris. Et reſcripſit eorum Pietas, ſe approbaſſe ſignificans depoſitionem, quæ à nobis eſt facta. Et præcepit ut omnes nos expoſitæ à Sanctis Patribus in Nicæa Fidei ſnbſcribamus, abjurantes ea quæ ſurrexerunt ſcandala, ſicut & tuæ Sanctiratis litteræ continent. Nnnc verò & hoc tuæ innoteſcimns Sanctitati, quia & dum jam litteræ iſtæ ſunt traditæ, ipſi tamen, qnos jam ſemel erroris præoccupatio tenuit, pugnantes pro hæretica ipſa dementia, id eſt, qui prædictis Capitulis ſubſcribere præſumpſerunt, & nec volunt illa ab orthodoxa fide projicere, ſicut Amicorum Chriſti Imperatorum noſtrorum Decreta juſſerunt.

Sed nec acquieſcunt, ad diſceptationem provocati à nobis, noſtris objectionibus reſpondere. Prædictorum namque hæreticorum Capitulorum paratas convictiones habemns, tam ex Scripturis Divinitùs inſpiratis, quam ex Sanctorum Patrum Conſcriptis, quæ cum mnltis compoſuere laboribus. Omnia verò confundunt, ac perturbant, & implent ſeditionibus Civitates atque Provincias, iniqnas & illicitas contra nos dirigentes Epiſtolas, quæ nullius qnidem virtutis ſunt. Quod enim poſſint robur habere, qui ab omni officio Sacerdotii ſunt remoti? Poſſunt tamen ſimplices perturbare. Cognoſcat verò Religioſitas veſtra, qnia excommunicati olim à nobis, eò quod cooperati ſunt hæretici Cyrilli veſaniæ, & his qnæ illicitè atqne iniqnè ſunt facta, & officium gerere præſumpſerunt, & communicare damnatis. Scit autem Religioſitas veſtra, quæ de talibus ſunt Regulæ conſtitutæ. Et quia eis nullum locum veniæ tribuunt. Et iſta committunt videntes, quod Cyrillus & Memnon injurioſiſſimi, truſi ſerventur à multitudine militum. Semotim namque unumquemque trudentes nocte dieque cuſtodiunt. Exoretur itaque Sanctitas tua hymnire quidem pro nobis omnium Deum, nutumque ejus inexpugnabilem pro noſtris partibus obtinere. Orare verò etiam pro illis, ut tandem aliquando, exuti à noxiis ſenſibus ſuis, ad Paternam redeant fidem. Aliter enim pacem reddi Eccleſiis poſſibile non eſt, niſi impia expoſitio illa fuerit abdicata. Omnem fraternitatem, quæ tecum eſt, plurimùm ſalutamus. Incolumis & orans pro nobis permaneas Domine Sanctiſſime, ac Sacratiſſime Pater.

Similiter omnes præſati Epiſcopi ſubſcripſerunt.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola ſcripta eſt, poſtquam Imperator Theodoſius, à Joannis Antiocheni factione circumventus, confirmavit partim Ephnſinæ Synodi Acta, partim Acta ſeditioſa Joannis. Confirmavit enim Neſtorii damnationem factam à Synodo, & à Seditioſis factam damnationem Cyrilli ac Memnonis. Omnes tres cenſuit Hæreticos. Neſtorium propter anathematizatam vocem *Dei-para*, Cyrillum ac Memnonem propter Capitula. Et hoſce dnos inſuper turbulentos credidit. Et qnoniam audierat utriuſque partis Epiſcopos conſonare in profeſſione Nicænâ Symboli, hoc voluit, uti ſufficiens, admittâ ab omnibus, & cunctos præter tres damnatos dimitti cum pace, ac redire ad propria. Et ad hæc exeqnenda Epheſum tranſmiſit Joannem Sacrarum Largitionum Comitem, qui omnes tres damnatos tradidit in cuſtodiam, Neſtorium amico ejus Comiti Candidiano, Cyrillum ac Memnonem committens Jacobo Comiti. Hæc ſacra Sanctio, licet propter Neſtorium graviter affligeret, propter Cyrillum tamen ac Memnonem ſummo gaudio affecit Factionem, ideoque amico Acacio fuit ſtatim referenda.

Referendi occaſionem docent hæc Epiſtolæ verba: *Sicut & tuæ Sanctitatis Litteræ continent.* Divalis ad Synodum Sacra exponit: *Ut autem Sanctitas veſtra non modò per Pietatis noſtræ litteras incitata ad concordiam ſpectet, etiam Acacii Berrhæenſium Epiſcopi lectam à nobis Epiſtolam, qua idem ſuadet, ad vos miſimus. Hic cum propter extremam ſenectutem Sanctiſſimo veſtro Concilio adeſſe non poſſet, ea per litteras conſulit, quæ & pietatem ipſius decent, & Orthodoxæ Religioni conducunt. Quæ qualia ſint, ejuſdem Epiſtolæ lectio declarabit.* Auditis Epheſinæ Synodi motibus Imperator Theodoſius Acacium, omnium tunc Epiſcoporum Patrem ac Ducem, conſuluit, rogans opportuna conſilia. Credebat virum integri ac indifferentis Judicii. Et is ſuaſit jam dicta tria: Præfatorum trium damnationem, obſervantiam ſolius Nicæni Symboli, & Synodi diſſolutionem. Nam & ipſe penitus oderat Cyrilli Capitula. Et ejus ad ſe Reſponſum Theodoſius tranmiſit ad Synodum. Et iſtud laudant adducta verba præſentis Epiſtolæ.

Præſens Epiſtola nos docet plura. Primò, quod

quòd Joannes Sacrarum Largitionum Comes Neſtorium, Cyrillum, ac Memnonem tradiderit in militarem cuſtodiam. Quod ipſum habemus latiùs in ipſius Joannis Relatione ad Principem. Secundò, quod & ipſe Joannes Comes, & Joannis Antiocheni Patriarchæ tota Factio voluerint Sancti Cyrilli Capitula anathematizati, & projici à cunctis Epiſcopis: Utpote illa, ob quæ damnati ac degradati eſſent Cyrillus & Memnon, & ipſi omnes excommunicati. Tertiò, quod iſtam damnationem ſanxerint Decreta Principum. Quia nempe Theodoſius ſua Sacra, licet iſtud disertè non exprimeret, firmabat tamen Joannis Antiocheni de Cyrillo ac Memnone Judicium, factum propter Capitula. Quartò, quod iſtud Capitulorum anathema conſtanter averſantes Epiſcopos Joannis Factio provocaverit ad certamen, affirmans ſibi ad manum eſſe ineluctabilia argumenta. Quintò, quod Orthodoxi Epiſcopi iſta omnia ſpreverint. Quod non timuerint Principis violentias, quod perrexerint in Synodalibus Actis: Præſertim de cunctis his prævaricatoribus per Litteras inſtruere Eccleſiam. Rogare, ut nequaquam Cyrillum aut Memnonem, ſed ſolum Neſtorium haberet pro degradato. Sextò, quod hi Epiſcopi etiam inflictam ſibi à Joanne Patriarcha excommunicationem ſpreverint. Etenim licet à Joanne Comite expoſtulati, noluerunt ceſſare à Sacro Miniſterio. Adeò conſtantes erant, licet viderent Cyrillum ac Memnonem, detruſos in cuſtodiam, ſervari à multitudine militum. Ex quo videtur Comes Joannes ipſis, niſi excommunicationem revererentur, fuiſſe minatus ſimilia. Et Epiſtola adjungit: *Scit autem Religioſitas veſtra, quæ de talibus ſint conſtitutæ Regulæ. Et quia eis nullum veniæ locum tribuunt*. Reſpicit quartum Antiochenum Canonem. Eum Acacius optimè noverat. Nam propter ipſum olim damnaverat Sanctum Joannem Chryſoſtomum, & ejus Romanam appellationem contempſerat. Notanda ſunt & hæc ſimilia verba: *Aliter pacem dare Eccleſiis poſſibile non eſt, niſi impia Expoſitio illa fuerit abdicata*. Utique Cyrilli Capitula. Hæc igitur ad Acacium Epiſtola eſt quaſi gratiarum actoria.

## CAPUT XX. —108

### *Epiſtola Theodoreti, Epiſcopi Cyri, ad Andream Epiſcopum Samoſenorum.*

AB Epheſo ſcribens tuam Sanctitatem ſaluto. Et infirmitatem beatifico, quam Dei tibi dilectio præſtitit, ut audito potiùs, quam experimento diſceres, quæ hìc mala commiſſa ſunt. Mala ſuperantia omnem verbi veritatem, omnemque vincentia Conſcriptorum narrationem, & lachrymis digna perennibus, & continuis luctibus. Periclitatur enim Eccleſiaſticum Corpus exſcindi. Quin potiùs ſectiones recepit, niſi ſapiens Medicus diviſa & putrida membra revinciat pace, & ſalute corroboret. Inſanit contra Deum rurſum Ægyptus. Et repugnat contra Moyſen & Aaron, ſervos ipſius. Et pars maxima Iſrahelis conſentit inimicis. Pauci verò valdè ſunt ſalvi, ac ſuſtinent pro pietate certamina. Conculcata eſt reverentia pietatis. Damnati miniſtrant, & damnatores ſedent gementes in domo. Qui cum damnatis communione privati ſunt, ipſos condemnatos deputant, ab eademque damnatione ſolverunt.

Talem Synodum ludo fecerunt Ægyptiaci, Palæſtini, & cum Ponticis Aſiani. Cumque iſtis & Occidens. Hunc enim languorem maxima jam pars Mundi recepit. Qui mimorum riſus ſic depompaverunt impietatis tempore pietatem? Quis unquam Comœdiæ Scriptor talem fabulam finxerit? Quis denique Tragœdiæ dignæ Poeta hujuſmodi commenta conſcribat? Tanta ac talia mala intra Dei Eccleſiam concreverunt. Immò verò eorum quæ commiſſa ſunt, breviter narravi particulam. Alia enim nec dici ſine periculo poſſint. Oret ergo Sanctitas tua, & Chriſtum Dominum deprecetur exurgere, & hanc maris reprimere tempeſtatem, ac deſideratam patrare tranquillitatem. Ut hoc impetrantes gratuitum donum, clamemus cum Sancto David; *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Pſal. 93.

### Scholion.

EPiſtola hæc exſtat in Actis quinti Concilii, tamquam unum è facinoroſis Theodoreti adversùs Sanctum Cyrillum ac Epheſinam Synodum Scriptis, ob quæ ille meruit fieri unum è tribus Capitulis. Exſtat incompleta. Etiam dumtaxat latinè. Et eſt alia translatio. Hæc Caſſinenſis eſt completa. Ex translatio eſt longè lucidior. Eſt ſcripta Epheſi, poſt adventum Arcadii & Projecti Epiſcoporum, ac Philippi

Cardinalis Preſbyteri, Legatorum Cæleſtini Pontificis, qui à Joannis Antiocheni Factione degradatos Cyrillum ac Memnonem reddiderant Epiſcopali gradui, ac priorem inſuper Synodali Præſidentiæ. Attamen ante damnatum ab ipſis Joannem Antiochenum, ac ejus in facinore Cooperarios Epiſcopos. Facta hæc ſunt decimo ſeptimo calendas Auguſti. Fuit quarta Synodi Actio. Eodem die ſcripta eſt hæc Epiſtola. Eſt enim ſcripta ante quintam, quæ Joannem & complices damnavit, Actionem, factam die ſequenti, ſexto decimo Calendas præſati menſis. Proinde ſtatim poſt expletam Actionem, ſtatim poſt intellecta ejus Geſta Theodoretus arripuit calamum, & hæc ſcripſit ad Andream.

Et hæc Epiſtola docet ipſum infirmitate detentum non fuiſſe Epheſi. Anaſtaſius Sinaita, per Jacobum Gretzerum publicatus, in ſuo contra Neſtorianos ac Entychianos opere attoci-
Fol. 345. tet in ipſum invehitur: Appellat execrandum, Convitiatorem, nequiſſimum Draconem, plenè Neſtorianum. Ejuſdem meminit inter Orthodoxos ac Severianos Epiſcopos habita ſub Imperatore Juſtiniano apud Conſtantinopolim Collatio, per Hypatium Epheſinum Epiſcopum laudans Sancti Cyrilli libros, quibus ſua duodecim Capitula contra Theodoretum, & Andream, & Orientale Concilium defendit atque expoſuit. Proinde Andreas fuit unus eorum, qui etiam Scripto impugnarunt Cyrilli Capitula. Ita illic disertè teſtatur præſatus Hypatius. Item ipſe Sanctus Cyrillus in litteris ad Eulogium Presbyterum, ſuum in Regia civitate Apocriſarium, ac Sanctus Abbas, ac Martyr Maximus in litteris ad Joannem Cubicularium de rectis Eccleſiæ Decretis adversùs Severum, necnon & laudatus Anaſtaſius. Eadem de re ſcribit in Collectaneis Theodorus Lector: *Rabbulas Edeſſenus Epiſcopus cæcus erat, Andreas verò Samoſatenus accuſavit eum, quaſi contra duodecim Capitula Theodoreti ſcripſiſſet*. Contra librum, quo Theodoretus duodecim Cyrilli Capitula impugnaverat. Huc uſque novimus tres Theodoreti ad Andream Epiſtolas. Præſentem in quintæ Synodi Actis, aliam editam à Jacobo Sirmondo, tertiam nuper vulgatam à Joanne Garnerio inter opera Marii Mercatoris. Infra ſequentur plures.

Conſtantinopolitana Collatio ad Andreæ nomen rectè adjungit Orientalem Synodum. Rationem dat in titulo, quem Sancti Cyrilli Apologetico adversùs Andream libro dedit Marius Mercator: *Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Apologeticus pro duodecim Capitulis adverſùm Orientales Epiſcopos, quorum nomine Andreas Samoſatenus objectiones ſcripſerat*. Non ſolus Andreas, ſed etiam Theodoretus ex ejuſdem Synodi Mandato invaſit Capitula: Et tamen Cyrillus in ſuis adversùs utrumque Apologiis ſolius Theodoreti nomen frequenter expreſſit, Andreæ non niſi ſemel in præfatis litteris ad Eulogium. Quia nempe Andreas, aut modeſtior aut cautior, ſcripſit ſuppreſſo ſuo nomine, & libro omnium Orientalium Epiſcoporum nomen & authoritatem præpoſuit. Quia nempe ex ejus juſſu ſcripſerat. Et quia inſuper Synodus ejus Scriptum poſtea vidit, & probavit, ac fecit ſuum. Ex quo vides Andream fuiſſe virum magni nominis. Et hinc ejus opus paſſim inſcribitur *Oppoſitio Orientalium*. At verò Theodoretus poſſit non ex totius Synodi, ſed ex ſolius Joannis Patriarchæ Mandato ſcripſiſſe. Hinc enim ſuo operi præfixit dedicationem ad ſolum Patriarcham Joannem, in qua hæc habet: *Valde dolui, cum anathematiſmos legiſſem, quas direxiſtis nobis, præcipiens, ut eas Scripto deſtrueremus, & hæreticum eorum ſenſum omnibus nudum intimaremus*. Nec refert, quod in Breviario Liberatus Diaconus videatur aſſerere, quod uterque ex pariformi ſolius Joannis Mandato ſcripſerit. Laudat enim tertiam Sancti Cyrilli eum ſuis Capitulis Epiſtolam, & adjungit: *Cujus Epiſtolæ exemplar perveniens ad Joannem Antiochenum, offenſus eſt in ipſis Capitulis. Putavit enim Cyrillum, dum immoderatè accurreret Neſtorio, in Sectam Apollinaris incidiſſe. Mandavit ergo Andreæ ac Theodoreto, Epiſcopis Concilii ſui, ut Scripta reſponderent contra ipſa duodecim Capitula, tamquam Apollinaris dogma inſtaurantia*. Nempe Liberatus compendio utitur, ideoque omnia diſtinctiſſimè non ediſſerit.

Quæſtio eſt, An tam Andreas, quam Theodoretus hæc ſcripſerint ante vel poſt Epheſinum Concilium? Et quibuſdam videntur poſt ipſum ſcripſiſſe. Nec deeſt fundamentum. Etenim in illa, quam apud Epheſum ex Concilii juſſu fecit ſuorum Capitulorum expoſitione Sanctus Cyrillus nullam horum librorum fecit memoriam: Eorum nihil tetigit aut revicit. Et certè revinci oportuerat. Videntur igitur hi libri tunc necdum extitiſſe. Quod porrò Cyrillus primam ſuorum Capitulorum Expoſitionem ſcripſerit Epheſi, docet libelli titulus: *Explanatio duodecim Capitum, Epheſi pronunciata à Cyrillo Archi-Epiſcopo Alexandrino, Sancta Synodo clariorem illorum declarationem exigente*. Reſpondeo Andreæ ac Theodoreti libros tunc omnino extitiſſe. Abundè hoc lucet ex adducto Liberati teſtimonio. Et quod dudum ante Synodum Joannes hæc Capitula acceperit, ideoque & refutanda dederit, ſupra vidimus ex ejus litteris ad Firmum Primatem Cæſareenſem. Et in ſua ad Joannem Antiochenum præfatione Theodoretus, licet Cyrillum eſſe Capitulorum Authorem quaſi ſupponat, ipſum tamen non exprimit, atque adjungit: *Sive is, ſive alius quiſpiam velut ex ipſius perſona hæc compoſuit*. Et iterum: *Si tamen iſtius iſta ſunt germina, & non inimicorum quiſpiam veritatis, tamquam ex illo hæc componens, in medium projecit pomum diſcordiæ*. At verò & in Synodo, & poſt Synodum omnes Orientales Epiſcopi de Capitulorum Anthore adeò non dubitarunt, nec ejus nomen ſubticuerunt, ut Cyrillum propter ipſa degradarint, & tamquam Hæreſiarcham anathematizaverint. Proinde clarum eſt Theodoretum & Andream ſcripſiſſe ante Synodum. Et quid opus conjecturis? Theodoretus disertè ſcribit in ſui Pentalogii præfatione: *Priuſquam Conventus apud Epheſum celebraretur, duodecim Capitulis ſtrictim ac apertè*

*reſtitimus*,

Digitized by Google

*reſtitimus, ut præſcius horum fieret intellectus etiam ſtudiorum & rationis expertibus. Quia verò ſe manifeſtum, qui iſta protulit, in Concilio declaravit, & plures ex eis qui convenerant, imperiti penitus, nec ulla dogmatis imbuti notitia, pia hæc arbitrati ſunt, operæ pretium viſum eſt iterum contrariti, ſermonemque diſtendere, & ſuccîſam blaſphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidentiùs approbemus, quemadmodum Evangeliis declarentur adverſa, quæ nunc ab iſtis maximè proferuntur.*

Ex his quædam diſcimus. Primò, qund Theodoretus ac alii Orientales uſque ad Epheſinam Synodum dubitaverint, aut potius ſe dubitare ſimulaverint de Capitulorum Authore. Secundò, quod Epheſi Cyrillus ipſa pro ſuis agnoverit. Nam ipſa tamquam ſua curavit ſolemniter legi ad omnem Synodum. Tertiò, quod Theodoretus bis contra ipſa ſcripſerit, breviter ante Synodum, prolixè poſt ipſam: Utique in Pentalogio, cujus palmaris ſcopus fuit angere priorem libellum, & Capitula atrociùs arietare, & demonſtrare Epheſinam Synodum fuiſſe prævaricatoriam. Quare videtur ſcriptum ante Eccleſiæ pacem. Varia ejus fragmenta nobis cuſtodivit Marius Mercator, & ipſa nuper vulgavit Joannes Garnerius. Porrò Andreas fuit in Epiſcopali dignitate ſenior Theodoreto. Hinc ipſum Liberatus Diaconus priori loco poſuit. Juxta antiquam de Epiſcoporum præcedentiis Regulam. Et eſt dudum ante Theodoretum mortuus. Etenim Epheſino Latrocinio adfuit ejus Succeſſor Ruffinus. Quidquid ſit, certum videtur quod non dumtaxat ante Synodum, ſed etiam ante Theodoretum ſcripſerit. Hinc forſitan Epheſinorum Actorum Congeſtor Andreæ opus poſuit ante opus Theodoreti. Quod verò nec hic, nec ille fuerit Neſtorianus Hæreticus, infra patebit. Quare Anaſtaſii Sinaitæ de Andrea Judicium eſt juſto acerbius. Utriuſque opus uſque ad Synodi finem hæſit intra Orientem: Hinc in prima ſuorum Capitulorum declaratione Cyrillus neutrius fecit memoriam.

Hæc præſentis Epiſtolæ verba, *Damnati miniſtrant, & Damnatores ſedent gementes in domo*, oſtendunt quod Epheſiorum Clerus ac Populus omnem Joannis Antiocheni Factionem, & ab ipſa inflictam Cyrillo ac Memnoni degradationem ſpreverint, ac inſuper eam ob omni Baſilica excluſerint, nec Divina permittentes celebrare. Etiam ante eis inflictam à Synodo excommunicationem. Et hoc ob tres cauſas. Primò, quod viderent ipſos communicare damnato Neſtorio, ideoque incidiſſe in ejus contagium. Secundò, quod dictus Clerus ac Populus nollet permittere Schiſmaticum Conciliabulum, & per ipſum polluì ſuas Baſilicas. Tertiò, quod Joannes Antiochenus minaretur in Memnonis locum conſecrare novum Epiſcopum. Hæc verba, *Qui cum damnatis communione privati ſunt*, exponunt factioſam ſententiam. Hæc namque ſolum Cyrillum ac Memnonem plenè damnarat, ſeu degradarat, reliquos Epiſcopos ſola communione privaverat. Et hinc omnino legendum eſt: *Cum damnatis*: Non: *Cum indamnatis*: Hæc verba, *Ipſos condemnatos deputant, ab eademque damnatione ſolverunt*, continent palmarem Theodoreti in hac Epiſtola querimoniam. Eam exponit omnis Factio in Relatione ad Principem, ſcribens de Epheſini Concilii Patribus: *Pietatis Sanctiones pro nihilo ducentes, functionem Sacerdotalem, ut ſibi perſuadent, Cyrillo & Memnoni reſtituerunt. Idem moliti, ac ſi quis, cum ipſe ſit ligatus, neque ſemet ipſum à vinculis expedire valeat, alium tamen ſolvere conetur. Nam ſi Memnonis & Cyrilli depoſitio, à nobis facta, valida non fuiſſet, nec libellos exhiberi, nec depoſitos abſolvi, quod ipſi putant, oportebat. Si autem ea exauthoratio verè juſta, legitimaque fuit, ut reverà fuit, horum quoque excommunicatio, proinde ac depoſitio, juſta & valida exiſtit. Ab iiſdem enim hæc & illa manavit. Hæc cum ita ſe habeant, quomodo excommunicationis vinculis innodati, & omni Sacerdotali functione privati, depoſitis Sacerdotii Miniſterium reſtituere potuerunt? Idque majoribus quoque ſe involventes criminibus. Quippe excommunicati cum eſſent, communionem temerè attentarunt, & cum depoſitis, etiam ante ridiculam illam abſolutionem, contra jura communicarunt.* Factioſus Joannis Conventus una ac eadem ſententia Cyrillum & Memnonem communione & gradu, reliquos omnes Synodi Epiſcopos ſola communione exuerat. Cyrillus & Memnon obedierunt, ſe retraxerunt à Synodo, & à novis Celeſtini Legatis reparationem poſtularunt, ac obtinuerunt. At verò cæteri Epiſcopi ſpreverunt omnia, perſtiterunt in Miniſterio, cum novis Legatis perrexerunt agere Synodalia, & Cyrillum tandem ac Memnonem reparaverunt. Quin & ſuum Excommunicatorem Joannem, omneſque ei cooperatos Epiſcopos impertiverunt talione. Excommunicaverunt. Hæc Joannes clamavit ridicula, Theodoretus ſcripſit eſſe Comica aut Tragica Poetarum figmenta. Et certè non plenè cohærebant.

Hæc verba, *Ægyptii, Palæſtini, & cum Ponticis Aſiani, cumque iſtis Occidens*, clarè edicunt Epiſtolam fuiſſe ſcriptam poſt Romanorum Legatorum adventum. Nam ante hunc adventum nullus adfuit Occidentalis Epiſcopus. Excepta paucis Illyricianis: Lingua Græcis. Epiſtola tamen nullam de Joannis Antiocheni damnatione facit memoriam, ideoque clarum eſt eſſe ſcriptam decimo ſeptimo calendas Auguſti, ante quintam Actionem.

Quæſtio eſt, Quomodo hic Theodoretus inter Cyrilli Aſſeclas numeret Ponticos ac Aſianos Epiſcopos, qui in ſecundo ſuo Chalcedonenſi ad Imperatorem Theodoſium libello poſtea ſcripſit ipſos adhærere ſuæ factioni? Nam & hunc libellum Theodoretus compoſuit aut ſaltem ſubſcripſit. Reſpondeo Ponticam Diœceſim fuiſſe diviſam. Himerius Nicomedienſis, & Eutherius Thyanenſis, Metropolitani Bithyniæ & ſecundæ Cappadociæ, adhærebant Joanni; Firmus Cæſaræenſis & reliqui ſequebantur Cyrillum. Quod etiam quoſdam Aſiaticos Factio ſeduxerit, docet Neſtoriana Anaſtaſii ac Photii in Aſiam Legatio, & ipſorum Acta apud Lydiæ Philadel-

phiam. Tranquillinus Piſidiæ, Berinianus Pamphyliæ, Mhonius Lydiæ, Dalmatius Helleſ-Ponti, Cyrus Cariæ Metropolita, ac Thenphanius Philadelphienſis in Lydia Epiſcopus, & quidam alii fuerunt Epheſi, & Factioni pertinaces adhæſerunt. Et quin in ſuis Provinciis habuerint longè plures Aſſeclas, non eſt dubitandum. Nempe omnes, qni adverſùs Epheſinum Primatum amabant Conſtantinopolitanam rapinam. Quoa hinc lucet fuiſſe non paucos.

## CAPUT XXI. —109

*Epiſtola Comitis Irenæi, quam cunctis, à quibus fuerat directus, Epiſcopis ante Comitis Largitionum Joannis reſcripſit adventum.*

VIx mihi nunc copia data eſt veſtræ Sanctitati Epiſtolam deſtinandi. Et reperiendi litterarum, qualem volui, portitorem, ut ea quæ de cauſa præſenti per gratiam Chriſti, noſtro ſecundùm Dominum notificarentur affectu. Venimus namque ad Regiam Civitatem, dum me Ægyptii etiduum prævenifſent. Quanta verò mox & circa ipſum ingreſſum pericula ſuſtinuerim, nec ipſo facilè eſt referri ſermnne, nedum dicam per Epiſtnlam deſignare. Præintroeuntes enim Optimi, & omnibus apertè atquè æquè uſi, ſufficiat enim id ſolùm dicere, omnium penè auditus præventione obtinuerant. Alios quidem quomodocumque falſis lncutionihus adducentes, alios verò contra nns calumniis ſibimet adſciſcentes, omnes verò in communi ac ſemotim ennſuadentes, ità ut & Magni Judices, & in Dignitatibus conſtituti, ac diverſis Militiis, aſſentirent, quoniam & cnngrua inquiſitione, & conſequente Judicio, & omnibus pariter Dei Amiciſſimis Epiſcopis unà proferentibus eandem ſententiam contra eum, qui ab eia abruptè fuerat condemnatus, mirahilis illa depoſitin ſit facta. Magnificentiſſimum & Amatorem Chriſti Scholaſticum Cuhicularium ſuaſerunt, ut evidentiſſimè diceret, quia in Epheſo *Dei Genitricis* vocem nec audire omninò pertuleric.

Verumtamen propter invincibilem fortitndinem veritatis, & orationes veſtras prævalui per Divinas miſerationes, poſtqnam prima, ut dixi, evaſi pericula, magnificentiſſimis Judicihus colloqui, & eis totam, prout poſſibile fuit, veritatem narrare negotii. Qui ea quæ diximus agnoſcentes, & ad ipſos audiens Principem perducere ſunt coacti, quæcumque vel in cauſam præſentem, vel contra noſipſos hi, qni Ægyptio aſſentiuntur, tyrannicè commiſerunt. Et poſt omnia, ut Epiſtolam minimè producamus, dum multa inter hæc acta vel dicta ſunt, tam ab eis qni quæ noſtra ſapiont, quam ah illis qui ſentiunt in his cum Cyrilln, placuit, ut videtur, at me & Ægyptios, tam de perſonis noſtris qnam de cauſa certantes, audiret piiſſimus Imperator: Præſentibus quoq; judicihns maximis. Dum certè ego ſæpè ſum proteſtatus, nec ob hoc me veniſſe, neque talia ab Epiſcopis Deo amiciſſimis ſuſcepiſſe Mandata, ſed ſolis litteris venerim ſicut portitor miniſtrare. Verùm pro iſtis ego verhis pauló minus deceptus ſum. Quod autem placuit, abſque ulla mora completum eſt. Divino igitur nutu etiam tunc favente nobis, & in ipſam veritatem cor Principis dirigente, ac per ipſas res demonſtrante, quia ſecundùm veritatem *Cor Regis in manu Dei eſt*, adjndicati quidem ſunt Adverſarii. Prov 21. Oportet namque ad ipſum finem breviter pervenire. Ita ut nullo mndo valuiſſent veracia comprobare, vel depoſitionis Geſta, vel illa quæ hìc ſua falſitate dixerunt, ſi inſuper modis omnibus demonſtratum eſt, quia nec Concilium conſequenter Ægyptius convocavit, neque ipſe potuit judicare, dum unus eorum fuerat, qui judicari debuerant. Nec omninò abſque voluntate ſive conſilio Candidiani Cnmitis inchnare negotium.

Jam & omnes denunciationes Candidiani, magnificentiſſimi Comitis, & Scripta ad Synodum Sacra per ipſum, & hujuſcemodi alia prorſùs ſicut reverà in Judicio, jubente Imperatore, ſunt lecta, & nibil eſt per veſtras orationes quod fuerat prætermiſſum ex omnibus: Quæ oſtendunt illic iniquè fuiſſe præſumpta, quæ facta ſunt. Ità ut mox inimicis veritatis adjudicatio à cunctis conſnna redderetur, & apprnbaretur ac firmaretur Religinſitatis veſtræ Judicium. Et cum Ægyptio duorum dirigeretur condemnatio in Sancta Dei Eccleſia à piiſſimo Principe, tanquam tyrannicè atque illicitè univerſa fecerint fautores Ægyptii: Et aliis, quomodo pro his quæ commiſerunt, digni ſubmitti ſuppliciis. In his igitur finem, quæ ad hanc cauſam pertinent, habuerunt. Et hic datus eſt audientiæ terminus.

Dum verò veniſſet Joannes Medicus Cyrilli & Syncellus, & veniſſet, ſicut noſtis ex more, judicum plurimos alins qundammndo ex aliis videmns effectus: Et à nobis, qui apud eos & ab eis judicati ſumus, nec audire ſaltem quodcumque contenti ſunt. Quidam namque ſunt ipſorum, qui jam nunc dicunt: Quia oportet quæ ab utraque parte facta ſunt firmari, & damnationes non tantùm duorum, ſi conſtent, ſed trium perſonarum confirmari debere. Alii verò quidam: Rationes quidem ſolvi dehent æquè cunctorum. Cæteros verò ex Dei amantiſſimis Epiſcopis hunc convenit avocari, ut rationes fidei eorum cum veritate quærantur. Et illa, quæ iniquè in Epheſo facta ſunt. Sunt verò nonnulli, qui omnia quæ poſſunt faciunt, & omnimodum ſtudium conferunt ad hoc, ut præcipiantur à Piiſſimo Principe cum quibuſdam certis formnlis advenire: Et quoquo, inquiunt, modo, perviderint, ſivè potuerint, de tota cauſa diſponere. Quorum hi qui diligunt vos, orant ne perveniant ad effectum: Integrè ſcientes malum

ſum eorum, qui ſic feſtinant eſſe, propoſitum, & à quibus ad hoc ſint armati, cunſilium. Sed hæc quidem ſicut Dumino placet, ita proveniant.

Pro me autem quæſo, qui multa pericula ſuſtuli, quique & jam nunc abſque periculo non ſum propter hoſtium multitudinem, quæ augetur per ſingulos dies, intentiſſimè Sanctitas veſtra orare dignetur. Teſtis enim mihi eſt Deus, quia dum vocaret ad Imperaturis Judicium, nihil aliud credidi, niſi in maris mereuma fuiſſe
2.Tim.4. jactandum. *Dominus* verò, ſicut ſcriptum eſt, *adſtitit mibi, & ereptus ſum de ore Leonis*. Magis antem de multurum millium catulorum leonum.

## SCHOLION.

EPiſtola hæc Græcè ac Latinè exſtat in Actis Epheſini Concilii. Cenſui tamen dennò vulgandam: Ob duas cauſas. Primò, quod hæc ſit alia translatio. Secundò, quod hæc translatio habeat hanc non modice utiliratis Epigraphem: *Epiſtola Comitis Irenæi, quam cunctis, à quibus fuerat directus, Epiſcopis ante Comitis Largitiqnum Joannis reſcripſit adventum*. Docet nos tempus ſcriptæ Epiſtolæ. Docet ſcriptam poſt Palladii Magiſtriani, quem eum ſua Sacra Theoduſius Epheſum miſerat, regreſſum ad Regiam, & ante eò deſtinatum Joannem Comitem. Neſtorius fuit damnatus decimo calendas Julii, Junii die vigeſima ſecunda, puſt occaſum Solis. Quare Candidiauns Comes videtur eo ipſo die non potuiſſe referre ad Principem, ſed dumtaxat die ſequenti. Iſtius damnationis dies erat feria ſecunda: Eo enim anno D erat Dominicalis Littera. Joannes Patriareha advenit quinto poſt die: Erat Sabbathum, die Junii vigeſimus ſeptimus. Et ipſo die degradavit Sanctum Cyrillum ac Memnonem, excommunicavitque omnem Synodum. Et vel iſto ipſo, vel eertè ſequenti die ſua Acta retulit ad Prineipem, aliaſque regia civitate Poteſtates. Litteræ, quas Palladius Epheſum attulit, ſunt apud Conſtantinopolim datæ tertio ealendas Julias, die vigeſima nuna Junii, ideoque Candidiani Relatio deberet eò appuliſſe die vigeſima ſeptima. Quod ſi verum ſit, Corſor inſigniter feſtinavit. Quu die Palladiua Epheſum advenerit, ignoro. Adveniſſe non potnit, niſi ſexta aut ſeptima die Julii: Si tamen potuerit. Quapropter conciliare non poſſim hanc annotationem ad Relationem, quam Principi per Palladium remiſit Sancta Synodus: *Exemplum Relationis Sancti Concilii miſſæ per Palladium Magiſtrianum calendis Julii*. Annotatio videtur correſpondere lectioni marginali Divalis Sacræ: *Datum tertio decimo calendas Julias*. Eſt palam vitioſa lectiu, ideoqne quibuſdam videtur legendum: *Nonis Julii*. Eſt tempus valde anguſtum. Etenim Palladins, licèt omninò feſtinaverit, ad explendas Principis apud Epheſum Juſſiunes, & Joannes Patriarcha ad ſcribendas aut dictandas tot Relatiunes indiguit tempore. Quidquid ſit, Joannes, priuribus Relatiunibus non contentus, denuo ad Principem retulit, omni vi enitens purgare ſuas temeritates, ac ſtabilire. Hæc Relatio in Synodalibus Actis habet hunc titulum: *Joannis Archi-Epiſcopi Antiocheni, cæterorumque, qui illi adhærebant, Relatio reſcripta ad Imperatorem per Palladiam Magiſtrianum*. Eorumdem ad Præfectnm & Magiſtrum, item ad Præpoſitum ae Scholaſticum Relationes videntur miſſæ per eumdem Palladium.

Palladius omnino feſtinavit regredi ad Principem. Lucet ex totius Sanctæ Synodi per ipſum etiam miſſa Relatione: *Subſcripſimus pauci huic Relationi omnibus tamen præſentibus atque adſentientibus, eòquòd Devotus Magiſtrianus Palladius maximè abire properaret, neque tardam omnium ſubſcriptionem expectare poſſet*. Hinc etiam Joannes Antiochenus nequiit ſuas Relationes explere quapropter poſt paucoa dies denno proceſſit ad novas, eaſque miſit per Irenæum Comitem, pertinaciſſimum fautorem Neſturii. Harum una exſtat in Synodalibus Actis cum hae Epigraphe: *Relatio Orientalium, quam cum ante ſcripta Relatione magnificentiſſimo Comiti Irenæo dederunt*. Et exponit ſui rationem: *Viri illi*, utique Cyrillus & univerſa cum ipſo Synodus, *veſania acti ſibi quidvis licere arbitrantur. Neque ad Concilium convenire, neqae controverſiarum diſcuſſionem pertractare, neqae de Hæreticis Cyrilli Capitibus rationem reddere voluerunt, ſola autem audacia ac temeritate ſeſe efferunt. Ea propter Magnificentiſſimum Comitem Irenæum præmittere compulſi ſumus, ut is & veſtram Pietatem conveniat, & totius negotii ſeriem explanet. Siquidem nihil actum eſt, quod illum lateat. Accepit idem à nobis plurimos præſentis morbi curandi modos, quibur pau & tranquillitas Eccleſiis Dei reſtitui poſſit*. Sacrum ad Candidiani Comitis Relationem datum, & à Palladio Magiſtriano allatum Reſcriptum ab Epheſina Cyrilli Synodo factam Neſtorii damnationem, aliaque omnia iſtorum Epiſcoporum Acta eircumducebat, jubebatque euncta ab utrinſque partis in unum conventuris, & plenam Synodum conſtituturis, Epiſcopis reſumi ab exurdio, idque in præſentia Candidiani Comitis. Et haud dubiè ambarum partium Epiſcopi Palladio addixerant ſaltem aliquid ubedientiæ reverentiæ. At poſt ejus abitum nec Sanctus Cyrillus Joannem aut ejus Epiſcopos, nec Joannes Sanctum Cyrillum aut ejus Collegas videre voluit, lungè minùs Synodaliter convenire. Joannes Cyrillum, uti Hæreticorum Capitulorum authorem, ideoqun & Hæræſiarcham damnaverat, Sanctus Cyrillus Joannem eenſebat Neſtorianæ nun ſolummodo perſonæ, ſed & perfidiæ fautorem, atqun ita inter ipſos & eorum Epiſcopos erat ſummum diſcordiæ chaos. Hine igitur Joannes novam Relationem tranſmiſit, Cyrillum graviſſimè accuſans de nuva in Auguſtas juſſiones contumacia, & pertinaci duritia in ſuis hæreticis Capitulis. Hinc Principi, licèt ejus Reſcriptum neu jota aut apicem haberet de illis, ipſa tamen re-

duxit in memoriam. Et haſce Relationes miſit per Comitem Irenæum. Ob jam dictas ab ipſo rationes. Hæc ejus verba, *Accepit idem à nobis plurimos præſentis morbi curandi modos*, produnt Joanis de ſus audacia diffidentiam. Hinc ad ipſam purgandam ac firmandam excogitavit varias vias, Principi exponendas per Irenæum.

Quo die Ireoæus Epheſo abiverit, & Conſtantinopolim intraverit, non cooſtat. Certè exiviſſe oequit, oiſi quatuor aut tribus diebus poſt regreſtum Palladii. Nempe poſtquam Caodidiaous Comes utriuſque partis Antiſtites juxta Principis Reſcriptum citavit ad communem ac novam Synodum, & ubi conſtitit de Sancti Cyrilli refragatione. Et conſtare non potuit, oiſi poſt tertiam citationem. Hæc omnia, licet non exſtent in Actis, certum eſt interveoiſſe. Proinde Irenæus Epheſo abire oon potuit, niſi eirca Julii medium, nec niſi ad ejus finem perveniſſe Conſtantioopolim. Porrò qualem Legati perſonam à Joanne acceperit, edocet ipſe in præſeoti ſua Epiſtula: *Proteſtatus ſum identidem me nec ea de cauſa adeſſe, nec ulla ejuſmodi Mandata à Pientiſſimis Epiſcopis accepiſſe, ſed tantùm litterarum Laterem adveniſſe*. Præſens translatio habet: *Sæpè ſum proteſtatus nec ob hoc me veniſſe, neque talia ab Epiſcopis Dei amiciſſimis ſuſcepiſſe Mandata, ſed quod ſolis litteris venerim ſicut portitor miniſtrare*. Attamen videtur mentitus. Jam enim audivimus Juannis Patriarchæ penitus diverſa de ejus Mandatis verba. Interim de ipſo, dum Epheſum miſit, Impetator Theodoſius ſcripſit ad Synodum: *Denique nec id quoque vobis ſit clam, videlicet Magnificentiſſimum Irenæum Comitem neque Sanctiſſimæ veſtræ Synodi Conſiliis, neque his quæ Eximio Legato noſtro Candidiano à nobis demandata ſunt, ullatenus communicare debere, ut qui ſolius amicitiæ cauſa cum Piiſſimo celeberrimæ hujus civitatis Epiſcopo Neſtorio Epheſum profectus ſit*. Proinde Irenæus, ne hoc Priocipis Mandatum videretur prævaricatus, non erubuit coram ipſo Principe ſolemoiter mentiri.

Ejus memoria eſt frequens io his Epiſtolis, ideoque hominis ingenium & Acta ſunt breviter exponenda. De ipſo oihil invenio, oiſi in Epheſini Concilii Actis, in præſentibus Epiſtolis, ac io litteris Theodoreti. Fuit Neſtorio adhuc Eccleſiæ Antiochenæ Presbytero, ejuſque Epiſcopo ac Patrono Joaooi familiariter amicus. Etenim litteras, quibus Joannes Neſtorium, ut communem otrioſque Magiſtrum Theodorum Mopſueſtienſem imitatus ſuas in benedictam Dei Matrem blaſphemias recantaret, & Saocti Celeſtini Pontificis Decreto obediret, hortatus eſt, Comes Irenæus videtur detuliſſe. Ita ſuadet Epiſtolæ exordium: *Meam de tua Pietate ſententiam per Dominum meum, Magnificumque per omnia Comitem Irenæum ſincerè abſque ullo fuco Dilectioni tuæ patefeci*. Joannes igitur ſua de Neſtorio prædicatione & Celeſtioi Judicio Senſa priùs Irenæo expoſuit, & ſuas per ipſum litteras miſit Conſtaotinopolim, plura Neſtorio dicenda ponens io ejus ore. Poſſit fuiſſe gente Syrus, ideoque & cum Neſtorio habitaſſe apud Antiochiam. Etenim poſtmodò ſuit evectus in Tyriorum Epiſcopum, Metropolitam primæ Phœniciæ: Et qui ipſum exinde degradarunt, licèt omnem Irregularitatis anſam contra ipſum ioveſtigaverint, oumquam tameo objecerunt, quod eſſet Alienigena. Extraoei Natales erant tunc lucida irregularitas. Et hinc etiam colligere poſſumus rationes, ex quibus Neſtoriano dogmati pertinaciſſimè faverit. Quia oempe à Pauli Samoſatenſis lapſu Syria numquam caruit iſta lepra.

An poſt delatas bas litteras Cooſtantinopoli permanſerit, ac domicilium fixerit, item quam & qualem Comitivæ dignitatis ſpeciem, & quæ ac qualia munera io Palatio aut extra ipſum geſſerit, ignoro. Interim dum Neſtorius Epheſum ad Synodum abiit, fuit Conſtantioopoli: Et Candidiano Comiti, Principis ad Synodum Legato, fuit adjunctus, ſine omni tamen poteſtate, ad merum conſortium ac ſolatium amici Neſturii. Haud dubiè etiam ad adjutorium. Erat enim, licèt laicus & conjugatus, eruditus Sacris Litteris. Ejus apud Epheſum Acta deſcribit io litteris ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clerum Memnoo Epheſiorum Epiſcopus: *Cum Sancta Synodus Joannis Antiocheni adventum appetere intellexiſſet, honorem, & quam oportuit Sacerdoti obſervantiam impendens, quoſdam Deo dilectiſſimos Epiſcopos cum nonnullis quoque Religioſiſſimis Clericis obviàm illi miſit, hæc duo faciens, nempe ut debitum illi honorem deferens, ſimulque ut à Neſtorii, propter impietatem à Sancta Synodo depoſiti, colloquio ſe abſtineret, eum commonefaciens. Cum autem Militum comitatu impediti eum per viam alloqui non poſſent, nihilominus tamen pene ad illius Diverſorium uſque conſecuti ſunt. Multis autem horis ibi præſtolantes, neque ullam ejus conveniendi copiam obtinere valentes, Militum contumeliis interim onerati, tamdiu manſerunt donec poſt diuturnam horam, cum videlicet ita illi viſum jam eſſet, Piiſſimos Epiſcopos ac Religioſiſſimos Clericos, accerſitos per Milites, ad ſe introduxit. Poſteaquam verò quæ à Sancta Synodo in Mandatis habebant, illi expoſuiſſent, per Magnificentiſſimum Comitem Irenæum, cæteroſque qui cum ipſo aderant Epiſcopos & Clericos, intolerabiles Comminiſtris noſtris Clericis plagas inferri permiſit, ita ut in vitæ quoque diſcrimen adducti fuerint*. Irenæus hæc omnia noo cum Militibus, ſed patravit cum Joannis Patriarchæ Clericis, ideoque videtur fuiſſe non miles, ſed togatus. Hinc & contractam ex armata militia irregularitatem poſtmodò oullus ei objecit. Quidquid ſit, has petulantias exercuit die Sabbathi, vigeſima ſeptima meoſis Junii.

Alias ejus petulaotias Memnon expooit in iiſdem litteris: *Quanta propter veram & Orthodoxam Dei fidem in Epheſiorum civitate quotidie patiamur, id ſermone explicari non poteſt. Etenim Magnificentiſſimus Comes Candidianus Milites interdum in nos concitans, totam civitatem tumultuationibus implet, omniumque ſimul vitæ neceſſariorum importatione per cuſtodiam nos privat. Multis etiam permittit in nos & in Sanctam Synodum contumelias effundere, Zeuxippi incolis depoſitum Neſtorium cum multa Ruſticorum turba cuſtodientibus, qui ad*

id

*id aluntur Eccleſiæ pecunia, & per quos convitia jactantur. Hanc porrò inſolentiam ac temeritatem, quotidianaſque Irenæi Magnificentiſſimi Comitis imposturas, quibus ſimpliciores circumvenit, excepit Antiocheni Epiſcopi præſentia.* Agit de rebus factis poſt adventum Joannis Comitis Sacrarum Largitionum. Tunc enim per Sacras Theodoſii juſſiones confirmata fuit degradatio trium: Neſtorii, Sancti Cyrilli, ac Epheſini Memnonis. Neſtorium Comes Candidianus ſuſcepit in ſuam cuſtodiam, ac in zeuzippo poſuit: Et ejus milites, quos contra omnem Juſtitiam ac Regulam juſſit ali ex Epheſinæ Eccleſiæ Gazophylacio, patrarunt memoratas petulantias, inſlammati à Comite Irenæo. Qui his minimè contentus quotidianas addebat impoſturas, atque ita circumſcribebat ſimplicem Epheſinum Populum. Nempe cum Joanne Comite redierat Conſtantinopoli Epheſum, & ſic multa mentiebatur de Actis & Dictis à Principe adversùs Cyrillum ac Memnonem. Hinc Memnon concludit ſuam Epiſtolam: *Quare, Sanctiſſimi Viri, omni adhibito ſtudio ſatagite, ut Magnificentiſſimi Comites, qui quotidie civitatem & fidem conturbant, hinc diſcedant, ne callida eorum ſubreptione, quæ fidei ſunt, adulterari contingat.* Notanda ſunt & hæc Memnonis verba: *Hanc inſolentiam ac temeritatem, quotidianaſque impoſturas excepit Joannis Antiocheni præſentia.* Edicunt Irenæum etiam ante Joannis adventum patraſſe ſimilia.

Earum enim petulantiarum meminit etiam univerſa Synodus in Relatione ad Principem tranſmiſſa per Palladium Magiſtrianum: *Nos temporis anguſtiis excluſi ad Majeſtatem veſtram latè ſcribere nequivimus, quæ etiam à Magnificentiſſimo Comite Irenæo perpeſſi ſumus. Hic enim univerſam Sanctam Synodum vehementer conturbavit, tantamque Epiſcopis formidinem per quaſdam tumultuationes & externam incurſionem incuſſit, ut plures è nobis etiam de vita ipſa periclitarentur.* Epheſinæ Synodi Acta, præſertim Neſtorii damnationem, tanto eſt proſecutus odio, ut ejus hiſtoriam, ſeu verius Satyram conſcripſerit, ipſamque appellaverit Tragœdiam. Nec Sabinus Macedonianæ factionis apud Europæ Heracleam Epiſcopus in Nicænam, nec Timotheus Ælurus aut Petrus Mogus in Chalcedonenſem Synodum vomuerunt tot ac tales blaſphemias, quantas Irenæus latravit in Epheſinam. Etiam poſt expletam Eccleſiarum pacem. Non ſolummodo inter Joannem Antiochenum & Sanctum Cyrillum, ſed etiam inter Joannem ac ejus Epiſcopos ſeminare ſtuduit novas ſemper ex diſcordiis diſcordias. Noſter Caſſinenſis Codex docebit hæc omnia.

Propter hæc facinora Imperator Theodoſius tandem fecit, quod expreſſit in lege adversùs Neſtorium ac ejus Scripta: *Ut autem omnes experimento diſcant, quantoperè Majeſtas noſtra impiæ Neſtorii fidei æmulos deteſtetur, ſtatuimus ut Irenæus, qui hac de cauſa noſtram indignationem olim incurrit, & poſtea, neſcio quomodo, poſt ſecundas nuptias, ſicuti accepimus, contra Apoſtolicos Canones Tyriorum urbis Epiſcopus creatus eſt, à Sancta quidem Tyriorum Eccleſia expellatur, privatus autem in patrio tantum ſolo degat, habitu & nomine Sacerdotis prorſus exutus.* Hæc lex miſſa eſt ad omnium Prætoriorum Præfectos, ac per omnes publicata. Et omnium Programma laudat ac firmat hanc Irenæi degradationem. Et habet hanc ſubnotationem: *Lecta ſunt hæc in Eccleſia Monachorum in Deſertis degentium, die vigeſima tertia Pharmuthi, indictione prima, anno Diocletiani centeſimo ſexageſimo quarto.* Marginale Scholion adjungit: *Apud Romanos eſt decima octava Aprilis.* Diocletianus paſſim creditur Imperium iniiſſe tertii Chriſtiani ſæculi anno octogeſimo quarto, adeoque ejus annus centeſimus ſexageſimus quartus erat quinti ſæculi quadrageſimus octavus. Et octava decima Aprilis dies erat Dominica in Albis. Paſcha enim tunc incidit in diem undecimam. Proinde hæc Lex ad Paſchalem, ideoque pleniſſimam omnium Ægyptiorum Monachorum Collectam fuit ſolemniter publicata. Eodem iſto anno fuit prima indictio, ideoque hæc omnium concordia eſt non debile argumentum contra illos, qui Diocletiani Imperium retrahunt in octogeſimum ſextum annum tertii ſæculi. Theodoſius contra Neſtorium edidit duas leges. Prior nullam Irenæi facit memoriam, & in Theodoſiano Codice legitur data tertio Nonas Auguſti, decimo quinto Conſulatu Theodoſii, incidente in iſtius ſæculi annum trigeſimum quintum. Cur igitur Theodoſius ipſam iteravit, cur in poſteriori Irenæum dejecit, cur tot annis poſt priorem legem?

Reſpondeo rem hanc eſſe inveſtigatu dignam. Quo anno Irenæus Principis gratiam amiſerit, & fuerit ex Aula projectus, huc uſque latuit. Plures putarunt factum poſt initam à Joanne Antiocheno cum Sancto Cyrillo pacem: Poſt plenè à Principe agnitam Neſtorii perfidiam, atque aliam multiplicem nequitiam. Tunc enim Theodoſius agnovit etiam memoratas Irenæi in legitimam Synodum violentias. Verùm res eſt antiquior. Quod evenerit ſtatim poſt diſſolutam Synodum, ac Orientalium Epiſcoporum ad propria reditum, infra nos docebit Irenæi ad Candidianum Comitem Epiſtola, ſcripta ex ipſis ſuæ Epiſcopalis conſecrationis Solemniis. Infra adducetur etiam Decretum, quo Imperator Theodoſius ipſum unà cum Photio Presbytero damnavit, non uti Neſtorianæ blaſphemiæ Sectatorem, ſed uti Authorem: Et relegavit ad Petras Arabiæ. Quæ ſententia an in executionem miſſa, an gratioſè fuerit relaxata, non poſſim certus affirmare. Quidquid ſit, projectus Irenæus abiit in Syriam: Vel quod eſſet via ad Petras, vel quod eſſet ejus Patria. Et iſtìc inter Epiſcopos adversùs Epheſinam Synodum adhuc digladiantes habebat fidos Symmyſtas. Et ab ipſis eſt promotus in Metropolitam Tyriorum.

*Adn. Nor. In mandato Orientalium Macarius Laodiceæ pro Cyro Tyri Epiſ. verba facturus dicitur. T. 3. Concil. pag. 723.*

Hæc Metropolis quibuſdam videtur Epheſini Concilii tempore fuiſſe viduata. Etenim ejus Epiſcopus in Synodalibus Actis nullibi apparet, nec cum Patriarcha Joanne, nec apud Sanctum Cyrillum. Verùm adfuiſſe, & fuiſſe nomine Cyrum, infra nos docebit Caſſinenſis Codex.

Huic igitur defunčto ſucceſſit Irenæus, conſecratus à Theodoreto, Cyrenſi Epiſcopo. Verùm Tyrii Metropolitæ conſecratio pleno ſemper jure ſpectavit ad Patriarcham Antiochenum: Qua igitur ratione ipſam attentavit Theodoretus, & quidem alienæ, videlicet Euphrateſiæ, Provinciæ Epiſcopus? Exponit ipſe in litteris ad Domnum Antiochiæ Patriarcham, Joannis nepotem ac Succeſſorem: *Quidam Sanctus Monachus ex illuſtribus cuidam ſcripſit litteras ſe accepiſſe, tum à magnificentiſſimo Spathario, tum à glorioſiſſimo Ex-Magiſtro, quæ indicant res Deo chariſſimi Epiſcopi Domini Irenæi meliore loco futuras, atque hujus ſui laboris mercedem ipſorum preces flagitabant. Quare ad Clericos, qui ex urbe Regia ſcripſerunt, ſcribi oportere cenſeo, adductum me Deo chariſſimorum Phœniciæ Epiſcoporum Decreto, Deo chariſſimum Epiſcopum Irenæum ordinaſſe, cum illius & zelum, & magnanimitatem, & amorem in pauperes, & alias ejus virtutes perſpectas haberem: Ac præterea dogmatum rectitudinem. Nec enim ſcimus unquam recuſaſſe Dei-param appellare Sanctam Virginem, aut aliud quidpiam à Decretis Evangelicis alienum ſenſiſſe. Quod verò ad bigamiam attinet, Majorum inhæſiſſe veſtigiis.*

Dum Irenæi Epiſcopatus cœpit ab Adverſariis arietari, objecta ſunt illi tria ſubſtantialia vitia: Quod Hæreticus Neſtorianus eſſet, quod bigamus, quod ab alienæ Provinciæ Epiſcopo conſecratus. Et ad hoc ultimum Theodoretus reſpondet ſe iſtud feciſſe ex Mandato Suffraganeorum Antiſtitum ipſius Provinciæ. At ecce hinc alia Quæſtio: Qua authoritate, aut quo fundamento Maritimorum Phœnicum Epiſcopi illam conſecrationem non permiſerint ſuo Patriarchæ, ſed tranſtulerint in Theodoretum? Quod enim omnium ad Orientalem Diœceſim ſpectantium Metropolitarum conſecratio non per Comprovinciales, ſed per Patriarcham debuerit fieri, eſt omnibus exploratum. Reſpondeo Patriarchicum in duas Phœnicias jus iſto tempore fuiſſe invaſum, aut certè tentatum à Juvenale Hieroſolymæ Epiſcopo, ob Epheſina cum Sancto Cyrillo adversùs Neſtorium Acta potente, & grato apud Principem. Et apud Maximianum Regiæ civitatis Epiſcopum. Fuerat enim unus ex ejus Conſecratoribus. Hinc & Theodoretus, & Phœniciæ primæ Epiſcopi, & Joannes Antiochiæ Patriarcha timuerunt ab illo præveniri, & accipere Cyrillo obnoxium Epiſcopum. Etenim ipſe Joannes, Chalcedone degens, Juvenalem de iſtiuſmodi violentiis accuſavit apud Theodoſium. Ex eodem igitur metu poſſit permiſiſſe, ut Theodoretus patraret iſtud facinus. Præterea Irenæus videtur in Epiſcopum promotus ad evadendam ac eludendam præfatæ relegationis ſententiam; Hinc ex Principis offendendi metu Joannes noluit manus apponere. Certè nec delegavit. Hunc enim ſui operis titulum Theodoretus nequaquam tacuiſſet.

Aliam, forſitan fundamentalem ac veram, rationem, ex qua Theodoretus conſecrarit Irenæum, addiſcere poſſumus ex litteris, quas de inita Eccleſiarum pace Sanctus Cyrillus ſcripſit ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum. Refutat varios adversùs pacem ſparſos rumores & criminationes, atque adjungit: *Quid igitur temere conviciis inſectantur Sanctiſſimos Phœniciæ Epiſcopos, eorum conſenſum novum Symbolum appellantes, quem illi viriliter & neceſſario ediderunt, ut nimirum ſe purgarent, eoſque demulcerent, qui ipſos Neſtorianam doctrinam approbare ſibi perſuaſum habebant?* Epiſtola eſt ſtatim poſt confectam pacem ſcripta, nempe trigeſimo ſecundo anno iſtius ſæculi, ideoque ex adductis ejus verbis docemur plura. Primò, quod Cyrus Tyri Epiſcopus, primæ Phœniciæ Metropolita, videatur obiiſſe ſtatim poſt ſuum reditum ex Epheſina Synodo. Secundò, quod plures iſtius Provinciæ Epiſcopi fuerint graviſſimè ſuſpecti ac diffamati de Neſtoriana blaſphemia. Nempe ob Metropolitam Cyrum, qui Epheſi pro homine iſto potentiſſimè egerat. Tertiò, quod ab ejus Metropolitico Dominatu per mortem liberari voluerint ſe-met ipſos expurgare, ideoque ſolemnem & conteſtatorium ſuæ fidei libellum emiſerint: Quod Epheſinæ Synodi fidem & Acta fuerint palam profeſſi. Quartò, quod iſta mutatio multos Orientales Epiſcopos offenderit, ac induxerit ad ſpargenda de illis varia: Præſertim quod contra Canones condidiſſent novum Symbolum. Quintò, quod Tyriæ Eccleſiæ Clerus ac Populus perſtiterit in Cyri ſenſibus, ideoque ad ipſos tuendos in ejus locum elegerit Irenæum. Sextò, quod ipſum nec Patriarcha Joannes, nec Provinciales Epiſcopi conſecrare voluerint, ideoque horum aliqui nempe pauci Metropolitano Clero ac Populo adhærentes, invitaverint Theodoretum. Et ab his formatum, ſeu potius attentatum Decretum Theodoretus, quo in Regia civitate fucum ſuo facinori daret, adſcripſit omnibus.

Adn. Nor. Supra Epiſtoſ. in Cap. 13.

Irenæi jam Epiſcopi ſanctitatem, humanitatem, pecuniæ contemptum, largas eleemoſinas, aliaſque virtutes Theodoretus prædicat etiam in litteris, per quas ei commendavit Celeſtiacum, nobilem & olim opulentum Carthaginenſem, tunc verò ejectum ac ſpoliatum à Barbaris, ideoque cum ſua familia mendicantem in Syria. Ejectus & ſpoliatus erat à Geizerico Wandalorum Rege, qui iſtius ſæculi anno trigeſimo nono, menſe Novembri invaſit Carthaginem. Proinde Irenæus erat tunc dives & clarus Epiſcopus. Sedit adhuc anno quadrageſimo nono. Lucet ex alia Theodoreti ad ipſum Epiſtola: *Non eſt, ut apparet, quod boni quidquam exſpectemus. Non modò enim non ſedatur Eccleſiæ procella, ſed faſtigiatur, ut ita dicam, & in cacumen attollitur. Venerunt autem & qui Synodum convocant, & evocatorias litteras tum aliis quibuſdam Metropolitanis, tum noſtro reddiderunt.* Erant litteræ evocantes ad ſecundam Epheſinam Synodum. Hæ autem datæ ſunt præfato anno, Idibus Maii. Igitur tunc adhuc ſedebat Irenæus, ſed in magnis tribulationibus. Ob datam, quæ ipſum degradabat, anno priori legem. Igitur lex iſta fuit Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, Chryſaphii Imperialis Eunuchi, ac Hæreſiarchæ Eutychetis opus. Horum enim Factio & furor iſtis annis exarſerunt

Epiſt. 36.

Epiſt. 16.

Digitized by Google

runt in pleroſque Orientales Epiſcopos, à quibus, Sancti Cyrilli Capitula admittere detrectantibus, clamarunt in Chriſto Domino prædicari duos filios, ideoque illos damnaverunt ut Neſtorianos. Theodoretum circumſcripto intra ſuam civitatem exilio ligaruot, alios vexarunt variis modis, Irenæum autem, uti contra plures Canones intruſum, & uti maniſeſtum Hæreticum, curarunt ejici per Priocipem. Et quidem per ſolemnem legem. Et hane Patriarcha Dioſcorus juſſit ſtatim publicari, etiam apud Monachos. Ex his obiter adverte, quod Reverendus Pater Jacobus Sirmoodus Theodoreti Epiſtolas non digeſſerit juxta ordinem temporis. Etenim Epiſtola Irenæo Celeſtiacum commendans eſt maniſeſtè prior illa, quæ memorat evocatorias litteras ad Epheſinum Concilium: Et tamen hæc eſt ſexta decima, illa autem eſt trigeſima quinta.

Iſta decima ſexta demonſtrat præſatæ legi non ſtatim ſuiſſe obeditum. Etenim ſcripta eſt toto anno poſt publicatam legem, & Irenæus tunc adhuc occupabat Tytiorum Cathedram. Nec ſolus Irenæus, ſed & ejus Conſecrator Theodoretus, utpote & ipſe notatus per conſequeotiam, interceſſit adversùs legem & recalcitravit. Omnino tunc ſcripſit ſupra adductas ad Domnum Patriarcham litteras: Nihil enim ſunt aliud, quam conſecrati à ſe Irenæi Apologia. Bigamiam purgat per Majorum veſtigia, exempla, & conſuetudioem: Sancti Pauli Apoſtoli Canonem, *Unius uxoris virum*, affirmat non de ſucceſſiva, ſed de ſola ſimultaneà bigamia eſſe intelligendum. Et hæc forſitan eſt alia ratio, cur ipſe à primæ Phœniciæ Epiſcopis ſuerit invitatus ad conſecrandum Irenæum. Iſtorum nullus audebat bigamo manus imponere: Hinc Theodoreti, à quô ſciebant doceri oppoſitum, ſunt uſi audacia. Eſt ooo improbabilis conjectura. Porro Irenæi per Dioſcorum perſecutio ſuit diuturnior. Etenim Theodoretus in conſolatoriis ſuper Generi morte litteris ipſum Patriarchæ Job comparat, adducit quædam Divinæ Majeſtatis ad Prophetam poſt ſuperatas calamitates verba, & adjungit: *Hæc verba Pietatem quoque tuam audire arbitror, quæ multos & diverſos moleſtarum rerum impetus pertulit, nec ſolùm iſtos minimè declinavit, ſed firmum ac ſolidum animi robur præ ſe tulit.*
Epiſt. 31. *Quam cernens ſacræ tuæ mentis fortitudinem munificus Dominus eximium Athletam occultare noluit, ſed ad certamina perduxit, ut venerandum caput victrici corona exornet, aliiſque ad utilitatis exemplum certamina veſtra proponat.* Etiam infra ipſum appellat *ſtrenuum veritatis pugilem, Magiſtrum cæterorum Athletarum.* Epiſtola poſſit eſſe ſcripta poſt datam legem. Quidquid ſit, notanda ſunt ejus finalia verba: *Hæc ego dictavi, cum Generi mortem mihi amicus quidam ab Antiochia nuntiaſſet.* Affirmant Irenæi Generum ſuiſſe Antiochiæ defunctum, atque ita ſuadent Antiochenum ſuiſſe, aut certè Syrum. Interim nulla ioterceſſio, nulla recalcitratio, nulla apologia ipſum adjuvit. Etenim ſuit ejectus. Et pro ipſo Beronicianus, ac deinde ordinatus ſuit Photius, qui in Epheſino Latrocinio ſedit Epiſcopus, & Dioſcoro eſt ad omnia cooperatus.

Quæſtio eſt, Quare Dioſcorus, Chryſaphius, Eutyches, ac per ipſos incenſus Theodoſius ſuerint duriores in Irenæum, quam in ipſum Theodoretum, Ibam Edeſſenum, alioſque ipſis inviſos Orientales Epiſcopos? Etenim hoſce, licet ab Epiſcopali dignitate ſuſpenderint & circumſcripſeriot, per laicam tameo Principis violentiam oon præſumpſerunt ejicere, ſed degradandos reſervarunt ſuo Epheſino Latrocinio. Reſpondeo ipſos ſuiſſe permotos duabus ſpecialibus contra Irenæum rationibus. Prima ſuit, quod Theodoretus, Ibas, aliique eſſent legitima via ad Epiſcopatum promoti, at verò Irenæus erat irregularis, & intruſus contra alios canones, ideoque iſti non niſi per Synodale degradationis judicium ejici poteraot, hunc autem etiam per Regiam poteſtatem extrudi patiebatur tunc Eccleſiæ in Principem reverentia. Præſertim quod Irenæus eſſet in Epiſcopum evectus contra Imperialem legem, ad evadeodum ipſi inflictum exilium.

Alteram rationem docet nos Theodoretus io præſata ad Irenæum Epiſtola, qua factam Epheſini Concilii coovocationem ipſi ſignificat, & adjungit ab illo non ſanandum Eccleſiæ turbinem, ſed vulnus addendum vulneri: *Quid enim iſta diſcrepant*, Homini-param ac Dei-param *Virginem Sanctam appellare, aut vocare illam* Filii Matrem atque Ancillam? *Et addere Matrem quidem eſſe ut hominis, Domini noſtri Jeſu Chriſti, Ancillam verò ut Dei, calumniæque occaſionem ſilentio tegere, & eandem ſententiam ſub alio nomine proferre. Ad hæc illud etiam ſpectandum eſt, horum alterum commune nomen eſſe, alterum Virginis proprium, & de hoc totam extitiſſe contentionem quæ utinam non fuiſſet. Ac plurimi ſanè antiquorum Patrum appellatione, quæ honoratior erat, Virginem ornarunt: Quod & Sanctitas tua in duabus aut tribus orationibus ſuis facit. Habeo ipſe nonnullas, quas ad me Pietas tua miſit, in quibus* Dei-paræ Homini-param *non adjeciſti, ſed vocis hujus ſenſum aliis vocabulis declaraſti. Quoniam autem me etiam reprehendiſti, quaſi Sanctos ac Beatos Patres Diodorum ac Theodorum in Magiſtrorum numero prætererim, neceſſarium duxi de hoc etiam pauca dicere. Primum enim, multos quoque alios omiſi, & fama clariſſimos. Deinde hoc etiam conſiderandum eſt, eum qui accuſatur, teſtes minimè dubios producere oportere, quos redarguere, nec accuſatorum quiſquam poſſit. Quod ſi ad teſtimonium Reus illos vocet, quos Actores accuſant, nec Judex ipſe admittendos putavit. Quo autem cultu viros proſequar teſtis eſt liber quem de illis compoſui, in quo conflatam in illos accuſationem diluimus, nec Accuſatorum potentiam, nec ſtructas contra nos inſidias formidantes.*

Prima Neſtorianæ lepræ radix, ac palmare fundamentum ſuit abnegata vox, *Dei-para.* Eam Neſtorius adverſabatur, ut oec ad Celeſtini Pontificis degradatorum Decretum, nec ad amiciſſimas Joannis Aotiocheoi Patriarchæ Preces voluerit ipſam admittere, aut jactum à ſuis in

eam

eam anathema recantare. Nihilominus poſt initam à dicto Joanne cum Sancto Cyrillo pacem oportuit vocem profiteri. Ejus recuſatio erat plana ac plena profeſſio Neſtorianæ blaſphemiæ. Hinc inter Orientales Epiſcopos, Neſtorianæ doctrinæ aut ſaltem perſonæ amicos, erant tres ſententiæ. Prima vocem admittebat, ea tamen lege, ut ſemper adjungeretur vox, *Homini-para*: Illam ſolitariè poſitam pertinaciter refutabant. Et hujus ſententiæ fuit Irenæus. Et ipſi fuiſſe plures Symmyſtas, infra docebimus. Alii vocem nec admittebant, nec abnegabant, ſed uti ſuſpectam ſupprimebant: Dicebant Sacram Virginem eſſe ſui Filii Matrem & Ancillam. Tertia Factio admittebat vocem, etiam ſolitariè ſumptam, ita tamen ut legitimum ejus ſenſum aliis vocabulis declararet. Et ex his contentionibus nata eſt poſtmodo alia: *An Sacra Virgo eſſet verè ac propriè Dei Mater?* Quam ad Apoſtolicæ Sedis Judicium retulit primò Joannes Maxentius, deinde Imperator Juſtinianus: Et ejus affirmativam partem definivit Joannes ſecundus. Videantur *Acta* & *Scripta* præfati Maxentii, præfati Imperatoris Edictum, & primus Liber Facundi Hermianenſis Epiſcopi.

Et iſtam tertiam ſententiam ſecutus eſt Theodoretus. Ita ad tempus evaſit furorem Dioſcori, Chryſaphii, ac Eutychetis. Dioſcorus enim & Eutyches vocem, *Dei-para*, non admitti niſi cum adjuncta voce, *Homini-para*, peſſimè averſabantur. Et conſequenter ad ſua principia. Etenim Chriſtum Dominum volebant eſſe unius naturæ, ac unicam naturam: Aſſumptam ab ipſo hominis naturam non eſſe noſtri generis, nec nobis conſubſtantialem. Hinc conſequenter nolebant Dominam eſſe Homini-param. Ad horum igitur furias evadendas Theodoretus Irenæo ſuaſit, ut tempori cederet, daret locum iræ, & vocem, *Dei param*, ſine additamento admitteret. Suaſit ex authoritate multorum antiquorum Patrum, ex propria ſua ſententia, ac item ex ſententia ipſius Irenæi. Ex quo diſcimus quaſdam Irenæi Epiſcopi ad Populum orationes fuiſſe vulgatas, ac Theodoreto perplacuiſſe. Verùm Irenæus acquieſcere noluit. Nec mirum. Erat enim plenè Neſtorianus. Et vocem, *Dei-para*, non niſi in dolo admittebat. Hinc fuit à Theodoſio Principe ejectus è Cathedra, & neſcio quo relegatus. Quapropter apologetica Theodoreti ad Domnum Antiochiæ Patriarcham pro Irenæo Epiſtola eſt rectè intelligenda: *Nec ſcimus Irenæum unquam recuſaſſe Dei-param appellare Sanctam Virginem.* Non dicit quod iſtam vocem unquam ſine additamento admiſerit, ſed ſolummodo, quod eam nunquam recuſarit.

Theodoretus in eadem Epiſtola edicit aliam rationem, ex qua Irenæus judicatus fuerit plenus Neſtorianus, ideoque Epiſcopatu ejectus per Principem. Quia nempe fuit unus iſtorum, de quibus in Neſtorianæ ac Eutychianæ Hæreſis Breviario ſcribit Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ Archi-Diaconus: *Neſtorii Sectatores, videntes libros illius blaſphemos non poſſe proferri in publicum, eo quod Synodo Epheſina anathematizante fuerant condemnati, & Imperiali lege prohibitum fuerat, ne quis eos legere auderet aut defendere, tunc cœperunt Diodori Tharſenſis, & Theodori Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopi, & aliorum Epiſcoporum, qui contra Eunomium ac Apollinarem, unius naturæ adſertores, libros compoſuerant, duas in Chriſto oſtendentes naturas in una perſona, circumferre volumina, & ſimpliciſſimos quoſque decipere cupientes, ajebant non ſapuiſſe nova Neſtorium, ſed antiquorum Patrum proſecutum fuiſſe doctrinam. Et in eo tantum ſtudii geſſerunt, ut ipſa eorum volumina malitiosè in linguam Syrorum, & Armeniorum, atque Perſarum transferrent.* Factum id fuit à Syrorum Epiſcopis. Apud hos enim iſtud virus à Paulo Samoſateno per longum tramitem devenit in Neſtorium, & poſt ejus etiam damnationem nunquam potuit eradicari. In Armeniorum linguam tranſtulerunt contra Acacium Melitinenſem Epiſcopum, ſecundæ Armeniæ Metropolitam, quem Neſtorio ac Neſtorianis fuiſſe adverſatum potentiſſimè, docent Epheſinæ Synodi Acta, & infra plura docebimur à Caſſinenſi Codice. Factum id fuit poſt editam priorem Auguſti Theodoſii adversùs Neſtorii perſonam ac dogmata legem, quæ prodiit trigeſimo quinto anno iſtius ſæculi.

Verùm ſceleratis conatibus obviavit Rabbulas Edeſſenus Epiſopus, Oſrhoœnæ Provinciæ Metropolita, proximus Anteceſſor famoſi Ibæ, Theodori libros affirmans hæreticos Neſtorii fontes, & Synodaliter damnans ſub anathemate. Et plures ipſi ſunt adſtipulati, & ejus opus conſtanter adjuverunt. Etiam S. Cyrillus, tres libros ſcribens adversùs Diodorum ac Theodorum. At verò ipſorum cauſam ſuſcepit Joannes Patriarcha Antiochenus, ipſos defendens in variis ſuis Synodis, ac per plures Synodales Epiſtolas. Etiam Theodoretus, pro ipſis Librum componens, & conflatam in ipſos accuſationem diluens, nec Accuſatorum reformidans potentiam. Quæ verba omninò diriguntur in Sanctum Cyrillum, cui & vivo & mortuo Theodoretus fuit intrepidè adverſatus. Omnium autem potentiſſimè adverſatus eſt Irenæus. Etenim Theodoretum graviter increpuit, quod in neſcio quo Apologetico Scripto, ſuas aſſertiones variorum Sanctorum Patrum authoritatibus ac teſtimoniis firmans, præteriiſſet Diodorum ac Theodorum. Eos non dumtaxat damnari noluit, ſed inſuper voluit haberi inter authenticos ac irrefragabiles Eccleſiæ Patres. Et ſolemnem hujus rei profeſſionem ex nulla diſpenſatoria cautela à quoquam prætermitti. Hæc igitur audacia plurimis perſuaſit ipſum ex integro eſſe Neſtorianum. Iſtud ipſum longè plus perſuaſit compoſita ab ipſo Tragædia: Liber infamis, ac pleniſſimè hæreticus. Neſcio tamen, an non ſit his rebus poſterior, ut potè conflatus ex vindicta.

Hinc etiam addiſcimus, aut ſaltem non vanè conjecturamus cauſam ac fundamentum, ex quo Euſtatius Berytenſis Epiſcopus præſumpſit rebellare ſuæ Metropolitanæ Tyriorum Cathedræ, lacerare



Digitized by Google

cerare primæ Phœniciæ Provineiam, plures ejus ſuffraganeas Sedes invadere, ac ſe oſtentare ipſarum Merropolitam. Irenæus, dum in Tyriam Cathedram fuit intruſus, non intravit cum bona gratia omnium Comprovincialium. Euſtatius videtur fuiſſe adverſatus, atque in ſuas partes traxiſſe quoſdam Collegas, fuiſſe præſertim adverſatus, ubi Irenæus de Neſtorio infamis cœpit ad ejectionem poſtulari apud Principem. Videtur adhæſiſſe Dioſcoro, Eutycheti, atque Chryſaphio. Quomodò enim aliter locum obtinuiſſet inter Primates Epheſini Latrocinii? Certum eſt hunc Primatum fuiſſe ſtipendium anterioris bonæ operæ, impetratum per iſtam facinoroſam hominum Tripodem. Et quam ſtrenuas atque Zeloſas Latrocinio manus admoverit Euſtatius, demonſtrant Latrocinalia Acta, nec non & Acta Chalcedonenſia. Hinc & Magnus Leo, dum in Latrocinio lapſis, ac pœnitentiam ſupplicantibus Epiſcopis addixit veniam, excepit etiam Euſtatium, & ejus nomen ſuſpendit à à Sacris Tabulis. Dum igitur Irenæi Epiſcopatus vacillare cœpit, iſtorum trium interventu uſus Euſtatius Theodoſio Auguſto expoſuit miſerandum Tyriæ Eccleſiæ, ac omnis iſtius Provinciæ ſtatum, cum faventibus ſibi Epiſcopis ſupplicavit eximi ab hæretico ejus jugo, & cum iſtis erigi in ſingularem Metropolim atque Provinciam. Et Theodoſius annuit. Factum id fuit ante Latrocinium. Nam Provincialis Epiſcopus eſſe non potuit inter Primates generalis Synodi. Omnia erant caduca & vana: Aliud enim jura Sedium, aliud ſunt merita Præſulum. Hinc poſt circumductum atque damnatum à Magno Leone Latrocinium Euſtatius timere cœpit ſuæ audaciæ. Quare ipſam firmari obtinuit per neſcio quam Conſtantinopolitanam Synodum amici ſui Patriarchæ Anatolii. Verùm adverſus omnia reclamavit in Chalcedonenſi Synodo Photius, Tyri Antiſtes, & accepit plenam juſtitiam. Quo Irenæus poſtmodo devenerit, quando & ubi migraverit ad aliud ſæculum, ignoro. Interim ipſe à Joanne Antiocheno ac ejus Factione fuit Epheſo Legatus ad Principem.

Habuit quatuor in Mandatis. Primò, de Sancto Cyrillo ac omni Synodo conqueri, quod Sacris per Palladium Magiſtrianum allatis juſſionibus rebelles nollent à Neſtorii damnatione ac aliis ſuis Actis recedere, nec Synodaliter convenire ad cauſæ retractationem. Secundò, Principi demonſtrare hanc rebellionem eſſe manifeſtam de ſuis Actis diffidentiam, ac manifeſtum argumentum injuſtitiæ. Tertiò, Principem ex his permovere ad Neſtorii damnationem penitus circumducendam, & ipſum reſtituendum Epiſcopali Throno. Licèt in delatis per Irenæum Relationibus expreſſa non fiat hujus Poſtulati mentio, abundè tamen lucet ex hac ejus Epiſtola. Quartum Mandatum erat impetrare perpetuam firmitatem degradationis ac excommunicationis, quam in Cyrillum ac Memnonem, & in omnem Sanctam Synodum Joannis Factio evomuerat. Quare Irenæus nequaquam fuit ſimplex litterarum Portitor. Quos Legatos Sanctus Cyrillus cum ſuis Relationibus miſerit, ignoratur. Haud dubiè fuerunt Epiſcopi. Exiſtimo fuiſſe Theopempum, Potamionem, ac Danielem, ad quos diu Conſtantinopoli permanentes Sanctus Cyrillus, Sanctaque Synodus deinceps tranſmiſit plures litteras, ac plura Mandata. Irenæus namque affirmat fuiſſe Ægyptios. Nempe Cyrillus bis firmius credebat. Et Irenæum triduò prævenerunt. Quia nempe ante ipſum cum Palladio Magiſtriano diſceſſerant Epheſo. Videntur tamen tunc apud Principem necdum habuiſſe acceſſum & audientiam. Etenim Irenæus queritur, quod ſolos rei publicæ ac militiæ Magnates adierint, invenerint propitios, ac in ſuam ſententiam traxerint. Et de hiſce ſubjungit: *Qui ſimul atque noſtram Relationem accepiſſent, omnia quæ Ægyptii fautores per Tyrannidem, tam in præſentem cauſam, quam in nos ipſos quoque commiſerant, ad Imperatorum aures referre coacti ſunt.* Proinde Theodoſius ante hæc videtur harum rerum fuiſſe neſcius, adeoque nec interpellatus à Legatis Synodi.

Porrò Legati iſtis Magnatibus perſuaſerunt plura. Primò, quod Neſtorii cauſa maturè ac plenè per Synodum eſſet examinata. Secundò, quod ipſe unanimi omnium ſuffragio eſſet demonſtratus Hæreticus ac condemnatus. Tertiò, quod in ſua blaſphemia eſſet adeo contumax, ut in ipſa etiam Epheſina civitate vocem *Dei-para* nec audire ſuſtineret. Quæ omnia erant longè veriſſima. Etenim Neſtorius, licet Epheſi Sanctum Cyrillum non viderit, cum aliis tamen Orthodoxis Epiſcopis eſt ante Synodi exordium amicabiliter congreſſus, diſputans de ſuis quæſtionibus. Aliquoties diſputavit cum Theodoto Ancyræ Epiſcopo, primæ Galatiæ Metropolita, & cum Acacio Melitinenſi Epiſcopo, Metropolita ſecundæ Armeniæ, & coram illis *Deum bimeſtrem aut trimeſtrem appellare, nefas eſſe* repetivit. Uterque Antiſtes plures ejus in iſtis diſputationibus blaſphemias enarravit ad plenam Synodum. Et quoniam uterque erat longè doctiſſimus atque Sanctiſſimus, plena Synodus eſt ipſis atteſtata in variis ad varios Relationibus. Sanctus Cyrillus ad quoſdam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clericos ſcribit Neſtorii verba fuiſſe hæc: *Ego bimeſtrem aut trimeſtrem Deum non dico*. Et adjungit: *Quibus alia addidit non pauca, Unigeniti incarnationem è medio planè tollens*. Iſtud ipſum aſſeverat in ſua ad Principem Relatione omnis Synodus, & addit factum triduo ante ſui exordium. Hoc eſt, die decima nona Junii. Evagrius Epiphanienſis verba format in hunc modum: *Ego eum, qui ſpatiis menſtruis, hoc eſt, bimeſtri & trimeſtri, & ita deinceps adoleverit, Deum certè non appellavero*. Quare & Sacram Virginem omninò negavit Dei-param. Etenim juxta illud impium ac Judaicum principium ipſa non genuit Deum, ſed purum hominem. Quare Socrates affirmans diſputationem hanc factam cum Sancto Cyrillo, manifeſtè errat. Fuit palam imperitus rerum Neſtorii. Iſta igitur tria Synodales Legati perſuaſerunt univerſo Palatio,

Lib. 1.
Cap. 2.
Lib. 7.

atque

atque ita ipſum penitus dimoverunt à patrocinio
Cap. 33. Neſtorii. Etiam Cubicularium Scholaſticum, ejus uſque tunc fidum defenſorem.

Veròm Irenæus ad omnia tria potentiſſimè interceſſit. Et quidem per adeò artificioſa mendacia, ut ipſe de Regiæ domus Primatibus ſcribat in præſenti Epiſtola: *Qui ſimul atque noſtram Relationem accepiſſent, omnia quæ Ægyptii fautores per tyrannidem commiſerant, ad Imperatorum aures referre coacti ſunt. Denique ne longius ſermonem protraham, cum multa & ab his, qui cum Cyrillo faciebant, & ab illis rurſus, qui nobiſcum ſentiebant, acta & diſputata fuiſſent, placuit ut utraque pars, tam ego quam Ægyptii, ſui & ſuæ cauſæ tuendæ gratia, præſentibus etiam magnis Principibus, piiſſimum Imperatorem adiremus, atque ab eo audiremus. Quamquam proteſtatus ſum identidem me nec ea de cauſa adeſſe, nec ulla ejuſmodi Mandata à pientiſſimis Epiſcopis accepiſſe, ſed tantùm Latorem litterarum adveniſſe. Sed profectò ob ejuſmodi verba pene diſcerptus ſum.* Quæſtio eſt, à quibus & ob quæ verba fuerit ferè diſcerptus? Quibuſdam videtur, quod ob propria ſua verba, quibus diſputare detrectaverat. Ferè diſcerptum credunt, non à Synodi Legatis, ſed ab occultis Neſtorii fautoribus, Irenæo graviſſimè indignantibus, quod iſta detrectatione Sacras Principis aurea ſolia ſui Amaſii Adverſariis permitteret. Alii volunt ferè diſcerptum à fideli Populo, penitus averſante Neſtorium. Et fundant ſe in hiſce Epiſtolæ verbis: *Cæterum Sanctitatem veſtram rogo, ut Deum latenter pro me orare non gravetur, qui talia pericula perpeſſus ſum, & in magnis adhuc diſcriminibus ob illam, quæ vitæ meæ inſidiatur, multitudinem quotidie verſor.* Reſpondeo rem manifeſtè edici à finalibus Epiſtolæ verbis: *Teſtis mihi eſt Deus, dum ad Judicium ab Imperatore vocarer, nihil aliud me exſpectaſſe, quam ut in fluctus maris abjicerer.* Edicunt Irenæum non ob ſua, ſed ob evocantis Principis verba fuiſſe ferè diſcerptum: Non ab ipſo Principe, ſed à ſua prava conſcientia ac ejus terroribus. Timebat à fideli Populo præcipitari in Pontum, ſi pro Neſtorio præſumpſiſſet certare & congredi. Hinc mendaciter dixit ſe non ad iſtum veniſſe finem, ſed eſſe ſimplicem litterarum Bajulum. Interim ob Principis reverentiam recantavit, & ſe ad diſputandum accinxit, atque ita *quod decretum fuerat, abſque ulla cunctatione executioni mandatum eſt.* Nempe decreta coram Principe & ejus Palatinis diſputatio.

Et ipſa Irenæo non infeliciter ceſſit pro tempore. Etenim in ipſa evicit tria. Primò, quod Epheſinus Conventus, in quo damnatus Neſtorius, non recto ordine fuiſſet à Cyrillo convocatus. Nempe ob Joannis Antiocheni, & Epiſcoporum ipſum comitantium abſentiam. Secundo, quod Cyrillus in Neſtorii cauſa non potuiſſet eſſe Judex, longè minus Synodi Præſes, ideoque iſta Sententia eſſet Attentatum Non-Judicis. Nempe quia fuerat unus è Judicandis. Etenim Neſtorius Cyrillum non ſolummodo ſuſpectum, ſed pro manifeſto hoſte habebat: Et inſuper ob famoſa duodecim Capitula ipſum vociferabatur novum Hæreſiarcham. Et certè Sacra, qua Imperator Theodoſius Sanctum Cyrillum evocavit ad Synodum, eumdem acerbiſſimè accuſat de variis, & tandem concludit: *Quamobrem & tuam quoque Reverentiam ad tempus, quod aliis litteris ad univerſos Metropolitanos Epiſcopos miſſis ediximus, præſtò adeſſe oportebit. Neque priùs noſtram amicitiam te confidas recuperaturum, quam omni turbatione & animorum ægritudine ad propoſitarum quæſtionum diſcuſſionem ultro ſedata, accurras.* Et hinc inſigniter lucet ſuprema Romani Pontificis in convocandis ac dirigendis generalibus Conciliis authoritas. Lucet quod licet Romani Imperatores ipſis convocandis ac dirigendis ſe variè miſcuerint, omnia tamen Authoritas fuerit à Romano Pontifice. Etenim Sanctum Cyrillum Theodoſius Imperator Epheſino Concilio adeſſe juſſit ut reum, judicandum, purgandum aut damnandum; at verò Celeſtinus Pontifex ipſum dedit Concilio Præſidem: Et hujus Juſſio contra iſtam pleniſſimè obtinuit. Irenæus tertiò evicit, quod Cyrillus contra Candidiani Comitis Mandata nihil potuiſſet Synodaliter agere, ideoque quod omnia ejus Acta eſſent caduca & vanè Attentata. Præſertim damnatio Neſtorii. Et ita allatum à Palladio Magiſtriano Decretum erat non dumtaxat confirmatum, ſed inſigniter etiam promotum ad ampliora. Nempe ad Neſtorium reddendum Epiſcopatui. Liquet ex his Irenæi verbis: *Reſtat ut veritatis hoſtes ab omnibus communi conſenſu damnationis ſententiam ferant, & veſtræ Pietatis Judicium probetur & confirmetur, Piuſque Imperator Sectatorum Ægyptii depoſitionem ad Sanctam Dei Eccleſiam quam primum tranſmittat, tamquam omnia tyrannicè & illegitimè Cyrillus, & qui cum eo ſunt, perpetraverint, aliaſque præterea pœnas ob commiſſa ſiat perſoluturi.* Affirmat duo adhuc pendere ac ſperari. Primum eſt confirmatio degradationis ac excommunicationis, quarum priorem in Cyrillum ac Memnonam, poſteriorem Joannes Antiochenus latraverat in omnes totius Synodi Orthodoxos Epiſcopos. Secundum erat Cyrilli ob tyrannicam ac injuſtam Neſtorii damnationem caſtigatio, adeoque & Neſtorii plena reſtitutio. Caſſinenſis Codex habet longè aliud: *Ita ut mox inimicis veritatis adjudicatio à cunctis conſona redderetur, & approbaretur ac firmaretur Religioſitatis veſtræ Judicium, & cum Ægyptio duorum dirigeretur condemnatio in Sancta Dei Eccleſia à Piiſſimo Principe, tamquam tyrannicè atque illicitè univerſa fecerint fautores Ægyptii. Et aliis, quomodo probis, quæ commiſerunt, digni ſubmitti ſuppliciis.* Affirmat Judicii, quod Joannes in Cyrillum ac Memnonem, omnemque Synodum dederat, confirmationem tunc non amplius pependiſſe in ſpe, ſed omninò fuiſſe datam, ac decretam publicari per omnes Eccleſias. Hinc fuit finis & fructus colloquii iſtius ac diſputationis. Irenæus fuit adeò potens Orator.

Sanctus Cyrillus in ſuis rebus & Actis fuit longè attentiſſimus. Hinc videtur hujus colloquii infeliciſſimum ſucceſſum prævidiſſe. Hinc poſt Irenæi abitum Conſtantinopolim direxit Joan-

Joannem, ſuum Medicum ac Syncellum, cum novis Mandatis ac Relationibus. Non mireris ei fuiſſe domeſticum Medicum. Quod enim Patriarcha Alexandrinus Regium ſtatum, Romani Pontificis ſtatu non inferiorem, tunc haberet, eſt Eruditis exploratum. Exiſtimo non Laicum fuiſſe, ſed Presbyterum aut Diaconum. Erat enim tam ſublimis ac tam Sancti Patriarchæ Syncellus. Quæ dignitas non cadebat, niſi in Presbyteros aut Diaconos. Et licèt hodierni Latinæ Eccleſiæ canones Sacris Clericis interdicant medicæ artis ſtudium ac exercitium, iſtiuſmodi tamen regulas tunc ignorabat Eccleſia. Etenim ad Apellam ſcribit Theodoretus: *Cyri*
Epiſt. 115. *gubernatione ſuſceptu neceſſarias illi artes undequaque comparavi. Tunc autem & Medicinæ peritus, ut eam incoleret, hortatus ſum. Horum unus eſt Religioſiſſimus Presbyter Petrus, qui & artem cum ratione tractat, & hanc moribus exornat.* Scribit hæc in ſui commendationem. Eodem modo
Epiſt. 114. ſcribit ad Andiberim: *Religioſiſſimus Presbyter Petrus Sacerdotii quidem ornatur dignitate, ornatur verò & rationali corporum curatione. Longo autem tempore apud omnes verſatus morum elegantia ſibi omnes devinxit.* Agebat publicum Cyrenſis civitatis Medicum. Etiam inter Edeſſenæ Eccleſiæ Clericos, qui ſuum Epiſcopum Ibam accuſarunt, unus libello ſubſcripſit in hunc modum: *Sabbas Diaconus, qui dicor Medicus.* Exſtat in decima Actione Chalcedonenſis Concilii. Hinc igitur opinor etiam Sancti Cyrilli Medicum Joannem fuiſſe Presbyterum aut Diaconum.

Et ipſe omnes Irenæi fabricas eſt demolitus. Ita docent hæc Epiſtolæ verba: *Advertimus majorem partem Principum quaſi mutatam fuiſſe, ut qui jam ne audire quidem eu à nobis velleat, quæ coram ipſis, vel etiam ab ipſis fuerant judicata.* Caſſinenſis Codex habet emphaſim, & alium utcumque ſenſum: *Judicum plurimos videmus alios quodammodo ab aliis effectos, & à nobis, qui apud eos & ab eis judicati ſumus, nec audire ſaltem quodcumque contenti ſunt.* Etiam hæc verba, *Eoque modo veniſſet, quo ſcitis*, Caſſinenſis Codex exponit: *Et veniſſet, ſicut noſtis, eo more.* Eſt myſterium, quod Irenæus non ex Cyrilli, ſed ex Palatinorum Principum metu non audet enunciare. Affirmat Joannem Medicum veniſſe onuſtum auro, ac per ipſum tranſmutaſſe corda. Et hunc eſſe Cyrilli morem. Iſte igitur Medicus Auguſtam domum diviſit in tres partes atque ſententias. Prima *affirmabat, quæ utrimque facta eſſent, in præſenti valere debere, atque adeò non duarum Perſonarum tantùm, ut aliquando viſum fuerat, ſed trium depoſitionem eſſe confirmandam.* Nempe Neſtorii, Cyrilli, ac Memnonis. Secunda pars & ſententia *cenſebat exauthorationes quidem ex æquo annullandas, illuſtres verò ex piiſſimis Epiſcopis, qui & fidei doctrinam accuratè ad veritatis amuſſim examinent, & quæ Epheſi contra jus & fas acta ſunt, huc accerſendos.* Tertia pars *maximoperè ſtudebat omnemque movebat lapidem, ut manifeſtis Decretis inſtructi à Pientiſſimo Imperatore Epheſum abire ſinerentur, tamquam omnia cognituri, & pro virili compoſituri.* Et tandem Principi placuit prima ſententia. Et cum Sacra ejus Juſſione, plenaque exequendi poteſtate Joannes Sacrarum Largitionum Comes eſt miſſus Epheſum. Sic Irenæus pro Joannis Antiocheni Factione obtinuit multum, aſt amiſit totam cauſam Neſtorii. Nihilominùs inivit gratiam Joannis Comitis, & cum ipſo eſt reverſus Epheſum, ad novas turbas. Quidam cenſent Principi placuiſſe tertiam quoque ſententiam, & ipſam in Joanne Comite fuiſſe cum prima conjunctam: Ei datum fuiſſe Mandatum publicandi ac exequendi trium damnationem, ſimulque facultatem componendi omnia. Et certè quod omnia componere ſtuduerit, eſt exploratiſſimum. Reſpondeo tamen illos falli. Etenim tertia ſententia agebat pro Synodo, & ab ejus procedebat amicis, ideoque adversùs illam Irenæus ſcripſit: *Quod ne fiat, qui vos amant, obnixè deprecantur, certò ſcientes, cujus ſint animi, qui hæc moliuntur, neque neſciunt, quo fine id conſilii cœperint.* At verò Joannes Comes favebat Factioni Orientali, & per ejus fautores fuit tranſmiſſus Epheſum. Deinde, tertia ſententia urgebat Epheſum ablegari viros, qui utriuſque partis Acta diſcuterent ac judicarent; Quod manifeſtè non cadit in Laicum. Tertiò, quidquid Joannes Comes ad pacificandas partes egit, egit proprio motu ad captandam gratiam Principis. Ita Sanctus Cyrillus affirmat in litteris ad Conſtantinopolitanum Clerum ac Populum. Proinde tertia ſententia ſuadebat Epheſum deſtinari illos in Regia tunc civitate degentes Epiſcopos, quorum zeloſiſſimas ad Synodum litteras, & par Synodi ad ipſos Reſponſum habemus in Actis Synodalibus. Eorum nomina erant: Eulalius, Eutrechius, Acacius, Chryſaphius, Jeremias, Theodulus, Iſajas. Eutrechius poſſit eſſe Antiochenus Epiſcopus, Piſidiæ Metropolita, quem Leontius Scholaſticus affirmat ſub Sancti Procli Epiſcopatu frequentem fuiſſe Conſtantinopoli, adeoque fuiſſe adverſatum Neſtorio. Nam & Timotheus Ælurus ac alii Eutychianiſtæ ipſius teſtimoniis ſe armabant. Quod nempe defenderet Sancti Cyrilli Capitula, quæ veſani illi blaterabant eſſe fundamenta ſuæ blaſphemiæ. Iſti igitur Epiſcopi appetebant mitti Epheſum: Et Orthodoxi omnes, præſertim cum ſuis Monachis Archi-Mandritæ, iſtud ipſum poſtulabant. Quin & ipſa Synodus poſtularat, aut certè poſtea poſtulavit. Etenim ſuam, quam poſt executioni mandatam Joannis Comitis Sacram Principi tranſmiſit, Relationem concluſit in hunc modum: *Quod ſi Majeſtati veſtræ, quæ inter nos & illos qui ſe abjunxerunt, acta ſunt, exactius dignoſcere libuerit, Sublimitatem veſtram oramus, ut ad Sanctam Synodum mittat quos probaverit, ut hac ratione de omnibus etiam coram, plenius doceri queat Chriſti amans veſtra Majeſtas.* Videtur factas antea preces iterare. Quidquid ſit, apud circumventum à Neſtorii dilectoribus Principem nihil obtinuerunt.

## Caput XXII.

*Sanƈta Synodus Orientalium Regionum, & horum qui pariter ex diverſis Provinciis ac Partibus congregati ſunt, id eſt, ex Bithynia, Piſidia ſecunda, Paphlagonia, Cappadocia, Europa, Rhodope, Theſſalia, Dacia, inter locuta eſt quæ ſubter annexa ſunt.*

PRopter has, quæ nuper emerſerunt, Eccleſiaſticas quæſtiones convocati ad Epheſum Civitatem ab eis, quibus à Domino Imperium juſta deliberatione commiſſum eſt, & quibus ſunt totius Orbis credita gubernacula, quique regunt ſubditos ſapienter ac piè, impigrè præfatam comprehendimus Civitatem. In modico vero tempore procurrente, propter turbas, quæ ab Ægyptio Cyrillo ſunt factæ, litteræ à piiſſimis Imperatoribus noſtris ſecundò tertiòque venerunt, admonentes ut cum vinculo pacis univerſæ Dei unirentur Eccleſiæ. Et illâ, quæ in Nicæa expoſita eſt à Sanctiſſimis Patribus noſtris, eſſemus fide contenti. Abjectis utique his, quæ nuper orta ſunt, ſcandalis.

Unde & perſuadere tentavimus illos Epiſcopos, qui ea quæ ſunt Ægyptii non renuunt, & expoſitis ſub eo hæreticis Capitulis ſubſcripſerunt, ut auferrent illa, quæ Orthodoxæ Fidei apertè contrariantur, contenti verò eſſent expoſitione, quæ in Nicæa facta eſt, ſecundùm Piiſſimorum Principum ſanctionem. Perſuadere verò illos minimè prævalentes, eoquod illos ſemel tam malè præoccupari contigerit, compulſi ſumus nos, qui ſanæ Fidei permanemus, & nihil ei peregrinum ſubintroduci permittimus, hanc in Scripto exponere, & ſubſcriptionibus Confeſſionem manu propria roborare.

Sufficit enim expoſitio horum verborum, quæ pauca ſunt, & integritatem pietatis edocere, ac ſemitam veritatis oſtendere, & errorem veſaniæ hæreticæ confutare.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium & inviſibilium Creatorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum, qui natus ex Patre, Unigenitus, id eſt, ex ſubſtantia Patris. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non factum, conſubſtantialem Patri. Per quem omnia facta ſunt, quæ in Cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit: Et Incarnatus, & inhumanatus eſt. Paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Adſcendit in Cœlos, ac venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & priùſquam naſceretur non erat. Et quia ex nullis exſtantibus factus eſt, aut ex altera ſubſiſtentia, ſive ſubſtantia, dicentes eſſe vertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Hæc eſt fides, quam Patres expoſuerunt. Primùm quidem contra Arium, blaſphemantem ac dicentem creaturam eſſe Filium Dei. Et contra omnem videlicet hæreſim Sabellii, ac Photini, ac Pauli Samoſateni, Manichæi quoque, atque Valentini, & Marcionis. Et contra omnem videlicet hæreſim, quæcumque contra Catholicam & Apoſtolicam ſurrexit. Quos condemnaverunt trecenti decem & octo in Nicæna Civitate collecti. In hac nos fidei expoſitione univerſi perſiſtere confitemur: Tam nos qui ſumus in Epheſo congregati, quam reliqui quoque Domino amiciſſimi Epiſcopi, qui ſunt in Regionibus noſtris. Profitemur etiam in omnibus, quæ à vobis gerenda ſunt, permanſuros. Obedimus namque Sapienti, qui dixit: *Noli transferre terminos, quos poſuerunt Patres tui.* Prov. 22.
Hæretica verò Capitula, quæ à Cyrillo ſunt nuper expoſita, quibus & Anathematiſmos ſuperfluos ſubjecit ac vanos, quæque etiam vario Decreto ac ſubſcriptione Epiſcoporum roborare tentavit: Hæc itaque alienat ab orthodoxa fide Sancta Synodus, quæ in Epheſo congregata eſt.

### Sanctum Decretum Auctores ejus Confeſſionem Fidei vocaverunt.

### Scholion.

HUjus Conventus, Decreti, ſeu Interlocutionis frequens eſt memoria in Actis Synodalibus. In litteris, quas Joannes Antiochenus, Himerius Nicomedienſis, Theodoretus Cyrenſis, & ipſorum Collegæ ſcripſerunt ad Rufum Archi-Epiſcopum Theſſalonicenſem: *Nos in dogmatibus Beatorum Patrum, qui apud Nicæam convenerunt, perſeveramus, piiſque illorum veſtigiis inſiſtimus. Quam Regulam nos inconcuſſam, inflexamque retinere ſtudemus omnes, qui in Oriente habitamus. Similiter qui Bithyniam, & Paphlagoniam, & Cappadociam ſecundam, & Piſidiam, & Theſſaliam, & Mæſiam, Rhodopemque incolunt, & alii quam plurimi diverſarum Provinciarum.* Et infra: *Miſimus etiam exemplum Scripti, quod Piiſſimo Imperatori noſtro exhibuimus, quo Sanctorum Nicænorum Patrum fides continetur, & Hæretica Cyrilli Capita recens inducta reprobantur, ea nobis judicantibus ab Orthodoxa fide aliena.* Et in ſecunda poſtulatione, quam Factionis Legati è Chalcedonenſi civitate miſerunt ad Principem: *Advenit rurſum Magnificentiſſimus Magiſter Joannes, qui tunc Comes omnium Largitionum, alias iterum afferens litteras, ſignificantes quod à veſtra Majeſtate trium Depoſitiones decretæ ſunt, tollendaque è medio offendicula ſuborta, ſo-*

*lamque*

Google

*Iamque fidem in Nicæa expoſitam à Sanctis Patribus ab omnibus confirmandam*. Joannes ille appellatur Magiſter, & additur: *Qui tunc Comes omnium Largitionum*. Erat promotus in Magiſtrum Officiorum. Clarius id lucebit inferius.

Hujus interlocutionis lucida & inſignis eſt memoria etiam in litteris, quas de Joannis hujus apud Epheſum Actis Sanctus Cyrillus ſcripſit ad Conſtantinopolitanum Clerum ac Populum: *Cum Magnificentiſſimus Vir nihil non tentaverit, quo Joannes* Antiochenus Epiſcopus, *& qui cum eo ſunt, in Sanctæ Synodi Communionem recipiantur, in hodiernum uſque diem ne audire quidem hujuſmodi vocem* Orthodoxi Epiſcopi, veram conſtituentes Synodum, *ſuſtinuerunt, ſed obſiſtunt quidem omnino, & dicant; Fieri non poteſt, ut ad hoc veniamus, niſi quod contra legem ab illis factum eſt diſſolvatur, ac Synodo, tamquam qui deliquerint, ſupplices accidant, & Neſtorium ac illius dogmata Scripto anathematizent. Et in his univerſa Synodi conſiſtit inſtantia. Cum verò hac ſpe Magnificentiſſimus ille Vir fruſtratus eſſet, aliud rurſus excogitavit, & à Sancta Synodo petiit, ut fidei expoſitionem Scripto ſibi exhiberet; at cum illi quoque ipſius impulſu adſenſiſſent ac ſubſcripſiſſent, reverſus diceret: Redegi illos in amicitiam, qui humanis Offenſis inter ſe diſſidebant. Hæc intelligens Sancta Synodus iterum ſurrexit, diſertè dicens: Nolumus nobis met ipſis eam contumeliam irrogare. Non enim tamquam Hæretici huc vocati ſumus, ſed venimus ut fidem labantem ac exagitatam ſtabiliamus: Quam & ſtabilivimus. Nec opus eſt Imperatori, ut fidem nunc diſcat, cum hanc ſciat, & in ea baptizatus ſit. Sed & illud quoque ſciatis, nempe cum fidei expoſitionem componerent, inter ſe contendiſſe, & in ea altercatione etiam nunc verſari. Nam alii ex illis Sanctæ Virgini appellationem Dei-paræ concedunt, ita tamen ut etiam fateantur hominis Matrem; alii verò prorſus negant, adduntque paratiores ſe eſſe, ut manus ſuas amputandas præbeant, quam ut hujuſmodi voci ſubſcribant. Ubique autem turpiter ſe gerunt, Hæreticos ſe declarantes*. Epiſtolam hanc Sanctus Cyrillus ſcripſit ex vinculis.

Aliam hujus interlocutionis non ſolummodo memoriam, ſed etiam primam originem habemus in *Relatione Orientalium ad Imperatorem, cui Symbolum Sanctorum Nicænorum Patrum præpoſuerunt, referentes de Sanctæ & Oecumenicæ Synodi Decretis ſuper libellis, quos Sanctiſſimi Cyrillus & Memnon ipſi obtulerunt. Fuit autem Relatio hæc ad Irenæum Comitem miſſa, & per ipſum Imperatori exhibita*. Cyrillus & Memnon à fœdo, quod ipſis Joannes Antiochenus inflixerat, degradationis elogio ſtatim provocarunt ad Synodum. Et Synodus aliquid decrevit: Etiam ante Romanorum Legatorum adventum. Immo ante adventum Joannis Comitis Sacrarum Largitionum. Et forſitan ante diſceſſum Irenæi. Quidquid ſit, hæc Relatio eſt Conſtantinopolim miſſa ad ipſum ideoque poſt illius ex Epheſo abitum. Et poſt varia concludit: *Ad hæc Pietatem veſtram obnixè obteſtamur, ut omnibus præcipiat, ut fidei in civitate Nicæna expoſitæ, quam huic quoque Epiſtolæ noſtræ præpoſuimus, ſubſcribant, nihilque peregrinum ipſi adſuant, neque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe purum Hominem dicant. Nam & Deus perfectus eſt, & Homo perfectus. Neque Chriſti Deitatem paſſibilem inducant. Utrumque enim æque temerarium eſt*. Relatio poſtulat tria. Primò, ut utraque pars profiteri ac ſubſcribere jubeatur Nicænum Symbolum. Deinde, ut illi nihil ſuperaddatur peregrinum. Hoc eſt, ut damnentur aut certè proſcribantur Cyrilli Capitula. Præſertim duodecimum, quod Deum, adeoque & ipſam Deitatem tradit paſſibilem & paſſam. Hoc enim Factio firmiſſimè cenſebat dogmatizari ab iſto Capitulo. Et iſtam ſuſpicionem poſtmodò validiſſimè firmarunt & auxerunt quædam verba Acacii Melitinenſis Epiſcopi, apud Chalcedonem dicta coram ipſo Principe. Relatio poſtulat tertiò, ut omnes Chriſtum Dominum profiteantur verum ac perfectum Deum, nullatenus purum hominem. Credebat etiam Neſtorium ab hoc articulo non diſſentire. Et his tribus admiſſis ſpondebat fore plenam pacem, auferendas omnes diſcordias, exſufflandas omnes Damnationes: Nempe Neſtorii, Cyrilli, ac Memnonis.

Et Concilium Theodoſio non diſplicuit. Etenim ſacræ ſuæ Juſſioni, quam per Joannem Comitem miſit ad utramque partem, poſt confirmatam trium perſonarum damnationem inſeruit: *Ex aliis autem apud vos geſtis agnovimus Chriſtianam vos ſervare fidem & rectitudinem, quam à Patribus & Majoribus accepimus, quam etiam Sanctiſſima Synodus ſub Conſtantino Divæ memoriæ celebrata conſentiens confirmavit. Quamobrem unuſquiſque Sanctiſſimæ veſtræ Congregationis operam dabit, ut omni controverſia ſoluta, omnibuſque ſcandalis exciſis cum pace & concordia domum revertatur*. Adjungit ſe hæc ſancire ex ſuaſu Acacii Berrhæenſis Epiſcopi, qui propter ætatis, ſcientiæ, ac experientiæ eminentiam tunc temporis habebatur, ac paſſim appellabatur Pater ac Magiſter omnium Epiſcoporum. Licet Sacra diſertè non damnet Cyrilli Capitula, eorum tamen damnationem apertè ſupponit ac involvit. Etenim confirmat damnationem Cyrilli, factam ob ſola Capitula. Eadem ratione ſupponit atque involvit damnationem articuli aſſerentis Dominum Jeſum Chriſtum eſſe purum hominem. Quia nempe confirmat damnationem Neſtorii, damnati ob iſtum articulum. Acacius propter ſenium non venerat Epheſum. Hinc igitur Theodoſius Factionis Relatione miſit Berrhæam, & exquiſivit iſtius Senis judicium. Et quid iſle poterat, niſi probare Senſa & Acta Joannis, ſui Metropolitæ ac Patriarchæ? Hinc igitur Relationem æſtimavit Princeps, & ex ipſa formavit ſuam Sacram. Et huic adjunxit Acacii ad ſe reſcriptas litteras. Quæ omnia paucis diebus non potuerunt peragi, ideoque Sacra videtur non fuiſſe expedita, niſi ad finem Julii, Joannes Comes non adveniſſe Epheſum, niſi circa medium Auguſti.

Porrò ipſe poſt publicatam trium Epiſcoporum damnationem, ipſoſque in cuſtodiam traditos, conatus eſt reliquos utriuſque partis Præſules adunare, ac præſertim Neſtorii Damnato-

ribus reconciliare Joannem Patriarcham, ac ejus Collegas. Verùm omnes Orthodoxi conſtantiſſimè obſtiterunt dicentes: *Fieri non poteſt, ut ad hoc veniamus, niſi quod contra legem ab illis factum eſt diſſolvatur, ac Synodo, tamquam qui deliquerint, ſupplices accidant, & Neſtorium ac illius dogmata Scripto anathematizent.*

Voluerunt ante omnia non ſolummodo exſufflari Cyrilli ac Memnonis damnationem, ſed inſuper Joannem ac ejus Epiſcopos de tanta temeritate ac injuria pœnitere, & Synodo ſupplices flagitare veniam. Quod ipſum Sacra Synodus largè expoſuit in miſſo per Joannem Comitem Reſponſo ad Principem. Nec ſine fundamentis. Etenim Apoſtolicæ Sedis nova Legatio tunc advenerat, Joannis & collegarum audaciam exſufflarat, Cyrillum ac Memnonem repoſuerat in plenam dignitatem, ac Joannem & ejus Complices Eccleſiaſtica communione privaverat. Iſta enim Legatio primam Synodalem Actionem celebravit, & Cyrillum ac Memnonem reparavit ſexto idus Julii; decimo autem Sexto Calendas Auguſti in quinta Actione Joannem & ejus Complices proſcripſit extra Eccleſiam. Hinc ſtupenda eſt Joannis Comitis audacia, qui adversùs Apoſtolicæ Sedis ac totius Synodi Judicium non erubuit patrare talia.

Ita fruſtratus excogitavit aliud. Omnibus enim modis diſcordiam hanc ſopire ſtuduit, Epiſcopos cum pace ad propria remittere, atque ita glorioſus redire Conſtantinopolim. *A Sancta Synodo petiit, ut fidei expoſitionem ſibi Scripto exhiberet.* Quod ipſum omnino exegit à Factione Joannis Antiocheni. Nempe Nicæni Symboli profeſſionem, damnationemque duodecim Capitulorum, ac præfati Neſtoriani articuli. Verùm Sancta Synodus eſt denuò refragata, ac intrepide dixit; *Nolumus nobis ipſis eam contumeliam irrogare. Non enim tamquam Heretici huc vocati ſumus, ſed venimus ut fidem labantem & exagitatam ſtabiliamus, quam & ſtabilivimus. Nec opus eſt Imperatori, ut fidem nunc diſcat, cum hanc ſciat, & in hac baptizatus ſit.* Noluerunt vel Nicænum profiteri Symbolum. De ipſo palam loquuntur. Loquuntur enim de Symbolo, in quo Imperator fuerat baptizatus. Et fundata fuit iſta conſtantia. Etenim Apoſtolici Legati omnia Synodi circa fidem ac Neſtorii perfidiam Acta diſcuſſerant ac ſtabiliverant. At verò Joannis Factio obedivit. Per omnia ſtuduit placere Laico Principi, atque ita ſua Attentata per Laicam violentiam firmare. Edidit præſentem interlocutionem.

Ipſa Græcè & Latinè reperitur in Actis Synodalibus. Hæc eſt alia translatio, & habet quædam diſcrimina: Hinc duxi vulgandam. Primum diſcrimen eſt, quo Caſſinenſis translatio Provincias, quæ ſimul cum Orientali Diœceſi adfuerunt huic Conventui, ponat alio ordine, eiſque detrahat Mœſiam, & addat Daciam. Et quidem Mœſiam, utique ſecundam, ſpectantem ad Thracicam Diœceſim, admodum male omiſit. Etenim Dorotheus Martianopolitanus Epiſcopus, Metropolita iſtius Mœſiæ, fuit non modica pars hujus conventiculi. An rectè addiderit Daciam, ignoro. Plurimum dubito. Etenim præfatas omnes Provincias Joannes Antiochenus & quidam ejus Collegæ denuò laudant in litteris ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Similiter qui Bithyniam, & Paphlagoniam, & Cappadociam ſecundam, & Piſidiam, & Theſſaliam, & Mœſiam, Rhodopemque incolunt, & alii quamplurimi diverſarum Provinciarum.* Hos omnes affirmant ſibi conſentire. Nulla eſt memoria Daciæ. Poſſit tamen comprehendi ſub voce: *Diverſarum Provinciarum.* Præſertim quia hic omittitur etiam Europa, cujus tamen Metropolita Fritilas fuit inter Primores hujus Factionis. Secundum diſcrimen eſt, quod Caſſinenſis translatio nobis adducat Piſidiam ſecundam, hactenus ignotam. Etenim Piſidia olim quidem, videtur quod ab Imperatore Valente, fuit diviſa, attamen non in primam & ſecundam, ſed in Piſidiam ac Lycaoniam. Proinde eſt mendùm, Emendandum eſt cum vulgata translatione, ac ipſo etiam originali textu: *Cappadocia ſecunda.* Etenim Eutherius Thyanenſis Epiſcopus, ſecundæ Cappadociæ Metropolita, fuit pertinaciſſimus hoſtis Epheſinæ Synodi.

Adn. Nor. Julianus Sardicæ Metropolita Daciæ erat cum Jo: Antiocheno ex cap 6.7. ac 109.

Diſcrimen tertium eſt, quod vulgata translatio habeat hanc ſubſcriptionem: *Joannes Epiſcopus Antiochiæ Orientalis Sanctæ Fidei præſcriptæ conſenſi.* Et Actorum Compilator adjunxit: *Subſcripſerunt autem ſimiliter & reliqui ipſorum Epiſcopi, qui etiam per Epiſtolam, quæ ſubjungitur, Rufum Epiſcopum, ut ipſis auxiliaretur, rogaverunt.* Quæ ſubnotatio nos docet aliqua non inutilia. Primò, quod hodierna Synodalium Actorum compilatio ſit alterata, & non parum differat ab antiqua. In antiqua præſentem interlocutionem ſequebatur conformis ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſtola, ipſam exponens & commendans, imploranſque Rufi patrocinium. Temporis injuria ipſam amiſit, aut certè abſcondit. Fuit omninò alia ab iſta, quam adhuc retinemus in Actis Synodalibus. Hæc enim habet hanc adnotationem: *Epiſtola quorumdam Orientalium, qui Conſtantinopolim miſſi fuerant, ad Rufum Epiſcopum.* Fuit non Epheſi data, ſed Conſtantinopoli, ſeu potius Chalcedone. Lucet ex finalibus verbis: *Quoniam verò juxta Piiſſimi Imperatoris Mandatum in civitatem Conſtantinopolitanam venimus, adſcripſimus etiam exemplum Mandati à Sancta Synodo nobis dati, quo Provinciæ in illo recenſitæ dignoſcantur. Eas enim à Metropolitarum ſubſcriptionibus Sanctitas tua cognoſcet.* Prior Epiſtola ab omnibus Conventiculi Epiſcopis, hæc autem ſubſcripta fuit à ſolis octo ejus Legatis. Quare errat hoc ad præſentem interlocutionem marginale Scholion; *Epiſtola hæc ad Rufum habetur infra ſuo loco, juxta ſeriem rerum geſtarum.* Quartum tandem harum translationum diſcrimen eſt, quod noſtra Caſſinenſis in fine addat: *Sanctum Decretum authores ejus confeſſionem fidei vocaverunt.* Exiſtimo eſſe additamentum Irenæi, qui primus compilavit hæc Acta. Affirmat hanc interlocutionem Conventiculo fuiſſe adeo Sanctam, ut ipſam appellaverint confeſſionem fidei.

Hoc

Hoc eſt, ei voluerunt eſſe authoritatem Symboli.

Quæſtio prima eſt, Quid ſibi velint hæc verba: *Secundis ac tertiis deſtinatis Pientiſſimorum Imperatorum litteris?* Etenim Theodoſius primas per Palladium Magiſtrianum, ſecundas ſuas ad Epheſinam Synodum litteras miſit per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem, tertias non novimus: Quæ igitur ſunt hæ tertiæ? Reſpondeo de tertiis hiſce litteris non eſſe dubitandum. Nam & noſtra translatio lucidè habet: *Litteræ à Piiſſimis Imperatoribus noſtris ſecundo, tertioque venerunt.* Proinde hæ tertiæ litteræ, quæ haud dubiè ad Joannis Comitis Relationem, ac poſtulationem venerunt, perierunt aut latent. Orthodoxi Epiſcopi Apoſtolicis Celeſtini Papæ litteris ac Legatis potius crediderunt ac obedierunt, quam per Joannis Comitis artes extortis circumſcripti Principis Juſſionibus. Quod bonus Theodoſius fuerit circumſcriptus, poſteriora ejus Acta demonſtrant. Etenim à Romanæ Eccleſiæ Decretis inſtructus, de Cyrilli ac Memnonis degradatione nullam deinceps fecit memoriam, ſed ambos uti integros Antiſtites permiſit redire ad ſuos Thronos. Et Cyrillum permanere Concilii Præſidem. Et Neſtorium ut legitimè degradatum abegit è Synodo, ac relegavit ad ſuæ profeſſionis domum, ad Sancti Euprepii Monaſterium in Suburbano Antiochiæ. Tertia iſta ejus ad Synodum Epiſtola fuit forſitan miſſa ad Joannis Comitis Epiſtolam, quæ exſtat in Actis Synodalibus. Quidquid ſit, ex his omnibus docemur Joannem Comitem non modico tempore fuiſſe moratum Epheſi. Studebat enim componere diſcordiam, Synodumque cum bona gratia dimittere, & ſic glorioſus redire ad Principem.

Secunda quæſtio eſt, Quomodo præſens interlocutio dicat de Sancti Cyrili Capitulis: *Quæ Cyrillus Epiſcoporum calculo ac ſubſcriptione roborare conatus eſt?* Caſſinenſis translatio habet. *Quæ etiam vario Decreto ac ſubſcriptione Epiſcoporum roborare tentavit.* Quæſtio eſt, quando Sanctus Cyrillus iſta tentaverit? Quidam cenſent factum in decurſu Synodi, dum evenit quod habet præfatio ad primam Sancti Cyrilli pro ſuis Capitulis Apologiam: *Explanatio duodecim Capitum, Epheſi pronuntiata à Cyrillo Archi-Epiſcopo Alexandrino, Sancta Synodo clariorem illorum declarationem exigente.* Exiſtimant Sanctum Cyrillum tunc primò apud omnes, deinde quibuſdam recuſantibus apud varios inſtitiſſe, ut ita explanatis Capitulis ſubſcriberent. Reſpondeo interlocutionem ad iſta nullatenus reſpexiſſe. Iſta enim explanatio tunc necdum facta fuerat, immo nec poſtulata. Poſtulata fuit propter hos ac alios ſimiles, ſine interpolatione iteratos, Joannis Patriarchæ ad totum Mundum clamores. Interlocutio igitur ſe-met ipſam in ſuperioribus abundè exponit: *Conati ſumus Epiſcopos cum Ægytii Cyrilli ſententia facientes, Hæreticiſque illius expoſitis Capitibus adſtipulatos inducere, ut Capita condemnarent.* Agunt de omnibus Orthodoxis Epheſinæ Synodi Epiſcopis: Exiſtimarunt ab ipſis Capitula fuiſſe canonizata, & confirmata ſingulorum ſubſcriptionibus. Nam & propter hoc omnem Synodum excommunicarunt. Proindè de Synodi Actis non fuerunt rectè inſtructi, atque ita præcipitarunt iniquum judicium.

Quæſtio tertia eſt, Quomodò interlocutio affirmet Nicænum Symbolum non dumtaxat adversùs Arium, ſed emanaſſe etiam adversùs Valentinum, Marcionem, Manichæum, Sabellium, Photinum, ac omnem hæreſim? Præcipua difficultas eſt de Photino. Hunc enim conſtat eſſe Nicæna Synodo poſteriorem. Fuit diſcipulus Marcelli Ancyrani Epiſcopi, cujus errores non niſi poſt Synodum cœperunt apparere, & qui ipſos, licet doloſè, purgavit tamen in Sardicenſi Synodo. Reſpondeo idem ſcribi à libro Pontificali in vita Sancti Sylveſtri: *Hujus temporibus factum eſt Concilium in Nicæa Bithyniæ. Epiſcopi trecenti octodecim. Et damnaverunt Arium, Photinum, & Sabellium, vel ſequaces eorum.* Ibidem laudatur etiam Romana Sancti Sylveſtri Synodus, atque adjungitur: *Et damnavit iterum Arium, & Photinum, & Sabellium.* Iſtud ipſum habet antiqui Græci Scriptoris libellus Synodicus: *Sancta Synodus contra omnem hæreſim expoſuit Divinam fidei diſciplinam, Arii videlicet, Sabellii, Photini, Pauli Samoſateni, Manetis, Valentini, Marcionis, & eorum qui cum ipſis ſentiunt.* Conſonat & eruditus ille adversùm Ne- Cap. 3.
ſtorianos ac Eutychianos Scriptor, quem Jacobus Gretzerus cenſuit eſſe Sanctum Anaſtaſium Sinaitam. Affirmat à Nicæna Synodo præter Arium eſſe damnatum etiam Sabellium, & adjungit: *Damnavit etiam Photini Hæreſim, quæ diceret Chriſtum & Divinitatis & Humanitatis prin-* Cap. 5.
*cipium habere ex Maria, atque ſecundum increatam ipſius Divinitatem præſtare ſæculis.* Rectè affirmat non Photini perſonam, ſed ejus hæreſim eſſe damnatam à Nicæna Synodo. Eadem ratione Magnus Leo ac alii Patres frequenter aſſerunt etiam Neſtorii ac Eutychetis Hæreſes eſſe ibidem damnatas. Eundem igitur in ſenſum accipi oportet & Pontificalem librum, & libellum Synodicum. Ex quo lucet librum Pontificalem à quibuſdam malè vapulare quaſi de imperitia.

## CAPUT XXIII. –III

### *Mandatores Synodi Orientalis Epiſcopi, & reliquorum qui pariter in Epheſum congregati ſunt, ad Legatarios ſuos.*

SAncta Synodus, quæ in Epheſum per Dei gratiam congregata eſt, Domino Amiciſſimis atquè Sanctiſſimis, Joanni Arebi-Epiſeopo Antiochenorum Magnæ Civitatis, & Joanoi Epiſeopo Damaſcenorum Metropolis, & Himerio Epiſeopo Nicomedienſium Metropolis, & Paulo Emeſenorum Civitatia Epiſcopo, facienti ſermonem pro Cyro Epiſcopo, & pro Sanctiſſimo & Sacratiſſimo Berrhææ Acacio, & Macario Laodicenſi Epiſeopo Civitatis, facienti ſermonem pro Cyro Epiſcopo Metropolis Tyriorum, & Apringio Epiſcopo Civitatia Chaleidenſium, facienti ſermonem pro Alexandro Epiſcopo Apamenorum Metropolis, & Theodoreto Epiſeopo Cyreoſium Civitatis, facienti ſermonem pro Alexaodro Epiſcopo Hierapolitanorum Metropolis: Præſeotea præſentibus mandamus quæ ſubter anneza ſunt.

Quooiam propter Eccleſiaſticam cauſam, propter quam Univerſi ſumua in Epheſum congregati, nune Religioſitas noſtra ſecundùm Piiſſimorum Principum noſtrorum Decretum evocata eſt ad magni nomiois Conſtantinopolim, ad concertandum pro veritate ae Fide Sanctorum Patrum, rectiſque Dogmatibus, non autem præcepti ſumus Univerſi adeſſe nobiſeum, oportet omnium noſtrum vobis maoifeſtam fieri voluntatem, quia permanemus in eis, ae firma putamus, quæ à nobis geruntur, & ad Domini timorem pertineot, & ad Eccleſiaſticam pacem, & otdiois tranquillitatem.

Ob hoc præſens vobis Mandatorium fecimus, per quod mandamus atquè concedimus integerrimam, quam vobis tradimus, poteſtatem, quam nos quoque ipſi præſentes habemus: Ut cum, Deo juvaote, ad prædictam perveneritis Maximam Civitatem, tum ſi oportuerit, ut coram Piiſſimo Principe, aut in Conſiſtorio, vel coram Sacro Senatu, ſive præſenta Synodo, de his quæ io quæſtionem venerunt, ſermonem moveri contigerit, hunc cum nobis condecente fiducia, ſapientiaque, ac diligentia moveatis, pro Eccleſiarum utilitate communi. Et ſuſeipiatis certamen pro omnibus nobis, ità videlicet ut nos quoquè permaoeamus, perſeveremuſque, & amplectamur verba oniverſa, quæ de hae cauſa geruntur, & fueriot geſta. Si verò & uſque neceſſariom fuerit, pacto vel pace Eccleſiaſtica, vel re qualibet alia exigente, ut pro oobis omnibus ſubſcribatis.

Et hoc ipſum veſtram quæſumus Sanctitatem, ut indubitatè faciatis, pro hoc quod communiter proficit univerſis, & pro gloria Domini Chriſti. Si verò nobis huc etiam Synodicum viſum fuerit deſtinari, eui ſubſcriptione omnium ſit neceſſe, univerſi communiter ae ſingulatim quiſque profiteiur huie eum tota devotione ſubſcribere, atquè ad pium tranſmittere Comitatum. Illa tameo conditione ſervata, ut omnibus modis hæretica illa Capitula, quæ à Cyrillo Alexandrino Nicænæ Patrum ſubintromiſſa ſunt Fidei, cum anathematibus expellantur, ſieut quæ aliena ſunt à Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

### Et ſubſcripſerunt huic Mandatario Univerſi Orientales Epiſcopi.

### SCHOLION.

POſtquam nec Joannes Sacrarum Largitionum Comes, nec ſecundæ ac tertiæ Principis litteræ potueruot pattes io concordiam trahere, atque ita Synodum cum pace dimittere, Theodoſius Imperator probavit ſecundam ſuorum Palatinorum, & haud dubiè etiam Adveoarum Epiſcoporum ſenteotiam, quam ſupra audivimus à litteris Irenæi Comitis: *Alii Illuſtres ex Epiſtopis, qui & fidei doctrinam accuratè ad veritatis amuſſim examinent, & quæ Epheſi contra jus & fas acta ſunt, huc acterſendos cenſent.* Cenſebant noo aliundè, ſed quoſdam ex ipſa Synodo evocandos Epiſcopos. Diſertè hoc expreſſit Caſſioenſis translatio: *Alii verò quidam dicunt: Rationes quidem æquè ſolvi debent cunctorum, cæteros verò ex Dei Amantiſſimis Epiſcopis huc convenit evocari, ut rationes fidei eorum cum veritate quærantur. Et illa, quæ iniquè in Epheſo facta ſunt.* Et hoc ipſum omnis Synodus poſtulavit à Principe. Etenim ſuas, quibus de allata per Joannem Comitem Sacra graviſſimè queritur, ad Theopempum, Potamionem, & Danielem, ſuos in Regia civitate Epiſcopos, nec noo ad ejuſdem Eccleſiæ Clerum litteras ſie concluſit: *Pientiſſimum Imperatorem de his certiorem facite, ac totius Synodi nomine ſupplicate, ut noſtri miſertus ex hoc tandem ſpecioſo ergaſtulo nos revocet. Et ſi quidem digni ſumus, qui pientiſſimi Imperatoris faciem videamus, id fieri mandet; ſi verò indigni judicemur, quibus hoc obtingat, ſaltem ad Eccleſias noſtras redire nos ſinat, ne hic univerſi, alii morbis, alii mæſtitia conſumpti, pereamus.* Et litteris ſubjunxerunt hanc ſubnotationem: *Necamur æſtibus, cum aeres ſint graves, & penè quotidie aliquis ſepelitur.* Et hujuſmodi plura. Ipſa etiam Orieotalis Factio idem expoſtulavit. Ejus enim adverſus Cyrilli & Memoonia Synodalem reparationem Relatio habet: *Rogamus Majeſtatem veſtram, ut nobis inſidiis appetitis ſuccurrat, & hinc liberatos ad Regiam civitatem evocet, ut coram Pietate veſtra illorum iniquitatem & impietatem redarguamus. Perſuaſum enim habemus fieri non poſſe, ut*

legitimo

*legitimo ordine, quæ propoſita ſunt, conſtituantur, niſi veſtræ Majeſtatis Authoritas intercedat. Quod ſi hoc Serenitati veſtræ non probatur, ſupplicamus Nicomediam accerſiri, ut expeditè, quæ acta ſunt, Dominationi veſtræ ſignificemus, veſtræque Pietatis Sanctiones accipiamus.* Et in litteris ad Sacri Cubiculi Præfectum: *Obſecramus veſtram Magnificentiam, ne nos tantis hiſce malis undique cinctos negligat, ſed evidenti mortis diſcrimini eximat, efficiatque ut ad Regiam civitatem accitis fidei noſtræ rationem reddere, ac prædictorum virorum hæreſim, incredibilemque iniquitatem liceat commonſtrare. Nam niſi hoc fiat, peribimus funditus, atque illorum furtis pabulum futuri ſumus.* His igitur cunctis permotos Imperator ex quavis parte evocavit octo. Per novam Sacram. Et hæc fuit quarta ejus ad Synodum Epiſtola. Eos evocavit Conſtantinopolim.

Evocationis tempus diſcimus ex laudata Sanctæ Synodi ad ſuos Conſtantinopoli Legatos, ac ejuſdem civitatis Clerum Epiſtola: *Pietas veſtra ſciat Epheſum, perinde ac carcerem, prorſus nos inhabitare, in qua jam trimeſtre ſpatium uſque adeò arctè incluſi tenemur, ut neque per mare, neque per terras liberè, & abſque diſcrimine quempiam omninò vel ad pium Comitatum, vel in aliquem alium locum amandare queamus.* Synodus fuerat indicta in diem Pentecoſtes: Et omnes præter Joannem Antiochiæ Patriarcham ac ejus Collegas Epiſcopi adfuerant in exordio menſis Junii. Proinde iſtud trimeſtre ſpatium, licet non completum, eſſe non potuit ante medium Auguſti. Miſſa tunc ad Principem fuit Synodalis ſupplicatio. Quare evocatoria Sanctio nequit advenisse Epheſum, niſi circa medium Septembris.

At his plurimum obeſt Epiſtola, quam Factionis Legati Chalcedone ſcripſerunt Epheſum ipſa die, qua ſperabant audiri à Principe. Scripta eſt undecima menſis Gorpiæi, id eſt, quarta die Romaoi Septembris. Et tunc iſti per plures dies fuerant Chalcedone. Quomodo igitur evocatoria Sanctio non niſi ad Septembris medium pervenit Epheſum? Eſt non modica difficultas. Ego aliud neſcio, niſi quod præfata Catholicorum ſupplicatio non fuerit ipſorum prima: Quod & aliam priorem fecerint, & quod ad hanc Imperator ipſos evocarit. Nam quod evocatio ad ipſorum preces provenerit, mox audiemus. Et ſic ambarum partium Legati poſſint ad Auguſti finem perveniſſe Chalcedonem.

Joannes Sacrarum Largitionum Comes tunc adhuc degebat Epheſi, ideoque & utriuſque partis Epiſcopos videtur deduxiſſe Chalcedonem. Hoc ſuadet Synodalis, per octo ejus Legatos tranſmiſſa, ad Principem Relatio: *Quoniam Pietas veſtra, nunc etiam noſtra ſupplicatione inflexa, per Joannem Magnificentiſſimum Comitem hortata eſt, ut œcumenica Synodus ex piiſſimis Epiſcopis, quot approbaverit, ad veſtram Majeſtatem mittat, qui univerſum rerum noſtrarum ſtatum coram exponat, propterea gratiis veſtræ Majeſtati actis, ſelegimus &c.* Notanda ſunt verba: *Noſtra ſupplicatione inflexa.* Oſtendunt evocationem factam ad preces Orthodoxæ Synodi. Præterea de mendacio convincunt primam poſtulationem, quam Orientali Factionis Legati Chalcedone miſerunt ad Principem: *Horum teſtis eſt Magnificentiſſimus Magiſter, qui nobis & illis tertiò & quartò convocatis, & hæc nec prætendere audeat propter illorum inobedientiam, operæ pretium duxit poſt hæc nos huc evocare.* Ex hiſce verbis diſcimus plura. Primò, quod Joannes Conſtantinopolim redux ſtatim è Largitionum Comite fuerit provectus ad Dignitatem Magiſtri officiorum. Haud dubiè ob Epheſinos labores. Secundò, quod Epheſi cum Epiſcopis quatuor Conventus egerit. Tertiò, quod utriuſque partis Epiſcopos evocaverit ad Principem. Quartò, quod iſtud fecerit compulſus à Cyrilli contumacia. Et hoc eſt evidens mendacium. Utraque igitur pars è ſuo gremio elegit octo doctiores, & ipſos ablegavit Conſtantinopolim. Item utraque pars ſuis Legatis dedit certas facultates, inſtructiones, & Mandata. Et hoc eſt facultatum ac Mandatorum inſtrumentum, quod ſuis dedit Orientalis Factio. Exſtat in Actis Synodalibus. Duxi tamen & hanc Caſſinenſem tranſlationem vulgandam. Habet enim aliqua notanda diſcrimina. Primùm eſt, quod vulgata tranſlatio Paulum Emeſenum Epiſcopum ſolius abſentis Acacii Berrhæenſis, Caſſinenſis autem Codex ipſum etiam Cyri Tyri Metropolitæ, præſentis apud Epheſum, faciat Vicarium. Ejuſdem Cyri vices dat etiam Macario Laodicenſi. Poſſit eſſe mendum Scriptoris, qui Cyri nomen his per errorem ſcripſerit. Nam quomodo Cyrus poſuiſſet duos Vicarios? Poſſit tamen poſuiſſe. Quidquid ſit, vulgata tranſlatio rectè diſtinguit inter has Epiſcopales vices. De Paulo Emeſeno dicit: *Qui idem Acacii Berrhæenſium Epiſcopi perſonam in loquendo gerit.* At verò de Macario Laodicenſi aliter loquitur: *Qui etiam pro Cyro Epiſcopo verba facturus eſt.* Nempe Paulus etiam apud Epheſum in Synodo repræſentabat abſentem Acacium, at verò Macarius præſentem Epheſi Cyrum erat repræſentaturus dumtaxat Conſtantinopoli. Eodem modo Apringius Chalcidenſis & Theodoretus Cyrenſis erant repræſentaturi ſuos Epheſi præſentes Metropolitas. Cyrus & Alexander pro Factionis cauſa erant ardentiſſimi, ideoque voluiſſent eſſe Legati. At quia ex rationibus non poterant, ſuas vices voluerunt dictis Epiſcopis ſuperaddere.

Alterum diſcrimen eſt, quod Caſſinenſis tranſlatio omittat Alexandri Hierapolitani & Dorothei Martianopolitani ſubſcriptionem, & ſimpliciter dicat: *Et ſubſcripſerunt huic Mandatario univerſi Orientales Epiſcopi.* Haud dubiè etiam Cappadoces, & Piſidæ, & Thraces, aliique omnes adhærentes Orientalibus. Etenim Dorotheus palam erat ex Thracica Diœceſi. Porrò vulgatus Tranſlator non ſine cauſa expreſſit duas iſtas ſubſcriptiones. Forſitan quod ſcriptæ eſſent cum ſingulari impetu. Præſertim contra Cyrilli Capitula. Aliorum ſubſcriptio haud dubiè poſſet nos docere aliquid: Verùm huc uſque nos latet. Notanda ſunt verba: *Poſteaquam tu magnam il-*

*lam*

*Jam civitatem perveneritis*. Edicunt quod hi Legati non Chalcedonem, ſed omnino evocati fuerint Conſtantinopolim. Quod ipſum lucet ex his verbis: *Ad celeberrimam Conſtantinopolitanam urbem evocati ſumus*. Et cum iſta ſpe atque opinione læti exierunt Epheſo. At per viam Joannes Comes alia eis dedit Mandata: Eos juſſit ſubſiſtere Chalcedone, & iſtic præſtolari ulteriorem nutum Principis. Nempe Theodoſius paulatim docebatur ſaniora, & Regiam civitatem metnebat ab eis turbandam.

Quæſtio eſt, Quid ſit audiri coram Imperatore, quid in Senatu, quid in Conſiſtorio? Quomodo hæc tria differant? Reſpondeo differentiam pendere à notitia Imperialis Conſiſtorii, de quo in Scholio ad tertiam legem Tituli de officio Judicum omnium in Theodoſiano Codice ſcribit Jacobus Gothofredus: *Conſiſtorium, quod notiſſimum jam, locus eſt, ubi cum conſilio ſuo Imperator, ubicumque tandem id ſit, conſiſtit, & exinde agit, delíberat, decernit. Etiam in Theatro.* Decernit non ſolnmmodo privata, ſed & publica negotia. Et hæc eſt ejus differentia ab Auditorio. In hoc enim ſola privata tractabantur. Hinc plures in ntroque Codice leges habent hanc ſubſcriptionem: *Actum in Conſiſtorio*. Porrò iſtud Principis conſilium non erat quodcumque aut qualecumque, ſed ſingulare, conflatum ex ſolis Conſiſtorialibus Comitibus, ideoque dictum Conſiſtoriale conſilium. Etenim inter varias Imperialium Comitum claſſes erant etiam Comites Conſiſtoriani. Et ſanè non infimi. Etenim apud Caſſiodorum habemns hanc formulam: *Comitivam primi Ordinis largimur, ut Conſiſtorium noſtrum ingrediaris*. Proinde erant primi Ordinis. Inſtitutum Magni Conſtantini. Alii Conſiſtorium dumtaxat ingredi, alii poterant etiam & delibesare. Item alii in Conſiſtorio, alii erant intra Conſiſtorium. Quod Principi adſiderent, apud Flavium Vopiſcum in Aureliani Imperatoris vita lucet ex Acholio, qui dicto Principi fuit Magiſter Admiſſionum. Quidam volunt aliquos etiam ſtetiſſe. Et hanc fuiſſe unam ex iſtorum Comitum differentiis. Et ab horum conſiſtantia dictum fuiſſe Conſiſtorium. Probant ex Sancti Ambroſii ad Valentinianum ſecnndum Imperatorem litteris, ſcribentis de Tyranno Maximo: *Ubi ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus ſum. Adſurrexit, ut oſculum daret. Ego inter Conſiſtorianos ſteti. Hortari cœperunt alii, ut adſcenderem; vocare illi, &c.* Per Conſiſtorianos exiſtimant à Sancto Ambroſio intelligi Conſiſtoriales Comites inferioris Ordinis.

At certum eſt labi. Etenim in Scholiis ad arcanam Procopii Cæſarienſis Hiſtoriam rectè ſcribit Nicolaus Alemannus: *Conſiſtorium vocabatur à conſiſtente multitudine, & Principis Audientiam poſtulante*. Nam & hodie ad Romanum ſummi Pontificis, quod ex Imperii forma deſumptnm eſt, Conſiſtorium conſiſtit mnltitudo. Sanctus igitur Ambroſius queritnr ſe à Maximo fuiſſe adeò deſpectum, ut intra primnm velum debnerit in Conſiſtorio ſtare, & iſtic quaſi unus è Populo loqui. Hunc ſuum ſenſum lucidè exponit in ſuperioribus: *Cum perveniſſem Treveros, poſtridie proceſſi ad Palatium. Egreſſus eſt ad me vir Gallicanus, Præpoſitus Cubiculi, Eunuchus Regis. Popoſci adeundi copiam: Quæſivit, num Reſcriptum haberem veſtræ Clementiæ. Reſpondi habere. Retulit non poſſe me, niſi in Conſiſtorio videri. Dixi non eſſe hunc morem Sacerdotalem: Certè eſſe aliqua, de quibus ſecretò deberem cum ſuo Principe confabulari. Quid plura? Conſuluit eum, ſed eadem referenda credidit, ut liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à noſtro munere, ſed me recepto officio non defuturum, gratam mihi eſſe humilitatem, in tuo præſertim, & quod verum eſt, Fraternæ pietatis negotio*. Sanctus Ambroſius erat Valentiniani Legatus, ideoque ipſnm non ut Epiſcopum, ſed ut Legatum tractavit Maximus: Ipſnm privatim ſolum ſolus in ſuo Sacro Cubiculo andire noluit, ſed dumtaxat publicè in Conſiſtotio. Principum enim Legati conſueverant iſtic auditi à Romanis Imperatoribus. Attamen non penitns neglexit debitam Epiſcopo reverentiam. Etenim in pleno Conſiſtotio præter morem adſurrexit, & Ambroſium voluit honorare publico oſculo. Et Ambroſius, ne recepto Legati officio, & dilecto ſuo Valentiniano, ac item ſuæ in occiſum à Tyranno Gratianum pietati deeſſet, admiſit ac explevit humilitatem, & cum reliqna audientiam præſtolante multitndine ſtetit, ac Maximum eſt allocutus in Conſiſtotio. Nihilominus etiam Epiſcopali officio non deſuit. Etenim ad adſurgentem & oſculari volentem Tyrannum conſtanter & publicè edixit: *Quid oſcularis eum, quem non agnoveris? Si enim me agnoviſſes, non hoc loco videres.*

Deſcribendnm eſt integrum Sancti Ambroſii & Tyranni Maximi Conſiſtoriale hac de re colloquium: *Commotus es, inquis, Epiſcope. Non, inquam, injuria, ſed verecundia: Quod alieno conſiſto loco. Et prima, inquit, Legatione ingreſſus es Conſiſtorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit: Vocantis, non ingredientis vitium eſt. Cur, inquit, ingreſſus es? Quia, inquam, tunc ut inferiori pacem petebam, nunc ut æquali. Cujus inquit, beneficio æquali? Reſpondi: Omnipotentis Dei, qui Valentiniano Regnum, quod dederat, reſervavit*. Ex quibus plura addiſcimus. Primò, qnod Sanctus Ambroſius ab Imperatore Valentiniano ad Maximnm Tyrannum, Fratris ejus Gratiani Trucidatorem, ac Imperii in Gallia Invaſorem, Legatus Treverim, ſtatim acceſſerit ad Sacrum Cubiculum, & intromitti petierit, ſolus cum ſolo de rebus arcanis collaturus. Secundò, quod iſtud ex Epiſcopali Jure ac privilegio poſtulaverit. Latini enim Imperatores iſtam revarentiam ex antiquo more deferebant Epiſcopis. Tertiò, quod Ambroſins non fuerit admiſſus ſed remiſſus ad commnne Conſiſtotium. Quartò, quod Maximus iſti Epiſcopali privilegio derogare nolnerit, ſed ſnnm facinns fundaverit in alio titulo. Dnplici. Primò, qnod Ambroſius non ut Epiſcopus accederet, ſed ut Legatus laici Principis, ideoqne ejus Audientia ſpectaret ad Conſiſtotium. Deinde, quod in prima ſua ejuſdem

Va-

Digitized by Google

Valentiniani Legatione ipſemet, hujus conſuetudinis conſcius, ſeſe poſuiſſet in Conſiſtorio.

Quintò diſcimus, quod omnes Sacram Audientiam præſtolantes conſiſterent in quadam aula, quæ exinde dicebatur Conſiſtorium. Sextò, quod Conſiſtentium nullus poſſet ſemetipſum ingerere in Sacras Aures, ſed advocari deberet ab ipſo Principe. Septimò, quod Princeps evocaret juxta perſonarum aut cauſarum merita. Octavò, quod quibuſdam aſſurgeret, aut impartiret aliam reverentiam. Nono, quod iſtiuſmodi perſonis Conſiſtoriales Comites applauderent, ipſoſque hortarentur cum fiducia accedere. Decimò, quod Maximus talem reverentiam detulerit Sancto Ambroſio, volueritque ipſi dare oſculum. Utique ejus Epiſcopali Coronæ. Ita enim tunc conſueverat. Undecimò, quod his non contentus Ambroſius intercesſerit de injuria, & quidem cum ſtomacho. Quia nempe debebat ſtare inter Populum. Duodecimò hinc intelliges verba Cyrilli Schytopolitani: *Qui cum ad Silentium perveniſſent, à Silentiariis oſtio Præpoſitis introducti ſunt*. Intelliges, quid & quale fuerit iſtud Silentium. Sacra Principis Manſio habebat quatuor: Sacrum Cubiculum, Silentium, ſecundum ac primum velum. Silentium erat Sacro Cubiculo vicina Manſio, in quam admittebantur accepturi ſecretam Audientiam. Dicebatur Silentium, quod hoc iſtic deberet eſſe altiſſimum ac perpetuum. Secundum Velum erat Manſio, in qua erant Silentiarii, Palatini Milites, quorum officium erat curare iſtud ſilentium, & prætendentes illuc intromittere. Uti Cyrillus *Oſtio præpoſitos*, ita Agathias eos appellat *Præpoſitos Silentii*, quod *Imperatoribus impenditur*. Eadem omnia præſertim ſpectabant ad Magnum Silentiarium, ſeu ad Silentiariorum Primicerium. Eadem omnia etiamnum hodiè videntur Romæ in Apoſtolico Palatio. Eorum forma deſcendit ex Romano Imperio. Primum velum erat prima Manſio: Locus Conſiſtorii. Et huc à Maximi Tyranni Eunucho rejiciebatur Sanctus Ambroſius. Decimò tertiò diſcimus, quid ſit audiri à Principe, utique in Sacro Cubiculo, quid ab ipſo audiri in Conſiſtorio. Decimò quartò, quod Græci Imperatores ſuis Epiſcopis non detulerint laudatam à Sancto Ambroſio reverentiam: Eos quandoque ad Sacrum admittebant Cubiculum, quandoque rejectabant ad Conſiſtorium. Ipſos etiam Patriarchas. Nam inter hos Orientalis Factionis Legatos erat Joannes Antiochiæ Patriarcha, & tamen ad ipſos in Mandati inſtrumento generatim dicitur: *Sive coram Pientiſſimo Imperatore, ſive in Conſiſtorio, ſive coram Sacro Senatu ſermo inſtituatur*.

## CAPUT XXIV. --112

*Epiſtola Præfectorum ad Neſtorium, ut cum honore ad ſuum Monaſterium remearet, unde ad Epiſcopatum fuerat vocatus.*

EA quæ per Synodi viſa ſunt geri Judicium, tempore longo diſtulimus. Licet nos multi valde culparent, & exiſterent importuni. Quoniam verò litteræ nobis tuæ Sanctitatis redditæ ſunt, maniſeſtantes faſtidioſum tibi eſſe, quod in Epheſo remoraris, & deſiderabile eſſe de reliquo tuæ Religioſitati, ut iter aſſumas, eos qui per omne iter debeant miniſtrare direximus: Sive navigare, ſeu per aſinam, id eſt, ſi per Ponticam viam proficiſci placuerit, ita ut uſque ad Monaſterium miniſtrent. Et angarias vobis, annonaſquè tranſmiſimus, à Domino clementiam poſtulantes, ut incolumis *eat Sanctitas tua, & ita degat, ſicut deſiderat ipſa. Conſolationis enim te non credimus indigere, reſpicientes ad animam tuam, quæ ſapiens eſt, & ad multa bona millia, per quæ ſuper alios emines.

### SCHOLION.

AD hujus Epiſtolæ intellectum faciunt, quæ ſcribit Epiphanienſis Evagrius: *Quemadmodum Neſtorius in exilium ejectus ſit, & quid poſtea de illo factum, & quem vitæ exitum ſit conſecutus, & quas pœnas blaſphemiæ cauſa dederit, neutiquam ab illis, qui res ejus geſtas litteris prodiderunt, traditum eſt. Quæ omnia planè intercidiſſent, fuiſſentque temporis diuturnitate ita deleta & obruta, ut ne de illis omnino vel ſemel audiri poſſet, niſi in librum quemdam ab ipſo Neſtorio editum, in quo iſtarum rerum continetur narratio, fortè fortuna incidiſſem.* Lib. 1. c. 7. Proinde Evagrius videtur nec compoſitam ab Irenæo Tragœdiam, nec has Epiſtolas vidiſſe, immo nec omnia Acta Epheſini Concilii. Nam & in his eſt non unica mentio de primo exilio Neſtorii. Exponit ejus blaſphemias, & proſequitur: *Porrò in eodem libro Neſtorius oſtendit Theodoſium primò propter amorem, quo eum complectebatur, ejus abdicationem minimè ratam feciſſe, deinde cum quidam Epiſcopi ex utraque Factione ab urbe Epheſo ad Theodoſium miſſi eſſent, poteſtatem ſibi datam revertendi ad ſuum Monaſterium, quod ante portas Antiochiæ ſitum eſt. Cujus nomen à Neſtorio quidem non ponitur, tamen fertur appellatum eſſe Monaſterium Euprepii. Narrat item ipſe Neſtorius ſe in eo loco quadriennii ſpatio commoratum eſſe, variis affectum honoribus, variiſque præmiis donatum, poſtea*

*autem relegatum ad Oaſim Edicto Theodoſii. Verùm quod caput omnium erat penitus occultavit. Neque certè in eo loco vitam degens à ſua deſtitit blaſphemia, adeò ut Joannes Antiochiæ Præſul iſtam in apertum proferret ſententiam, Neſtorium ſcilicet perpetuo eſſe exilio mulctandum.* Ejuſdem rei meminit
L. 14 c 36. Nicephorus Calixtus. Exponit utriuſque partis Acta, & proſequitur: *Hæc omnia cum ab utraque parte ad Imperatorem ſunt relata, tum Epiſcopi eidem præſtò fuerunt, qui Acta Factionis utriuſque renuntiarunt. Imperator primùm Neſtorii condemnationem ratam non habuit. Orientales enim Epiſcopi Neſtorium ſecum abductum in annum tertium per vim in Epiſcopatu retinuere. Quarto autem ab condemnatione anno Joannes Antiochenus, Judicium Dei metuens, & multos præterea prava Neſtorii opinione interire videns, Theodoſio Imperatori, ut quamprimum eum ex Orientali Ditione ejiceret, ſignificavit. Et Imperator, poſtquam illius blaſphemiam certo cognovit, Neſtorium confeſtim Oaſim deportari juſſit.*

Præſens itaque Epiſtola eſt executoria primi exilii. Hoc enim decretum fuit poſt utriuſque partis Legatos advectos Conſtantinopolim. Poſt auditos Legatos Sanctæ Synodi. Præſertim Apoſtolicæ Sedis Legatos, Arcadium Epiſcopum, ac Philippum Presbyterum. Lucet hoc ex Epiſtola Legatorum Orientalium ad ſuam in Epheſina civitate Factionem: *Poſtquam Chalcedonem pervenimus, nam Conſtantinopolim neque nos, neque Adverſarii noſtri intrare permiſſi ſumus propter ſeditiones bonorum Monachorum, fama accepimus, quod ante octo dies, priuſquam compareremus, ex gloriam Pientiſſimi Regis, Dominus Neſtorius ab Epheſo dimiſſus ſit, ut eat quo liberet. Unde valde doluimus: Quando quidem verè ea, quæ illicitè & abſque judicio facta ſunt, jam robur habere videntur.* Et ex litteris Theodoreti ad ſuum Metropolitam Alexandrum: *De amico,* utique Neſtorio, *ſciat tua Sanctitas, quod ſi quando ejus faceremus mentionem, vel apud Pientiſſimum Regem, vel apud illuſtre Conſiſtorium, defectionis notabamur. Tantæ ſunt eorum, qui intrò ſunt, erga illum inimicitiæ. Et hoc eſt moleſtiſſimum. Pientiſſimus Rex præ omnibus aliis averſatur nomen, manifeſte dicens:* De hoc mihi nullus loquatur. Specimen enim ſemel ipſe dedit. *Attamen dum hic ſumus, non ceſſabimus omni virtute & ejus partis curam gerere, ſcientes factam illi ab impiis injuſtitiam.* Et ex alia Orientalium Legatorum ad ſuos Epiſtola: *De Pientiſſimo Epiſcopo Neſtorio ſciat veſtra Pietas, quod ſtuduerimus quidem ſermonem de ipſo inſerere, ſed nunc non potuimus, eò quod omnes vel ad ipſum nomen hoſtiliter afficiantur. Nihilominus curæ nobis erit, tametſi res ſic ſe habeant, per oppportunitatem temporis ac Auditorum benevolentiam etiam hoc facere, ſi quidem noſtro Propoſito Deus cooperatus fuerit.* Et ex Imperialis ſententiæ relatione, exſtante in tertia parte Epheſini Concilii: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi Conſtantinopolim veniſſent, Imperator certò comperit Sanctam & œcumenicam Synodum canonico ac legitimo ordine in omnibus ſervata Neſtorium depoſuiſſe. Itaque Legatorum Synodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium verò mulctat exilio.*

Rectè dicit ex utraque parte fuiſſe ſeptem dumtaxat Epiſcopos. Etenim octavus Sanctæ Synodi Legatus erat Philippus Presbyter. Unus autem è factioſis Legatis Himerius Nicomedienſis Epiſcopus manſit in via infirmus, & tunc Chalcedonem non pervenerat. Hinc ejus Collegæ ſcripſerunt Epheſum ad ſuos: *Porrò cum ſcripta eſſet Epiſtola, nondum occurrerat nobis Dominus Himerius. Nam fortaſſis impeditus eſt in itinere.* Hæc relationis de Legatis verba, *Cum Conſtantinopolim veniſſent*, debent cum ſale intelligi: Prope Conſtantinopolim, Chalcedonem. Etenim Factionis Legatio nunquam intravit urbem Regiam. Ipſa autem mentitur id factum propter ſeditiones Monachorum. Factum enim fuit ad Monachorum preces, non ſine fundamento metuentium turbas & ſcandala ab iſtis Legatis. Imperator itaque Theodoſius ex auditis Sanctæ Synodi, ac præſertim Sedis Apoſtolicæ Legatis cognovit Neſtorium verè Hæreticum, & canonicè ac legitimè damnatum; at verò Cyrillo ac Memnoni ſummam irrogatam injuriam: In ipſos proceſſiſſe non Epiſcopale Judicium, ſed impotentis animi contumeliam. Et ipſam à Sancta Synodo ac Apoſtolicæ Cathedræ Vicariis eſſe circumductam & exſufflatam. *Itaque Legatorum Synodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium verò mulctat exilio.*

Decrevit quatuor. Neſtorii damnationem cenſuit canonicam. Sancti Cyrilli ac Memnonis degradationem circumduxit. Joannis Antiocheni excommunicationem uſque tunc permiſit in ſuo robore. Neſtorium relegavit in ſuæ profeſſionis Monaſterium. Inſuper Sanctum Cyrillum ac Memnonem juſſit ſolvi è vinculis, ac reddi in plenam libertatem. Hæc omnia apud ipſum valuit Apoſtolicæ Sedis reverentia. Quod Neſtorium ad ſuæ profeſſionis Cœnobium relegaverit, teſtatur etiam in Litteris ad Epheſinam Synodum Sanctus Celeſtinus Pontifex: *Scripſimus Clementiæ Principali, ut de ſanitatis medio infirmitas auferatur. Didicimus namque Neſtorium Antiochiam revertiſſe, atque illic unde venerat, vivendi præſtitam facultatem. Innocentium exitium eſt iſtud exilium. Adſpiciamus diligentius, quid illic poſſint parere, quæ illic ſunt ante concepta.* Ex quo patet famam, quæ Factionis Legatis nuntiarat Neſtorio factam facultatem eundi quo vellet, fuiſſe mendacem. Et huic ſuo Decreto Theodoſius adeò conſtans inhæſit, ut à Deprecatoribus nec Neſtorii nomen audire ſuſtinuerit. Et adducebat rationem: *Specimen enim ſemel ipſe dedit.* Caſſinenſis translatio eſt longè melior: *Typum namque jam ſemel ea, quæ ad illum pertinent, ſuſceperunt.* Retinuit vocem græcam, *Typum*. Latinè dicimus *Formam*. De qua Jacobus Gutherius in ſecundo libro de officiis Domus Auguſtæ: *Formæ ſunt Epiſtolæ, quibus aliquid à Principe, vel à Præfecto Prætorii conſtituitur. Formam à Præfecto Prætorii datam vocat Severus Alexander.* Theodoſius igitur Neſtorii Deprecatoribus reponebat rem omnem jam eſſe

conclu-

concluſam, non à ſuo dumtaxat Sacro Decreto, ſed eriam ab executoria Forma Præfecti.

Apud Synndalia Acta exſtat Imperiale exilii Decretum: *Licet noſtrum erga Rempublicam ſtudium conſpicuum ſit, non minori tamen nobis eſt curæ, ut Sacro-Sancta Religio tuta conſiſtat, qua videlicet à nobis cuſtodita in publicis quoque rebus nos adjuvari confidimus. Quare cum Neſtorius. Catholicæ Eccleſiæ quondam Sacerdos, nunc verò fidei Proditor, tantorum ſcelerum mole oppreſſus teneatur, neceſſarium eſt, ut noſtræ Serenitatis ſententiæ ſubjiciatur, calamitatemque moribus illius digna opprimatur, ut qui venerandæ Eccleſiæ legibus abjectis Hæreſeos Author exſtiterit; & dum illorum, quos proditionis ſuæ ſocios ſibi adjunxit, fidem corrupit, alienæ corruptionis crimen in ſuam ipſius perſonam recepit. Tua proinde celebris Dominatio, hac Pragmatica ſanctione, ſive peculiari authoritate oſtenſa, prædictum Neſtorium ob admiſſam à ſe impietatem in perpetuum exilium Petras deportari jubeat, omniaque illius bona Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addicat, quo Auguſtiſſimi illius Loci opes, cujus ille Sacra Myſteria nuper prodidit, auctiores evadant. Hac enim ratione Religio Sanctiſſimæ Fidei in mentibus hominum intacta perſeverabit, & Regni noſtri felicitas Religione munita florebit.* Decretum habet hunc Titulum: *Antigraphum interpretationis Decreti Imperatorii, ſcripti ad Iſidorum, Præfectum Prætoriorum & Conſulem, de exilio Neſtorii.* Ex hoc Titulo quidam cenſent hoc Decretum eſſe non primum, ſed ſecundum ac ultimum de Neſtorii exilio. Utpote ſcriptum ad Iſidorum, Orientalis Prætorii Præfectum, unaque Conſulem. Hoc eſt anno trigeſimo ſexto iſtius ſæculi. Iſto enim anno Iſidorus ſimul cum Senatore fuit Conſul, ſimulque Præfectus.

Ego tamen exiſtimo eſſe primum, ac præſentem Epiſtolam fuiſſe ipſius executoriam. Ob diverſas rationes. Prima ratio ſunt varia Decreti verba: *Quare cum Neſtorius Catholicæ Eccleſiæ quondam Sacerdos, nunc verò fidei proditor. Neceſſarium eſt, ut noſtræ Serenitatis ſententiæ ſubjiciatur. Qui venerandis Eccleſiæ Legibus abjectis, nefandæ Hæreſeos Author exſtitit. Proditionis ſibi ſocios adjunxit. Fidem corrupit. Omnia illius bona Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addicat.* Quis non videat hæc omnia dirigi in novellum ac heſternum Hæreſiarcham, ideoque eſſe primum Decretum? Et certè poſt primum exilium Neſtorius nulla habuit amplius bona. Secunda ratio eſt diſcordantia temporis. Evagrius inter primum & ſecundum Neſtorii exilium diſertè affirmat quatuor dumtaxat annos interceſſiſſe. Quod ipſum confirmat Nicephorus Calixtus. Proinde ſecundum ejus exilium non trigeſimo ſexto, ſed trigeſimo quinto iſtius ſæculi anno evenit, ſub decimo quinto Theodoſii, & quarto Conſulatu Valentiniani tertii. Nempe eo ipſo anno, forſitan & eo ipſo die, quo iidem Principes ejus libros damnaverunt ad ignem.. Quæ omnia facta ſunt ad preces Joannis Patriarchæ Antiocheni. Tertia ratio eſt diſcordantia locorum. Etenim hæc ſententia in Petras, utique deſertæ Arabiæ, ſecunda autem ſententia Neſtorium relegavit Oaſim in deſertam Lybiam, ideoque certum videtur, quod hæc ſententia ſit omnium prima. Nec obeſt adductus ejus Titulus. Hic enim poſtmodò eſt adjunctus à Synodalium Actorum Compilatore, qui Iſidorum honorare volens, & ejus dignitates omnibus facere notas, ei adſcripſit & Conſulis Titulum, ac Præfecti. Hinc plures putarunt Decretum hoc eſſe anni trigeſimi ſexti.

Quæſtio eſt, Quomodo Decretum releget Neſtorium in Petras, quem certò conſtat fuiſſe abductum in ſuum Sancti Euprepii Monaſterium? Hoc enim non ſolus ex ipſo Neſtorio Evagrius, ſed & in laudatis ad Epheſinam Synodum litteris teſtatur Sanctus Celeſtinus Pontifex. Quomodo hæc cohærent? Reſpondeo exponi à Nicephoro Calixto: *Neſtorius blaſphemiæ ſuæ defenſionem ſcripſit. In ea refert Theodoſium propter commiſerationem primùm rejectionem ejus authoritate ſua non confirmaſſe. Ubi verò Epiſcopi quidam Conſtantinopolim veniſſent, ut in Monaſterium ſuum reverteretur, permiſſum ei eſſe.* Igitur Theodoſius ad multorum, quibus Hæreſiarcha non carebat, Amicorum preces mitigavit ſententiam, & Arabiæ Petras mutavit in ejus Monaſterium. Nicephorus ex Evagrio, Evagrius iſta ſcribit ex ipſo Neſtorio. Et hinc videmus cunctos ejus libros ſtatim non fuiſſe exuſtos, ſed quoſdam permanſiſſe uſque ad ætatem Evagrii. Quin immò in Spirituali Prato Joannes Moſcus refert ſuo adhuc tempore quoſdam ſuperfuiſſe. Et adversùs iſtam ſententiæ mitigationem potentiſſimè intercedit per ſupra adductas litteras Sanctus Papa Celeſtinus. Datæ ſunt Idibus Martiis, ſub Ætii ac Valerii Conſulatu, anno iſtius ſæculi trigeſimo ſecundo, dudum poſt ſolutam Synodum. Etenim ex ipſa redux Sanctus Cyrillus eſt Alexandriam ingreſſus die trigeſima Octobris. Hinc quæſtio eſt, Quomodo Pontifex tunc ſcripſerit ad Synodum? Reſpondeo reſcripſiſſe ad Maximiani novi apud Conſtantinopolim Epiſcopi Synodicas, miſſas per Joannem Preſbyterum ac Epictetum Diaconum. Hos Dominicæ Nativitatis diebus Romam advectos remiſit Dominicæ Reſurrectionis tempore. Porrò Maximianus fuit à ſeptem Epheſinæ Synodi Legatis conſecratus, inter quos erat cum Philippo Preſbytero etiam Arcadius Epiſcopus, Papalis in Synodo Vicarius. Proinde & iſti ſuam Synodicam miſerant, & haud dubiè præſtolabantur Papale Reſcriptum. An Projectus Epiſcopus, & ipſe Apoſtolicus in Synodo Vicarius, tunc Romam rediiſſet, ignoro. Quidquid ſit, certum eſt Synodi diſſolutionem tunc non fuiſſe ignotam Pontifici. Proinde in ſuis litteris per Epheſinam Synodum intelligit octo ejus Legatos. Nec ſine fundamento. Etenim Synodus ipſis utpotè Plenipotentiariis delegarat omnem ſuam authoritatem. In hiſce Celeſtini litteris notanda ſunt iſta verba de Antiochena Eccleſia: *Adſpiciamus diligentiùs, quid illic poſſint parere, quæ illic ſunt ante concepta.* Affirmant Neſtorium etiam Antiochiæ, antequam veniret Conſtantinopolim, fuiſſe Hæreticum. Utpote iſtic diſcipulum

Theo-

Digitized by Google

Theodori Mopſueſtienſis, per quem in ipſum deſcendit Pauli Samoſateni hæreſis. Etiam hæc verba de eadem Eccleſia: *In oculis eſt ejuſdem civitatis Eccleſia, quæ per hunc perdidit Sacerdotem*. Alia lectio habet: *Periit*. Exiſtimo legendum: *Perdidit*. Etenim Pontifex alludit ad Epheſinam Joannis Antiocheni damnationem. Affirmat quod Antiochia per Neſtorium ac impenſos ei favores amiſerit ſuum Epiſcopum. Hinc ſubdit: *Et tamen laboramus advertere, quis cui fuerit cauſa peccati. Niſi fortè quod pro quiete Eccleſiarum dicimus, deceptum ſe ille demonſtret, deſerendo damnatum*. Affirmat eſſe incertum, an Neſtorius Joannem, an Joannes depravaſſet Neſtorium. Quod nempe ambo fuiſſent ſub diſciplina ſcelerati Theodori. Addit veritatem apparituram, dum Joannes Neſtorium deſeruerit, atque ita demonſtraverit ſe fuiſſe non ſeductum, ſed deceptum.

*Notanda* ſunt & hæc verba: *Ubi colatur ab omnibus exulatus*: Confirmant Evagrii hauſtam ex ipſo Neſtorio relationem: *Narrat ipſe Neſtorius ſe in eo loco quadriennii ſpatio commoratum eſſe, variis affectum honoribus, variiſque præmiis donatum*. Exponit Nicephorus Calixtus: *Orientales Epiſcopi Neſtorium ſecum adductum in annum tertium per vim in Epiſcopatu retinuere*: Videlicet illi, qui factam à Sancto Cyrillo & ſuo Patriarcha Joanne pacem noluerunt admittere. Pergit Pontifex: *Elaborate, fratres Chariſſimi, ut verè tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit*. Quod opus? Quibuſdam videtur quod Neſtoriani exilii mitigatio atque translatio. Videtur non per Joannis Antiocheni Factionem, ſed per Synodalium Legatorum aliquem fuiſſe obtenta. Ex humana commiſeratione. Etenim factioſorum Legatorum nullus fuit admiſſus in civitatem Regiam, & ab ipſis Theodoſius nec audire ſuſtinuit nomen Neſtorii. At certum eſt Pontificem in Neſtorium ſcribere. Hinc ſubdit: *Sola decet tales homines ſolitudo*. Vult ipſum compelli in ſolitudinem: Utique ad Petram deſertam, in quam Princeps ipſum relegaverat. Efflagitat reviviſcere hanc ſententiam. Atnon fuit exauditus.

Porrò præſens Epiſtola eſt omnino præfati Præfecti & Conſulis Iſidori. Ipſe enim per multos annos fuit Præfectus Orientis Prætorio. Et ipſi ſuberant Epheſus, Conſtantinopolis, Petræ, ac Sancti Euprepii Monaſterium, ideoque Neſtoriani exilii executio ad ipſum ſpectabat omnibus modis. Hæc tamen Tituli verba, *Epiſtola Præfectorum*, credo ex Scriptoris vitio mendoſa, & legendum: *Epiſtola Præfecti Prætoriorum*. Etenim Neſtoriani Reſcripti Titulus habet: *Epiſtola Neſtorii reſcripta ad eundem Præfectum Prætoriorum*. Iſidorum inſcribit Prætoriorum Præfectum, quod forſan præeſſent pluribus Prætoriis. Certè aliquando fuit etiam Præfectus Illyrici. Et poſſit utrique ſimul præfuiſſe. Sunt enim & alia ſimilia exempla. Epiſtola huc uſque non comparuit. Et docet nos plura. Primo, quod Neſtorius, licet Synodalem ejus degradationem Princeps confirmaſſet, cum honore ſit eductus Epheſo, ac reductus in ſuum Monaſterium. Omnino exiſtimo Epiſtolæ Titulum eſſe Comitis Irenæi opus, attamen non caret fundamento. Etenim Epiſtola eſt plena honoris ac reverentiæ. Haud dubiæ Iſidorus Neſtorium Antiochiæ adhuc Presbyterum, ac forſitan etiam Conſtantinopoli Epiſcopum dilexerat, & ex iſto fonte proceſſit tam honorifica Epiſtola.

Secundò docemur, quod Synodale de Neſtorio judicium non à ſolo Principe probatum fuerit, ſed etiam ab ipſo Iſidoro. Attamen poſt multas moras: Et poſt multorum importunas querimonias. Tertiò diſcimus, quod Neſtorius non invitus, ſed ad proprias preces fuerit ejectus Epheſo. Poſtquam Regium de ſua damnatione, ac ſuo in Petras exilio Decretum intellexit, erubuit manere Epheſi, ideoque ab amico Orientis Præfecto Iſidoro ſupplicavit cum publicæ evectionis honore reduci in ſuum Monaſterium. Haud dubiè etiam per ipſum, ac per alios ſupplicarit mitigari exilium. Et Iſidorus direxit honorificentiſſimam evectionem. Et hac occaſione opinor ab Orientalibus Epiſcopis ſparſum rumorem, quem in famoſa ad Marim Perſidis Antiſtitem Epiſtola ſcribit Ibas Edeſſenus: *Neſtorius, quia ſuæ erat odio civitati, & viris qui in ea ſunt maximis, in eam reverti non potuit*. Sparſerunt ipſum non hæreſeos aut degradationis, ſed politicæ pacis cauſa eſſe remiſſum ad Sanctum Euprepium. Etenim Ibas, licet necdum Epiſcopus, ſed Rabbulæ Epiſcopi Presbyter, fuit omnibus præſens, ideoque ſcripſit ex ſuorum Epiſcoporum ſenſu. Iſtud ejus verbum multis diſcutit, ac purgare ſtudet Facundus Hermianenſis. Hinc etiam verificari poſſit, quod ſupra audivimus à Nicephoro Calixto: *Orientales Epiſcopi Neſtorium ſecum abductum in annum tertium per vim in Epiſcopatu retinuere*. Affirmat Neſtorium non ſtatim abiiſſe ſolùm, ſed exſpectaſſe Synodi finem, & tunc abiiſſe cum iſtis ſuis Dilectoribus. Forſitan dum poſt evectionis adventum parat ſe ad iter, poſſit dimiſſa fuiſſe Synodus, atque ita poſſint omnes ſimul abiiſſe.

Et certè hæc Epiſtola eſt ſcripta circa finem Synodi. Etenim Sanctus Cyrillus trigeſima die Octobris pervenit Alexandriam, ideoque ſtatim ad iſtius Menſis medium debet abiiſſe Epheſo. At verò Sacra, quæ utriuſque partis Legatos evocavit Conſtantinopolim, fuit data ad medium Auguſti, & ante datam hanc Epiſtolam plura intercurrerunt. Omnium Legatorum iter, Catholicorum acceſſus ad Principem, Neſtorianæ damnationis confirmatio, Decretum exilii, horum notitia tranſmiſſa Epheſum, eorumdem Neſtorio ac Synodo facta inſinuatio, Neſtorii preces ad Iſidorum, & hujus tandem Reſcriptum. Quæ omnia ægrè potuerunt expleri ante Octobris medium. Et certè Iſidorus nequit tum fuiſſe Antiochiæ Hæc enim triginta diebus diſtat Epheſo, ideoque Neſtorius non potuiſſet, niſi intra duos Menſes, habuiſſe Reſponſum. Quare videtur tunc fuiſſe Conſtantinopoli. Confirmatæ damnationis tempus colligere poſſumus ex Schiſmaticorum Legatorum ad ſuos Epiſtola: *Poſt-*

*quam*

*quam Chalcedonem venimus , fama accepimus , quod ante octo dies , priuſquam compareremus , Dominus Neſtorius ab Epheſo dimiſſus ſit* . Quid ſit , *Priuſquam compareremus* , exponere videtur Caſſinenſis translatio : *Quia ante octo dies adventus noſtri Piiſſimo Imperatori placuerit Dominum Neſtorium ab Epheſo dimitti* . Verumtamen hoc non cohæret cum ſupra adductis teſtimoniis, affirmantibus iſtud Principi non placuiſſe, niſi poſt auditos Legatos Sanctæ Synodi . Proinde , *Priuſquam compareremus* , omninò videtur facere hunc ſenſum : Priuſquam audiendi compareremus ante Principem . Nempe Synodi Legatos Theodoſius antea audiverat , atque ex ſolo ipſorum relatu proceſſerat ad iſtud judicium . Eſt res ſtatim diſcutienda largiùs . Quid quid ſit , Neſtorius poſſit uſque ad ſolutam Synodum permanſiſſe Epheſi .

---

## CAPUT XXV. —113

### *Epiſtola Neſtorii reſcripta ad eundem Præfectum Prætoriorum Antiochenum, ad Epiſtolam ſupraſcriptam.*

SUſcepimus tuæ Magnitudinis litteras , in quibus cognovimus à Piiſſimo & omni laude digniſſimo Imperatore præceptum , ut nos in Monaſterio degeremus . Et Decreti donum ſumus amplexi . Nihil enim nobis ampliùs honorabile eſt , quam pro pietate remotio . Illud autem mentis veſtræ magnitudinem quæſo , ut pro Religione frequenter ad memoriam piiſſimi Principis reducatis , ut verboſitates Cyrilli , quas adjudicavit Pietas ejus , per publicas Imperiales litteras notet ubique . Ut per univerſas Orthodoxas legantur Eccleſias . Ne fortè ob hoc ſine litteris pii Imperatoris dicantur ab eo Cyrilli Scripta percelli . Simplicioribus hinc ſcandalorum naſcetur occaſio , tanquàm non verè dicantur . Et tuis verè eſt animia dictum , ad defenſionem veritatis adhibere quæcumque poſſibile eſt . Sufficit namque hoc ſolùm dicere ad te , qui per omnia , quæcumque tibi committuntur , bonus comprobaris exiſtere .

### SCHOLION.

EPiſtola hæc docet plura . Primò , quod Neſtorius Præceptum , quo ab Imperatore juſſus fuit redire ad ſuum Monaſterium , amplexus fuerit pro grandi beneficio . Quia nempè erat Decreti , quo Petrus proſcriptus fuerat , gratioſa mitigatio . Secundò , quod hanc gratiam primò intellexerit ex adductis Iſidori litteris . Certè exilii legem jam ante intellexerat . Nam ex hac notitia ſupplicaverat ſibi tranſmitti evectionem . Tertiò docemur horrendam ejus ſuperbiam ac pertinaciam . Lucet ex his verbis : *Nihil nobis ampliùs honorabile eſt , quam pro pietate remotio* . Socrates compendiò exponit Epheſinæ Synodi lites, atque adjungit : *His rebus ſic perturbatis & confuſis , Neſtorius , cum contentionis peſtem latiùs in vulgus emanare intelligeret , pœnitentia adductus Mariam Deiparam vocavit , ſic eloquutus ;* Dicatur Maria Deipara , & offenſiones animorum ſedentur . *Verùm nemo illum pœnitentia adductum hæc dixiſſe exiſtimavit , & propterea adhuc etiam Oaſim incolit , tum Epiſcopatu privatus , tum mulctatus exilio* . Videtur aſſerere , quod hæc ſint facta Epheſi . At hæc Epiſtola evincit longè aliud . Si factum ſit , factum eſt , dum Patriarcha Joannes , ejus blaſphemiis ac pertinacia pertæſus , ipſum rogavit ex Sancti Eupreppii Cœnobio propelli in aliquam ſolitudinem . Quare Evagrius Epiphanienſis rectè ſcribit Socratem fuiſſe ignarum Neſtoriani negotii .

Adn. Nor. An. 439. Socrates finem hiſtoriæ poſuit .

Quartò docemur , quod Neſtorius Sancti Cyrilli Capitula etiam tunc damnaverit , clamans eſſe verboſitates damnatas ab ipſo Principe . Et reverà Theodoſius ipſis adverſabatur . Lucet ex Schiſmaticorum Legatorum litteris ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum : *Quintùm jam nos , & ipſos* , Epheſinæ Synodi Legatos , *affatus Princeps , illis quidem mandavit , ut vel Capita Cyrilli tamquam cum fide pugnantia rejicerent , aut certè ſuſcepto in eorum defenſionem certamine , Sanctorum Patrum confeſſioni conſentanea eſſe palam faciant* . Principis & plurium Palatinorum adverſatio ſumpſerat fomenta ex Acacio Melitinenſi , qui coram Principe ſuſtinuerat hanc propoſitionem : *Deitas eſt paſſibilis* . Credebatur ipſi Divinitati paſſibilitatem adſcribere , atque ita cum nequiſſimo Apollinarii Diſcipulo Polemone blaſphemare . Credebatur blaſphemiam hauſiſſe ex Capitulis . Ex hac calumnioſa impreſſione Neſtorius Iſidorum rogat , ut iſtam Capitulorum damnationem curet firmari per Sacras & Encyclicas Auguſtæ Majeſtatis litteras , & ipſas dirigi per omne Romanum Imperium . Verùm Theodoſius poſtmodò fuit meliora doctus , & plenè ceſſavit ab averſandis Capitulis .

## CAPUT XXVI. —114

*Iterùm alia Epiſtola ab Epiſcopis Orientalibus, & Confidentibus eorum, ab Epheſo, per quam reſpondetur ad litteras ſupra ſcriptas.*

VEnientes in Chalcedoniam, in Conſtantinopolim ſiquidem nec nos nec Adverſarii noſtri ſumus introire permiſſi propter bonorum Monachorum ſeditiones, ex opinione cognovimus, quia antè octo dies adventus noſtri piiſſimo Imperatori placuerit Domnum Neſtorium ab Epheſo dimitti, quocumque ire voluerit. Et omninò doluit anima noſtra. Quia ſi hoc verum eſt, ea quæ abſque Judicio & illicitè facta ſunt, interim roborari videntur. Nos autem cognoſcat Sanctitas veſtra pro fide tota mente certare. Et hunc laborem eligere uſque ad mortem. Suſtinemus verò præſenti die, id eſt, Gorpiæi menſis undecimo, Imperatorem piiſſimum tranſmeare, atque in Ruffinianis cauſæ audientiam facere.

Oret igitur Sanctitas veſtra, ut nobis cooperetur Dominus Chriſtus, quatenùs fidem Sanctorum Patrum confirmare poſſimus, & ea, quæ contra Eccleſiam ſurrexere, Capitula radicitùs amputare. Hæc ipſa & ſapere & agere veſtram quæſumus Sanctitatem, & permanere pro fide Orthodoxa bono noſtro fervori. Quando autem præſens Epiſtola ſcripta eſt, nondum venerat Himerius. Putamus enim, quod nunc ægritudinis inæqualitate detentus ſit. Hoc autem nihil Religioſitatem noſtram perturbat. Speramus enim, quia & triſtia extinguentur, & veritas refulgebit, pronè concertante unà nobiſcum Religioſitate veſtra.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola exſtat in Actis Synodalibus. Nihilominus volui & Caſſinenſem tranſlationem vulgare. Habet enim duo inſignia diſcrimina. Primum eſt in his verbis: *Ex opinione cognovimus, quia ante octo dies adventus noſtri Piiſſimo Imperatori placuerit Dominum Neſtorium ab Epheſo dimitti, quocumque ire voluerit.* Inſuper omittit hanc notabilem parentheſin: *En gloriam Pientiſſimi Regis.* Alterum diſcrimen ſunt hæc verba: *Nondum venerat Himerius. Putamus enim, quod nunc ægritudinis inæqualitate detentus ſit.* Exponunt, quod vulgatus Tranſlator videtur ſuppreſſiſſe, Himerii in via impedimentum. Epiſtola data eſt undecimo Gorpiæi Menſis, qui eſt quartus dies Romani Septembris. Ex quo lucet, quod Legati ſub Auguſti finem advenerint Chalcedonem. Et hinc oritur difficultas, Quomodò octo diebus ante hunc adventum potuerit emanaſſe Decretum de Neſtorii exilio? Rationem dubitandi facit laudata ſuperiùs iſtius Decreti relatio: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi Conſtantinopolim veniſſent, Imperator certò comperit Sanctam Synodum canonico ordine Neſtorium depoſuiſſe. Itaque Legatorum Synodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium verò mulctat exilio. Eis præterea, qui ex Sancta Synodo Legati venerant, injungit ut ad Eccleſiam ſe conferant, ibidemque creent Epiſcopum Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ.* Etenim ſi iſtud Decretum non niſi poſt auditos à Principe Legatos emanaverit, quomodo poſſit octo diebus ante ipſorum adventum emanaſſe?

Reſponderi poſſit duobus modis. Primò, quod Decretum emanaverit ante Legatorum Adventum. Nempe ad urgentiſſimas Conſtantinopolitani Cleri preces, in quibus revelata facie ſunt locuti ad Principem, juxta Prophetæ Regulam: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* Uſi ſunt inſigni exordio: *Profeſſionis noſtræ ſcopus, piiſſimi Imperatores, præter alias leges omnibus quoque Principatibus & Poteſtatibus obediendum eſſe cavet, dummodo ejus iſtiuſmodi obedientia animæ conferat. Quod ſi illa inter utilitatis limites non verſetur, tunc etiam adversùs veſtrum Apicem cum libertate audendum eſſe, Divinarum legum Interpretes monent.* Affirmant Sacris Auguſtorum Principum circa Eccleſiaſticas etiam cauſas juſſionibus eſſe omnino obediendum, dummodo tamen ſint Divinis Legibus ac Sacris Eccleſiæ Canonibus conformes, atque ita noſtris animabus utiles. Aliàs adjungunt non ſolummodo negligendas, ſed etiam ipſis conſtanter reſiſtendum in faciem. Et ita ſentire omnes Sanctos Patres, Divinæ legis Interpretes. Ex hoc principio ſupplicant circumdnei Sacras Juſſiones, quibus Princeps Sancti Cyrilli ac venerandi Memnonis iniquam degradationem confirmaverat. Rogant confirmari ſolam degradationem Neſtorii, & potentiſſimè concludunt: *Quamobrem Chriſti amantes Imperatores, ſedulò curate, ne Eccleſia, quæ more nutricis vos educavit, ac trophea adverſum hoſtes citra difficultatem Majeſtati veſtræ erigit, impoſterum diſſipetur, neve Regni veſtri tempore Martyrum ſæculum ſpectandum exhibeatis; quin potius Majorum veſtrorum erga Eccleſiam amorem & ſtudium memoria repetentes, & quemadmodum unuſquiſque eorum Imperii ſui tempore Sanctorum Patrum Synodis celebratis paruerit, Patrumque Sanctiones Legibus ſuis muniendo quam illis deferrent obſervantiam ſtatim oſtenderint, ita & vos quoque parem affectum erga Sanctam Synodum, quam modo congregaſtis, alacriter ſuſcipite, ut ipſa gratiarum actiones*

Digitized by Google

*nes pro Imperio veſtro purè ac ſanctè perſolvat*. Intrepidè conteſtantur Romani Imperatoris officium eſſe, non de Generalis Synodi Decretis judicare, ſed ipſis reverenter obedire, ideoque Epheſinam Neſtorii damnationem à Theodoſio non potuiſſe circumduci. Et haſce preces plurimum adjuverunt Archi-Mandrita Dalmatius, ac ejus Collegæ. Etiam Eutyches. Erat enim tunc eximiè Orthodoxus, Religioſus, apud omnes potens ſermone ac opere. Facta hæc ſunt, dum Joannes Sacrarum Largitionum Comes eſſet Epheſi, ante evocatos utriuſque partis Legatos. Proinde Neſtorii damnatio ſtabiliri, ac ejus exilium decerni potuit octo diebus ante Legatorum adventum.

Altera reſponſio eſt melior, & apparet certa. Nempe quod iſtud Decretum non emanaverit, niſi poſt Legatorum adventum, & poſt auditos Legatos Sanctæ Synodi. Etenim laudata Regii Decreti relatio diſertè ſcribit: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi Conſtantinopolim veniſſent, Imperator certò comperit Sanctam Synodum canonico ordine depoſuiſſe Neſtorium*. Tunc certò comperit, quod nempe ad laudatas Cleri Preces & conteſtationes cœpiſſent ceſpitare. Non ex utriuſque partis, ſed ex ſolis Sanctæ Synodi Legatis comperit. Etenim iſta relatio comprehendit compendio plura, acta diverſis temporibus. Porrò certum eſt hoc Decretum emanaſſe ante quartam Septembris, dum ſcripta fuit præſens Epiſtola, & dum factioſos Legatos auditurus Theodoſius trajecit Conſtantinopoli Chalcedonem. Etenim tunc Neſtorianæ damnationis confirmatio, ac hominis relegatio erant firma, & ubique notiſſima. Proinde neceſſe eſt, ut Synodales Legati fuerint antea ſoli admiſſi ad urbem ac Principem, atque ita has res expleverint. Si non omnes, ſaltem Legati Romanæ Eccleſiæ. Qua enim ratione optimus Theodoſius hanc eis abnegarit reverentiam? Licet hoc lucidè non poſſim demonſtrare, demonſtrari tamen videtur à rerum conſequentia. Proinde fama, quæ factioſis Legatis retulit Decretum ante ſuum adventum emanaſſe, aut vera non fuit, aut potius non fuit. Addenda enim ſunt ſuperius adducta verba: *Antequam compareremus*. An omnes tres Apoſtolici Legati fuerint Conſtantinopoli, eſt incertum. Etenim licet in Mandato, quod Sancta Synodus Legatis ſuis dedit, exprimantur ſoli Arcadius ac Philippus, eiſque adjungantur Juvenalis Hieroſolymitanus, Flavianus Philippenſis, Firmus Cæſaræenſis, Theodotus Ancyranus, Acacius Melitinenſis, ac Evoptius Ptolemaidis, attamen in Epiſtola, quam poſt Maximiani conſecrationem ad ipſos ſcripſit Sanctus Cyrillus, Evoptius omittitur, ac ejus loco ponitur Projectus. At verò in Synodica, quam de ſua conſecratione Maximianus ſcripſit ad veteris Epiri Epiſcopos, omittitur Projectus, & ponitur Evoptius. Projectus, licet non eſſet Synodalis Legatus, poſtmodò acceſſit. Rationem neſcio.

Quæſtio eſt, Cur etiam Sanctus Cyrillus non fuerit inter Legatos? Rationem dubitandi augent ea, quæ ipſe ad Theodoſium Auguſtum ſcribit in Apologetico ſuorum Actorum ac Dogmatum libro: *Ego, Chriſti amans Rex, gaudebam quidem, dum è Patria diſcederem, Alexandria veſtra relicta, etiamſi magna venti vis velis ſeſe infunderet, atque inſtar tonitrui navem percelleret, ac fluctus in ſublime elatus ſumma gubernacula circumſtreperet, tamen alacri ac tranquillo animo eram, & tempeſtatis periculum poſthabui, ut optatiſſimo Majeſtatis veſtræ adſpectu potiri quandoque daretur. Rurſum cum ex Epheſiorum civitate ad illuſtrem illam urbem deveherentur illi, qui ad hoc à Sancta Synodo delecti ſunt, ut quæ ab illa fuerant acta defenderent, ex illorum numero eſſe cupiebam. Primò quidem, ut Majeſtatem veſtram coram viderem; deinde verò, ut in veſtra præſentia contra Epiſcopum Antiochenum diſceptarem, palam oſtenderem eum calumniatum fuiſſe, & iniquè inſaniiſſe, & quaſi impotentibus furiis fuiſſe actum, eò quod Capita blaſphemiarum Neſtorii anathematizaſſem*. Hoc eſt, eò quod impiis Neſtorii dogmatibus oppoſuiſſem duodecim anathematiſmos, ſeu anathematiſmis armata Capitula. Ad hæc defendenda Cyrillus optaverat eſſe unus è Legatis. Reſpondeo ipſum Legationis tempore adhuc, uti damnatum & degradatum, fuiſſe in vinculis, ideòque non potuiſſe iſto voto potiri. Ejus cauſa erat tunc adeò malo loco, ut Aula de ipſius *quoque exilio iniret conſilium*. Ita tunc ipſe ſcripſit ad Regiæ civitatis Clerum ac Populum. Notanda ſunt verba: *Ut quæ ab illa fuerant acta defenderent*. Non ſolam Cyrilli ac Memnonis reparationem, ſed etiam damnationem Neſtorii. Et laudata relatio palam aſſerit utrumque ſimul fuiſſe ſtabilitum à Principe. At verò reparatio ſtabilita non fuit, niſi poſt auditos Legatos: Ergò neque damnatio. Porrò quæ Cyrillus de maris impetu ſcribit, conferri debent cum illis, quæ ad ſuam Eccleſiam ſcripſit ex Inſula Rhodo: *Gratia & benignitate Chriſti Salvatoris noſtri magnum ac latum pelagus emenſi, incolumes Rhodum pervenimus, ea ventorum lenitate ac proſperitate uſi, ut totam illam navigationem citra omnem timorem, omnemque vitæ diſcrimen peregerimus*. Nempe per Divinam protectionem, de qua ſtatim ſubdit: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas*.

# CAPUT XXVII.

*Iterum alia Epiſtola quorum ſupra Epiſcoporum ad quos ſupra Epiſcopos.*

PEr orationes veſtræ Sanctitatis fuit nobiſcum Imperator noſter collocutus. Et impetrato nutu Divino, facto nunc convicimus interim contraria ſentientes, ita ut omnia quidem noſtra ab amico Chriſti Imperatore ſuſcepta ſint; quæ verò ab iis dicta ſunt, inſuſceptibilia, & inconſequentia videantur. Nam ſurſùm verſùm Cyrilli memoriam facientes, & rogantes ut ipſe potiùs ueneretur, & pro ſe ipſo ſatisfaceret, nunc uſque obtinere minimè potuerunt. Sed audierunt, quia oportet moveri de pia Religione ſermonem, & Fidem Patrum roborari Sanctorum. Convicimus verò & Acacium, qui inter geſta Deitatem confeſſus eſt eſſe paſſibilem. Eiſque adeò motus eſt piiſſimus Imperator noſter, ut blatteam chlamydem, qua induebatur, excuteret, ſeque retrò ſubduceret præ magnitudine blaſphemiæ. Vidimus verò & omnem Senatum, qui erant in Conſiſtorio, valdè approbare nos ipſos, tanquam reverà pro vera fide laboribus deſudantes.

Placuit igitur Piiſſimo Imperatori noſtro, ut unuſquiſque exponeret propriam Fidem, & Pietati ejus offerret. Nos verò reſpondimus, quia impoſſibile eſt, ut alteram faciamus expoſitionem, niſi quæ in Nicæa facta eſt à Beatiſſimis Patribus. Et hoc quoque placuit ejus Imperio. Reſtat igitur illam, in qua Sanctitas veſtra ſubſcripſit, Pietati ejus offerre. Omnis autem Conſtantinopolitanæ Populus Civitatis ad nos ſine ceſſatione pernavigat, rogans ut pro Fide fortiter decertemus: Et ad eos fortiter compeſcendos, ne occaſionem dare Adverſariis videamur, plurimùm laboramus. Direximus autem veſtræ Religioſitati expoſitionis exemplar, ut duo authentica dignemini exemplaria tranſcribere, & ſubſcribatis ambobus.

## SCHOLION.

ETiam hæc Epiſtola eſt vulgata. Cenſui tamen & Caſſinenſem tranſlationem eſſe vulgandam: Ob dictas ſæpiùs rationes. Data eſt quinta aut ſexta die Septembris. Etenim Epheſino Orientalis Factionis Conventiculo retulerunt Acta apud Principem, & ipſorum ſucceſſum. At verò Acta illa contigerunt quarta die iſtius menſis. Tunc Theodoſius trajecit Chalcedonem, celebravit iſtic Conſiſtorium, & in ipſo audivit Partes. Utraque tranſlatio affirmat hæc facta in Conſiſtorio, cum aliquo tamen diſcrimine. Etenim Caſſinenſis affirmat inter Conſiſtoriales Comites fuiſſe totum Senatum. Aliud diſcrimen eſt, quod vulgata tranſlatio affirmet Acacium Melitinenſem in Commentariis poſuiſſe *Deitatem paſſibilem*, at verò Caſſinenſis ait ipſum fuiſſe id confeſſum inter Geſta. Attamen diſcrimen ſibi ipſi cohæret. Ex ipſo diſcimus verbalia Conſiſtorii Geſta fuiſſe redacta in commentarios, & Acacium utrobique conſtanter perſtitiſſe in iſtis vocibus. Inſuper diſcimus Græcorum Epiſcopos fuiſſe compulſos dicere in Conſiſtorio: Etiam de rebus ſacratiſſimis. Et Latini Epiſcopi, licet Apoſtolicæ Sedis Legati, ſe accommodarunt illorum moribus.

Epiſtola etiam docet Joannem Antiochenum ac ejus in hac Legatione ſocios potentiſſimè egiſſe contra Sanctum Cyrillum, adversùm ejus in Neſtorium Acta, ac præſertim adversùm ejus Capitula. Hinc enim Synodales Legati, quod Princeps eorum Apologiis non plenè acquieſceret, rogarunt ipſum advocari, utpote qui ætatem & linguam haberet, ideoque meliùs poſſet pro ſemetipſo ſatisfacere. Nec dubium, quin addiderint hanc evocationem ipſi ſemper fuiſſe in votis, & fore acceptiſſimam. Et haſce preces ille omninò reſpicit in ſuo Apologetico. At preces non fuerunt exauditæ. Et hinc oritur quæſtio, Quomodo Neſtorii damnatio, nec non Cyrilli ac Memnonis reparatio fuerint Conſtantinopoli per Theodoſium confirmatæ ante ejus Trajectum, & Conſiſtorium apud Chalcedonem? Etenim Cyrillus iſtic adhuc fuit inter reos, & necdum plenè purgari meruit: Quomodo igitur antea fuit confirmata ejus reparatio? Reſpondeo ac fateor non eſſe levem ſcrupulum. Interim quod Imperator Neſtorii damnationem ac exilium firmaverit ante hoc Conſiſtorium, non eſt dubitandum. Etenim de iſto ipſo nihil vel audire voluit, affirmans de eo jam formam emanaſſe. At vero hæc damnatio erat palmaris in Cyrillum calumnia, ideoque videtur non dubitandum, quin & hunc tunc Theodoſius admiſerit. Utique ob reverentiam ac authoritatem Synodi ac Sedis Apoſtolicæ. Etenim dum Neſtorium abjecit, agnovit legitimitatem Synodi. Proinde præſens dubitatio fuit non de Cyrilli Perſona, ſed de ſolis Capitulis. Nam & Orientales Epiſcopi diu poſt initam cum Cyrillo pacem, & admiſſam ejus communionem, damnarunt ejus Capitula. Quia nempe aliud eſt Doctorem eſſe Orthodoxum, aliud quoſdam ejus articulos eſſe devios. Nihilominus pertinaces Factioſorum Legatorum interceſſiones poſſint Theodoſium adegiſſe in aliquam titubationem. Præſens Epiſtola inſuper docet Acacium Melitinenſem pari, quo Factioſa Legatio invaſit, impetu defendiſſe Capitula, & ita admiſiſſe hanc propoſitionem: *Deitas eſt paſſibilis*. Nequaquam eſt calumnia. Etenim hujus verbi meminit etiam in ſua famoſa Epiſtola Ibas Edeſſenus, agens de facta inter Eccleſias pace: *Joannes Paulum Emeſenum dire-*

xit

*xit Epiſcopum, per eum ſcribens veram fidem, & præcipiens ei, quia ſi huic Fidei Cyrillus conſenſerit, & anathematizaverit eos qui dicunt, quia* Deitas paſſa eſt, *ut communicaret ei.* Joannes omninò reſpexit iſtud verbum Acacii. Et ipſum mox etiam Epheſum devenit, & non ſolummodo Factioſos exultanti gaudio, ſed & Orthodoxos ſumma admiratione ac triſtitia affecit, adeò ut Sanctus Theodotus Ancyranus Epiſcopus, magnus Acacii amicus, ſolemni concione iſtud purgare ac exponere debuerit. Exſtat ejus Synodalis ſermo, qui Neſtorium ob denegatam hanc propoſitionem, *Deus eſt paſſus*, demonſtrat rectè damnatum, & ipſum per Proſopopæjam alloquens proſequitur: *Sanè ſi ad Deitatis naturam ſpectes, non erras; ſi verò perpeſſionem illi ſimpliciter adimas, diſpenſationem pernegas. Ne ergò perpeſſiones Deo improperes, ſed perpeſſionum utilitatem inſpicias. In humilitatem Deus ſe demiſit, nullam ſecundùm propriam naturam perpeſſus diminutionem, ſed hanc nobis gratiam faciens. Divinitatis natura nullam ignominiam eſt perpeſſa.* Diſtinguit duas propoſitiones: *Deus eſt paſſus, Deitas eſt paſſa.* Primam Orthodoxam, ſecundam affirmat eſſe ſuſpectam, malè ſonantem, ſcandaloſam, & omnino cavendam. Nempè Orthodoxi & factioſi Legati in Principis Conſiſtorio diſputaverant de duodecimo Cyrilli Capitulo, quod affirmat Deum Verbum fuiſſe carne paſſum ac mortuum: Et in ejus defenſione Acacius, neſcio qua occaſione, dixit etiam Deitatem paſſibilem ac paſſam. Non in ſemetipſa, ſed in aſſumpta carne.

Portò laudatus S. Theodoti ſermo habet hunc titulum: *Theodoti Ancyræ Epiſcopi homilia, Epheſi contra Neſtorium habita, in die Sancti Joannis Evangeliſtæ.* Sexto Calendas Octobris, die vigeſimo ſexto Septembris. Hoc enim die Græci colunt laudatum Apoſtolum. Porrò quarto iſtius menſis die Theodotus, utpote Synodalium Legatorum unus, fuit Chalcedone, cum aliis diſputans in Principis Conſiſtorio. Aliquot diebus poſt ibidem permanſit. Nam utraque pars fuit quinquies audita à Theodoſio. Ibidem fuit, dum Princeps finaliter ſtabilivit Synodi Acta, & omnes dimiſit ad propria. Iſtic item fuit in Ordinatione Maximiani, promoti in locum Neſtorii. Quomodo igitur dicta die poſſit fuiſſe Epheſi? Reſpondeo iſtuc veniſſe Chalcedone aut Conſtantinopoli, & huc iterum rediiſſe. Itineris cauſam ignoro. Et hinc diſcimus non admirari, quod etiam Projectus Epiſcopus, S. Celeſtini Vicarius, licet è Synodi Legatis non fuerit, advenerit Conſtantinopolim. Theodotus ergo Orthodoxis Epiſcopis ſolemni ſermone expoſuit à Principe confirmatam Neſtorii damnationem, addidit confirmationem datam etiam ob negatum duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum, & hac occaſione item expoſuit propoſitionem ac mentem Acacii Melitinenſis.

Et hinc oritur quæſtio, An iſta propoſitio ſit omnino hæretica, & re vera incidat in ſceleratam blaſphemiam Polemonis? Et videtur incidere. Hinc enim Joannes Antiochiæ Patriarcha ac ejus Epiſcopi S. Cyrillo communicare noluerunt, niſi anathematizaret iſtum articulum. Et ad ipſius auditum Chriſtianiſſimus Imperator Theodoſius excuſſit aut laceravit blatteam ſuam tunicam: *Præ magnitudine blaſphemiæ.* Antiquus ille, etiam in Sacro-Sanctis Evangeliis memoratus, deteſtandæ blaſphemiæ mos tunc necdum abierat in diſſuetudinem. Uſitabatur etiam à Sanctis. Etenim de SS. Apoſtolis Paulo ac Barnaba, dum Lyſtrenſes ipſi immolare vellent, ſcribit in Actis S. Lucas: *Conſciſſis tunicis ſuis exilierunt.* Reſpondeo hanc ipſam quæſtionem poſtmodo fuiſſe à Venerabili Carthaginenſi Eccleſiæ Archi-Diacono Ferrando propoſitam S. Ruſpenſis Eccleſiæ Antiſtiti Fulgentio: *Utrum Dei Filius ſicut dicitur natus, paſſus, mortuus, crucifixus, ita ejus Divinitatem confirmare nos oporteat natam, paſſam, mortuam, crucifixam? Quamvis, ſive Deus, ſive Divinitas nominetur, ſola Caro intelligatur mutabilis atque paſſibilis, ſecundùm quam Deus aut Divinitas potuit, quod in ſua natura non potuit.* Et S. Fulgentius reſpondit: *His tuis verbis breviter reſpondeo, Quidquid horum dicatur, nihil præjudicare fidei, qua veraciter Eccleſia Catholica credit & prædicat Divinitatem Filii impaſſibilem atque incommutabilem permanere.* Demonſtrat utrumque loquendi modum S. Ambroſio, S. Auguſtino, S. Leoni Papæ, etiam in Sacro-Sancta ejus ad S. Flavianum Epiſtola, S. Pontifici Gelaſio, aliiſque Patribus, quin & ipſi Gentium Doctori Apoſtolo Paulo placuiſſe. Hic enim dicit Chriſtum, Dei virtutem ac ſapientiam, crucifixum.

Eandem quæſtionem S. Fulgentius tractat in tertio libro ad Traſimondum, Arianum Regem Wandalorum in Africa. Licet Polemon, ſuum Apollinarium imitatus, fuerit Arianos averſatus, ejus tamen blaſphemia ex Ario ducit originem. Etenim Arius Deum verbum ex Origene dixit non eſſe aliud, quam primam mentem, ideoque ipſum Chriſto Domino fuiſſe loco animæ. Immò ipſam animam. Nam apud Origenem omnes mentes, licet differant meritis, ſunt ejuſdem ſpeciei atque ſubſtantiæ. Hinc Arius intulit Deum Verbum, ejuſque Divinitatem fuiſſe Chriſto Domino patiente, licet non paſſam tamen compaſſam. Ad morem noſtræ animæ. Adversùs hoc igitur blaſphemum dogma ſcribit S. Fulgentius: *Sed forſitan dicetur Chriſtum ideo in carne paſſum prædicari, quia Divinitas, quæ ante carnem pati non poterat paſſibilem ſuſcipiens carnem, paſſionem quoque cum carne perſenſit, quia prorſus ſuſceptione paſſibilis carnis ipſa impaſſibilis in paſſione permanere non potuit.* Amplè refutat impiam doctrinam, & concludit: *Reſtat igitur, ut Divinitatem Chriſti, quam immutabilem Sacra Scriptura commendat, ſic paſſam fateamur in carne, ut eam tamen credamus compaſſam non fuiſſe cum carne. Ideò enim Deus in carne paſſus eſt, quia paſſibilem carnem accepit, ideò autem carni compaſſus non eſt, quia in carne patiens impaſſibilis natura Divina permanſit.* Et infra; *Non*

*tunc nata eſt Chriſti Divinitas in ſe cum nata eſt pro nobis in carne*. Palam admittit has propoſitiones: *Divinitas eſt nata, paſſa, crucifixa, mortua*. Non in ſemetipſa, ſed in propria carne, aſſumpta in propriam hypoſtaſin.

Et has S. Fulgentii phraſes Ferrandus Archidiaconus eſt conſtanter ſequutus. Etenim in erudiriſſima adversùm Eutychianos Epiſtola ſcripſit ad Anatolium Diaconum Romanæ Eccleſiæ: *Solent Ariani nobis objicere talem propoſitionem*, Paſſa eſt Divinitas Filii, aut non eſt paſſa. *Si reſpondeamus*, Non eſt paſſa, *dicunt*, *Purus homo crucifixus eſt*. *Si reſpondeamus*, *quod reſpondere debemus*, Paſſa eſt, ſed ſecundùm carnem, ipſa tamen in hoc, quod impaſſibilis, permanens, *reſpondent*: Aut paſſa eſt Divinitas Patris, ſi paſſa eſt Divinitas Filii, aut non eſt una Divinitas Patris & Filii. *Proponentibus hoc Arianis convenit in lingua Catholica reſpondere*. Non dumtaxat adversùm Arianos, ſed etiam contra Eutychianos inſigniter exponit dogma Catholicum. Et iſte loquendi modus placuit toti Africæ. Nam & Sanctus Vigilius, Tapſitanus in Byzacio Epiſcopus, ſcribit in ſecundo libro contra Eutychianos: *Paſſionis injuriam etiam Divinitas pertulit, ſed paſſionem ſola ejus caro perſenſit. Dicam adhuc manifeſtiùs: Confixa eſt Divinitas clavis, ſed ipſa penetrari non potuit. Siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit*.

Sanctus Fulgentius in laudato ad Ferrandum Diaconum libro ex Sancto Auguſtino demonſtrat Deum ac Deitatem, abſtracta & concreta Attributa eſſe in Deo ſimpliciſſimè unum, & hinc concludit ac ſtatuit hanc regulam: *Ex his verbis Præclari Antiſtitis Auguſtini, remotis docemur ambagibus, ſalva incommutabilitate, æternitate, atque impaſſibilitate Divinitatis Filii Dei, quidquid de ejus Majeſtate, æternitate, ac virtute ſecundùm ſusceptionem carnis dicitur, incongruum non eſſe, ſi eodem modo ſecundùm carnem de ejus Divinitate dicatur. Quod ergò à Dei Filio ſuſceptum eſt, ab ejus Divinitate, ab ejus Majeſtate, ab ejus virtute, ab ejus æternitate probatur eſſe ſuſceptum*. Nec deeſt firmum fundamentum. Etenim Idiomatum communicatio fondatur in Hypoſtatica naturæ humanæ appropriatione ad Deum Verbum. Ita aſſiduè prædicat atque inculcat Sanctus Cyrillus. At verò natura humana, uti Deo Verbo, ita ejus Divinitati omnino fuit Hypoſtaticè propria. Et hic palàm fuit ſenſus venerandi Melitinenſis Acacii. Quæſtio erat de duodecimo Sancti Cyrilli Capitulo: *Deus eſt carne paſſus*. Joannes Antiochenus iſtud accuſavit, quod ipſam Divinitatem blaſphemaret paſſibilem & paſſam. Et Acacius repoſuit, uti Deum Verbum, ita & ejus Divinitatem iſta omnia ſuſcepiſſe. Utique non in ſemetipſa, ſed in propria carne. Et in hac eſſe paſſibilem ac paſſam. Et hæc vox Principi, totique Conſiſtorio graviſſimè diſplicuit.

Verùm ex qua gente, ex quo portu hæ de iſtis propoſitionibus lites navigarunt in Africam? Sunt enim Græcorum lites, à quibus pura ac immunis ſemper fuit Latina Eccleſia. Reſpondeo veniſſe ex Joanne Maxentio, & aliis cum ipſo Schytiæ Monachis, Legatis ad Sedem Apoſtolicam, & tunc in alma urbe demorantibus. Habebant non dumtaxat de Hypoſtatica unione, ac variis ipſam conſequentibus propoſitionibus lites cum Neſtorianis, ſed etiam cum iſtorum fratribus Pelagianis de Divinæ gratiæ auxiliis: Et quia Sanctum Auguſtinum fuiſſe ambobus potentiſſimè adverſatum noverant, ſuæ apud Apoſtolicam Sedem graviter periclitanti cauſæ ſubſidium duxerunt poſtulandum ab Africanis Epiſcopis, quos ſciebant religioſiſſimè inſiſtere veſtigiis Sancti Auguſtini. Eorum Epiſtola exſtat inter opera Sancti Fulgentii, Palmaris ipſorum contentio erat de his articulis: *Unus è Sancta Trinitate eſt paſſus & crucifixus*, *Deus eſt paſſus & crucifixus*. Hinc præfata Epiſtola fortiſſimè urget duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum, demonſtrans eſſe hauſtum ex Evangelicis ac Apoſtolicis litteris. Quod ipſum in aliis ſuis libellis facit præfatus Maxentius, & in ſecunda ſuæ fidei profeſſione adjungit: *Rurſus dicendum eſt eum, qui eſt Vita æterna, Sapientia & Virtus Patris, natum ſecundum carnem ex fœmina. Vitam æternam, Sapientiam, & Virtutem Patris pannis involutum in cunis jacuiſſe: Vitam æternam, Sapientiam, & Virtutem Patris paſſum, crucifixum, mortuum ſecundum carnem*. Idem Maxentius omnes hoſce libellos haud dubiè etiam miſerit in Africam: Etiam ad Ferrandum doctiſſimum ac zeloſiſſimum Primatialis Eccleſiæ Archi-Diaconum. Et hic ad iſtas propoſitiones cæſpitavit. Nec ſine rationibus. Hinc ipſas retulit ad Sanctum Fulgentium, ſuum in cunctis difficultatibus conſuetum refugium. Et hujus Reſcriptum jam audivimus. Fulgentius enim omninò favebat iſtis Monachis: Quod ex pectore contra Pelagianos agerent patrocinia Divinæ Gratiæ.

Quid miramur laudatos Eccleſiæ Patres? Etiam mediis Eccleſiæ ſæculis Beatus Alcuinus Flaccus eſt ita locutus. Etenim ad hanc Fredegiſi quæſtionem, *Utrumnè Divinitas cum carne ſit concepta, nata, paſſa, &c. quæ Humanitatis propria eſſe noſcuntur*, reſpondit: *Utique Divinitas ſuæ carnis conceptione concepta eſt, & nativitate nata, ſenſitque participatione humani affectus mortem, quam ſponte ſuſceperat, non naturæ ſuæ potentiam perdens, per quam cuncta vivificat*. Quin & nos hodiè ſolemniter cantamus in Eccleſia: *O magnum pietatis opus! Mors mortua tunc eſt, in ligno quando mortua Vita fuit*. Eſt antiquiſſimus cantandi, aut certè loquendi modus. Etenim & Sanctus Auguſtinus in duodecimo ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu ſcribit: *Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors Vitæ. Si dici poteſt mors Vitæ. Immo quia dici poteſt, mirabiliter dicitur*. Verſat ac explanat admirandam iſtam phraſim, & concludit: *In morte Chriſti mors mortua eſt, quia Vita mortua occidit mortem. Plenitudo vitæ deglutivit mortem*. Ex quo vides iſtum Eccleſiæ verſum & cantum

eſſe

Digitized by Google

eſſe formatum ex Sancto Auguſtino. Eadem ipſe repetit in vigeſimo ſento Tractatu: *Aſſumpſit Vita mortem, ut Vita occideret mortem. Vita æternn mortem aſſumpſit, Vita æternn mori voluit.* Et Ibas Edcſſenus Epiſcopus in Tyrio Judicio dixit ad ſuum Accuſatorem: *Ta quando dixiſti*, Vita mortua, *non tibi dixi repeatè, Si quidem hoc dicis, quia caro Domini vivificans eſt, & Chriſtus noſter Vita eſt, & ego confiteor. Si autem de Divinitate ſenſiſti, non recipio.*

Iſtam tamen loquendi formam Origenes eſt planè averſatus. Etenim Celſo, Epicurzo Philoſopho, noſtros Prophetas, quod Dei mortem prædicarent, irridenti repoſuit aliud eſſe Dei, aliud Deitatis mortem, & adjunxit: *Quamobrem ne ſimpliciſſimus quidem Chriſtianus, & inexercitatus in doctrina exquiſitiori, diceret obiiſſe Veritatem, aut Vitam, aut Viam, aut Vivum Panem, qui deſcendit è cœlo, aut Reſurrectionem, nam Reſurrectionem eſſe ſe dicebat, qui in ſpecie Hominis Jeſu docebat dicens:* Ego ſum Reſurrectio. *Nec ullus noſtrum inſanit, ut dicat:* Mortua eſt Vita, mortua eſt Reſurrectio. *Invenirentur autem tales,*
Cap. 7. *ſi locum haberet ſuppoſitio Celſi.* Eandem propoſitiooem improbavit Marius Mercator, Neſtorio aliquoties reſpondens, non Deitatem eſſe mortuam, ſed Deum Verbum. Ejuſdem mentis fuit publicatus per Jacobum Gretzerum Anaſtaſius Sinaita, poſt varia ſcribens: *Sic & Sapientiſſimus Cyrillus non ait mortem Divinitatis eſſe, neque Divinitatis paſſionem, ſic enim Divinitatis plenitudinem feciſſet paſſibilem ac mortalem, ſed Dei paſſionem dixit.* Eſt æquivoca ac ambidcxrra propoſitio. Hinc aliis placuit, diſplicuit aliis. Attamen Sancto Cyrillo omnino placuit. Etenim in dogmatica ad ſuos Monachos contra Neſtorii exordia Epiſtola diſertè ſcribit: *Quomodo igitur Vita mortem oppetiviſſe dicitur? Non aliter ſanè, quam mortem in propriam carnem excipiens.*
Cap. 23. Et in hoc fortaſſe Cyrilli loco poſſit ſe fundaſſe Melitinenſis Acacius. Circa hanc rem prudenter ſe geſſit Joannes Maxentius. Etenim in ſecundo ſui Dialogi libro inducit Neſtorianum interrogantem: *Vita ergo manibus comprehenditur impiorum, Vita crucifigitur, poſtremò moritur Vita? Et ſi Vita eſt mortua, quis vitam mortuis præſtare credendus eſt?* Et reſpondit: *Si is, qui Vita eſt, non eſt crucifixus & mortuus, ſperare vitam mortui nullatenus debeat.* Cautè affirmat non Vitam, ſed mortuum fuiſſe illum, qui eſt Vita. Superiores, quas ſupra audivimus, phraſes ita moderatus eſt, ac in meliori Judicio diſpoſuit, ut illis offenſas placaret aures Romani Populi.

Eadem eſt ratio omnium aliarum iſtiuſmodi propoſitionum. Eas conſtantiſſimè averſatus eſt Theodoretus. Scribit enim ad Milites: *Angelus dixit*, Venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus, *non Divinitatem includens tumulo, ſed Domini corpus hoc appellans nomine. Quod verò Sanctis quoque Patribus hæc ita viſa ſint, audiant Athanaſium Alexandriæ laudatiſſimum Epiſcopum, qui & Pontificatum ſua confeſſione exornavit, clamantem:* Vita mori non poteſt, immò verò mortuos vivificat. *Audiant & celeberrimum Damaſum Epiſcopum Romæ clamantem:* Si quis dixerit, quod in cruce pœnam ſuſtinuerit Divinitas, & non corpus cum anima, anathema ſit. *Audiant ſanctiſſimum ac Religioſiſſimum Romanorum Epiſcopum, Dominum Leonem, nunc ſcribentem, quod paſſus ſit Dei filius, ſicut pati poterat, non ſecundum naturam, quæ aſſumpſit, ſed ſecundum eam, quæ aſſumpta eſt.* Magnus Leo iſta ſcripſit in Sacro-Sancto ſuo Tomo ad Sanctum Flavianum. Notanda ſunt Theodoreti verba: *Nunc ſcribentem.* Proinde Theodoretus hæc ſcripſit poſt Conſtantinopolitanam Sancti Flaviani Synodum, ante Epheſinum Latrocinium: Antequam degradatus provocaſſet ad Magnum Leonem, & ab ipſo accepiſſet reparationis gratiam atque juſtitiam. Ex quo hodierni Apoſtolicæ Sedis Adverſarii videant, quod non proprii commodi cauſa, ſed ex veritatis impulſu digna elogia ſit impartitus Magni Leonis Perſonæ & Cathedræ. Et non dubito, quin in iſtis litteris reſpexerit præfatum articulum Melitinenſis Acacii. Etenim Sancti Cyrilli Capitula nunquam potuit digerere, immo nunquam voluit vel admittere in ſtomachum. Hinc ſemper fuit pertinaciter averſatus etiam has propoſitiones: *Deus eſt paſſus, crucifixus, mortuus.* Harum contentionum periti noverunt rationes. Longè minùs unquam conciliari voluit præfato verbo memorati Acacii.

Eadem fuit mens Sancti Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani. Etenim ad Joannem Antiochiæ Patriarcham hæc ſcripſit: *Dicentes autem iterum paſſibilem Deum, id eſt, Chriſtum, confitemur eum non eſſe paſſum eo quod eſt, ſed eo quod factum eſt, id eſt, propria carne. Et ita prædicantes nullo modo fallemur. Quoniam quidem & unum ex Trinitate ſecundùm carnem crucifixum fatemur, & Divinitatem paſſibilem minimè blaſphemamus.* Epiſtolæ fragmentum extat apud Facundum Hermianenſem Epiſcopum, & apud Breviarium Liberati Diaconi. Nequaquam loquitur adversùm Eutychianos. Hi enim necdum apparuerant. Omnino loquitur adversùs recens tunc adhuc, & Joanni & cunctis Orientalibus Epiſcopis odioſiſſimum, Dictum Melitinenſis Acacii. Quod iſtud in diuturno horum odio permanſerit, patet ex famoſa Ibæ Edeſſeni Epiſtola, quæ affirmat eos noluiſſe communicare Sancto Cyrillo, niſi ante omnia anathematizaret hunc articulum; *Divinitas eſt paſſibilis aut paſſa.* Ei vicinus erat articulus, quem Sanctus Proclus in ſuo ad Armenios tomo poſuerat: *Unus è Trinitate eſt paſſus.* Hunc apud Joannem ac ejus Diœceſim purgare ac firmare ſtuduit, ideòque dixit plurimum diſtare à verbo Acacii: Illum à ſe aſſeri, hoc anathematizari. Et utrumque conſonare confeſſioni, quam Joannes per Paulum Emeſenum Epiſcopum tranſmiſerat Sancto Cyrillo. Ita Joannem fortiter ac ſuaviter induxit in comprobationem ſui articuli.

Et hanc loquendi formam amplexa tandem eſt

omnis

omnis Græcorum Eccleſia. Eorum enim primus Doctor Scholaſticus, ſententiarum Magiſter, & communis dogmatis Interpres, Sanctus Joannes Damaſcenus ſcribit in tertio libro Orthodoxæ fidei: *Enim verò cum de Divinitate loquimur, ea quæ humanitati propria ſunt, ipſi minimè aſſiguamus. Non enim paſſibilem aut creatam Divinitatem dicimus. Nec rurſus carni, ſive humanitati ea tribuimus, quæ Divinitati propriè conveniunt. Neque enim carnem, ſive humanitatem increatam dicimus. At verò cum de perſona verba facimus, ſive ab utraque parte ſimul, ſive ab altera dumtaxat eam appellemus, utriuſque naturæ proprietates ipſi imponimus.* Demonſtrat idiomatum in Chriſto Domino communionem eſſe non per abſtractas voces faciendam, ſed per concretas. Dicendum eſſe, *Deus eſt mortuus aut crucifixus*, nequaquam, *Deitas eſt crucifixa aut mortua*. Et rectè dicit. Eademque forma jam pridem obtinuit in Latina Eccleſia. Etenim ad Ferrandi Carthaginenſis Archi-Diaconi laudatam Epiſtolam neſcio quis poſuit hoc marginale Scholium: *De Filii Divinitate impropriè loquitur, cum eam vel paſſam, vel natam de Virgine dicit. Quæ quidem de Chriſto verè, propriéque dicuntur. Digna omninò venia eſt pietas Veterum, quibus nondum ita explorata erant fidei noſtræ Myſteria, ut poſtea, diſponente ſic Domino, poſterioribus fuere temporibus. Tametſi quid ipſe velit Ferrandus, & ut conetur idem nobiſcum ſentiens dicere, poſteà in extrema hac Epiſtola intelligitur.*

Admiſcet veris falſa. Quis enim admittat fidei noſtræ Myſteria antiquis Eccleſiæ Patribus fuiſſe minùs explorata? Explorata illorum notitia, ſi apud Patres non fuit, è quo cœlo eſt ad nos delapſa? Nos iſta non ſcimus, niſi per legitimæ ſucceſſionis traducem, & firmiſſimam hanc veritatis regulam: *Ea omnia & ſola credenda ſunt, quæ nos à noſtris Majoribus, illi à ſuis, hi ab Apoſtolis, Apoſtoli acceperunt à Chriſto, Chriſtus autem accepit à Deo.* Patres item nec in his, nec in iſtis locutionibus egent venia. Quoniam utraque phraſis erat tunc irreprehenſibilis, & liberrimis greſſibus ambulabat per Eccleſiam. Etenim non eſt verum, quod Venerabilis Ferrandus conetur dicere, ut nobiſcum ſentiat. Abſit, ut tantus non ſolius Africanæ, ſed totius Eccleſiæ Doctor à nobis unquam vel in ſpeciem diſſenſerit. In laudata Epiſtola eſt utroque modo locutus. Et hoc ex Magiſterio Sancti Fulgentii. Nihilominus omninò expedit, ut Divinæ & humanæ naturæ in Chriſto Domino idiomata non per abſtractas communicemus voces, ſed per ſolas concretas. Per abſtractas communicatio habet aliquid cacophoniæ, eſt ſuſpecta de Apollinario, Polemone, ac Eutychete, atque ita infirmis auribus parit aliquid ſcandali. Et hanc ſuſpicionem ac ſcandalum Imperator Theodoſius ſubiit ex verbo Melitinenſis Acacii. Nec ſine fundamento. Etenim Sanctus Cyrillus accuſabatur de Apollinario, ideoque Acacius illum defendens non debebat uti ſuſpectis de hoc vocibus. Iſtæ phraſes, licet per Apoſtolicam Sedem damnatæ nunquam fuerint, paulatim tamen abierunt in deſuetudinem & communem diſplicentiam, ideoque omnes jam pridem ſectamur regulam & phraſim Sancti Joannis Damaſceni. Damnatio, quam à Sancto Damaſo factam laudat Theodoretus, eſt in ejus dogmaticis ad Paulinum Antiochiæ Patriarcham litteris: Solam Polemonis blaſphemiam damnat, non uſitatam tunc phraſim à variis Orthodoxis.

Præſens Epiſtola docet inſuper nos quædam alia. Primò, quod Imperator Theodoſius neutro contendentium & auditarum partium Reſponſo contentus juſſerit, ut quæque pars fidem ſuam Scripto exponeret. Omnis quæſtio erat, non amplius de Neſtorii Epiſcopatu aut dogmate, ſed de ſolis Sancti Cyrilli Capitulis, circa quæ partes pertinaciſſimè & clamoſiſſimè diſſidebant. Princeps id haud dubiè fecit ſuaſus à Joanne Officiorum Magiſtro, qui iſtud ipſum Epheſi poſtulaverat: Et ejus Suaſum adjuvit verbum Acacii. Secundò docemur, quod ſchiſmatica Legatio ad ſolum Nicænum Symbolum denuò proclamaverit, ita ſperans Epheſina Definita excutere. Nam & iſtud ipſum tota Factio à Joanne Comite poſtularat apud Epheſum. Tertiò, quod hoc conſilium placuerit etiam Principi & Conſiſtorio. Nam & ille ab Acacio Berrhæenſi Epiſcopo perſuaſus, iſtud ſcripſerat in ſua Sacra, per eundem Joannem tranſmiſſa Epheſum. Quartò, quod factioſi Legati ad Principis Edicto ſatisfaciendum poſtularint Epheſo ſibi tranſmitti Relationem illam, quæ in Synodalibus Actis habet hunc Titulum: *Relatio Orientalium ad Imperatorem, cui Symbolum Sanctorum Nicænorum Patrum præpoſuerunt, referentes de Sanctæ & Œcumenicæ Synodi Decretis ſuper libellis, quas Sanctiſſimi Cyrillus & Memnon ipſi obtulerunt. Fuit autem relatio hæc ad Irenæum Comitem miſſa, & per ipſum Imperatori exhibita.* Hoc ipſum inſtrumentum eidem Legati laudarunt, & Chalcedone tranſmiſerunt Theſſalonicam ad Ruſum Epiſcopum, ita ſcribentes: *Miſimus etiam exemplar Scripti, quod Piiſſimo Imperatori noſtro exhibuimus, quo Sanctorum Nicænorum Patrum fides continetur, & hæretica Cyrilli Capita recens inducta, ea judicantes ab Orthodoxa fide aliena, in ipſo rejecimus.* Eſt ipſiſſimum Scriptum. Et ſcripta ad Ruſum Epiſtola eſt hac præſenti anterior. Quare Legati omninò habebant iſtud inſtrumentum, & quidem authenticum, ac ab omnibus ſubſcriptum. At ſemetipſos ſpoliare noluerunt, ideóque illud miſerunt Epheſum, ut juxta ipſum fieret aliud originale atque authenticum, & ab omnibus ſubſcriberetur. Et tunc unum offerretur Principi. Vulgata tranſlatio habet: *Propoſuimus igitur illam, in qua veſtra Sanctitas ſubſcripſit.* Hoc eſt, necdum obtulimus, ſed offerre propoſuimus. Hic ſenſus lucet ex Caſſinenſi tranſlatione: *Reſtat igitur illam, in qua Sanctitas veſtra ſubſcripſit, pietatis ejus offerre.* Nempè dum duplicatum advenerit. Quintò docemur, quod è Conſtantinopolitano Populo plures ſchiſmaticis faverint, ad eos tranſfretarint frequenter, & ipſos accenderint

Digitized by Google

derint ad pertinaciam. Hi enim ſunt, qui poſtmodò in ipſa Regia civitate excitarunt publicos motus. Hæc vulgatæ tranſlationis verba, *Multum laboramus ad retinendum eos*, ſunt clariora in Caſſineoſi: *Ad eos compeſcendos plurimum laboramus*. Vulgatus Tranſlator hunc Titulum rectè appoſuit Epiſtolæ: *Altera Schiſmaticorum Epiſtola, intempeſtivè de victoria gloriantium*. Etenim Divina Miſeratio illuminavit Principem, ut poſt quintam partium Audientiam vera & recta judicaret.

---

## CAPUT XXVIII.

*Per omnia Deo Amiciſſimis, & Sacratiſſimis, atque Sanctiſſimis Comminiſtratoribus Joanni, Joanni, Himerio, Paulo, Macario, Apringio, Theodoreto, Epiſcopis, Synodus, quæ convenit Epheſi, Salutem.*

COgnoſcentes certamina, quæ à vobis per gratiam Dei pro Fidei pietate ſunt habita coram Chriſti Amico atque Piiſſimo Imperatore noſtro, experimento agnovimus, quia Dominus Jeſus Chriſtus ſuas non derelinquit Eccleſias, ita ut & nobis Orthodoxis dignam præſtaret gratiam, & multam confuſionem contra inimicos effunderet, & piiſſimum Principem noſtrum rectæ fidei Sanctiſſimæ Eccleſiæ addicere præpararet. Et confidimus, quia & competentibus Sacerdotibus, Chriſti fiducia dimicantibus vobis, & ſalvante Domino Imperatoris noſtri piiſſimam vitam, pacificum finem præſens negotium ſortietur. Et hæc quidem depompabunt hæreſes. Refulgebit quidem rurſus per univerſas totius Mundi Eccleſias Sanctorum Patrum fides Orthodoxa. Inimici verò nec ceſſant nunc uſque conſueta uti tyrannide, eòquod nullam ſenſerint ultionem. Ubique enim per Eccleſias noſtras mittentes damnationes illicitas, perturbant & Cleros & Populos.

Subſcripſimus autem in duas uniformes Epiſtolas, quæ à veſtra Sanctitate directæ ſunt, pro quibus ut vos uſque ſanguinem quæſumus opponatis, contra eam, quæ nuper exſurrexit, impietatem pro veritate bellantes. Scientes, quod in Sanctitatis veſtræ concordia permanentes, parati ſumus priùs animam reddere, quàm quodlibet hæreticorum Capitulorum, Cyrilli Alexandrini ſuſcipere.

Ea verò, quæ contra perſonam, quæ injuſtitiam pertulit, facta ſunt, cognoſcentes totius obſtuporis ſumus taciturnitate perculſi. Qui enim depoſuerunt eum, in ipſis Geſtis hæreticis Capitula hæretica, ſicut noſtis, Patrum fidei conjunxerunt: & per hoc ſemetipſos hæreticos denotantes, & à fide alienos Orthodoxa. Quomodò igitur, quæſo, poſſibile eſt, ut ad unum, dum ſunt contraria, hæc utraque conveniant? Id eſt, ut depoſitio approbetur, & Capitula improbentur. Si enim circa damnationem fide ſunt digni, & in his, quæ expoſuerunt iidem, hæreticis Capitulis fide non habentur indigni. Si verò hæreticos eos convincunt eſſe Capitula, ab hæreticis etiam depoſitio facta eſt. Hæc adlocuti ſumus etiam Principem noſtrum piiſſimum, & ad veſtram direximus Sanctitatem, ut quod vobis viſum fuerit peragatis.

Æſtuamus enim, quod triſtes dicimus, pro veritate, ne ſi confirmetur quæ ab hæreticis eſt facta dejectio & Capitula hæretica quamcumque obtineant firmitatem: Et alia quæ ab eis contra multos facta ſunt Sacerdotes. Quæ omnia dum Sanctitas veſtra cognoverit, illa eam confidimus eſſe acturam, per quæ & univerſa, quæ contra omnes ab hæreticis ſunt facta, caſſentur, id eſt, ſive damnatio, ſive excommunicatio, per Synodicas litteras, Imperialiaque Decreta. Non ignorat enim Religioſitas veſtra, quod habeamus nobiſcum nonnullos Epiſcopos, qui in propriis manſionibus ſoli remanſerunt. Direximus autem Sanctitati veſtræ & eam, quæ nuper facta eſt, interpretationem hæreticorum Capitulorum ab Alexandrino Cyrillo, impietatem ſuam etiam per ipſam ſubtiliùs oſtendentem. Sicut autem veſtram rogavimus Sanctitatem, dignemini habere curam, quatenùs celeriùs dimittamur, maximè quia tempus imminet hyemis.

1. Tranquillinus Epiſcopus Antiochiæ, quæ eſt Piſidiæ Metropolis, incolumes vos orare pro me deprecor apud Deum, Domini mei fratres.

Et reliqui ſimiliter ſcripſerunt.

2. Helladius Epiſcopus Tharſi.
3. Alexander Epiſcopus Apameæ.
4. Julianus Epiſcopus Sardicæ.
5. Boſporus Epiſcopus Gangrorum.
6. Petrus Epiſcopus Trajanopolis.
7. Cyrus Epiſcopus Tyri.
8. Rabbulas Epiſcopus Edeſſenus.
9. Alexander Epiſcopus Hierapolitanus.
10. Maximinus Epiſcopus Anazarbi.
11. Dorotheus Epiſcopus Marcianopolis.
12. Aſterius Epiſcopus Arandæ.
13. *Subaous* Epiſcopus Hypatæ. Em. Noriſius legit Pauſanius ex cap 190
14. Dexianus Epiſcopus Seleuciæ.
15. Baſilius Epiſcopus Lariſſæ Theſſaliæ.
16. Eutherius Epiſcopus Thyanorum.
17. Gerontius Epiſcopus Claudiopolis.
18. Muſeus Epiſcopus Aradi.
19. Placeus Epiſcopus Laodiceæ.
20. Martianus Epiſcopus Abryti.

21.

21. Cytillus Epiſcopus Adanæ.
22. Fritilas Epiſcopus Heracleæ.
23. Cyriacus Epiſcopus Diocletianopolis.
24. Antiochus Epiſcopus Boſtrorum.
25 Daniel Epiſcopus Fauſtinianopolis.
26. Marcellinus Epiſcopus Arcæ.
27. Salnſtius Epiſcopus *Coriæ*. — Em. Nor. legit Coryci.
28. Jacobus Epiſcopus Dotoſioli.
29. Theophanius Epiſcopus Philadelphiæ.
30. Meletius Epiſcopus Neo-Cæſareæ.
31. Diogenes Epiſcopus *Ninopolis*. — Em. Nor. legit Junopolis.
32. Polichronius Epiſcopus Epiphaniæ.
33. Heſychius Epiſcopus Caſtabalorum.
34. Trajanus Epiſcopus Auguſtæ.
35. Cyrus Epiſcopus Marcopolis.
36. Polichronius Epiſcopur Heracleæ.
37. Helliades Epiſcopus Zeugmatis.
38. Anaſiaſius Epiſcopus Tenedi.
39. Valentinianur Epiſcopus Malli.
40. Julianus Epiſcopur Lariſſæ.
41. Diogenes Epiſcopus Seleucobali.
42. Theotiſtus Epiſcopus Cæſateæ.

*Piiſſimis & Amicis Chriſti Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano, Auguſtis, Synodus Sancta, quæ in Epheſum congregata eſt.*

Edocti ex litteris Sanctiſſimorum & Deo amiciſſimorum Comminiſtratorum noſtrotum, qui ad pium Comitatum veſtrum pro tota Synodo advenerunt, quod & introitus eorum propriè à veſtra Pietate ſuſceptus ſit, & pro pia fide Imperii veſtri zelum, ita delectati ſumus, tanquam ſi cum præfatis præſentes fuiſſemus, cumque ipſis rtanquillam Pietatis veſtræ faciem vidiſſemus. Cognovimus enim, quomodo illa quidem, quæ Adverſariorum ſunt, inſuſceptibilia facta ſint veſtro juſto Judicio, Nicænorum verò Parrum fides, pro qua & præſentes Deo amiciſſimi Epiſcopi, & nos quoque certamus, digna ſuſceptione probata ſit. Et credimus, quia ſic ex Domino veſtra Pietate pendente, ab his qui tentaverunt, nullatenùs commovebitur Apoſtolica fides, per quam à Progenitoribus olim veſtrum regnat Imperium. Et omnes alienigenas ſubditos habet. Et circa hæc gratidicas voces & intentas pro Pietate veſtra deprecationes conſuetè obtulimus cum multa Domino Chriſto lætitia.

Quoniam verò multa quidem fiducia eſt Sacerdotibus coram veſtro Imperio, & illa ei inſinuare præſumimus, quæ in anguſtam nos æſtuationem miſerunt, quorum curationem quoque depoſcimus. Undè quæſumus, ac noſmetipſos proſternimus veſtigiis veſtris, ut cum patientia nos humillimè ſupplicantes Pietas veſtra ſuſcipiat pro illa perſona, cui præjudicium factum eſt ab his, qui hæretica Cyrilli Alexandrini Capitula ſuſceperunt, impietatemque contra id, quod Divinitatis eſt, effecerunt. Qui enim hæretica Capitula ſubintroduxerunt, Sanctorum Patrum perturbaverunt fidem, quod ad ipſos pertinet, in ipſis Geſtis. Et illicitam fecerunt depoſitionem. Et credimus, quia indeclinabili, rectoque Judicio veſtro juſtum minimè apparebit, condemnationem *ab illis* factam permanere, quos hæreticos dignum *eſt* condemnari, dum convicti ſint hæretici eſſe.

Quæ verò ab eis facta ſunt & contra Canonicas ſanctiones, & piiſſimas litteras, à multis jam particulatim didicit Imperium veſtrum, dum ille, qui ab eis injuſtitiam pertulit, in ullo nec veſtris ſanctionibus contra-iſſet, & Eccleſiaſticam fidem Orthodoxè prædicaſſet. Nam *etſi* ipſe hujuſmodi *ſit, qui millies fugiens tumultus caveat, & privatim agere malit*, metuendum tamen eſt, ne fidei læſio quæcumque contingat, eò quod illicita illa dejectio ab illis facta ſit, qui hæretica ſuperduxere Capitula.

Et ſubſcriptiones.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt Orientalis apud Epheſum Factionis reſponſoria ad præcedentem ſuorum Legatorum. Exſtat in Synodalibus Actis, attamen & Caſſinenſem translationem judicavi vulgandam, ob plures rationes. Primò, quod habeat ſubſcripta omnium Epiſcoporum nomina. Et inter ipſos eſt Cyrus Tyriorum Metropolita, cui ſucceſſit Comes Irenæus. Etiam eſt Rabbulus, ſeu Rabbulas Edeſſæ Metropolita, cui ſucceſſit Ibas. Proinde Ibas Epheſi non fuit Epiſcopus. Attamen omninò fuit. Nempe Presbyter, in ſocietate ac miniſterio Rabbulæ. Ei ſucceſſit anno trigeſimo ſexto iſtius ſæculi. Secunda ratio eſt, quod Caſſinenſis translatio in Epigraphe prætermittat Helladium Ptolomaidis Epiſcopum, unum è Legatis. Ipſum verò ponit vulgata tranſlatio. Poſſit Legatorum litterar portaſſe Epheſum, ac item retuliſſe Reſponſum, atque ideò eſſe prætermiſſus. Veritas latet. Tertia ratio eſt, quod Caſſinenſis translatio quædam vulgatæ menda emendet. Primum eſt in ipſo Epiſtolæ exordio. Aliud eſt in verbis: *Infamentur hæretica, ut per totum Orbem in Eccleſiis iterum Sanctorum Patrum Orthodoxa fides relucescat*. Noſtra translatio eſt clara: *Et hæc quidem depompabunt hæreſes. Refulgebit quidem rurſus per univerſas totius Mundi Eccleſias Sanctorum Patrum fides Orthodoxa*. Porrò Caſſinenſis codex habet duas inſcriptiones: Unam a Legatis ad Synodum, aliam à Synodo ad Legatos. Et hæc eſt legitima. Alia palàm irrepſit ex oſcitantia Scriptoris. Et per eundem non fuit raſa aut circumducta. Notanda ſunt hæc verba utriuſque translationis: *Subſcripſimus in duobus exemplaribus, quæ à veſtra Sanctitate nobis ſunt miſſa*. Videntur diſſonare à

verbis

verhis præcedentis Epiſtolæ : *Miſimus exemplar expoſitionis, ut duo exemplaria fiant, duobuſque illis ſubſcribatis*. Caſſinenſis rranslatio eſt expreſſior: *Ut duo authentica enemplaria dignemini tranſcribere, & ſubſcribatis ambobus*. Reſpondeo aut Legatos poſt ſcriptas litteras mutaſſe conſilium, & duo exemplaria miſiſſe Epheſum, aut ram vulgatum quam Caſſinenſem Translatotem deviaſſe ah origioali littera. Et quoniam hæc non exſtar, ego neſcio aliud.

Epiſtola hæe nos docer varia. Primò, quod Epheſina Synodus etiam poſt tranſmiſſos ad Prinpem Legatos perrexerit in ſuis Seſſionibus ac Operihus: quod perrexerit quorumdam Neſtorianorum Acta & Scripta diſcutere. Quod quoſdam damnaverit, & damnationis litteras miſerit ad ipſorum Eccleſiam, mandans procedı ad novi Epiſcopi electionem & conſecrarionem, & vacantis Eccleſiæ bona uſque tunc regi & cuſtodiri per Œconomos. Inter hos fuerunt Dorotheus Martianopolitanus, Helladius Tharſenſis, Himerius Nicomedienſis, Eutherius Thyanenſis, & plures alii. Erat enim & ipſe Joannes Antiochenus. Singulorum nomina habes in ſeptima Actione Epheſini Coocilii. Verùm Cyrillus, Primarius Synodi Præſes, tenebator in vinculis, Arcadius verò Italiæ Epiſcopus, ac Philippus Romaoorum Presbyter erant Chalcedone. Quomodo igitur ſine Præſidibus potuerunt tractari ac definiri Synodalia? Et quidem degradationes Metropolitatum. Reſpondeo hinc duei argumentum, quod Imperator Theodoſius, dum Neſtorii damnatiooem admiſit, etiam Cyrilli ac Memnonis reparationem ſtahiliverit, atque ita ille, ut eanonicus Præſes, denoò cœperit Synodales Actiones celebrare. Et firmatur hoc ex his Epiſtolæ verbis. *Eò quod nullam indignationem enperti ſint*. Caſſinenſis translatio eſt lucidior? *Eò quod nullam ſenſerint altionem*. Certè Cytilli ac Memnonis degradatio & carceratio fuerant haud modica ultio. Proinde dum hæc ſcribebatur Epiſtola, illæ videntur fuiſſe eircumductæ, tamquam ſi numquam fuiſſent, exſufflatæ. Quid quid ſit, Projectus Epiſcopus manſit Epheſi, & alii Legati in ipſum poſſint compromiſiſſe, & accumulaſſe ſuas vices Apoſtolicas. Et ex his patet Synodalia Acta eſſe nohis mutila. Majores forſitan noſtri hæe poſteriora oh Primatum Epiſcoporum ahſentiam ceoſuerunt non eſſe paris cum aliis aurhoritatis.

Secundò docemur horrendum Factionis odium in S. Cyrilli Capitula. Horrenda ſunt odii verba: *Parati etiam ſumus prius mori, quam ſuſcipere unum ex Hæreticis Cyrilli Alenandrini Capitulis*. Caſſinenſis translatio conſonat; *Parati ſumus priùs animam reddere, quam quodlibet hæreticorum Capitulorum Cyrilli Alenandrini ſuſcipere*. Rectè aſſerunt hoc odium eſſe ſuam concordiam. Etenim quid ipſe etiam Joannes Patriareha, ac ejus in hac Legatione ſocii de Capirulis ſenſerint, docet poſtrema ipſorum ad ſuam Epheſi Factionem Epiſtola: *Quintò acceſſus nobis contigit, & multum de Hæreticis Capitulis diſceptavimus, juravimuſque ſæpiùs Pientiſſimo Regi, quod impoſſibile ſit nobis communicare his, qui diverſa ſentiunt, ſi nondum exploſerint Capitula. Et quod Cyrillus, etiamſi rejecerit Capitula, à nobis ſuſcipiendus non ſit, eò quod ipſe tam impiæ hæreſeos Hæreſiarches factus ſit*. Antiquus, S. Athanaſio authore conditus, Eccleſiæ Canon, aut potius nova per hunc Canonem inducta clementia lapſos in hæreſim, & de iſto lapſu pœniteotes Epiſcopos recepit ae repoſuit in gradum, exceptis tamen Hæreſiarchis: In hos permanere voluit avitum rigorem, qui quoſvis in hæreſim cadentes Epiſcopos aut Clericos, licet ex pectore pœnitentes, non impartiehat, niſi ſola communione laicæ. Ah hoc Canone, licet tunc mitigatus eſſet, Joannes juravit circa Cytillum non recedere. Juravit ſæpiùs. Et quidam coram Principe, totoque Conſiſtorio. Et hoc ex hoſtili odio erga Cytillum ae ejus Capitula. Graviſſimè exceſſit. Non dumtaxat quia Herodianum, ſed etiam quia qualecumque præſtirit juramentum. Antiquus enim Canon id cunctis interdixit Epiſcopis. Præſertim Antiocheno. Quis enim neſciat Antiochenum S. Joanois Chryſoſtomi Miracolum? Hoc etiam aurigis & nautis omne juramentum adeò abſtulerat, ut omnis in id per linguæ incuriam aut præcipitium lapſus ſemetipſum mox vindicaret, & iſto die cogeret dormire incœnatum. Et Joannes in ſuum eaput juravit. Etenim poſtmodò à plurihus ſuis Epiſcopis, ejus cum S. Cyrillo pacem averſantibus, paſſus eſt acerbas contradictiones & perſecutiones; Et palmare ipſorum fundamentum erat juramentum. Clamabant ſuum Patriarcham præter alias in iſta pace prævaricationes eſſe frequentis perjurii reum, ideoque ſemetipſos & ſuas Eccleſias ah ejus communione pertinaeiter ſegregarunt. Per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Notanda ſunt hæc verba: *Quæ autem ad perſonarum dehoneſtationem attinent, perpetuo ſilentio abrogamus. Qui enim recipiunt eum in hæreticis illis Commentariis (hæretica Commentaria, ut ſcitis, Patrum fidei conjunnerunt) hac ratione declarant ſetpſos hæreticos, & ab Orthodoxa fide alienos. Quomodò igitur, oro, fieri poteſt, ut duo hæc diverſa, depoſitio & Capitula conveniant?* Sunt involuta ae ohſcuriſſima. Caſſinenſis translatio eſt longè lueidior; *Ea verò, quæ contra perſonam, quæ injuſtitiam pertulit, cognoſcentes, totius ob ſtuporis ſumus taciturnitate perculſi. Qui enim depoſuerunt eum, in ipſis Geſtis hæreticis hæretica Capitula, ſicut noſtis, Patrum fidei conjunxerunt. Et per hoc ſemetipſos hæreticos denotantes, & à fide alienos orthodoxa. Quomodo igitur, quæſo, poſſibile eſt, ut ad unum, dum ſunt contraria, hæc utraque conveniant? Id eſt, ut depoſitio approbetur, & Capitula improbentur*. Agunt non de variis perſonis, ſed de ſolo Neſtorio, & de ipſius degradatione facta per Synodum. Et dicunt varia. Primò, quod iſta damnatio ſit penitus injuſta: Quod ipſam audientes ohſtupuerunt adeò, ut nec loqui potuerint. Vulgatæ translationis verba, *Perpetua ſilentio abrogamus*, carent omni

ſenſu.

ſenſu. Secundò affirmant Neſtorii damnationem non dumtaxat eſſe injuſtam, adeoque nullam ratione materiæ, ſed inſuper ratione formæ. Ob duas præſertim rationes. Prima eſt, quod iſti Epiſcopi Patrum fidei, utique Nicæno Symbolo, adjunxerint ac æquiparaverint hæretica Cyrilli Capitula. Re vera enim Epheſini Patres poſt lectum Nicænum Symbolum legi curarunt etiam Sancti Cyrilli Capitula. Factio credidit hæc ab illis fuiſſe Synodaliter comprobata, & admiſſa in regulam. Secunda ratio eſt, quod Epheſini Patres hanc Capitulorum canonizationem & Neſtorii damnationem conjunctim fecerint, in eiſdem Commentariis adunarint, & ut connexa ad Principem retulerint, ideoque non minus Neſtorii damnatio, quam Capitulorum canonizatio ſit prævaricatoria, ac penitus nulla. Etenim Epiſcopi Capitula canonizando aſſricarunt ſibi Apollinariſticam ac Eunomianam ipſorum ſcabiem, atque ita ſemetipſos ſpoliarunt judicandi poteſtate. Ex his Factio intulit Imperatorem Theodoſium, qui Capitula projiciens Neſtorii damnationem firmaverat, fuiſſe inſigniter circumſcriptum. Adversùs Epheſinam Synodum uſa eſt eo ipſo principio, quo adversùs Sardicenſem uſa olim fuerat Euſebiana Arianorum Factio, de qua Sulpitius Severus: *Interjecto tempore Athanaſius, cum Marcellum parum ſanæ fidei eſſe comperiſſet, à communione ſuſpendit. Nacti ergò Ariani iſtiuſmodi occaſionem, conſpirant penitus Sardicenſis Synodi Decreta ſubvertere. Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quod tum injuſtè fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quum Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii judicio hæreticus eſſe probaretur. Igitur Ariani aſtuto conſilio miſcent innoxium criminoſis, damnationemque Photini & Marcelli, & Athanaſii eadem ſententia comprehendunt, illud nimirum apud Imperatorum animos præſtruentes, ut non putarentur de Athanaſio perperam judicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera ſenſiſſent.* Sardicenſis Synodus & Sancti Athanaſii, & Marcelli Ancyrani Epiſcopi, qui ab Euſebiana Factione degradati ad Julium Papam provocaverant, cauſas ex ejuſdem Pontificis delegatione retractaverat, & utrumque reparatum gradui reddiderat: Circa Marcellum circumſcripta. Hinc Factio ubique buccinavit eandem Synodum non potuiſſe de Athanaſio rectè, de Marcello perperam judicare, ideoque datum de utroque judicium exſufflavit, & ſuam de illis Antiochenam ſententiam edixit ratam & inconcuſſam. Eodem modo hæc Orientalis Factio conteſtatur Epheſinam Synodum, præſertim eandem ipſius Actionem, non potuiſſe recta de Neſtorio, & devia judicare de Capitulis. Erat frivolum argumentum. Quis enim ignorat utile non vitiari per inutile? Deinde Synodus nihil judicavit de Capitulis, ideòque falſum erat iſtud argumentum. Interim hinc tertiò diſcimus, quod iſta Capitula fuerint unica arma Factionis adversùs Synodum.

Quartò diſcimus, quod Factio ad Capitula plenè apud Principem infamanda ſuis Legatis transmiſerit eorumdem expoſitionem, factam nuperrimè à Sancto Cyrillo, aſſeverans hanc illis eſſe magis impiam, ideoque de eorum impietate non eſſe deinceps ambigendum. Tranſmiſerunt exiſtentem in tertia Synodalium Actorum parte expoſitionem, cui eſt hic titulus: *Explanatio duodecim Capitum, Epheſi pronunciata à Cyrillo Archi-Epiſcopo Alexandrino, Sancta Synodo clariorem illorum declarationem exigente.* Liberatus Diaconus in Breviario exponit factam à Sancto Cyrillo & Joanne Antiocheno pacem, & ſubjungit: *Tunc & Evoptius Ptolemaidis Pentapoleos Regionis Epiſcopus, accipiens exemplar litterarum Theodoreti, qui ſcripſerat contra duodecim Capitula Cyrilli, direxit illud Cyrillo, ut reſponderet ad ea, & ſua Capitula exponeret.* Joannes Garnerius in ſuis ad Liberatum Scholiis ſcribit: *Liberatus peccat duorum ſaltem annorum parachroniſmo. Nam ante Concilium Epheſinum Theodoreto Cyrillus reſpondit, ut demonſtratum eſt à nobis ſecunda parte Operum Marii Mercatoris.* In Scholio ad Apologeticum, quod adversùs Andreæ Samoſatenſis Epiſcopi calumnias pro ſuis Capitulis Sanctus Cyrillus edidit. Affirmat hunc Andream ac item Theodoretum ſcripſiſſe in Capitula, & adjungit: *Uterque ſcripſit ante Concilium Epheſinum, quod de ſe teſtatur Theodoretus in præfatione Pentalogii. Uterique Cyrillus ante Concilium reſpondit. Quod vel ex eo conſtat, quod damnati à Synodo Neſtorii nuſquam meminit, cum tamen magni in rem ſuam momenti futurum eſſet tantum Eccleſiæ judicium.* Hæc ſunt Theodoreti in Pentalogii præfatione verba: *Priuſquam Conventus apud Epheſum celebraretur, duodecim Capitulis ſtrictim ac apertè reſtitimus, ut præſcius horum fieret intellectus etiam rudiorum, & rationis expertium. Quia verò ſe manifeſtum, qui iſta protulit, in Concilio declaravit, & plures ex his qui convenerant, imperiti potiùs, nec ulla dogmatis imbuti notitia, pia hæc arbitrati ſunt, opere pretium viſum eſt iterum contra niti, ſermonemque diſtendere, & ſucciſam blaſphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidentiùs approbemus, quemadmodum Evangeliis approbeatur adverſa, quæ nunc ab iſtis maximè proferunt.* Reſpondeo ex his omnibus conſtare, quod Theodoretus ante Synodum invaſerit Capitula, nequaquam tamen quod Cyrillus illi Apologiam reddiderit. Quin immò conſtat oppoſitum. Etenim ſi Cyrillus Theodoreto & Andreæ jam reſponderat, quomodò Synodus ab illo exegit clariorem Capitulorum explanationem? Cur Cyrillus non adduxit iſta Apologetica? Certè erant longè clariora & ampliora iſto expoſitorio libello. Et Synodus nec Theodoretum, nec Andræam refutari rogavit, ſed dumtaxat exponi Capitula. Quia nempè hujus vel iſtius calumniæ necdum pervenerant ad notitiam ullius Epiſcopi. Nec refert, quod Sanctus Cyrillus in iſtis Apologeticis nullam de Neſtorii damnatione faciat memoriam. Etenim iſtius memoriæ nulla erat neceſſitas, nulla utilitas. Neſtorius non propter impugnata aut anathematizata Capitula fuit damnatus, ſed propter

ſolam

ſolam impietatem propriam, ideoque iſta memoria non poterat prodeſſe Capitulis. Et notanda ſunt hæc Theodoreti de Sancto Cyrillo verba: *Quia verò manifeſtum ſe in Concilio declaravit*. Palam affirmat Pentalogium à ſe ſcribi non adversùs Cyrilli Apologiam, ſed adverſus editam ab illo, utique ad Synodi preces, Capitulorum declarationem: Quod nempe necdum apparuiſſet iſte liber Apologeticus. Notanda ſunt & hæc verba: *Et plures ex his qui convenerant*. Affirmat Capitula non per totam Synodum, ſed dumtaxat per quoſdam imperitos Epiſcopos fuiſſe comprobata. An de facta per primam Synodi Actionem, an de data poſt emiſſam explanationem comprobatione agat, non eſt penitus certum. Videtur de hac poſteriori agere: Et propter ipſam proceſſiſſe in Pentalogium. Quidquid ſit, Theodoretus tunc didicerat Capitula per plenam Synodum non fuiſſe canonizata. Rerum ſeries ita ſe habet. Theodoretus ante Synodum ſcripſit in Capitula. At liber manſit intra Orientem: Non tranſiit ad alias Diœceſes, ideoque nec Cyrillus reſcripſit. Hinc Synodus, tot calumnias audiens, rogavit Cyrillum, ut explanaret Capitula. Et ille explanavit: Dum utriuſque parti Legati hærerent apud Chalcedonem. Explanatio omnem Factionem magis offendit, & reddidit acerbiorem. Hinc Theodoretus ipſam invaſit per Pentalogium. Tempus ignoro. Videtur, quod ſtatim poſt reditum ad propria. Saltem ante Apologeticum Cyrilli librum. Nam Pentalogium nullam hujus facit memoriam. Exinde fit pax. Tunc Evoptius neſcio qua ratione pervenit ad Theodoreti librum, & ipſum tranſmiſit ſuo Patriarchæ. Sic Cyrillus fecit Apologeticum. Proinde Liberatus non erat arguendus de parachroniſmo. Et notanda ſunt Cyrilli de ſuis Capitulis ad Evoptium verba: *Licèt jam ante de his ſcripſerimus, pauca tamen etiam adversùs Theodoretum loqui neceſſarium eſt*. Palam laudat ſuam Epheſi factam explanationem, adeòque affirmat ipſam eſſe anteriorem hoc Apologetico.

Notanda ſunt hæc verba: *Bona nobis fiducia eſt, quod veſtra Sanctitas hæc omnia doceat, & illa faciat, quæ omnia quæ ab hæreticis facta ſunt, irritent, ſive depoſitionem ſive excommunicationem, idque tam Synodali Reſcripto, quam Regio Edicto*. Nempe depoſitionem Neſtorii, & excommunicationem Joannis Antiocheni. Ex quo iterum ducitur non leve argumentum, quod Imperator Theodoſius, dum Neſtorii damnationem firmavit, firmaverit etiam Joannis excommunicationem, ideoque & reparationem Cyrilli ac Memnonis. Etenim Joannis excommunicatio erat facta propter horum degradationem, ac proinde illa firmari non poterat ſine hujus circumductione. Factio rogat iſta fieri *tam Synodali Reſcripto, quam Regio Edicto*. Nempe per aliquam Conſtantinopolitanam ex advenis Epiſcopis Synodum. Attamen dubium facit Caſſinenſis tranſlatio: *Univerſa caſſentur, ſive damnatio, ſive excommunicatio, per Synodicas litteras, imperialeſque decreta*. Senſus videtur eſſe: Licet per Synodicas ac Imperiales litteras ſint Decreta. Eſt commodior ſenſus. Quæ enim paucorum advenarum Epiſcoporum Synodus potuiſſet circumducere judicium ducentorum Epiſcoporum, cui Apoſtolicorum Vicariorum Præſidentia dederat plenam authoritatem Generalis Concilii? Priorem tamen ſenſum perſuadent verba Mandati, quod Factio dedit ſuis Legatis: *Sive coram Pientiſſimo Imperatore, ſive in Conſiſtorio, ſive coram Sacro Senatu, ſive in Patrum Synodo de his, quæ in quæſtionem veniunt, ſermo inſtituatur*.

Ad Legatos acriùs ſtimulandos Factio adjungit: *Non ignorat veſtra Pietas, quod habemus quoſdam Epiſcopos nobiſcum deſolatos in ſuis Provinciis*. Caſſinenſis tranſlatio habet: *Qui in propriis manſionibus ſoli remanſerunt*. Rectius interim nec ipſa exprimit, quid Factio ab his Epiſcopis, vel hi ab illa prætenderint. Exiſtimo urgeri, quod plures iſtorum Epiſcoporum vacillarent, ac natum eſſet fieri, quod confirmatæ per Principem Synodo adhærerent potiùs, quam ſuis contra eam clamoribus, ideoque quod agendum ſit totis viribus, ut circumducatur Regia confirmatio. Quod ſi obtineri nequeat, rogant ſaltem dimitti ad propria. Et addunt cauſam: *Maximè quia nunc hyems inſtat*. Ex quo diſcimus tempus harum litterarum. Fuit circa Octobris medium. Etenim Sanctus Cyrillus Alexandriam redux intravit die trigeſima iſtius Menſis: Nempe iſta deprecatio fuit exaudita. Notanda ſunt & hæc verba: *Non minor nobis ſollicitudo eſt, quam pro veritate ipſa, ne ſi depoſitio robur accipiat, valeant & alia, quæ ab illis contra multos Sacerdotes facta ſunt*. Ex eis diſcutiuntur tria. Primum eſt miranda iſtorum Epiſcoporum pro Neſtorio protervia: Eum tanti faciunt, ac ipſam veritatem. Secundum eſt, quod Synodus non ſolummodo illum degradarit, ſed & plures Epiſcopos. Acta perierunt aut latent, ſeptima tamen Actio repræſentat eorum ſubſtantiam & compendium. Tertium eſt, quod hi omnes fuerint damnati propter Neſtorium ac ejus dogmata. Hinc iſtis tanta ſollicitudo, ut Neſtorianæ damnationis confirmatio circumducatur à Principe.

Hiſce ſuis litteris Factio tandem adjunxit ſimiles ad Imperatorem litteras. Expoſuit & poſtulavit eadem omnia, & præfatam ſuam pro Hæreſiarcha protervia eſt nimis inverecundè profeſſa: *Quæ autem particulariter ſecutura ſint ab illis, & contra Eccleſiaſticas Conſtitutiones, & contra Pientiſſima veſtra Scripta, jam à multis didicit veſtra Majeſtas, ſi in nullo ab ipſis offendatur, veſtriſque Edictis non obluctentur, & Eccleſiaſticam fidem prædicent. Nam etſi millies fugiens tumultus caveat, & ipſe privatim agere malit, opus tamen ne fides jacturam ferat, eò quod illegitima iſta depoſitio ab his, qui hæretica Capitula introducunt, facta ſit*. Nullus eſt omninò ſenſus. Caſſinenſis translatio eſt lucida: *Quæ verò ab eis facta ſunt & contra Canonicas Sanctiones, & contra Piiſſimas veſtras litteras, à multis jam particulatim didicit veſtrum Imperium, dum ille*, utique Neſtorius, *qui ab*

*ėis injuſtitiam pertulit, in nullo nec veſtris Sanctionibus contraiſſet, & Eccleſiaſticam fidem Orthodonè prædicaſſet. Nam & ipſe hujuſmodi, metuendum tamen eſt ne fidei læſio quæcumque contingat, eo quod illicita illa dejectio ab illis facta ſit, qui hæretica ſuperdunere Capitula.* Hæc verba, *Nam & ipſe hujuſmodi*, ſunt mutila. Suppleri poſſint hoc modo: *Nam etſi ipſe hujuſmodi ſit, & tumultus fugieas millies malit privatim agere*. Neſtorium commendant à tribus: Ab Orthodoxa prædicatione, à plena in Sacras Principis juſſiones ac Sacros canones obedientia, & ab inſigni amore Monaſtici Silentii. Hinc concludunt ejus degradationem ſine manifeſta Orthodoxi dogmatis injuria non poſſe confirmari. Ex quo vides S. Cyrillum ac Epheſinam Synodum non ſine fundamento ſenſiſſe, ac frequenter ſcripſiſſe, quod hæc Orientalis Factio non eſſet pura à ſcabie Neſtorii. Et hiſce litteris omnes ſubſcripſerunt. Etenim Caſſinenſis translatio addit: *Et ſubſcriptiones*.

Subſcripſerunt Epiſcopi quadraginta duo. Et Legati erant octo. Univerſim igitur erant quinquaginta. At verò in libello, quo ſui reparationem à Sancta Synodo poſtularunt, Cyrillus ac Memnon conſtanter affirmant Joanni Antiocheno adſuiſſe ſolos triginta. Et ipſa Synodus in Relatione, quam de ſua quinta Actione fecit ad Principem, disertè ſcribit fuiſſe *tantùm trigiata*. Quod ipſum repetit in Relatione ad Sanctum Celeſtinum Pontificem. Scribit numero rotundo. Accuratè ſcribens in Relatione, quam per Palladium Magiſtrianum tranſmiſit ad Principem, hæc habet: *Sunt illi, qui diverſa à recta fide ſentiunt, ad tegendam impoſturam uſque adeò callidi, ut quidam quoque Sanctiſſimi Epiſcopi occultato errore à Neſtorio decepti ſint, & ei ſeſe adjunxerint, Actiſque illius ſubſcripſerint. Qui tamen poſteaquam dilucidè quid ſentiret, eſſent percunctati, illumque ſuas blaſphemias retegentem comperiſſent, ab eo deſciverunt, ac Sancta Synodo ſe adjunxerunt, patefactaque ejuſdem blaſphemia, condemnationis ſententiam adversùs prædictum Neſtorium una nobiſcum tulerunt. Itaque apud Neſtorium & Reverendiſſimum Epiſcopum Joannem Antiochenum triginta ſeptem, paulò plures, relicti ſunt. Eorum quoque nomina ad veſtram Majeſtatem miſimus.* Relatio hæc fuit ſcripta Calendis Juliis. Et Factio ſemper decrevit. Etenim convitio, quod vigeſima ſeptima die Junii Joannes Antiochenus latravit in Sanctum Cyrillum ac omnem Synodum, ſubſcripſerunt quadraginta tres, & ipſos audis intra paucos adeò dies fuiſſe contractos ad triginta ſeptem. Porrò præſens Epiſtola eſt ſcripta ad medium Octobris. Quomodo igitur tunc erant quinquaginta Epiſcopi? Reſpondeo quod Patriarcha Joannes, deficientem Factionem ſuffulcire ſtudens, fecerit iſtud ipſum, quod poſtmodò Italiæ Clerus de Imperatore Juſtiniano, quintæ Synodi decrementa curante, ſcripſit ad Francorum Legatos: *Præfectas Africæ, ſi quos invenit in Africa Epiſcopos, aut cauſas proprias habentes, aut ſimplices vel ignaros, aut venales & paratos ad præmium, collegit & direxit.* Attamen inter Joannis hîc ſubſcribentes Epiſcopos multi fuerunt magni nominis atque ſcientiæ. Etenim ſubſcriptos hic vides Julianum Sardicenſem, Cyrum Tyriorum, Boſſorum Gangrenſem, Rabbulam Edeſſenum, Petrum Trajano-Politanum, omnes Metropolitas, & alios quoſdam, quorum nullus ſubſcripſit præfato Latratui. Certè oportet quoſdam ſuperveniſſe. Dico, *Quoſdam*. Quibuſdam Rabbulas Edeſſenus videtur adfuiſſe ab exordio. Ejus namque Presbyter & Syncellus, poſtea Succeſſor, Ibas in famoſa ſua Epiſtola disertè affirmat ſe cum Joanne Patriarcha intraſſe Epheſum: Et videtur non intraſſe ſine ſuo Epiſcopo. Eſt res implexa. Etenim ipſe Ibas in ſua famoſa Epiſtola ſcribit: *Poſt duos autem dies damnationis Neſtorii venimus Epheſum.* Implexum eſt, cum quibus venerit. Etenim certum eſt Joannem Antiochenum cum ſuis Epiſcopis non veniſſe, niſi quinta poſt iſtam damnationem die. Proinde & certum videtur, quod Presbyter Ibas ipſum triduò prævenerit. Omnia Epiſtolæ exemplaria conſtanter ita legunt, ideoque non video alium errorem. An Ibas cum Rabbula, aut cum aliis Epiſcopis, & cum quibus venerit, me latet. In re obſcura aliquid luminis accipimus ex litteris, quas Joannes Patriarcha ex via ſcripſit ad Sanctum Cyrillum: *Trigiata totos dies iter uſque facio, nihil quidquam quietis prorſus mihi indulgens, multis interim Religioſiſſimis Epiſcopis ob itineris difficultatem graviter afflictis, neque paucis quoque jumentis ob continuum profectionis laborem extinctis.* Præfati igitur, quotquot iſti Latratui non ſubſcripſerunt, Epiſcopi poſſint laſſi aut infirmi hæſiſſe in via, & non niſi poſtea adveniſſe Epheſum. An inter hos etiam Rabbulas fuerit, ignoro. Certè ejus Presbyter Ibas poſſit Epiſcopos præveniſſe.

Hac in Epiſtola notari etiam oportet verba: *Oramus, & ante veſtigia veſtra provolvimur, ut nos cum longanimitate humiliantes veſtræ Pietati ſuſcipiatis, & juſtè petentes de offenſa perſona ab his, qui receperunt hæretica Capitula Cyrilli, & in Deum ipſum impiè egerunt. Nam qui introduxerunt hæretica Capitula, & turbaverunt Sanctorum Patrum fidem, hanc ipſorum partem in ipſis Commentariis etiam illicitam depoſitionem fecerunt. Et credimus non viſam fuiſſe incorrupto veſtro & recto judicio juſtam illorum ſtare condemnationem, quos condemnari manifeſtè oportet, utpote convictos hæreticos.* Sunt obſcuriſſima, ac ſine ſenſu. Caſſinenſis translatio eſt commodior: *Unde quæſumus, ac noſmetipſos proſternimus veſtigiis veſtris, ut cum patientia nos humillimè ſupplicantes Pietas veſtra ſuſcipiat pro illa perſona, cui præjudicium factum eſt ab his, qui hæretica Cyrilli Alexandrini Capitula ſuſceperunt, impietatemque contra id, quod Divinitatis eſt, effecerunt. Qui enim hæretica Capitula ſubintroduxerunt, Sanctorum Patrum perturbaverunt fidem, quod ad ipſos pertinet, in ipſis Geſtis: Et illicitam fecerunt depoſitionem. Et credimus, quia indeclinabili rectoque judicio veſtro juſtum minimè apparebit condemnationem factam permanere,*

quos

Digitized by Google

*quos dignum condemnari, dum convicti ſunt hæretici eſſe*. Per offenſam perſonam vulgata tranſlatio intelligit Neſtorii degradationem. Caſſinenſis tranſlatio eſt clarior: *Illa perſona, cui præjudicium factum eſt*. Etiam hæc verba, *Et in Deum ipſum impiè egerunt*, ſunt nimis generalia. Caſſinenſis Codex determinat: *Impietatem contra id, quod Divinitatis eſt, effecerunt*. Nempe canonizando Cyrilli Capitula. Ex bis Factio ſperat, ut Neſtorii degradatio, licet jam per Principem firmata, circumducatur. Quia nempè facta eſt ab hæreticis: Et quidem in ipſis Geſtis, in quibus hæreſim canonizarunt. Etiam Caſſinenſi tranſlationi deeſt verbum. Legendum videtur: *Condemnationem factam permanere ab illis, quos dignum eſt condemnari*.

---

## CAPUT XXIX. —117

*Imperatores Cæſares Theodoſius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, ſemper Colendi, ſanctæ Synodo, quæ in Epheſina Civitate convenit.*

INtentionem quidem noſtram, etiamſi non ſcriberemus nunc, ex multis aliis noveratis. Et quantum pro recta fide habeamus ſtudium, & pro unitione Eccleſiarum, à Patribus hoc & ab Avis edocti, & nihil uſquè hactenùs ſanæ Fidei præponentes, propter quam etiam jam paulò ante in Epheſum veſtram congregare feſtinavimus Sanctitatem. Et dum congregati eſſetis, omnia hujuſmodi ſcripſimus, per quæ conſequens eſſet abſque contentione vera Fides. Et quæ olim tenuit, inconcoſſibiliter permaneret, ad amicitiam vobis unitis. Quoniam verò propter intentionem impietatis, ac ſæpè contentiones inter vos factæ ſunt quædam, & acta nonnulla quæ diſſenſiones haud dubiè conſequuntur, volentes in omnibus vobis terminari diſcordiam, Magnificentiſſimum & Reverendiſſimum Divinorum Officiorum Magiſtrum Joannem direximus, ut contentiones, quæ inter vos natæ fuerant, ſolverentur. Dum verò neceſſarium videretur & hoc, ut huc veſtrum nonnulli venirent, qòd Pietas noſtra etiam præſens inter præſentes audiret, ut unitio, quam ſtudemus, pio proveniret aſſenſu, hoc quoquè peregimus, univerſa peraventes ſuaviter diſponenda.

Sed quia permanet adhuc diſſenſio commiſſa, laborem reputantes veſtram Religioſitatem ſufferre ex ipſa neceſſitate Concilii, reverti Epheſo ad propria conceſſimus univerſos. Et proprias rurſum Eccleſias obtinere. Quod unuſquiſque faciat cum Epiſcopis, qui venerunt à Provincia ejus. Cyrillum verò ſolum, qui Alexandrinus quondam fuit Epiſcopus, & Memnonem qui fuit Epiſcopus Epheſinus, nequè vobis connumeramus, & ab Epiſcopatu novimus eſſe alienos, ſicut olim veſtræ à nobis ſcriptum eſt Sanctitati. Ad proprias Eccleſias revertentes Civitatum quieti proſpicite, dignam per omnia manſuetudinem Sacerdotio amplectentes. Eorum ſiquidem, quæ hìc quomodocumque feciſtis, eſſe aliquam ſatiſfactionem convenit per ea, quæ ſunt poſtea ſecutura. Erit autem, ſi Eccleſiaſticum decorem cum publica Conſequentia ſervaveritis.



### SCHOLION.

HÆc eſt Sacra juſſio, qua Imperator Theodoſius diſſolvit Synodum, & omnes Epiſcopos remiſit ad propria. Huc uſque latuit. Docet nos plura. Primò, quod Joannes Sacrarum Largitionum Comes, Epheſo reverſus Conſtantinopolim, ſtatim fuerit evectus ad Magiſterium Officiorum. Secundò, quod Imperator Joanni in omnibus crediderit. Etenim hic laudat omnia ejus Acta, quæ Neſtorio patenter ſtuduiſſe demonſtrat Sanctus Cyrillus in litteris ad Clerum ac Populum Conſtantinopolitanum. Tertiò diſcimus, quod Imperator cunctos utriuſque partis Epiſcopos permiſerit proprias rurſum obtinere Eccleſias, ideoque omnes ultrò citroque in invicem damnationes & cenſuras circumdoxerit. Hinc enim etiam Dorotheus Martianopolitanus, Himerius Nicomedienſis, Helladius Tharſenſis, Eutherius Thyanenſis, aliique plures per Synodum damnati Epiſcopi redierunt in ſuas Sedes, & perrexerunt fungi Epiſcopali officio. Licet non nominatus, exceptus tamen fuit Neſtorius. Manſit in ipſum priùs data forma. Excepti nominatim ſunt Cyrillus & Memnon. Theodoſius circa illos perſtitit in ſuo judicio, quod per Joannem Comitem miſerat Epheſum, illudque per hanc Sacram confirmavit. Quartò notanda ſunt finalia ejus verba, quibus Princeps cunctis Epiſcopis mandat, ut ad proprias Eccleſias reducti ſervent Sacerdotalem manſuetudinem, eiſque reparent pacem, quam Epheſi horrendè ruperant.

Magna Quæſtio eſt, Quomodo Theodoſius Cyrillum ac Memnonem excipiat ab iſta ſua gratia? Quomodò illos ſtabiliat in degradatione, ac vetet redire ad ſuas Eccleſias? Etenim inter Synodalia Acta habemus & hanc brevem Relationem: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi Conſtantinopolim veniſſent, Imperator certò comperit Sanctam Synodum, canonico ordine in omnibus ſervato, Neſtorium depoſuiſſe. Itaque Legatorum Synodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium verò exilio mulctat. Eis præterea, qui ex Sancta Synodo Legati venerant, injungit ut ad Eccleſiam ſe conferant, ibidemque Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum creent. Illi in Eccleſiam ingreſſi Maximianum Epiſco-*

*pum mox creant. Poſt hoc Regio Mandato imperatum eſt ſingulis Epiſcopis, ut ad ſuas civitates & Provincias revertantur. Remanſit autem Joannes Antiochenus, cæterique Epiſcopi, qui partes illius tuebantur, in ſeparatione permanentes. Ingreſſus autem eſt Cyrillus Epiſcopus Alexandriam Athyr tertia: Et ſuſcepit eum civitas cum multa exultatione & gloria.* Tertia Ægyptii Athyr dies eſt apud nos trigeſima Octobris. Et factioſi Legati poſt quintam ſuam in Chalcedonenſi civitate à Principe Audientiam ſcripſerunt Epheſum ad ſuos Collegas: *Porrò ut veſtra Sanctitas etiam hoc non ignoret, ſcitote, quod videntes Cyrillianos tyrannide, & fraudibus, & adulatione, & donis omnes, ut ita dicam, decepiſſe, non rarò Pientiſſimum Regem & Magnificentiſſimos Principes obſecravimus, ut & nos ad Orientem dimitteremur, & veſtra Pietas ad propria remigraret. Cognoſcimus enim, quod in vanum moras nectimus, & Inſtituta non perficimus, eò quod Cyrillus ubique fugit colloquium noſtrum, conſcius ſibi blaſphemias, quas in duodecim Capitulis ſuis edidit, redarguendas. Placuit autem Pientiſſimo Regi poſt multas adhortationes, ut ſinguli ad propria redeamus; Ad hæc ut & Ægyptius & Memnon Epheſius in ſuis locis remaneant. Sic enim poterit Ægyptius omnes excæcare muneribus ſuis. Sic ut ille quidem, tum innumera fecerit mala, ad Thronum ſuum redeat, iſte vir innocens,* Neſtorius, *vix ad ſuam manſionem dimittatur.* Nempe ad Sancti Euprepii Monaſterium. Quæ omnia clarum eſt penitus adverſari huic Sacræ Juſſioni,

Reſpondeo diſtinguenda eſſe tempora, & ſic omnia cohærere. Sacra hæc Juſſio emanavit ſtatim poſt reditum Joannis Comitis. Ex ipſo Theodoſios audiens nullam eſſe ſpem obtinendæ inter partes concordiæ, ſolvit Synodum, & cunctos remiſit ad propria. Exceptis Cyrillo & Memnone, quos circumſcriptus credidit Auctores totius mali, ideoque in ipſos firmavit ſuum judicium. Quid tunc de Neſtorio ſtatuerit, de quo Sacra non meminit, non poſſim firmus affirmare. Exiſtimo quod ejus damnationem adeò ratam duxerit, ut cenſuerit nec exprimendam, nec ſtabiliendam. Cyrilli ac Memnonis erat longè alia ratio. Hos enim Sancti Celeſtini Pontificis Legatio reſtituerat, ideoque anterius Principis judicium erat omnino innovandum. Verùm Juſſio videtur non fuiſſe miſſa in publicum. Etenim ob rationes placuit adhoc tentare pacem, & partium Legatos evocare ad Sacros oculos & aures Principis. Evocati ſunt & comparuerunt: Et contigerunt illa, quæ jam dicta ſunt, & adhoc dicentur. Proinde hæc Sacra Juſſio fuit omninò circumducta. Nec per ipſam fuit ſoluta Synodus, aut dimiſſi Epiſcopi. Poſtmodò emanavit alia, quæ latet aut periit. Hanc tamen Comes Irenæus voluit inſertam ſuæ Tragœdiæ, quo infamaret Sanctum Cyrillum ac Memnonem. Notanda ſunt præfatæ Epiſtolæ verba: *Iſte vir innocens vix ad manſionem ſuam dimittatur.* Confirmant, quod prima Principis ſententia Neſtorium proſcripſerit Petras, & quod valida amicorum interceſſio ipſam mitigaverit in relegationem ad proprium Monaſterium.

---

## CAPUT XXX. —118

### *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum, quam ponit Irenæus.*

NEque blandimenti, neque aſperitatis ullam ſpeciem reliquimus, nec deprecationis, nec contradictionis, qua uſi non ſumus apud Piiſſimum Principem & Conſiſtorium, clarè obteſtantes in conſpectu Dei, quæ cuncta deſuper cernit, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui futurus eſt orbem terrarum cum Juſtitia judicare, & Spiritus Sancti, & electorum ejus Angelorum, ut non deſpiceretur, quod corrumpitur Fides ab his, qui illa Capitula hæretica ſuſceperunt, & in eis ſubſcribere præſumpſerunt; ſed ut Nicæna Fides exponi tantummodò juberetur, & expelleretur quæ ſuper inducta eſt hæreſis ad exterminium, corruptionemque pietatis. Et uſquè hodie nihil perducere valuimus ad effectum: Eò quod huc & illuc circumferantur Auditores.

Sed tamen nihil horum nos diſſuaſit, quod ab inſtantia propoſita ceſſaremus. Sed in ipſa nunc uſque perſiſtimus. Hoc ergo, quod Domino favente ſit dictum, peregimus, ut cum Juramento Imperatori Piiſſimo diceremus, quia impoſſibile eſt, ut nos Cyrillum & Memnonem in Epiſcoporum reſtituamus officio. Et fieri non poteſt, ut communicemus reliquis, niſi Capitula hæretica ante ſummoverent. Nos igitur hanc habemus intentionem. Feſtinatio verò eſt iis, qui ea quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, & extra noſtram illos reſtituere voluntatem. Et nihil horum pertinet nobis. Deus enim noſtrum Propoſitum exigit, perſeverantemque virtutem, & eorum quæ contra voluntatem ſunt, non exigit ultionem.

De illo verò Amico hoc cognoſcat Sanctitas veſtra, quia quoties ejus fecimus mentionem, ſive coram Piiſſimo Principe, ſive coram Conſiſtorio Principis, feciſſe adjudicati ſumus injuriam. Tanta enim eorum, qui intus ſunt, adverſitas contra eum. Et quod eſt omnium peſſimum, quia & ipſe Piiſſimus Imperator nomen ejus pluſquam cæteri averſatur, nobis manifeſtè dicens: *Quia de hoc nullus mihi manifeſtè aliquid dicat. Typum namque jam ſemel ea, quæ ad illum pertinent, ſuſceperunt.* Verumtamen hic ſumus non ceſſaturi tota virtute curam de iſta quoquè gerere parte, ſcientes iniquitatem, quæ in eum commiſſa eſt ab his, qui ſine Deo ſunt.

Feſtinamus verò, ut & nos hinc liberemur,

& ve-

& veſtra inde Religioſitas eruatur. Nihil namquè hinc ſuavius ſperare poſſibile eſt. Eò quod auro cunctis ſit ſatisfactum. Et Judices ipſi contendant, quia una ſit Deitatis Humanitatiſque natura. Populus verò, favente Domino, ſalvus eſt omnis, & ad nos inceſſanter egreditur. Cœpimus namquè & alloqui eos, & Collectas celebravimus maximas, & per orationes tuæ Religioſitatis quarta jam vice feci ad eos de Fide ſermones. Et cum tanta voluptate audierunt, ut uſque ad horam ſeptimam minimè receſſiſſent, ſi patienter ſuſtinuiſſent Solis ardorem. In atrio enim, quod eſt maximum, & quatuor porticus habet, multitudo convenit. Et nos de ſuperioribus locis habitationum ſermonem habuimus.

Clerus verò univerſus cum bonis illis Monachis nos valde impugnat, ità ut una vice pugna commiſſa ſit, quando à Ruffinianis prima collocutione revertebamur Piiſſimi Principis. Et multi fuerunt vulnerati, tam Laicorum qui erant nobiſcum, quàm Monachorum quoque falſorum. Agnovit autem Piiſſimus Imperator, quod multitudo congregaretur ad nos, & ſolis nobis colloquens ait: *Agnovi quia Collectas extraordinarias facitis*. Ego verò dixi ei: *Quoniam dediſti fiduciam cum venia, audi. Nunquid juſtum eſt, ut illi, qui quidem hæretici & excommunicati ſunt, Eccleſiaſtica Miniſteria peragant; nos verò, qui pro Fide certamen habemus, & propter hoc eos communione privavimus, in Eccleſiam non intremus?*

Ille inquit: *Et ego quid faciam?* Reſpondi ergo ei: *Quod fecit hic, qui nunc Magiſter eſt, quando erat Comes Largitionum tuus, dum veniſſet ad Epheſum. Inveniens enim quod illi Miſſas quidem facerent, nos minimè, compeſcuit eos dicens*: Quia niſi inter vos pax fuerit facta, uni parti Collectam celebrare non ſinam. *Et oportebat, Pietas tua Epiſcopo præſentis loci præciperet, ut nec nobis nec illis Miſſas tenere concederet, donec convenìremus ad pacem*: *Ut juſtum Decretum tuum innoteſceret univerſis*. Ad hæc reſpondens dixit: *Ego Epiſcopis imperare non poſſum*. Reſpondi igitur ego: *Ergo nec nobis imperes aliquid. Et accipimus Eccleſiam, celebramuſque Collectam: Et cognoſcet Pietas tua, quia multò plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis*. Super hæc verò diximus ei: *Quia Collecta noſtra nec Lectionem ſanctarum Scripturarum habuit, nec Oblationem. Solas verò Litanias pro fide, & pro veſtro Imperio fecimus. Et pro Religione pia Sermones*. Appobavit ergò, & nunc uſque id non prohibuit fieri. Creſcunt igitur ſubinde Collectæ noſtræ, navigante ad nos multitudine populi, cumque omni voluntate audiente doctrinas.

Oret igitur Religioſitas veſtra, ut finem Domino placitum cauſa ſuſcipiat. Nos enim per ſingulos dies in periculo ſumus, de ſeditioſo impetu ſuper nos Monachorum & Clericorum ſuſpecti, facilitatemque Potentiſſimorum videntes.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola exſtat in Actis Synodalibus. Caſſinenſis tranſlatio habet quædam ſingularia, ideoque prætermitti non potuit. Primum eſt, quod hanc Epiſtolam Irenæus impoſuerit ſuæ Tragœdiæ, ac inde pervenerit in publicum. Secundum eſt, quod Caſſinenſis tranſlatio in pluribus ſit diſtinctior ac lucidior. Hic eſt primus locus: *Ne contemnatur fides, quæ ab his, qui hæretica dogmata ſuſcepere, & his ſubſcribere auſi ſunt, adulteratur*. Caſſinenſis Codex declarat hæc dogmata: *Quod corrumpitur fides ab his, qui illa Capitula Hæretica ſuſceperunt, & in eis ſubſcribere præſumpſerunt*. Alter locus eſt hic: *Cum juramento Pientiſſimo noſtro Regi ſuaſimus, quod impoſſibile ſit nobis Cyrillum & Memnonem conciliari. Et quod fieri nequeat, ut illis communicemus, qui non antea ejecerint Hæretica Capitula*. Supra audivimus Joannem Antiochiæ Patriarcham frequenter jurantem, quod Cyrillum, utpore Hæreſiarcham, nunquam reciperet: Nequidem ſi anathematizaret Capitula. Et alii Legati juramenta hæc haud dubiè confirmaverint. Hic videntur ab ipſis recedere, ac deveniſſe mitiores. Videntur etiam Cyrillum parati admittere. Caſſinenſis Codex rem exponit longe aliter: *Hoc ergo peregimus, ut cum juramento Imperatori Piiſſimo diceremus, quia impoſſibile eſt, ut nos Cyrillum & Memnonem in Epiſcoporum reſtituamus officio. Et fieri non poteſt, ut communicemus reliquis, niſi Capitula Hæretica ſubmoverint*. Cyrillum ac Memnonem diſtinguit à reliquis Sanctæ Synodi Epiſcopis. Illos penitus removet à ſpe recuperandi Epiſcopatum.

Tertius locus eſt hic: *Si quando ejus faceremus mentionem, deſertionis notabamur*; Caſſinenſis Codex habet: *Quoties ejus fecimus mentionem, feciſſe adjudicati ſumus injuriam*. Utique in typum, ſeu formam de ipſo jam datam à Principe. Quartus locus eſt: *De hoc mihi nullus loquatur. Specimen enim ſemel ipſe dedit*. Nullus eſt ſenſus. Caſſinenſis Codex dat optimum: *De hoc mihi nullus aliquid manifeſtè dicat. Typum namque jam ſemel ea, quæ ad illum pertinent, ſuſceperunt*. Quintus locus eſt: *Non ceſſabimus omni virtute & ejus Patris curam gerere, ſcientes illi factam ab impiis injuſtitiam*. Caſſinenſis Codex habet: *Non ceſſaturi tota virtute curam de iſta quoque gerere parte ſcientes iniquitatem, quæ in eum commiſſa eſt ab his, qui ſine Deo ſunt*. Quis textus ſit verior, ignoro. Vulgata tranſlatio poſſit olim habuiſſe: *Et ejus Patris*. Poſſit quis alteras litteraſſe & poſuiſſe: *Patris*. Certè Epiſcopi olim ſeſe invicem vix ſolebant Patres inſcribere. Sextus locus eſt: *Et vulnerarentur multi ex Laicis, & falſis Monachis, qui nobiſcum erant*. Affirmat falſos Monachos fuiſſe cum Orientalibus Legatis. Caſſinenſis Codex dat verum ſenſum: *Et multi fuerunt vulnerati, tam Laicorum qui erant nobiſcum,*

*quam Monachorum quoque falſorum*. Nempe Monachorum, qui è Regia civitate egreſſi nos impetebant lapidibus. Septimus locus eſt: *Noverat Rex Pientiſſimus, quod multitudo congregaretur contra nos. Et ſolus nobis occurrens dicebat: Novi quod malè congregamini*. Prima devium, ſecunda periodus habet ſenſum obſcurum. Caſſinenſis Codex omnia explanat: *Agnovit autem Piiſſimus Imperator, quod multitudo congregaretur ad nos. Et ſolis nobis colloquens ait: Agnovi, quia Collectas extraordinarias facitis*.

Octavus locus eſt: *Nos verò, qui pro fide certamus, & propter hoc ab illis communionis exortes factos, non intrare in Eccleſiam*. Eſt devia tranſlatio. Etenim Epheſina Synodus, licet Joannem Antiochenum excommunicarit, & quoſdam ejus Collegas degradarit, totam tamen illius Factionem nunquam fecit communionis exortem. Caſſinenſis textus eſt legitimus: *Nos verò, qui pro fide certamen habemus, & propter hoc eos communione privavimus, in Eccleſiam non intremus*. Etenim Joannis Factio, uti Cyrillum & Memnonem Sacerdotali gradu, ita omnem Synodum communione exuerat. Nonus locus eſt: *Quod fecit Magiſter tuus Comes Largitionum*. Caſſinenſis Codex longè melius: *Qui nunc Magiſter eſt, quando erat Comes Largitionum tuus*. Ex quo iterum patet, quod Joannes Comes, Epheſo Conſtantinopolim redux, ſtatim fuerit promotus in Magiſtrum Officiorum. Decimus locus eſt: *Solas autem preces pro fide & veſtra Majeſtate, & de religione colloquia*. Caſſinenſis translatio eſt melior: *Solas verò Litanias pro fide, & pro veſtro Imperio fecimus. Et pro religione pia ſermones*. Omninò crediderim vocem, *Litanias*, fuiſſe in græco textu. Et Theodoretus iſtic non colloquia habuerat, ſed publicas conciones ad Populum. Undecimus locus eſt: *Multitudinis ad nos venientis*. Caſſinenſis Codex eſt diſtinctior: *Navigante ad nos multitudine Populi*. Duodecimus tandem locus eſt: *Et potentiam & incuriam videntes*. Sunt voces ſine ſenſu. Caſſinenſis Codex eſt lucidus: *Facilitatemque Potentiſſimorum videntes*. Etenim nimia Theodoſii facilitas eſt omnibus explorata.

Epiſtola hæc nos docet plura. Primo, quod Factioſi Legati pleno impetu egerint adversùm Cyrilli Capitula, & pro reparatione Neſtorii. Et in ſecreto apud ſolum Principem, & in pleno Conſiſtorio. Secundò, quod crediderint Capitula fuiſſe Synodaliter approbata, & ſubſcripta ab omnibus Epiſcopis. Hoc in errore cuncti Orientales Epiſcopi dudum fuerunt pertinaciſſimi. Tertiò, quod auditi fuerint in hortis Ruffinianis, ſeu in Palatio ad Quercum, ubi non ita pridem damnatus fuerat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Quartò, quod non ſolus Patriarcha Joannes, ſed & alii ſeptem cum ipſo Legati pertinaciter ac frequenter juraverint Cyrillum, licet de Capitulis pœnitentem, nunquam recipere in Epiſcopalem communionem. Hoc ipſum enim omnes confirmarunt in ultima Epiſtola, quam ad ſuos ſcripſerunt Epheſum. Quintò, quod iſtud ipſum juraverint adversùs Memnonem. Licet enim iſta ultima ſolum Cyrillum exprimat, hæc tamen Epiſtola diſertè adjungit & Memnonem. Sexto, quod Theodoſius apud Chalcedonem nunquam audire voluerit Neſtorii nomen, ſtatim reponens: *Forma data eſt*. Ex quo lucet hanc formam emanaſſe ante ejus in Ruffinianos hortos adventum, ante auditos Factioſos Legatos: Nempe ad auditos ſolos Legatos Synodi. Septimò, quod Factio nec Epheſi, nec Chalcedone habuerit Eccleſiam, ideoque nec Miſſæ Sacrificium, aut alia Divina officia. Quia nempe nec Epheſinus, nec Chalcedonenſis Epiſcopus ipſis voluit facere iſtam gratiam. Ex quo vides duo. Nempe quod Epiſcopi tunc necdum haberent domeſticas Capellas, aut domeſtica Altaria, præſertim in alienis Territoriis. Deinde, quod in iſto caſu Eccleſiam concedere ſpectaret etiam tunc ad loci Ordinarium. Nam & apud Florentiam Græci Epiſcopi iſtam facultatem debuerunt accipere à Florentino. Et quidem apud Epheſum Factio fuit adeò remota ab iſta facultate, ut nec poſt incarcerationem Memnonis potuerit ad ipſam pertingere. Nequidem ob preces aut minas Joannis Comitis. Quod Clerus ſui Epiſcopi judicio conſtantiſſimè inſiſteret. Theodoreto debemus gratias, quod iſtud Joannis opus tranſmiſerit ad noſtram notitiam. Sine hac Epiſtola erat ſepultum in tenebris perpetuæ oblivionis.

Quæſtio eſt, Qua de cauſa Chalcedonenſis Epiſcopus noluerit hiſce Legatis permittere Eccleſiam, & facultatem Divini Officii? Reſpondeo noluiſſe ob excommunicationem Joannis Antiocheni. Hic enim non ſolius Legationis, ſed & totius Factionis Coryphæus, erat à plena Synodo excommunicatus, & alii Legati nolentes ejus communionem deſerere, affricabant ſibi eandem ſcabiem. Eadem ratio promovit Memnonem. Et inſuper duæ aliæ. Nempè quod Factio damnati Neſtorii communionem ſectari pergeret: Et quod machinaretur Epheſis ſuperordinare novum Epiſcopum. Accedit & tertia ratio: Quod tunc omnes octo Legati videantur per Synodum fuiſſe degradati. Ex eiſdem principiis Chalcedonenſis Epiſcopus S. Cyrillo, Memnoni, ac omni Synodo inflictam à Factione ſententiam duxit eſſe hoſtilem ac frivolam contumeliam, ideoque eorum Legatos duxit Canonicos Epiſcopos, ac ipſis permiſit Eccleſiam. Præſertim quod adeſſet Legatio Apoſtolica.

Octavò diſcimus, quod Sacræ olim Romanorum Imperatorum Juſſiones non ſe extenderint ad Sacro-Sanctum Sacrificium, aliaque Chriſti Domini Sacramenta, aut Sacramentalia. Etenim Imperator Theodoſius, qui circa Synodalia Acta juſſerat varia, factioſis Legatis diſertè ac ſimpliciter hic profitetur: *Equidem Epiſcopo imperare non poſſum*. Quia agebatur de rebus purè Divinis. Nempe Orthodoxi Principes uſque huc iſtis ſe nunquam miſcuerunt. Miſcuerunt ſe ſolis illis, à quibus pendebat publica quies Chriſtiani Populi. Et nihil jubere potuerunt, niſi quod

eſſet

eſſet conſnrme Sacris Canonibus. Nihil poterant, niſi adjnvare horum cuſtodiam & execntionem. Pnrrò rationem, ex qua Theodoſius circa iſtas Schiſmaticorum in privata domo conciones ac Litanias, etiam interdictas à Chalcedonenſi Epiſcopo, poſtmodò diſſimulaverit, diſcemus à ſubſequentibus.

Hic nonò diſcimus, quod iſti Legati habuerint amplum ac numeroſum famnlatum. Eorum namque famuli contra Conſtantinopolitanam Plebem valuerunt collspidare, & occidi atque occidere. Rationem habes in litteris, quas Italiæ Clerus Francorum Regum Legatis, ad Imperatorem Juſtinianum proficiſcentibus, ſcripſit de canſa Vigilii Pontificis: *Græci Epiſcopi habent divites & opulentas Eccleſias*. Decimò tandem audimns, qnod omnes judices auro confiderent, & jam contenderent unam in Chriſto Domino eſſe naturam Divinitatis ac humanitatis. Eſt mendaciſſima impoſtura. Ex ipſa tamen aliquid magni addiſcimus. Quod nempe tunc Imperator Theodnſius, & omnes Conſiſtorii Comites inciperent attendere Sancti Cyrilli Capitnlis, & ipſorum ab omni ſcabie puritatem agnoſcere. Præcipua Orientalium de ipſis quarimonia erat, quod cum Polemone ac Timotheo, ſceleratioribus hæreſiarchæ Apollinarii Diſcipulis, naturas Domini confunderent, & confuſas conflarent in unam. Hinc Theodoretus præfatis Comitibus, Capitula non ampliùs averſantibus, impingit eandem calumniam. Parcit tamen Theodoſio; Oh metum ac reverentiam Imperii.

Hinc etiam diſcimns tempus, quo ſcripta eſt præſens Epiſtola. Prima Legatorum Audientia npud Theodoſium contigit die quarta Septembris. Et tunc res non malè ceſſit Schiſmaticis. Omne Conſiſtorium fuit penitus averſum à Capitulis. Anſam aut fomentum præbuit ſupra adductum verbum Melitinenſis Acacii. Hinc vulgatus Synodalium Actorum Compilator Epiſtolæ, quam ſchiſmatici Legati tunc miſerunt Epheſum, dedit hunc titulnm: *Schiſmaticorum Epiſtola, intempeſtivè de victoria gloriantium*. Quare præſens Epiſtola nequaquam ſcripta eſt poſt primam Audientiam. Nec item poſt quintam & ultimam. Etenim in hac Orientales ceciderunt cauſa, ſolnta fuit Synodus, & omnes dimiſſi ad propria: At verò dum ſcribebatur hæc Epiſtola, ipſorum quidem cauſa declinabat, attamen adhuc pendebat. Et ipſi adhuc inſtabant pro diſſolntione Synodi. Exiſtimo etiam non ſcriptam poſt ſecundam Audientiam. Scripta qnippe eſt, dum omne Conſiſtorinm fuit perductum ad tantam in Sancti Cyrilli Capitula reverentiam, ut Adverſariis videretur cum ipſis credere unicam in Domino naturam. Quod videtur per ſecundam, immo & per tertiam Audientiam non potuiſſe fieri. Scripta igitur videtur poſt quartam Audientiam.

# CAPUT XXXI. –119

*Dominis honorandiſſimis, & Deo Amiciſſimis Epiſcopis, qui in Epheſo degunt, Joannes, Himerius, Paulus, Macarius, Apringius, Theodoretus, Epiſcopi in Domino ſalutem.*

QUinquies jam coram Principe introivimus, & de hæreticis Capitulis multa contendimus. Et juravimus ſæpiùs Imperatori piiſſimo, quoniam poſſibile non eſt communicare nos cum his, qui contraria ſapiunt, niſi Capitula hæc fuerint abdicata. Et quia nec ſi abjecerit Cyrillus Capitula ſua, ſuſcipietur à nobis, eò qnod Princeps factus ſit nuperæ hujus hæreſios. Et nunc uſque nihil obtinere potuimus, eò quod Adverſarii valdè inſiſtant. Et hi qui audinnt, nnn increpent, eis reſiſtentibus impudenter: Neque compellant eos ad diſceptationem, collocutionemque venire. Illi namque Capitulorum diſcuſſionem modis omnibus fugiunt, & de ipſis nec loqui omninò contenti ſunt. Nos verò per orationes veſtras uſque ad mortem ſumus parati perſiſtere. Et neque Cyrillum ſuſcipere, neque Capitula quæ ab eo expoſita ſunt. Nec iſtis communicare, niſi expulſa fuerint quæ malè ſubintromiſſa ſunt fieri. Rogamus igitur & Sanctitatem veſtram, ut nobis eadem ſentiatis, & eandem perſeverantiam demonſtretis. Pro pietatn enim certamen habemus, in qua ſola nobis eſt ſpes, & propter quam ſperamus Salvatoris noſtri benignitate nos perfrui in vita futura.

De Deo amiciſſimo verò atque Sanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio noverit Religioſitas veſtra, quia ſtudium nobis fuit, ut miſceremus de illo ſermonem: Et interim non pervalnimus, eò quod cuncti Adverſarii & ad ipſum nomen ſint infeſtè diſpoſiti. Dum ſe tamen iſta ſic habent, feſtinabimus, ſi tempus invenire potuerimus, placabileſque Auditores, & hoc facere abſque dubio: Tamen ſi Dominus noſtræ intentioni cooperator exſtiterit. Ut verò neque hoc ignoret Sanctitas veſtra, ſcitote quia videntes Cyrillianos tyrannide, ſeductione, adulationeque, ac muneribus omnes ferè, ut ita dicamus, evertiſſe, frequenter piiſſimum Principem rogavimus, & Magnificentiſſimum Judicem, ut & nos ad Orientem, & Religioſitatem veſtram ad propria ire permitteret: Hoc reputantes, quia in vacuum moraremur, nihil proficientes in cauſa præſenti, eò quod Cyrillus nobiſcum modis omnibus fugiat habere conflictum, ſciens manifeſtam convictionem blaſphemiarum, quas in duodecim Capitnlis ſuis expoſuit. Placuit autem

poſt

Digitized by Google

poſt multas preces noſtras Piiſſimo Principi, ut unuſquiſque noſtrum reverteretur ad propria, ita ut Ægyptius & Memnon Epheſius in locis permaneat propriis. Sic enim poterit univerſos idem Ægyptius obcœcare per propria munera, ut ipſe quidem, poſtquàm mala multa millia perpetravit, ad Sedem propriam revertatur, Innocens autem vir ad ſuum Monaſterium mitteretur.

## SCHOLION.

HÆc eſt poſtrema Orientalium Legatorum ad ſuos apud Epheſum Epiſtola. Exſtat in Actis Synodalibus. Hæc Caſſinenſis translatio in quibuſdam differt ac adjuvat, ideoque non fuit omittenda. Primum diſcrimen eſt in ipſo exordio: *Quintò acceſſus nobis contigit*. Caſſinenſis translatio eſt clarior: *Quinquies jam coram Principe introivimus*. Omnis etiam ſequens contextus eſt commodior. Aliud diſcrimen eſt in his verbis: *Eandemque laborem oſtendatis*. Caſſinenſis translatio eſt rectior: *Et eandem perſeverantiam demonſtretis*. Diſcrimen tertium eſt: *Non rarò Pieatiſſimum Regem & Magnificentiſſimos Principes obſecravimus*. Caſſinenſis Codex habet: *Frequenter Piiſſimum Principem rogavimus & Magnificentiſſimum Judicem*. Vulgata translatio videtur melior. Quartum diſcrimen eſt: *Iſte vir innocens vix ad manſionem ſuam dimittatur*. Translatio Caſſinenſis eſt expreſſior: *Innocens autem vir ad ſuum Monaſterium mitteretur*. Quintum diſcrimen eſt in Titulo. Etenim noſter Codex ponit ſolum Joannem Antiochenum, Damaſcenum omittit. Forſitan ex Scriptoris vitio, putantis in his verbis, *Joannes, Joannes*, eſſe inutilem repetitionem. Cur utraque translatio prætermittat octavum Legatum, Helladium Ptolemaidis Epiſcopum, ignoro. Caſſinenſis Codicis Deſcriptor etiam prætermiſit ſubnexam Joannis Antiocheni ſalutationem, & ſubſcriptionum memoriam. Præfatas quinque Audientias Theodoretus confirmat in litteris ad Domnum
Epiſt. 112. Patriarcham Antiochenum: *Conſtantinopolim evocati, cognitiones præſente ipſo Imperatore quinas habuimus*.

Hæc Epiſtola ſimiliter nos quædam docet. Primò, quod Himerius Nicomedienſis Epiſcopus à ſua per viam infirmitate videatur convaluiſſe, & præſens fuiſſe quintæ ſaltem Audientiæ. Et hinc Octavus Orientalium Legatus, quem brevis Relatio affirmat defuiſſe quintæ Audientiæ, videtur fuiſſe præfatus Helladius, non Himerius. Eſt tamen res incerta. Etenim die quarta Septembris, ad primam Audientiam, Himerius necdum advenerat Chalcedonem. Secundò docemur, quod Joannes Antiochenus ac ejus Socii uſque ad finem conſtiterint pertinaciſſimi in præfato ſuo Herodiano juramento. Notanda ſunt & hæc verba: *Cyrillus ubique fugit colloqium noſtrum*. Caſſinenſis codex coincidit: *Eò quod Cyrillus omnibus modis nobiſcum fugiat habere conflictum*. Videntur aſſerere Cyrillum Chalcedone fuiſſe præſentem. Aſt oppoſitum conſtat ex ejus Apologia ad Principem: Diſertè iſtic aſſeverat ſe non adfuiſſe. Proindè factioſi Legati per Cyrillum hic intelligunt ejus Vicarios.

Epiſtola ſcripta eſt circa finem Septembris. Eſt enim ſcripta non dumtaxat poſt quintam Audientiam, ſed etiam poſt datam à Principe & Conſiſtorio ſententiam. Quæ omnia inceperunt quarta die iſtius menſis, & videntur non expleta diebus continuis. Quin immò Principis ſententia non eſt data Chalcedone, ſed Conſtantinopoli, poſt eò introductos Legatos Synodi. Etiam poſt tres Schiſmaticorum conteſtationes, Chalcedone tranſmiſſas ad Principem. Emanavit tamen ante Maximiani conſecrationem. Etenim Factioſi in ſuis litteris nullam ejus faciunt memoriam, & iſta omnia compleri non potuerunt, niſi circa menſis finem. Porrò quam grata Orientalibus fuerit data pro Cyrillo & Memnone ſententia, docet ipſorum præfatum juramentum.

---

## CAPUT XXXII. –120

*Conteſtatio prima Joannis, Antiochenæ Sedis Patriarchæ, & reliquorum ſex, quam Theodoſio Imperatori à Chalcedone direxerunt, quando eis illic relictis intravit Conſtantinopolim cum his Miſſis, qui erant in Legatione à Beato Cyrillo, & Synodo quæ pariter convenit in Epheſum.*

VOrivum fuerat neque à quolibet alio propter ſpes futuras & incongruas pietatis verbum prodi, nedum ab his, qui Sacerdotale officium ſunt ſortiti, & Eccleſiarum defenſionem. Quos neſcimus, quomodo concupiſcentia Præſidendi, & Principatus amor, & frigidæ quædam promiſſiones ad hoc uſque depoſuerunt, ut omnia quidem Chriſtianorum Præcepta deſpicerent, ſoli verò ejus viri intentioni ſervirent, qui ex præventu omnia ſperavit, tam ſibi, quam etiam his, qui ad hoc ei cooperati ſunt, evenire.

Dicimus verò Alexandrini Cyrilli, qui ſolius controverſiæ cauſa hæretica Sanctis Dei Eccleſiis ſuperinducens Dogmata, & hæc convincenda præſentiens, per ſolum Memnonis miniſterium & Epiſcoporum conniventiam prædictorum, diſ-

ſugere

fugere ſperavit eorum, quæ peccando commiſerat, nltionem. Undè & quietem nimis cupientes, & in reliquis tenendam patientiam judicantes, eirca hujuſmodi ramen quietem patientiamque, perditionem fidei reputando, ad ſolos vos, qui cum ſuperna virtute Mundi ſalus eſtis, ſupplieationem convertimns, ad vos ſpecialiter attinere putantes ea, quæ fiunt pro pia Religione certamina, tanquam qui etiam nunc nſque ſervaſtis eam, & per ipſam valdè ſervamini. Nune verò adhibemus ſupplicationem, ficut ntiqoe in conſpectu ſanctiſſimi Dei futuram ſatisſactionem, peroraturam pro nobis, ſi nibil eorum, quæ pro Religione facere poſſumus, per ſegoitiem omittamus. Si & publicemus pro ea tuæ Pietatis ſermones.

Non eſt enim quid ampliùs queaut temporibus Chriſtianis agere Saeerdotes; quam ut tam fidelem Principem proteſtentur. Et ſimnl toties promiſimus, nt tam vitam noſtram, quam corpora in certaminibus, quæ habemus pro fide, ponamns. Propter quod coram Deo, qui omnia conſpicit, & Domino Jeſn Chriſto, qui eum juſtitia judicaturus eſt univerſos, & Sancto Spiritu, cujos gratia gubernatis Imperium, & electis Angelis, qui vos ſervant, quos & adſtantes videbitis illi terribili Throno, & illas terribiles actiones, quas inceſſanter offerunt Deo, quas quidam nunc oblitterare pertentant: Quæſumus, nt eam, quæ nune expugnatur, ulciſcamini pietatem. Et jubeatis, ut hæretica illa Capitula, quæ ſuperintroducta ſunt fidei, expellantur. Quia ſunt omnimodè à rectis dogmatibus aliena, & hæreticis veſaniis conſona. Aut certè ſi quis eorum, qni conſenſerunt & ſubſcripſerunt eis, & poſt veniam, quæ à nobis promiſſa eſt, vult nltra contendere, hnnc venire ad medium jubeatis, & manifeſtè illum ſub Eccleſiaſticis increpationibus tuæ Pietatis judicio vindicate.

Nibil namque ab hac re, ò Imperator, tuo dignius eſſet Imperio. Pro qna & contra Perſas olim, & contra alios Barbaros bello contendere feſtinaſti, Chriſto tibi præclatas retribuente victorias, eò qnod pro eo promptus exſtiteris. Fieri verò coram tua Pietate quæſumus inquiſitiones in Scripto. Sic enim procul dubio faciliùs dignoſcetur. Et omni futuro tempore convincentur, quicumque deliquerint. Si qni verò pro his, quæ peccando eommiſerunt, hæſitantes ferre ſermones, ſeu reddere rationes, rectam fidem velut ex donatione imperantes ſubjugare voluerint, tui erit juſti judicii providere, ſi non & ipſum vocabulum perdiderint Magiſtrorum, qui hæſitantes certare pro his dogmatibus, quæ inducunt, & non convolentes probare quæ diſexerunt, ne feciſſe impiè convincantur. Nec ea expellere dignantur, ne fortè infructuoſa eis, habita inter ſemetipſos, conſpiratio fiat.

Jam ſiquidem meditantur, ut pro hujus impietatis præmio Sedium reſtituantur Principatus. Et alias ad corruptionem Canonum formnlas, quæ & per ea, quæ olim ſunt ab eis tentata, jam proditæ ſunt, & adhuc demonſtrabiliùs elueſcent, niſi tuum talia compeſcat Imperium. Nam videbit eos non multò poſt etiam Pietas tna hnjus proditionis mercedes, tanquam capta de fide Chriſti volentes ſpolia, diſpertire. Nos verò olim quidem, dum qnædam præſumpta ſint à Reverendiſſimo quondam Hieroſolymitanorum Juvenall, qnievimus, dnm certè quæ debeamus bellare pro Regulis, videremus.

Tunc qnaſdam feſtinationes & phantaſias ejus hnjnſmodi contra utramque Phœniciam & Arabiam minimè ignoramns. Nec tamen de bis interim contendere poſſumus, qni certè de ipſis quoque Civitatibus, quarum nobis cura commiſſa eſt, & ab ipſa, ſi oportuerit, vita faciliùs abſcedemus, quam relinquamus devotionem prò fide bellandi. Sed contra horum quidem ſpes tam Dei judicinm, quam tuæ Pietatis opponimus. Nnnc autem qoæſumus, nt de prima & ſola fidei pietate ſit cura. Et ne illum, qui ſub ſanctæ converſationis Conſtantino vix tandem ſplendor eſt factus Religionis Orthodoxæ, & præterea eſt confirmatus per Beatos Avum tuæ Pietatis & Patrem, à tuo verò Imperio in alteras quoque Barbaricas Gentes, & in Perſarum firmatus eſt Regione, periclitetur in ipſis Imperialibns Aulis, & juxta veſtram mergatur Tranquillitatem. Non enim duplices Chriſtianiſmi doctrinas in Perſidem directurus eſt Imperator, nec aliquid apud eos magnum fides noſtra putabitur, dnm contendentibus nobis nemo ſit Judex: Nec duplicibus prædicationibus, ſive Myſteriis communicatur ſana mente quilibet. Nec verò piè eſt quis à tantis Patribus abſceſſurus, & Sanctis: Et qui reprehenduntnr in nullo. Sed nec ſuavia, quæ ad Imperium pertinent, eorum qui ad invicem contraria ſentiunt, ordinibus adſcribentur.

Nec parum ridiculum erit, quod tribuemus hoſtibus. Et alias, mnlta millia, quis malæ contentionis eorum denumerare poterit læſiones? Si verò eſt qui parvnm cœleſtium rerum putet affectum, faciliùs quidem qnilibet ſit alius, quàm eui Deus omnem Mnndi tribuit poteſtatem. At verò nobis omninò eſt ſuſcipere à tua Poteſtate Judieium. Deducit namquè mentem tuam Deus ad integram eorum, de quibus quæſtio eſt, comprebenſionem. Si verò eſt aliqnid, quod modò probibeat, non enim cuncta illa nobis effabilia ſunt, quæ tuæ Pietati de rebus, ſeu eirca ipſas res conſtant, certè vel ad propria receſſum nobis facilem, ſecurumqne eſſe a tua Tranqnillitate depoſcimus. Commiſſas enim nobis Urbes non parum noceri ex hac mora conſpicimns, dum eertè hic nihil hæc ipſa proficiat propter eos, qui & contra tuam, ſicut elaret, eligunt contendere Pietatem.

## SCHOLION,

HÆc conteſtatio etiam exſtat in Actis Synodalibus. Verùm deeſt titulus admodum notabilis, nos docens tria. Primò, quod etiam in quinta apud Principem Audientia fuerint ſoli ſeptem Factionis Legati. Nempe aut Himerius aberat, aut Helladius. Secundò nos docet, quod hæc conteſtatio non quarta Septembris die ſit Principi Chalcedonem advenienti data, ſed poſt quintam Audientiam, poſt Legatos ſecum aſſumptos in Regiam civitatem. Poſt deſperatam cauſam. Et hinc longè rectiùs à Caſſinenſi Codice appellatur *Conteſtatio*, quam à vulgato Translatore *Petitio*. Eſt enim libellus conteſtatorius contra prævisam Principis ſententiam, & potius ad Deum interjectus, quam ad Principem. Sic enim conſueverunt deſperati Errones. Et lucet ex ipſius Contexto: *Idcirco propter*
Epiſt. 111. *Deum, qui videt omnia; & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui judicaturus eſt omnes in juſtitia; & per Spiritum Sanctum, cujus gratia Regnum gubernatur; & per electos Angelos, qui vos cuſtodiunt, Pietatem veſtram obſecramus*. Quæ omnia in præfata ad Domnum Epiſtola confirmat Theodoretus: *Conſtantinopolim evocati, cognitiones præſente ipſo Imperatore quinas habuimus, & tres poſt hæc ad eundem proteſtationes miſimus*. Iſte titulus nos tertiò docet, quod Orthodoxi Legati non ſolius Synodi, ſed etiam, ac præſertim Sancti Cyrilli, utpote Præſidis, vices geſſerint, & uti tales fuerint admiſſi à Theodoſio. Ex quo diſcimus & aliud, videlicet quod Sanctus Cyrillus fuerit ſupremus Synodi Præſes. Etenim Arcadius Epiſcopus & Philippus Presbyter, Roma à Sancto Celeſtino Papa tranſmiſſi, agunt hic ejus Legatos ac Vicarios.

Totius item hujus, cujus Græcum textum non habemus, conteſtationis præſens translatio vulgatam in multis locis emendat aut illuſtrat, ideoque non fuit prætermittenda. Primus locus eſt: *Ut ſerviant viro, qui præſumit ac ſperat ſe, & auxilium ſibi ferentes omnia rectè geſturos*. Caſſinenſis translatio eſt longè expreſſior: *Soli verò ejus viri intentioni ſervirent, qui ex præventu omnia ſperavit tam ſibi, quam etiam his, qui ad hoc ei cooperati ſunt, evenire*. Arguit Cyrillum, quod Neſtorii damnationem præcipitaturus, Joannis Antiocheni adventum prævenerit, atque hanc audaciam præſumpſerit ſibi impunè ac feliciter eventuram. Epiſcopos item arguit, quod ad hæc adjuvanda facinora nullam haberent cauſam, niſi iſtius viri potentiam, cui propria ambitio ipſos compellat ſerviliter obedire. Circa hanc rem ad Sanctum Cyrillum ſcripſit adversùs Martinianum, Peluſinæ Eccleſiæ Presbyterum ac Œconomum, S. Iſidorus, ejuſdem Eccleſiæ Presbyter & Archimandrita: *Martinianus, cum Eccleſiaſticas omnes facultates & copias in ſuum ſinum condidiſſet, nuper quidem aurum Alexandriam præmiſit, Epiſcopatum aucupans. Quod cum Sanctitas tua comperiſſet pro eo atque eum ab Eccleſia proſcribere debebat, per litteras comminata eſt, atque affirmavit ſe eum, ſi rurſus idem aggrederetur, ut ingens Diviniſſimæ religioni dedecus inurentem, in tota Ægyptiaca Regione proſcripturum, & abdicaturum, atque nunc idem, litteris tuis & minis contemptis, Alexandriam perrexit, ſibi quidem Epiſcopatum captans, tuæ autem famæ atque exiſtimationi, ut qui Sacras Ordinationes pecunia addicas, labem inferens*. Ex his diſcimus, quod Ægyptiorum ambitioſi iſto tempore Clerici ſuos Lib. 2. Ep. 127.
loculos nummis infarcirent, atque ita Alexandriam proficiſcerentur, à Patriarchæ gratia aucupaturi, immò nundinaturi Epiſcopatum. Quod nempe ille iſtum Apicem, etiam citra Cleri ac Populi electionem, ſua authoritate daret. Ex quo vides Epiſcopalium electionum ſuſpenſionem ac reſervationem non duxiſſe originem à Gregorio nono aut alio iſtius vel vicini ſæculi Romano Pontifice, ſed apud Alexandriæ Patriarchas eſſe multis ſæculis antiquiorem. Et ſanè nullus olim Patriarcha tantam in ſubjectos ſibi Epiſcopos poteſtatem habuit. Eos omnes ipſe non ſolummodò præviè confirmabat, ſed ad ſuas manus evocatos conſecrabat. Inſuper multa alia in ipſos pollebat authoritate. Lucet ex ſexto Nicæno Canone, & Actis Chalcedonenſis Concilii. Et hinc etiam Theophilum, Sancti Cyrilli Avunculum & Anteceſſorem, Palladius Helenopolitanus Epiſcopus in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono de Actis Sancti Joannis Chryſoſtomi arguit quod nullum niſi ſibi ſerviliter obnoxium, crearet Epiſcopum, ideoque paſſim ineptos eveheret, immò & criminoſos. His enim deſpoticè imperabat. Hoc ipſum factioſa Legatio hic improperat S. Cyrillo, & non ſolis ejus Ægyptiis, ſed & cunctis cum ipſo in Epheſina Synodo adunatis Epiſcopis: Eis improperat, quod ejus potentiam timuerint, quod ab ipſo varia ſperaverint, quod hic humanus dies ipſos ſeduxerit ad illi in iniqua Neſtorii damnatione ſerviliter obtemperandum.

Secundus locus eſt hic: *Qui ſola nugacitate in Sanctas Dei Eccleſias hæretica introduxit Dogmata, eaque confidit ſe argumentis comprobaturum, & correctionem peccatorum effugere ſolo Memnonis & prædictæ conſpirationis Epiſcoporum miniſterio ſperavit*. Caſſinenſis translatio eſt longè melior: *Qui ſolius controverſiæ cauſa hæretica Sanctis Dei Eccleſiis ſuper inducens Dogmata, & hæc convincenda præſentiens, per ſolum Memnonis miniſterium & Epiſcoporum conniventiam prædictorum defugere ſperavit eorum, quæ peccando commiſerat, ultionem*. Hujus conteſtationis Author ſeu Dictator haud dubiè fuit Theodoretus: Os & lingua totius Orientalis Diœceſeos. Et ipſe in Epiſtola, qua ſuas in Sancti Cyrilli Capitula Invectivas dedicavit ſuo Patriarchæ Joanni, ſcribit: *Cyrillus* ſuos anathematiſmos *projecit in medium, ſecundùm illud, quod eſt in fabula, pomum diſcordiæ, in altum flammam exaltans*. Proindè & in præſenti conteſtatione Cyrillum non de nugacitate tradu-
xit,

Digitized by Google

xit, ſed de ſtudio ſeminandæ controverſiæ, ſeu diſcordiæ. Et iſta aculeata calumnia fuit S. Cyrillo longè acerbiſſima. Etiam conſequentium contextus eſt in Caſſinenſi codice omnino diſtinctior. Hic eſt tertius locus: *Suſpenſos hos libellos offerimus tamquam coram Sanctiſſimo Deo exhibenda eſſet noſtra excuſatio. Non quod pro Religione minus alacres fuerimus, ſed pietati ſtudentes, & pro ea ſermones facientes.* Quid ſibi vult, *Suſpenſos libellos?* Rectior per omnia eſt Caſſinenſis translatio: *Nunc verò adhibemus ſupplicationem ſicut utique in conſpectu Sanctiſſimi Dei futuram ſatisfactionem, peroraturam pro nobis, ſi nihil eorum quæ pro Religione facere poſſumus, per ſegnitiem omittamus.*

En quartum locum: *Pietatem veſtram, quæ vafritie quorumdam obſidetur, id re ipſa adimentium, & Hæretica Capita fidei ſubintroducta ſtabilientium, quæ omninò à ſanis dogmatibus aliena ſunt, & cum hæreticis opinionibus conveniunt, obſecravimus, ut vel ſi quis illic ſubſcribat, vel conſentiat, & poſt promiſſam à vobis veniam contendere ultra nolit, præcipias illam in medium venire, & Eccleſiaſticis pœnis ſubjacere, quo pugnare pro pietate melius poſſis.* Quæ eſt iſta per Principem promiſſa venia? Cur poſt illam contendete nolentibus infligatur pœna? Quæ erit iſta juſtitia? Quomodo tunc Princeps poſſit melius pugnare pro pietate? Caſſinenſis translatio eſt lucidiſſima: *Quæſumus, ut eam, quæ nunc expugnatur, ulciſcamini pietatem. Et jubeatis, ut hæretica illa Capitula, quæ ſubintroducta ſunt fidei, expellantur. Quia ſunt omnimode à rectis dogmatibus aliena & hæreticis veſaniis conſona. Aut certè ſi quis eorum, qui conſenſerunt & ſubſcripſerant eis, & poſt veniam, quæ à nobis promiſſa eſt, ultra contendere, hunc venire in medium jubeatis, & manifeſtè illum ſub Eccleſiaſticis increpationibus tuæ Pietatis judicio vindicate.* Conteſtatio agit in illos Epiſcopos, non qui deinceps Capitulis conſenſerint aut ſubſcripſerint, ſed qui ipſis apud Ephesum Synodaliter conſenſerant & ſubſcripſerant. Factio enim permanſit in errore, quo credidit Capitula fuiſſe Synodaliter canonizata, & ſubſcripta ab omnibus. Laudat veniam, quam Capitulorum Subſcriptoribus promiſit in ipſa, qua eos excommunicavit ſententia: *Anathemati ſubjacete, donec agnita culpa veſtra reſipiſcatis.* Hanc promiſſionem denuò confirmat, & ſupplicat illius Spretores aut Prævaricatores per Principem exemplariter caſtigari. Verùm Orthodoxi Epiſcopi non eguerunt iſta venia, ideoque & nullus accepit. An hæc clauſula, *Quæ vafritie quorumdam obſidetur*, fuerit in Græco, & cur Caſſinenſis tranſlatio ipſam prætermiſerit, ignoro.

Eſt & quintus locus: *Si quis autem ſermones, pro quibus delinquens fuit, negligens voluerit per Præceptum rectæ fidei prævalere, tuæ Juſtitiæ ac Judicii fuerit attendere, num & ipſam Doctorum appellationem abjecerint ii, qui de dogmatibus introducunt, periclitari gravantur, & prædicta ſubjici nolentes, ut non redarguantur impiè egiſſe, neque eum refutare ea digna putantes, ut mutua eorum conſpiratio non habeatur inutilis.* Neſcio quis ad marginem rectè ſcripſit: *Locus mendoſus.* Caſſinenſis Codex plenè emendat: *Si qui verò pro his, quæ peccando commiſerunt, hæſitantes ferre ſermones, ſeu reddere rationes, rectam fidem velut ex donatione imperantes ſubjugare voluerint, tui erit juſti judicii providere, ſi non & ipſum vocabulum amiſerint Magiſtrorum, qui hæſitantes certare pro his Dogmatibus, quæ inducunt, & non convolentes probare, quæ direxerunt, ne feciſſe impiè convincantur. Nec ea expellere dignantur, ne fortè infructuoſa eis, habita inter ſemetipſos, conſpiratio fiat.* Quid eſt, *Si quis ſermones, pro quibus delinquens fuit, negligens?* Exponitur: *Si qui pro his, quæ peccando commiſerunt, hæſitantes fuerint ferre ſermones.* Hinc enim ſubditur: *Qui hæſitantes certare pro his Dogmatibus, quæ direxerunt.* Quid eſt, *Per Præceptum rectæ fidei prævalere?* Exponitur: *Rectam fidem velut ex donatione imperantes ſubjugare voluerint.* Hoc eſt, qui Orthodoxam fidem ſuo imperio ac arbitrio ſubeſſe, & cum Donatiſtis voluerint dicere, *Quod volumus, Sanctum eſt*, ideoque noluerint dare rationes ſuorum Capitulorum. Qui Orthodoxa Dogmata voluerint tractare, uti ſuas proprias res, quas donant quando & quibus placuerit, ideoque iſtic non obligantur ad rationes. Conteſtatio urget Capitulorum Authores ac fautores compelli ad ipſa coram Principe in Scriptis purganda & defendenda, & eos qui detrectaverint certamen, aut in illo ſuccubuerint, judicari indignos Doctoris ac Epiſcopi nomine, & ipſo in perpetuum privari. Addit unicum detrectandi certaminis fundamentum eſſe initam conſpirationem, cujus fructum nolint amittere.

Hunc fructum exponunt ſequentia verba. Obſcuriſſima. Et hic eſt ſextus locus: *Jam enim per Ordinatos manifeſtum eſt, quoſdam ex illis pro hac impietate meditatos eſſe, ut dignitatibus conceſſis nonnullos demereantur, & alios quoſdam modos excogitaſſe. Et id manifeſtius obſiſtet, & videbit eos Pietas tua non multo poſt proditionis ſuæ mercedem, quaſi ſpolia fidei Chriſti, diſtributuros.* Caſſinenſis translatio illuſtrat atque exponit: *Jam ſiquidem meditantur, ut pro hujus impietatis præmio Sedium reſtituantur Principatus. Et alias ad corruptionem canonum formulas, quæ & per ea, quæ olim ſunt ab eis tentata, jam prodita ſunt, & adhuc demonſtrabilius eluceſcent, niſi tuum talia compeſcat Imperium. Nam videbit eos non multò poſt etiam Pietas tua hujus proditionis mercedes, tamquam capta de fide Chriſti volentes ſpolia, diſpertire.* Conteſtatio ſupra accuſavit non ſolos Ægyptios, ſed & cunctos Epheſinæ Synodi Epiſcopos, quod frigidis Cyrilli promiſſionibus circumducti ſperaſſent Sedium Præſidentias & Principatus, atque ex hac libidine ſerviliter ipſi obediſſent ad damnandum Neſtorium, & comprobanda Capitula. Jam ſemetipſam & iſta omnia explanat. Affirmat aliis Autocephaliam, aliis Exarchatum, aliis Metropoliticam dignitatem, alia aliis hujuſmodi fuiſſe à Cyrillo promiſſa, & ipſos iſta vanitate ſeductos. Alludit

ad

ad Rheginum, Conſtantienſem Epiſcopum, Cypriorum Metropolitam, quem conſtat per Apoſtolicos ac Nicænos Canones ſubjectum Antiochenæ Cathedræ, & quem Epheſina Synodus donavit Autocephalia. Factum id fuit ultima die menſis Auguſti, poſt amborum Legatorum receſſum ab Epheſo. Hæc verba, *Ut Sedium reſtituantur Principatus*, videntur tangere Epheſinum Memnonem. Etenim Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ac ejus in Regiæ civitatis Epiſcopatum Succeſſores, etiam ipſe Neſtorius, Aſiaticæ Diœceſeos ac Epheſinæ Cathedræ Autocephaliam non modicè læſerant atque invaſerant. Videtur Sanctus Cyrillus notari, quod plenam dignitatis reparationem promiſiſſet Memnoni, atque ita ipſum demutaſſet in ſuum cooperarium. Plures iſtiuſmodi promiſſiones Conteſtatio appellat *alias ad corruptionem Canonum formulas*. Et adjungit eſſe quidem clandeſtinas, non tamen carere fundamentis. Etenim *per ea, quæ olim ſunt ab eis tentata, jam proditæ ſunt, & adhuc demonſtrabiliùs eluceſcent, niſi tuum talia compeſcat Imperium. Nam videbit eos non multò poſt etiam Pietas tua hujus proditionis mercedes, tamquam capta de fide Chriſti volentes ſpolia, diſpertire.*

Septimus locus ſunt verba proximè ſequentia: *At eu nobis quidam à Pientiſſimo Juvenali Hieroſolymitanorum Epiſcopo ordinati ſiluimus, quamvis pro Canonibus certandum eſſet, ne videremur noſtræ gloriæ cauſa dolere. Et nunc quoque illius ſtudia & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam & Arabiam non ignoramus. Sanè de illis non vacat nobis curam habere, qui civitatibus ipſis, quarum nobis miniſterium contraditum eſt, atque adeò vita noſtra deſtitui malumus, quam iſta pro fide promptitudine.* Caſſinenſis translatio eſt longè melior: *Nos verò olim quidem, dum quædam præſumpta ſint à Reverendiſſimo quondam Hieroſolymitanorum Juvenale, quievimus, dum certè quod debeamus bellare pro Regulis videremus, tunc quaſdam feſtinationes & fantaſias ejus hujuſmodi contra utramque Phœniciam & Arabiam minimè ignoramus. Nec tamen de his interim contendere poſſumus, qui certè de ipſis quoque civitatibus, quarum nobis cura commiſſa eſt, & ab ipſa, ſi oportuerit, vita faciliùs abſcedemus, quam relinquamus devotionem pro fide bellandi.* Suam de factia à Cyrillo promiſſionibus accuſationem Conteſtatio affirmat demonſtrari ac patere ex Juvenalia Hieroſolymitani Epiſcopi adversùs Antiochenum, ſuum Patriarchalem Thronum atque Epiſcopum rebellione ac apoſtaſia, & adhæſione ad Cyrillum. Etenim ipſe, ſuum Anteceſſorem Cyrillum, qui adversùs Aeacium, Cæſaræenſem Epiſcopum, totius Palæſtinæ Metropolitam, obedientiam excutere, & ſe Metropolitam oſtentare cœpit, imitatus ac longè tranſgrediens, jam pridem duas Phœnicias & Arabiam, Antiochenæ Cathedræ per Apoſtolicum Canonem maniſeſtè ſubjectas, violenter invaſit, & iſtic ſeſe oſtentavit Patriarcham. Nec his contentus, inſuper alia nuperrimè attentavit. Etiam per alias Provincias conſecravit Epiſcopos, & Patriarchalem ſuper eas poteſtatem eſt conatus abripere. Conteſtatio affirmat, quod ad haſce rapinas ſtabiliendas adhæſerit Sancto Cyrillo.

Et re vera Juvenalis iſta patraverat. Etenim ex Epheſina Cathedra translatus Hieroſolymam voluit & hic non dumtaxat Exarchum, ſed & Patriarcham agere, atque ideò deplumare cœpit Antiochenam Eccleſiam. Omnes tres præfatæ Provinciæ repugnarunt violentiæ. Etenim Cyrus Tyri, Joannes Damaſci, ac Antiochus Boſtrorum Epiſcopus, earum Metropolitæ, Epheſi fuerunt cum Joanne Antiocheno, ac fideliſſimè ipſi adhæſerunt. Quare admiranda eſt Juvenalis potentia, qui tantis Provinciis potuit invitis dominari. Et hæc forſitan eſt alia ratio, ex qua Comes Irenæus Tyriorum Electus, fuit conſecratus per Theodoretum. Quod nempè hæc Eccleſia nec Juvenalem, nec Joannem vellet agnoſcere: Iſtum propter invaſionem & Apoſtaſiam, hunc propter initam cum Cyrillo ſub incompetentibus conditionibus pacem. Hæc item eſt ratio, cur Juvenalis poſtmodò pro hæreſiarcha Eutychete adversùs Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum adhæſerit Dioſcoro Alexandrino, Sancti Cyrilli peſſimo Succeſſori: Nempè ut ſuas rapinas adversùs Domnum Antiochenum, quem Dioſcorus hoſtiliter oderat, poſſet ſtabilire. Attamen præſens Conteſtationis ſuſpicio fuit in Sanctum Cyrillum penitus calumnioſa. Etenim Magnus Papa Leo hac de re ſcribit ad Maximum, Joannis ac Domni in Antiocheno Patriarchatu Succeſſorem: *Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio. Et quoties ob intercurrentes cauſas generalis Congregatio fuerit facta Sacerdotum, difficilè eſt ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Provinciæ Principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia Scripta firmare. Quod Sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, Scriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicavit, & ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cujus Epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti Sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro Scrinio requiſitam, nos authenticam noveris reperiſſe.* Epiſtola, ſi exſtaret nos multa doceret. Interim hæc Cap. 4. ejus memoria nos docet, quod præſens Conteſtatio de Juvanale aliquid veri, omnia falſa cenſuerit de Sancto Cyrillo. Dico, *Aliquid veri*. Etenim Juvenalis non Phœnicias, nec Arabiam, ſed ſolas Palæſtinas ſtuduit ab Epheſina Synodo obtinere.

Caſſinenſis hæc translatio illuſtrat inſuper plura vulgaræ tranalationis loca. Habet plures utilitates. Porrò Orthodoxæ fidei propaginem, quam Imperator Theodoſius laudatur feciſſe apud Perſas, exponit Sanctus Theophanes: *Theodoſium juniorem, necdum infantiam ſupergreſſum, ac penè cunctis auxiliis orbum Pater Arcadius conſpicatus, inſidiaſque, ſi fortè renunciaret Imperatorem,*

ne

*ne pateretur, metuens, Curatorem ejus Iſdegerden Perſarum Regem teſtamenti tabulis inſtituit. Iſdegerdes Perſarum Princeps, accepto teſtamento, longam & tranquillam pacem cum Romanis habuit, & Theodoſio ſalvum & incolume juſſit eſſe Imperium. Mox Antiocho, viro moribus egregio, in pueri Procuratorem & Pædagogum ſubmiſſo, Romano Senatui in hæc verba reſcripſit:* Arcadio fatis ſublato, & me conſiliis ejus in filiis curatorem inſtituto, virum, qui vicem meam impleat, miſi. Nullus igitur puero ſtruat inſidias, ne bellum adverſùs Romanos innovet irreconciliabile. *Et pax diu inter Romanos & Perſas traducta eſt, Antiocho maximè plura pro Chriſtianis ſcribente: Atque ita Chriſtiana lex per totam Perſidem dilatata fuit.* Et infrà: *Maruthas Meſopotamiæ Epiſcopus Iſdegerdem, Regis Perſarum Filium, à Dæmone vexatum, precibus & jejuniis ſaluti reſtituit. Ex quo Iſdegerdes plurimam erga res Chriſtianas fiduciam accepit.* Et conſequenter: *Iſdegerde fatis functo Varraanes filius ſimul cum Regno religionis perſecutionem iniit. Legatos igitur, qui Transfugas è Regno requirerent, ad Theodoſium miſit. Theodoſius Romanorum Imperator eos reddere detrectat: Ex quo, fœdere ſoluto, bellum ingens inter utrumque ſuſcitatum. Hinc Theodoſius Ardaburium Ducem cum Romanis Copiis, inde cum Perſicis Exercitibus, & innumeris Saracenorum auxiliaribus Copiis Arſeum Varrananes mandat. Ardaburius in Perſidem uſque penetrans, Arxanæ Provincia devaſtata in Meſopotamiam ingreditur: Perſarum Dux pariter in Meſopotamiam versùs Euphratem progreditur cum ſuis. Qui cum Romanas acies ingruere arbitrarentur, Dei impulſu, vanis terroribus agitati, ut erant armis inſtructi, in flumen deſilierunt: Adeò ut decem myriades aquarum vorticibus perierint. Reliquos omnes, eam maximè Legionem ac myriadem, cui à Perſis Immortalium nomen factum, cunctoſque eorum Duces, quaquaverſus Romano milite circumcluſos, Chriſto à Perſis, quod injuſtam viris Religioſis mortem intuliſſent, vindictam exigente, Ardaburius delevit.* Et rurſum: *Hoc anno Theodoſius Imperator, licet armorum vi Perſas & victoriis premeret, Chriſtianorum tamen in Perſide commorantium ſanguini parciturus, ſumma clementia ductus pacem amplexatur, & Heleonem Patricium, virum ſummis ſemper honoribus auctum, & Anatolium Orientis Præfectum, Legatos pacis fœdus firmaturos mittit. Varrananes, cognita ſuorum jactura, lubens admittit Legatos, atque ita excitatus in Chriſtianos perſecutionis motus reſedit. Eodem quoque anno motu in Chriſtianos Perſas perſecutionis tempeſtas ſedata eſt.* Eadem ſcribunt Socrates, Procopius Cæſaræenſis, Agathias, & alii. Et hæc omnia laudat præſens Conteſtatio. Quid verò fuerint Perſarum Immorta-
Lib. 1. les, videre poſſis apud Annam Comnenam, &
Lib. 4. C. 4. Nicephorum Bryennium.

*Chriſt. Lupi Opera T. VII.*

## CAPUT XXXIII. —121

*Poſt conteſtationem Joannis, & aliorum Epiſcoporum, qui in Chalcedone retenti ſunt intrante Imperatore in Conſtantinopolim cum Parte adverſa, hæc ad Epheſum Sacra directa eſt Epiſcopis, qui cum Alexandrino Epiſcopo convenerant, cujus poſt præfationem talis eſt Textus.*

NOs Eccleſiæ pacem cunctis aliis occupationibus honorificè præponentes, non ſolùm per Judices noſtros, ſed etiam per nos ipſos aggregare vos voluimus: Impium eſſe & indignum noſtro credentes Imperio, ſi faſtidientibus nobis, & non omnia, quæcumque poſſibile eſt, facientibus, dividerentur Eccleſiæ. Quoniam verò neque uniri vos poſſibile factum eſt, nec ad reddendam rationem de his, circa quæ dubitatio eſt, venire voluit Venerabilitas veſtra, decrevimus ut Orientales Epiſcopi ad ſuas Patrias & Eccleſias revertantur, & Synodus Epheſina ſolvatur. Ita videlicet ut Cyrillus intret Alexandriam, & Memnone in Epheſo permanente. Hoc enim ſignificamus veſtræ Religioſitati tantummodò, quod quamdiu vivimus, Orientales adjudicare non poſſumus. Coram enim nobis nulla ex parte convicti ſunt. Si igitur ulla pacis remanſit intentio, hanc potiùs eligentes nobis abſque contentione reſcribite. Aliàs de profectione veſtra mox ad iſta, quæ ſcripſimus, cogitate. Nos enim mali alicujus cauſa non ſumus. Si qui ſint, cognoſcit Deus.

Miſſa Sacra ultima omnium: Directa eſt, quando jam redierat in Civitatem ſuam Beatus Cyrillus, Alexandriæ Patriarcha.

## SCHOLION.

HÆc Sacra Juſſio, ejus titulus, & finalis ſubnotatio ſunt ſummi ponderis ac pretii. Dolendum eſt, quod ſit finale duntaxat fragmentum. Ipſum illuſtrat brevis, in tertia Synodalium Actorum parte extans, de hiſce rebus

Relatio: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi Conſtantinopolim veniſſent, Imperator certò comperit Sanctam Synodum, canonico ordine in omnibus ſervato, Neſtorium depoſuiſſe. Itaque Legatorum Synodi ſententia approbata Orientales quidem condemnat, Neſtorium verò exilio mulctat. Eis præterea, qui ex Sancta Synodo Legati venerant, injungit ut ad Eccleſiam ſe conferant, ibidemque Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum creent. Illi in Eccleſiam ingreſſi Maximianum Epiſcopum mox creant. Poſt hoc Regio Mandato imperatum eſt ſingulis Epiſcopis, ut ad ſuas Provincias & civitates revertantur. Remanſit autem Joannes Antiochenus, cæterique Epiſcopi, qui partes illius tuebantur, in ſeparatione permanentes.* Hæc exſtant Græcè & Latinè. Latinus textus adjungit. *Ingreſſus autem eſt Cyrillus Epiſcopus Alexandriam Athyr tertia. Et ſuſcepit eum civitas cum multa exultatione & gloria.* Ad voces, *Athyr tertia*, marginalis Scholiaſtes rectè addit: *Eſt trigeſima dies Octobris.* Et ad voces, *Regio Mandato*, referendum eſt hoc Scholion: *Deeſt Decretum.* At Ecce eſt modò inventum. Si non iſtud ipſum, certè unum è Decretis, quibus tandem eſt ſoluta Synodus. Etenim fuiſſe plura evincit finalis ſubnotatio: *Miſſa Sacra, ultima omnium.* Omninò fuerunt tres hujuſmodi Sacræ. Prima eſt ſuperiùs adducta, quæ non ſolum Neſtorium, ſed etiam Cyrillum ac Memnonem firmabat in degradatione. Et manifeſtum eſt, quod fuerit circumducta. Secunda fuit, cujus vigore Sanctus Cyrillus rediit Alexandriam, & ab omni Clero ac Populo eſt ſuſceptus cum exultatione & gloria. Etenim nec ipſe citra Sacram Juſſionem redire ad ſuum Thronum, nec Clerus aut Populus præſumpſiſſet ipſum cum triumpho ſuſcipere. Hæc præſens eſt tertia, & omnium poſtrema. A prioribus palam diverſa. *Directa enim eſt, quando jam redierat in civitatem ſuam Beatus Cyrillus.*

Secunda iſta videtur emanaſſe in fine Septembris, aut in Octobris exordio. Etenim ut ipſa Epheſum Conſtantinopoli mitteretur, & ejus vigore Cyrillus Alexandriam appelleret trigeſimo hujus menſis die, opus fuit tanto tempore. Theodoſius quarta Septembris die venit Chalcedonem, utriuſque partis Legatos audivit quinies, nihil iſtic definivit, cum Synodi Legatis intravit Conſtantinopolim, eis delegavit Ordinationem novi Epiſcopi, & tunc emiſit hanc Sacram. Quæ omnia non evenerunt diebus continuis, ideoque hæc Sacra prodire non potuit, niſi menſe Novembri. *Directa enim eſt*, adeoque & emanavit, *quando jam redierat in civitatem ſuam Beatus Cyrillus.* Orientales Epiſcopi poſt acceptam à ſecunda Sacra redeundi licentiam nec Chalcedone diſceſſerunt, nec Epheſo, utrobique laborantes omnibus nervis, ut novi ſaltem Epiſcopi ſublimationem impedirent, atque ita aperta regrediendi portam reſervarent ſuo Neſtorio. Et iſtic manſerunt uſque ad peractam Ordinationem Maximiani. Etiam Cyrilli reditum uſque tunc Theodoſius videtur ignoraſſe. Hoc fortiſſimè ſuadent hæc verba: *Si ulla pacis remanſit intentio, hanc potiùs eligentes nobis abſque contentione reſcribite. Aliàs de profectione veſtra mox ad iſta, quæ ſcripſimus, cogitate.* Tunc igitur dedit hanc Sacram, & utramque partem juſſit redire ad propria. Et fieri poſſit, ut plures etiam ex Sancta Synodo Epiſcopi, extremum rei exitum præſtolantes, apud Epheſum permanſerint. At Cyrilli abitum, quia ſingularem, præſens ſubnotatio duxit notificandam Poſteris.

Deinde hujus Sacræ tempus pendet ex Ordinati Maximiani tempore. Communis opinio hanc Ordinationem cenſet contigiſſe die vigeſima Octobris, quatuor menſibus poſt degradationem Neſtorii. Et conſonat Nicephorus Calixtus: *Quatuor Menſes à Neſtorio exauthorato effluxerant, & Eccleſiæ procuratio Maximiano commiſſa eſt, qui in Ordine Presbyterorum erat, & in Monaſtica vita vixerat.* At verò Socrates ſcribit aliud: *Trimeſtri ſpatio poſt abdicationem Neſtorii percurſo, Maximianus Epiſcopus deſignatur.* Et infra: *Maximiano ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum delecto, Baſſo & Antiocho Conſulibus, ad octavum Calendas Novembris, Eccleſiæ ſtatus pacatus & tranquillus fuit.* Quæ duo loca non concordant. Et hinc priorem Henricus Valeſius rectè correxit in hunc modum: *Elapſo quatuor menſium ſpatio à depoſitione Neſtorii, Maximianus eligitur Epiſcopus.* Conſonat Liberatus Diaconus: *Cum quatuor tranſiſſent menſes poſt Neſtorii damnationem, Maximianus ordinatur Epiſcopus.* Proindè præſens Sacra omninò videtur prodiiſſe in fine Octobris, aut in exordio Novembris. Nempe ad Epiſcopos, qui iſtam Ordinationem exſpectaverant, aut impedire ſperaverant, compellendos ad propria. Et ipſa nos docet aliqua. Primò, quod uti Schiſmatici Orthodoxos Legatos ac Epiſcopos de Apollinario ac Eunomio, ita hi iſtos voluerint damnari de Neſtorio. Secundò, quod Theodoſius curaverit rem maturè diſcuti: Utique per neutrius partis Epiſcopos. Tertiò, quod nullam in Orientalibus hæreſim potuerit deprehendere, ideoque conſtanter noluerit damnari. Emphatica ſunt verba: *Quamdiu vivimus, Orientales adjudicare non poſſumus. Coram nobis enim nulla ex parte convicti ſunt.* Quartò, quòd Theodoſius Sancti Cyrilli Capitula nec damnarit, nec probarit. Lucet ex verbis: *Quippe contra vos nonnullis contendere volunt.* Fortè legendum ſit: *De nonnullis.* Utique de Capitulis. Quintò, quod ſuſpenſa ac ſopita hac quæſtione optarit ac rogarit pacem fieri. Sextò, quod in talis ſpei caſum permiſerit adhuc protrahi Synodum, & ſibi ab ipſa reſcribi. Septimò, quod deficiente tali ſpe voluerit omnes redire ad propria. Et fuit ita factum.

## CAPUT XXXIV. —122

*Conteſtatio ſecunda, quam Joannes Antiochenus Epiſcopus, & reliqui.... & totius Synodi, à qua directi ſunt, Imperatori Theodoſio ad Conſtantinopolim direxere perſonas.*

SÆpè jam Pietatem veſtram, & per nos, & per Relationes edocuimus, quia periclitatur rectæ gloriæ dugma corrumpi, & Eccleſiæ Corpus exſcindere moliuntur hi, qoi omnia confundunt, quique tam cunctas Eccleſiaſticas ſanctiones, quam omnes calcavere Imperatorias leges, & univerſa pariter miſcuerunt, ut hæreſis, quæ à Cyrillo eſt Alexandrinu, promulgata firmetur. Nam dum convocati à veſtra Pietate fuiſſemus ad Epheſum, ot diſcuteremus eas, quæ exortæ ſunt, quæſtiones, & Evangelicam atque Apoſtolicam Fidem, quæ à Beatis Patribus eſt expoſita, firmaremus: Dum nec cuncti Epiſcopi conveniſſent, qui fuerant convocati, illi fecerunt particulare Concilium, qui hæretica illa Capitula, Arii & Eunomii, atque Apollinarii veſaniæ conſona, inter Geſta, quæ in Scripto ſunt habita, firmaverunt. Et quoſdam quidem ſeducentes; aliquos verò, qui de Hæreſi pulſabantur, ad communionem ſuſcipientes, non præveniente Judicio; aliis verò excommunicationis ſolutionem pro mercede reddentes; nonnullos autem ſpe Principatus incompetentis armantes, ſibimetipſis multitudinem collegerunt: Tamquam neſcirent, quia fidei pietatem non oſtendat multitudo, ſed veritas.

Lectæ ſunt quidem item litteræ Pietatis veſtræ, quas per Candidisnum Magnificentiſſimum Comitem direxiſtis, quæ continebant, quia oportet cum charitate fraterna, & pacificè eas, quæ pullulaverant, diſcuti quæſtiones, convenientibus his, qui convocati ſunt, Deo amiciſſimis omnibus Epiſcopis pariter: Et nihil lectio tanta profecit. Venit Palladius devotiſſimus Magiſtrianus, alteras Imperii veſtri litteras deferens, ſignificantes quia oportet omnia, quæ particulatiter facta ſunt, exſtirpari, & ab initio reconvenire Concilium, ac verum Dogma firmari. Et hoc quoque pium Decretum veſtrum conſuetè contemptum eſt ab his, qui temerè univerſa præſumunt. Advenit deindè Magnificentiſſimus Magiſter Joannes, qui omnium tunc uſque Largitionum Comes erat, alteras deferens, ſignificantes quod trium depoſitio à veſtro Imperio fuerit approbata: Et quia pullulantia ſcandala oporteret evelli, & ſolam fidem, quæ in Nicæa à Beatis & Sanctis Patribus expoſita eſt, ab omnibus roborari. Etiam iſtam legem conſuetè tranſgreſſi ſunt: Quod omnibus ludunt.

Non enim quieverunt etiam pro hujuſmodi lectione: Et communicantes Depoſitis, & eorum nomina, quaſi eſſent Epiſcopi, nominantes. Nec verò paſſi ſunt abdicare, quæ ad morbum corruptionemque piæ Fidei ſunt promulgata Capitula. Et hæc, dum ſæpiùs ad diſceptationem vocarentur à nobis. Paratas enim hæreticorum Capitulorum convictiones habuimus. Et teſtis eſt horum præfatus Magnificentiſſimus Magiſter, qui & nos & ipſos & tertiò convocavit & quartò. Dumque hoc proponeremus, audiit. Rogavimus priùs hæc propter illorum pertinaciam, ut huc evocaremur. Et venimus, nec paululum remorati. Nec ex quo venimus, aliquando ceſſavimus, & coram Pietate veſtra, & coram Conſiſtorio excellente rogantes, ut pro Capitulis certamen exciperent: Et aut ad conflictum venirent, aut certè pellerent ea tanquam Fidei Orthodoxæ aliena, & permanerent in ſola fidei expoſitione Beatorum Patrum, qui Nicæa convenerunt.

Et ecce illi quidem, qui nihil horum facere voluerunt, ſed in hac hæretica controverſia perſiſtunt, quæ ad Eccleſiaſtica & Sacerdotalia officia pertinent, permittuntur implere; nos verò abſque Collecta tanto tempore permanentes, & in Epheſo, & hìc, & illic, atque hic periculorum millia multa perpeſſi. Et lapidati à ſervis amictu Monachali oportectis. Et hac paulò minùs ſubitò interempti. Quievimus quippè pro fidei pietate omnia ſuſtinentes. Poſt hæc placuit Pietati veſtræ & nos & illos pariter convocare, & eos qui pertinaces ſunt, cogere ad Dogmatum venire diſceptationem. Dumque hoc futurum ſuſtineret Pietas veſtra, ad Civitatem profecta eſt.

Et illos quidem, qui accuſantur hæreſis, & quorum quidam quidem propter hoc à nobis damnati ſunt, alii verò excummunicationi ſubjecti, qui etiam nunc jam ſub alia Regula obnoxii ſunt, ad Civitatem venire præcepit, & Sacerdotii Miniſterium gerere, & Epiſcopum conſecrare; nos verò, qui certamen pro pia fide ſuſcepimus, & omne periculum pro rectis elegimus ſuſtinere Dogmatibus, nec Urbem juſſit intrare, nec propugnare pro fide, dum expugnetur ab aliis, neque pro Dogmatibus rectis inſiſtere, ſed nec ad propria ſaltem redire conceſſit.

Et ſumus Chalcedone anxii, & coarctati gemimus de ſchiſmate, quod contra Eccleſiam meditantur. Hujus rei gratia, tamquam qui nullum Reſponſum potuimus obtinere, neceſſarium duximus Pietatem veſtram per has litteras edocere in conſpectu Dei, & Chriſti ejus, & Sancti Spiritus, quia ſi quis ante reſtitutionem rectorum Dogmatum fuerit ordinatus ab his, qui hæreticè de fide ſentiunt, omnem neceſſe eſſe Eccleſiam ſeparari, ſcindentibus ſeſe & Populis & Cleris, & contra invicem collidentibus. Nullus enim piè ſentientium ſuſtinebit, ut illis commu-

nicet, qui hæreticè colunt, & perditioni ſalutem propriam dedicant. Dum verò id contigerit, veſtra præter intentionem propriam Pietas agere compelletur. Schiſma enim utique contra voluntatem confirmabitur, & contriſtabuntur hi, qui pro fidei veritate certant, eò quod proditoriè proprias animas tradere minimè acquieſcant. Neque conſentire his, qui impia Cyrilli Capitula vindicare contendunt. Multi autem ſunt, qui pro fidei pietate certant: Tam nos Orientalis Diœceſis Univerſi, & quæ nobiſcum ſunt cunctæ Provinciæ, ex Ponti atque Aſiæ, ac Thraciæ Regione, Illyricique & Italiæ. Nec enim ulli Epiſcopi *his Cyrilli* Dogmatibus acquieſcere patientur, qui etiam veſtræ Pietati Codicem Beatiſſimi Ambroſii direxerunt, contraria huic, quæ nunc pullulat, culturæ edocentem. Uti igitur tale nil fiat, nec ampliùs veſtra Pietas æſtuetur, quæſumus, deprecamur, rogamus, ut antè Ordinationem non fieri ſanciatis, niſi formam ſuſceperint, quæ ad Orthodoxiæ pertinent fidem, propter quam & congregavit nos Amatrix Chriſti Summitas veſtra.

## Scholion.

Hujus Conteſtationis tempus docent hæc ejus verba: *Hæc ut fierent nobis expectantibus, veſtra Pietas in civitatem profecta eſt, & eos quidem, qui de hæreſi accuſabantur, præcepit ut in civitatem venirent, Sacerdotio fungerentur, & ordinarent; nos verò neque ingredi in civitatem juſſit, neque ad propria remigrare permiſit, ſed ſumus in Chalcedone triſtes*. Prodiit ergo ſtatim poſt Principis cum Orthodoxis Epiſcopis regreſſum, ante emiſſam ſecundam Sacram diſſolutoriam Synodi. Interim vix urget diſcedendi licentiam, ſed duo præſertim alia. Primò, ut in contradictorio judicio liceat diſcutere Cyrilli Capitula. Deindè, ut nullus Neſtorio, tamquam degradato, ſuperordinetur Epiſcopus, atque ita non ſuſcitetur ſchiſma, ſeu Para-Synagoga in Regiæ civitatis Eccleſia. Certam hujus mali ſequelam pleno impetu urgent Conteſtantes: Pertinaciſſimè enim proteſtantur ſe novo Epiſcopo nunquam, ſed iniquè degradato Neſtorio ſemper communicaturos. Ita conatur ſuo Amaſio portam regreſſus non claudere.

Conteſtatio exſtat in Actis Synodalibus, attamen ſine Titulo. Caſſinenſis Titulus eſt non parvi ponderis, ſed mutilus. Deſunt paucæ voces. Forſitan ſic poſſint ſuppleri: *Conteſtatio ſecunda, quam Joannes Antiochenus, & reliqui, per ſuas ac totius Synodi, à qua directi ſunt, Imperatori Theodoſio ad Conſtantinopolim direxere perſonas*. Ita ſuadent initialia Conteſtationis verba: *Sæpè numero Pietatem veſtram & per nos ipſos, & per eos, qui à nobis miſſi ſunt docuimus*. Nec obeſt Caſſinenſis tranſlatio: *Et per nos & per Relationes*. Etenim Relationes quandoque fiunt etiam per Legatos. Hæc vulgata tranſlatio videtur Caſſinenſi melior, nihilominus ſunt varia loca, in quibus hæc maniſeſtè prævalet, idcoque non fuit prætermittenda. En primum locum: *Quod rectæ fidei dogma corruptioni obnoxium videatur*. Vox adjectiva, *Obnoxium*, importat ſui ſubſtantivi intrinſecam infirmitatem: Alieniſſimam ab Evangelico dogmate. Rectiùs ergo Caſſinenſis Codex. *Quia periclitatur rectæ gloriæ dogma corrumpi*. Utique à Cyrilli Capitulis. En alterum locum: *Nondum omnibus præſentibus convocatis Epiſcopis, ii qui particulare Concilium habuerunt, Hæretica illa Capita, quæ cum Arii, Eunomii, & Apollinarii impietate conveniunt, ſcriptis Commentariis roborarunt*. Caſſinenſis translatio eſt longè diſtinctior: *Dum nec cuncti Epiſcopi conveniſſent, qui fuerant convocati, illi fecerunt particulare Concilium, qui hæretica illa Capitula, Arii, & Eunomii, atque Apollinarii veſaniæ conſona, inter Geſta, quæ in Scripto ſunt habita, firmaverunt*. Denuò errant, quod Epheſina Synodus Cyrilli Capitula canonizarit, & firmarit omnium Epiſcoporum ſubſcriptionibus. Pergit vulgata tranſlatio: *Et alios quidem deceperunt, alios verò terruerunt, alios autem de Hæreſi accuſatos in communionem ſuſceperunt, & aliis qui non communicabant, mercedem ut communicarent dederunt, alios demum ſpe honoris, quibus indigni erant, accenderunt*. Caſſinenſis tranſlatio eſt melior: *Et quoſdam quidem ſeducentes, alios verò, qui de hæreſi pulſabantur, ad communionem ſuſcipientes non præveniente judicio, aliis verò excommunicationis ſolutionem pro mercede reddentes, nonnullos autem ſpe Principatus incompetentis armantes*. Rectè addit: *Non præveniente judicio*. Etenim de Hæreſi pulſatum Epiſcopum in fraternam communionem admittere, ſi præveniente judicio fiat, non eſt reprehenſibile. Clariùs item dicit: *Excommunicationis ſolutionem pro mercede reddentes*. Item rectiùs: *Nonnullos ſpe Principatus incompetentis armantes*. Orientales enim palam reſpexerunt jam expoſitum ambitum Juvenalis Hieroſolymitani ac Rhegini Conſtantienſis Epiſcopi.

Eſt & tertius locus: *Iterum lectæ ſunt veſtræ Pietatis litteræ per Magnificentiſſimum Comitem Candidianum, ſignificantes quod pacificè & fraternè quæſtiones, quæ nuper exortæ ſunt, inquirantur. Verùm convenientibus omnibus plentiſſimis Epiſcopis, nihil profuit lectio*. Et quidem quod Candidianus Comes iſtam Sacram non dumtaxat intimaverit, ſed etiam proprio ore prælegerit, eſt longè certiſſimum. Etenim Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter ad primam Synodi Actionem legit ſolam convocatoriam Sacram, de hac verò directoria dixit ad eandem Actionem Sanctus Cyrillus: *Alterum jam Piiſſimorum Imperatorum noſtrorum Decretum per Candidianum illuſtrem Comitem eſt prælectum*. Et ipſe Candidianus ad Joannem Antiochiæ Patriarcham dixit: *Epiſcopi, ut Sacram prælegerem efflagitarunt. Coegerunt me illi. Ipſis igitur congregatis Sacram prælegi*. Interim Caſſinenſis tranſlatio eſt luc idiſſima: *Lectæ ſunt quidem litteræ Pietatis veſtræ, quas per Candidianum Magnificentiſſimum Comitem direxiſtis,*

*xiſtis, quæ continebant, quia oportet cum charitate fraterna & pacificè eas, quæ pullulaverant, diſcuti quæſtiones, convenientibus his, qui convocati ſunt, Deo amiciſſimis omnibus Epiſcopis, & nihil lectio tanta profecit.*

Ecce & quartum locum: *Et communionem habuere cum depoſitis & meminerunt eorum tamquam Epiſcoporum, non permittentes uti Capitula iſta explorerentur, tametſi à nobis ad colloquium ſæpius accerſiti fuerint.* Non fuit qualiſcumque memoria, nec qualecumque colloquium. Ea explanat Caſſinenſis Translatio: *Et communicantes depoſitis, & eorum nomina, quaſi eſſent Epiſcopi, nominantes. Nec verò paſſi ſunt abdicare Capitula. Et hæc dum ſæpius ad diſceptationem vocarentur à nobis.* Orthodoxos Epheſinæ Synodi Epiſcopos accuſant, quod degradatis Epiſcopis non ſolum modo in humanis, ſed etiam in Divinis communicarint: Quod eorum nomina è Sacris Eccleſiæ tabulis recitarint ad Sacrificium. Et quod coram Joanne Sacrarum Largitionum Comite provocati ad diſceptandum pro ſuis Capitulis confuſi detrectaſſent. Ex quibus diſcimus inſignem antiquarum Synodorum pietatem ac ritum: Quod nempe ſolerent omnium præſentium Epiſcoporum nomina ſingularibus, & ad id confectis tabulis inſcribere, & recitare ad Sacrificium. Hinc Conſtantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodus in data contra Antimum Trapezuntis Epiſcopum ſententia affirmat Magni Papæ Leonis nomen fuiſſe inſertum ac recitatum in Chalcedonenſi Synodo. Quod nempe per ſuos Vicarios eſſet unus è conſidentibus Epiſcopis. Quin etiam Nicæna S. Sylveſtrum, Sardicenſis S. Julium, & Epheſina S Celeſtinum recitaverit, non eſt dubitandum. Nam & Imperator Theodoſius in Sacræ, quam per præfatum Joannem Comitem miſit Epheſum, titulo primum poſuit laudatum Celeſtinum. Et dum Imperatores Juſtinus ac Juſtinianus quatuor Synodos juſſerunt prædicari è Dypticbis, non generatim, ſed prædicari juſſerunt ſingulorum Epiſcoporum nomina. Hinc enim ad Severianos, iſta recitatione offenſos, Epiſcopos in Conſtantinopolitana collatione dixit Hypatius Epheſinus Epiſcopus: *Quid autem & antequam Concilia nominatim infererentur Dyptichis, nunquid in omnibus Eccleſiis, quæ ſub cœlo ſunt, non recitabantur Epiſcopi? Etſi nominatim Concilia ipſa non recitarentur, tamen in propriis Regionibus & civitatibus ſinguli quique annotabantur. Si ergò in propriis civitatibus ſinguli quique annotabantur, & unuſquiſque in quocumque ſubſcripſit Concilio recitabatur, quantò magis rationabiliter erat eos, qui cum labore & ſudore in unum convenerunt adversùm Hæreticos, Deo placitum prælium ſuſceperunt, & bonam illam victoriam per Dei gratiam vicerunt, uno conſenſu inſeri ad gloriam Dei, & laudem certantium, & majorem adhortationem eorum, qui poſt certaturi ſunt?* Affirmat tria. Primò, quod omnium intra Eccleſiæ pacem defunctorum Epiſcoporum nomina recitentur in ſuis, quas vivi docuerunt, Eccleſiis. Secundò, quod recitata etiam fuerint in illis Synodis, quibus aderant & ſubſcribebant. Tertiò, quod hæc recitatio ſimiliter ſervari poſt iſtorum Epiſcoporum mortem poſſit in omnibus ſub cœlo Eccleſiis. Et adducit tres hujus recitationis utilitates. Porrò Conteſtatio non ſine alto ſcopo iſtud crimen imponit Sancta Synodo. Hinc enim concludit ipſam impegiſſe in quintum Nicænum Canonem, omnes ejus Epiſcopos incidiſſe in communicatæ depoſitionis ſcabiem, ideoque omnia ipſorum Acta eſſe caduca Attentata.

Quintus locus eſt hic: *Præcepit ut in civitatem venirent, Sacerdotio fungerentur, & ordinarent.* Caſſinenſis Codex explanat: *Ad civitatem venire præcepit, & Sacerdotii Miniſterium gerere, & Epiſcopum conſecrare.* Eadem eſt ratio horum verborum: *Quod ſi quis ordinatus fuerit, antequam diſcutiantur recta dogmata, neceſſe ſit ut tota Eccleſia ſcindatur.* Rectiùs Caſſinenſis Codex: *Quia ſi quis ante reſtitutionem rectorum Dogmatum fuerit ordinatus, omnem neceſſe eſt Eccleſiam ſeparari.* Re vera enim, antequam novi Epiſcopi Ordinatio procedat à ſuſpectis de hæreſi, rectum dogma debet non ſolummodò diſcuti, ſed & reſtitui. Porrò quæ de Sancto Ambroſio hìc ſcribuntur, tangunt venerabilem Martinum ſeu Martinianum, Mediolanenſem Archi-Epiſcopum, qui Sancti Cyrilli Capitula credidit fœtere ex Apollinario, & Sancto Ambroſio adverſari, ideoque hujus librum tranſmiſit ad Imperatorem Theodoſium. Res infra elucidabitur.

---

## CAPUT XXXV. —123

### *Conteſtatio tertia, quam Theodoſio Imperatori eidem ſeptem Epiſcopi direxerunt.*

NOn ad hæc evocationem veſtræ Pietatis ſperavimus perventuram. Vocati enim ſumus honorificè, ſicut evocari ab Imperatore convenit Sacerdotes. Et evocati ad fidem, & confirmationem fidei Sanctorum Patrum, juſtè pio Imperatori obedientes advenimus. Et dum veniſſemus, neque ab Eccleſiaſtica receſſimus Conſequentia, neque veſtra Conſtituta contempſimus: Sic converſati ſumus à die, qua in Epheſum venimus, uſque hodie veſtrorum nutuum Secutores. Verùm nihil nos circa præſentem vitam, ſicut apparet, adjuvit cuſtodia ordinis boni. Magis verò, ut videmus, etiam validiſſimè nocuit. Nam nos quidem, qui ea uſi ſumus, uſque præſens in Chalcedone detenti degimus, vix tandem verò nunc dimiſſi ſumus, ut

ad propria redeamus; qui verò omnia confuderunt, & turba compleverunt Mundum, & contendunt Eccleſias ſeparare, ac pietati evidenter obſiſtunt, quæ Sacerdotum ſuni gerunt, & utuntur Eccleſiis, & illicitè ſperatæ Ordinationis, ut putant, obtinent firma Promiſſa. Et ea quæ ad Pauperum offeruntur inopiam, expendunt Seditionariis ſuis. Dum certè non illis ſolis, ſed etiam nobis ſis Imperator. Pars enim non parva tui Oriens exiſtit Imperii, in qua ſemper recta fides effulſit. Super hanc verò etiam reliquæ Regiones atquè Provinciæ, ex quibus congregati ſumus. Non igitur deſpiciat Imperium veſtrum, quia corrumpitur fides, in qua & vos baptizati eſtis, & veſtri Parentes: In qua defixa ſunt Eccleſiæ fundamenta. Pro qua Beati Martyres multa millia pœnarum mortis libentiſſimè ſuſceperunt. Cum qua & Barbaros viciſtis, & diſſolviſtis Tyrannos. Qua & indigetis in bello, quod nunc Africam comprehendit. Erit enim vobis pugnator omnium Deus, ſi ejus pia Dogmata defenſetis, & prohibeatis exſcindi Corpus Eccleſiæ. Exſcindetur enim, ſi ſuperinductus fidei à Cyrillo, & confirmatus ab aliis hæreticis ſenſus obtineat.

Hæc jam quidem ſæpius in conſpectu Dei, & in Epheſo, & hic obteſtati ſumus, & veſtram docuimus Pietatem, ſatisfactionem nobis acquirentes apud omnium Dominum. Exigit namque à nobis & iſtud, ſicut Scripturæ Divinæ in Apoſtolicis atque Propheticis eloquiis docent. Nam
1.Tim. 6. Beatus quoque Paulus exclamavit, ac dicit: *Obteſtor in conſpectu Dei, qui vivificat mortuos, & Jeſu Chriſti, qui teſtimonium præbuit ſub Pontio*
Ezech. 3. *Pilato, bonam confeſſionem*. Et Ezechieli Deus præcipit diſtinguere his, qui in Populo ſunt. Et interminationem ponit, dicens: *Si non diſtinxeris, pereuntium ſanguinem de manu tua perquiram*. Hoc Judicium metuentes, neceſſarium fore credimus hinc docere Imperium veſtrum, quia ea quæ ſunt Apollinarii, & Arii, & Eunomii, docent in Eccleſiis hi, qui eis impermiſti ſunt, & illicitè ac irregulariter Sacerdotium gerunt, & non ſalvant animas ingredientium. Si qui tamen illos & audire contenti ſunt. Per Divinam ſiquidem gratiam, quæ omnes homines parcendo gubernat, & miſericorditer regit, & cunctos eſſe vult ſalvos, maxima pars Populi ſana eſt, & pro rectis Dogmatibus pugnat. Propter quos præcipuè dolemus, ac pungimur animo, metuentes, ne paulatim ſerpens languor plures obtineat, & commune fiat hoc malum. Hæc nos veſtram rursùs docemus Tranquillitatem: Nec unquam docere deſiſtimus. Oramus, ut annuat Imperium veſtrum deprecationibus noſtris, nihilque ſubintroduci Sanctorum Patrum, qui Nicæam convenerunt, fidei permittatis. Si verò & poſt hanc noſtram deprecationem, & coram Deo commonitionem non acquieverit Pietas veſtra, nos & pulverem pedum noſtrorum excutientes
Act.20. cum Beato Paulo clamabimus: *Mundi nos ſumus à ſanguine omnium*. Non enim quievimus nocte ac die, ex quo in iſtam benedictam Synodum venimus, & Imperatorem, & Judices, & Milites, & Sacerdotes, & Laicos conteſtantes, ne fiant traditæ à Patribus fidei Proditores.

## SCHOLION.

Etiam hæc Conteſtatio exſtat in Actis Synodalibus. Caſſinenſis tranſlatio habet ſingularem titulum. Notanda ſunt hæc ejus verba: *Quam Theodoſio Imperatori iidem ſeptem Epiſcopi direxerunt*. Affirmant Chalcedone unum ſemper è Schiſmaticis Legatis defuiſſe. Nempe vel Himerium Nicomedienſem, vel Helladium Ptolomaidis in prima Phœnicia Epiſcopum. Videtur in exordio ille, hic in decurſu defuiſſe. Eſt res incerta. Conteſtationis tempus edicunt hæc verba: *Nos quidem uſque in præſentem diem Chalcedone tenti conſervati ſumus, nunc autem ad propria dimittimur; hi verò Sacerdotio funguntur, Eccleſias congregant, & authoritatem ordinandi habent*. Caſſinenſis textus eſt clarior: *Et illicitè ſperatæ Ordinationis obtinent Promiſſa*. Necdum erat peracta Ordinatio. Proindè conteſtatio prodiit poſt emiſſam ſecundam Sacram, qua fuit diſſoluta Synodus, & omnes dimiſſi ad propria. Conteſtantes etiam tunc Epheſum ad ſuos ſcripſerunt, lamentantes Cyrillum ac Memnonem eſſe redditos ſuis thronis, innocenti autem Neſtorio vix eſſe conceſſum, ut redire poſſit ad ſuum Monaſterium. Ex his item diſcimus tempus ſecundæ iſtius Sacræ. Fuit circa Octobris exordium. Præcipua conteſtationis poſtulatio eſt ut diſcutiantur ac damnentur Cyrilli Capitula. Conteſtantes enim videntur de impedienda novi Epiſcopi Ordinatione deſperaſſe. Hinc in fine proteſtantur fore, ut niſi exaudiantur circa Capitula, abeuntes excutiant etiam ſuorum pedum Chalcedonenſes ac Epheſinos pulveres, atque ita appellent ad Divinam Majeſtatem, & omnem hujus Mundi creaturam, ac ſe demonſtrent mundos ab omnium ſanguine: A Capitulis, & aliis Cyrilli apud Epheſum facinoribus.

Etiam hujus Conteſtationis varia loca ſunt rectiùs tranſlata per Caſſinenſem Tranſlatorem, quam per vulgatum. Primus locus eſt: *Vocati enim honeſtè ſumus, tamquam Sacerdotes à Rege*. Rectiùs Caſſinenſis Codex: *Vocati enim ſumus honorificè, ſicut evocari ab Imperatore convenit Sacerdotes*. Secundus locus: *Ubi autem venimus, neque Eccleſiam minùs ſequuti ſumus, neque veſtrum contempſimus Edictum*. Rectiùs Caſſinenſis Codex: *Et dum veniſſemus, neque ab Eccleſiaſtica receſſimus conſequentia, neque veſtra Conſtituta contempſimus*. Aliud Eccleſia, longè aliud eſt Eccleſiaſtica conſequentia. Diſcrimen eſt Eruditis exploratum. Tertius locus: *Nihil nobis in hoc ſæculo profuit modeſtia noſtra*. Rectiùs Caſſinenſis Codex: *Nihil nos circa præſentem vitam adjuvit cuſtodia ordinis boni*. Quartus locus: *Sacerdotio funguntur, Eccleſias congregant, & ut putant, autho-*

*auctoritatem ordinandi habent*: Nimirum *illicitè ab illis petitam*. *Seditiones in Eccleſia excitant*. *Quæ expendenda in uſus pauperum, in ſuos inſumunt milites*. Aliter Codex Caſſinenſis: *Quæ Sacerdotum ſunt gerunt, & utuntur Eccleſiis, & illicitè ſperatæ Ordinationis, ut putant, obtinent firma Promiſſa. Et ea, quæ ad pauperum offeruntur inopiam, expendunt in Seditionariis ſuis*. An rectiùs per omnia, ignoro. Etenim vulgata translatio videtur rectior in his verbis; *illicitè ab illis petitam*. Iſta Ordinatio erat plena executio, plenaque firmitas Synodici in Neſtorium Judicii: Hinc Legati illius facultatem meritò poſtularunt. Attamen & Caſſinenſis translatio habet hìc aliquid ſingulare, Edicit Ordinationem uſque tunc fuiſſe ſolummodò ſperatam, non peractam. In reliquis eſt omninò melior. Etenim aliud eſt Eccleſias congregare, aliud uti Eccleſiis. Et Epheſina Synodus ſecum non habuit Milites. Sanctus Cyrillus nautas Ægyptios, ac Alexandrinæ Eccleſiæ Parabolanos, Memnon Epheſius accuſatur ſecum habuiſſe Aſiaticos Ruſticos. Hos vulgata malè Milites, Caſſinenſis translatio rectè appellat Seditionarios.

Quintus locus: *Qua & nunc opus habetis in bello, quo Africam premitis*. Caſſinenſis translatio eſt rectior: *Qua & indigetis in bello, quod nunc Africam comprehendit*. Etenim quod Africa tunc non premeretur à Theodoſio, ſed bello comprehenderetur à Wandalorum Rege Geizerico, eſt exploratum. Sextus locus eſt: *Eſt Deus Commilito veſter*. Rectiùs Caſſinenſis Codex: *Erit vobis pugnator omnium Deus*. Certè hæc propoſitio, *Deus eſt tuus Commilito*, olet Pelagium, & offendit pias aures. Septimus locus eſt: *Hæc ſæpè quidem coram Deo, & in Epheſo, & hic teſtati ſumus, & veſtram Pietatem docuimus, rationem illius, ut coram omnium Deo, reddentes*. Rectiùs: *Hæc jam quidem ſæpiùs in conſpectu Dei, & in Epheſo, & hic obteſtati ſumus, & veſtram docuimus Pietatem, ſatisfactionem nobis acquirentes apud omnium Dominum*. Aliud enim eſt coram Deo rationem reddere, aliud apud ipſum acquiſere ſatisfactionem. Octavus locus: *Et animas eorum, qui ad ſe accedunt, ſi quis & ipſos volet audire*. Eſt locus mutilus. Marginalis Scholiaſtes rectè advertit deeſſe verbum, *Occidunt* aut *Perdunt*. Caſſinenſis translatio eſt optima: *Et non ſalvant animas ingredientium*. In ipſorum Eccleſias & Collectas. *Si qui tamen illos & audire contenti ſunt*. Nonus locus eſt: *Quod ſi & poſt hanc noſtram obſecrationem, hanc, quæ coram Deo data eſt, doctrinam non ſuſceperit veſtra Pietas*. Rectiùs: *Si verò & poſt hanc noſtram deprecationem, & coram Deo commonitionem non acquieverit Pietas veſtra*. Etenim conteſtatio ſtudet Principem non in ſuam doctrinam inflectere, ſed à Cyrilli Capitulis dimovere. Decimus tandem locus eſt: *Non enim ceſſamus nocte & die, ab eo die quo in hanc celebrem Synodum advenimus, & Regi, & Principibus & Militibus, & Sacerdotibus, & Laicis teſtari, ne amittamus traditam nobis à Patribus fidem*. Rectiùs: *Non enim quievimus, ex quo in iſtam benedictam Synodum venimus, & Imperatorem, & Judices, & Milites, & Sacerdotes, & Laicos conteſtantes, ne ſiant traditæ à Patribus fidei proditores*. Orientales enim Epiſcopi nequaquam ſibimetipſis timebant, ſed aliis. Epheſinam Synodum appellant benedictam eo ſenſu, quo dixit uxor Prophetæ Job; *Benedic Deo, & morere*. Hoc eſt, *Maledic*. Phraſeos ratio eſt explorata.

---

## CAPUT XXXVI. –124

*Pars Sermonis unius, quo in Chalcedone dicunt uſum Theodoretum, Epiſcopum Cyrenſis Eccleſiæ.*

CHriſtus præſit noſtro ſermoni, per quem &
ipſi ſermones, & nos ejus Divinorum Mi-
niſtri verborum. Chriſtus, qui *poſitus eſt in rui-* Luc. 2.
*nam, reſurrectionemque multorum*: Et *in ſignum,*
*cui contradicetur*. Olim quidem ab Iſraele carnali,
nunc verò etiam à ſpirituali. Chriſtus, qui infi- 1. Petr. 2.
delibus quidem *offenſionis eſt lapis, & ſcandali pe-* Iſai. 28.
*tra*, non confundit autem credentes in ſe. Chri-
ſtus ille *lapis, quem reprobaverunt ædificantes, &*
*factus eſt in caput anguli*. Chriſtus Eccleſiæ fun- Pſal. 117.
damentum. Chriſtus lapis ille, *qui ſine manibus* Daniel. 2.
*eſt abſciſſus, & mons factus eſt magnus*, & operuit
urbem terræ, ſecundùm Prophetiam Danielis.
Chriſtus pro quo, & cum quo, & propter quem
nos expugnamur: Et propter quem nos ſumus
ab Imperiali Civitate prohibiti. Sed non ſumus
Cœlorum Regno privati. Civitatem namquè ha-
bemus Hieruſalem Cœleſtem, cujus Artifex
Ædificator eſt Deus, juxta Pauli Apoſtoli vo- Hebr. 12.
cem.

Chriſtus, propter quem Propontidis undas
navigare præſumitis, ut noſtram vocem audire
poſſitis, imaginem vocis eſſe putantes veſtri Pa-
ſtoris. Concupiſcitis enim delectabile melos au-
dire veſtri Paſtoris. Illius Paſtoris, quem Com-
paſtores ejus calamorum, ſicut arbitrantur, ſub-
ſcriptionibus peremerunt. Ad quos Deus excla-
mat per Prophetam: *Paſtores multi corruperunt* Hier. 12.
*vineam meam. Polluerunt partem meam. Poſuerunt*
*partem meam deſiderabilem quaſi intranſmeabile De-*
*ſertum*. Dicat de ipſis per alium quoque Prophe-
tam: *Secundùm multitudinem ſuam peccaverunt mi-*
*hi. Ponam gloriam ipſorum in ignominiam*. Dicat
per alium denuò Prophetam: *Væ filii Deſertores,* Oſee 7.
*feciſtis conſilium, & non per me. Et conſpirationes,*
*& non per Spiritum meum: Ut adjiceretis peccatum*
*ſuper peccatum. Convertimini, qui profundum*

*inſiſtis*

Digitized by Google

*iniſtis conſilium , & iniquum* . Dicat ad eos Iſajas :
Eſai.29. *Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine , & digiti*
*veſtri in peccatis* , Lingua veſtra locuta aſt nequi-
tiam , & os veſtrum iniquitatem meditatur.

Nemo loquitur juſta , quia *concipiunt dolorem ,*
Pſal. 7 *& partunt iniquitatem* . *Ova aſpidum ruperunt* , &
Eſai.59. *telam araneæ texunt* . Videte accuſationem mali-
tiæ , & fragilitatis nequitiæ convictionem . Ova
aſpidum , & telam araneæ . Hoc quidem mali-
tiæ partus , illud verò infirmitatis convictio . Ad-
Eſai. 59. dit ergo dicens : *Et comeſturus ex ovis eorum , con-*
*fringens invenit monſtrum* . Vidiſti malitiam lan-
guidam . Vidiſti eum , qui expugnatus eſt , co-
ronatum . Quia comeſturus , ait , ex ovis eo-
rum , confringens invenit monſtrum . Quod eſt
autem monſtrum , niſi quia generare non poteſt ?
Ac ſi diceret ; Quia malitia non poteſt venire ad
perfectionem. Prædica igitur nobis etiam ſpem ma-
litiæ . Ait enim , quod mirum eſt , ſic dicens :
*Et in eo eſt baſiliſcus* . Hoc eſt mirum , quia &
baſiliſcus in eo , & monſtrum . Baſiliſcus verò
malitiam ſignificat , Quia enim beſtia hæc ama-
riſſima eſt omnium Reptilium , ipſi partum mali-
tiæ comparavit . Monſtrum verò idem rursùs
propter fragilitatem malitiæ dixit .

Sequitur demùm ſententia hæc : *Tela eorum non*
Eſai. 59. *erit ad veſtimentum , nec operientur ab operibus ma-*
*nuum ſuarum* . Cur hoc ? Quia opera eorum ini-
quitatis . Dic & ſpeciem iniquitatis : *Pedes eo-*
*rum ad malum currunt* . Ad quid faciendum ? *Et*
*veloces ſunt ad effundendum ſanguinem* . Quid er-
go ad hæc ? *Contritio & infelicitas in viis eorum* .
Semitæ namque illorum , per quas ambulant ,
perverſæ ſunt : Et viam pacis ignorant . Verè
lamentationibus digna ſunt iſta , ut contra Sacer-
dotes loquantur talia Sacerdotes . Sed iſta nos di-
cimus , non tam illos accuſantes , quam vobis
potiùs providentes .

## Et poſt aliqua.

Hierem 1. *In veritate expavit ſuper hoc cælum , & ampliore*
*terra eſt perturbata formidine , dicit Dominus . Quo-*
*niam duo , & nequam , fecit Populus meus . Me*
*dereliquit fontem aquæ vivæ , & foderunt ſibi lacus*
*contritos , qui aquam continere non potuerunt* . Di-
cit ad eos Dominus per Hieremiam Prophetam :
*Tranſite ad Inſulam Cethim , & videte* . Non vul-
tis , inquit , acquieſcere verbis noſtris ? Non
conſentitis Prophetis ? Non ſuſcipitis legem ?
Non creditis Scripturis Divinis ? Paganorum fi-
lios Doctores adſciſcite . Ite ad Gentes , & di-
ſcite , quomodò putativi Dii honorentur ab eis ,
qui certè non ſunt Dii . *Tranſite ad Inſulas Ce-*
*thim , & videte , & in Cedar tranſmittite , & om-*
*ninò perquirite , ſi facta ſint talia* . Quæ talia ? *Si*
*mutabunt Gentes Deos ſuos* . Quales illos ? *Qui*
*certè Dii non ſunt* . Et cur dicis hæc ? *Populus au-*
*tem meus mutavit Gloriam ſuam . Et quia nihil ei*
*proderit* . Hæc etiam de iſtis convenit dici .

Nam Gentilium pueri , ligna & lapides ignorantes , immortalia hæc appellant . Tu autem , qui eos illa prohibes adorare , & ſolum verum Deum admones colere , qui *montes in penſo ſtatuit , & in ſtatera colles ; qui manu ſuſtinet aquam , & palma cælum* , & omnem terram gubernat ; qui ſtatuit Cœlum ſicut cameram , qui tenet gyrum terræ totius , & habitantes in ea tanquàm locuſtas ; qui Verbo ſuo fecit hæc omnia . Et in uno momento temporis præſentavit : Tanquam futura ſint prius , quæ ante non fuerunt . Et qui dedit , quæ non arant , ut eſſent , propria voluntate . Tu nunc velut hæc omnia oblitus , paſſionibus ſubjicis eum , & tamquam paſſibilem Dominum ſic adorari quaſi legis latione promulgaſti .

Paganorum quidem , ſicut dictum eſt , pueri , cupiditatis nimietate languentes , & Cœlum vocant impaſſibile , & Solem impaſſibilem nominant , & leges de ſtellis velut immortalibus ferunt , & terram , quam conculcant , Deificant ; Nos verò inviſibilem , increatum , incomprehenſibilem , imperſcrutabilem credimus eſſe paſſibilem ? Abſit . Salvator noſter ac Benefactor , ne unquam ſic à tua recedamus adoratione : Ne tuam ſic ignoremus naturam . Ne uſque adeò circa tua ſimus indevoti dona . Neque Liberatorem noſtrum paſſibilem ſuſpicemur , qui nos ex paſſionibus ad impaſſibilitatem tranſduxit : Qui donavit impaſſibilitatem paſſibilibus . Hanc deprecationem Deo & pro nobis , & pro vobis offerimus , cui gloria in ſæcula . Amen .

Sed eam ex nomine Beati Theodoreti poſuit Irenæus , qui dum Neſtorianus fuerit , ut pro illo in exilium mitteretur , ſciens doctrinam Theodoreti in Eccleſia Dei præfulgere , voluit propter illa , quæ poſt geſta ſunt , ut varium denotare .

## Scholion.

Hoc ſermonis fragmentum exſtat in Actis Synodalibus , habens hunc titulum : *Pars Homiliæ Theodoreti , Epiſcopi Cyri , Chalcedone ad Schiſmaticorum Legatos , Neſtoriique fautores habita* . Non rectè . Etenim ſermo , cujuſcumque ſit , non ad iſtos Legatos eſt dictus , ſed ad Conſtantinopolitanos , transfretantes Chalcedonem . Lucet ex his verbis : *Propter quem Propontidis undas navigare præſumitis* . Et ex Theodoreti litteris ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum , ſuum Metropolitam : *Populus* , utique Conſtantinopolitanus , *ſalvus eſt omnis , & ad nos inceſſanter egreditur . Cœpimus namque & allo-*

qui

*qui eos, & Collectas celebravimus maximas, & quarta jam vice ad eos feci ſermones*. Non in Eccleſia, ſed in quodam Palatio, habente quatuor porticus. Hi quatuor ejus ſermones fuerunt habiti ante quartum Septembris diem, quo ſcripta fuit iſta Epiſtola. Et non fuerunt poſtremi. Licet enim Chalcedonenſis Epiſcopus Orientalium Legatis noluerit Eccleſiam ad Collectas concedere, nec Imperator Theodoſius ipſum voluerit ad iſtam conceſſionem cogere, iſtas tamen conciones deinceps non prohibuit. Præſentis concionis tempus diſcimus ex his ejus verbis: *Sumus ab Imperiali civitate prohibiti*. Et ex his: *Imaginem vocis ſutantes eſſe veſtri Paſtoris*, &c. Habita eſt poſt Sanctæ Synodi Legatos ab Imperatore introductos in Regiam civitatem, & ante ordinatum Maximianum. Orientales enim eò uſque non deſierunt Neſtorium appellare Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Caſſinenſis ad hunc ſermonem titulus, & poſt ipſum ſubnotatio ſunt ſingulares, ac magni ponderis: Et ipſa translatio in quibuſdam eſt diſtinctior. Hinc vulgata volui omnia. Quod hic ſermo non Theodoreti opus ſit, ſed facinoſoſi Irenæi figmentum, fortiſſimè ſuadent hæc verba: *Propontidis undas navigare præſumitis, ut noſtram vocem audire poſſitis, imaginem vocis putantes veſtri Paſtoris. Concupiſcitis enim delectabile melos audire veſtri Paſtoris*. Quis credat Theodoretum uſque adeò deliraſſe, ut omnia Neſtorii dogmata in ſe transferret, ac ſua faceret? Etenim ipſe vocem, *Dei-para*, & *Hypoſtaticæ unionis*, licet non voces, tamen rem ſemper credidit conſtantiſſimè, ac docuit. Defendit ſolam Neſtorii perſonam, credens in ambiguis vocibus recta ſapuiſſe, Quidquid ſit, Caſſinenſis Codicis Compilator fuit fidus Theodoreti Apologus. Eum inſcribit Beatum, & affirmat ejus doctrinam in Dei Eccleſia præfulgere. Certè poſterius eſt longè veriſſimum. Et prioris veritatem fortiter ſuadent Theodoreti Epiſtolæ, & alia Scripta. Præcipuum ejus peccatum fuit malè intellecta Sancti Cyrilli Capitula, & exinde alienus animus à perſona. Error qui invaſit etiam Sanctum Gennadium Conſtantinopolitanum Epiſcopum & alios quoſdam iſtiuſmodi Gigantes Chriſtianæ juſtitiæ.

Caſſinenſis translatio in quibuſdam etiam eſt melior. Primus locus eſt: *Quem Paſtores ſocii calamis occiderunt, ut putant*. Rectiùs: *Quem Compaſtores ſuis calamorum, ut arbitrantur, ſubſcriptionibus peremerunt*. Secundus locus: *Videte accuſationem malitiæ, & putredinis malitiæ judicium*. Rectiùs: *Videte accuſationem malitiæ, & fragilitatis nequitiæ convictionem*. Tertius locus eſt: *Vidiſti malitiam infirmantem. Vidiſti offendentem non offendentem. Vidiſti eum, qui impugnatur, coronatum*. Rectiùs: *Vidiſti malitiam languidam. Vidiſti eum, qui expugnatus eſt, coronatum*. Agitur de degradato, & per degradationem coronando Neſtorio. Ita enim ſperabat Orientalis Factio. Quartus locus: *Et Pagani quidem avaritiæ verbo capti, etiam cœlum impaſſibile vocant*, &c. Rectiùs: *Paganorum quidem pueri, cupiditatis nimietate languentes, cœlum vocant impaſſibile*. Senſus eſt: Non ſoli Paganorum Sapientes, ſed & pueri norunt cœleſtia corpora eſſe impaſſibilia, at verò Epiſcopi ipſam Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam ſubjiciunt paſſioni. Agit in Sanctum Cyrillum, ejuſque Capitula, ac ipſis adhærentes Epiſcopos. Rectè dicit avaritiam Paganis fuiſſe multiplicandæ Divinitatis originem. Originalis noſtra avaritia à variis Diis credidit conſequi varia hujus temporis beneficia.

## CAPUT XXXVII. --125

Idem verò Irenæus & iſta poſuit poſt prædicta dicens: *Sermo Joannis Antiocheni, quem dixit in Chalcedone poſt Sermonem Aphthonii Presbyteri, & Epiſcopi Theodoreti.*

SAncta lex eſt, ut quæ filiorum ſunt, Patribus deputentur. *Meus eſt igitur Galaad, &* Pſalm. 19.
*meus eſt Manaſſes*. Magis verò non mei, ſed Dei ſunt, qui noſtrum ſanctum Gregem congregavit ad nos, inſtantiamque illi pro pia fide donavit ſuper alia bona. Ego verò ad hoc ſurrexi tantummodò, ut ſalutarem vos pariter, & valedicerem vobis. Carpemus namque iter, vobiſcum manentes; Et rursùm vobiſcum ſumus, ad Fratres noſtros euntes. Permanet enim ſine impedimento ubique dilectionis natura. Saluto vos atque rogo, ut pacem habeatis ad Deum, qui ante quidem Chriſtiani fideles eratis, nunc verò etiam Confeſſores. Omnia qui magnam ſe novit obtinuiſſe ſubſtantiam, fortiter decertat: Et eum pro his quæ poſſidet, laborare non piget. Ne perdat hæc ipſa, quæ poſſidet, Nemo igitur vobis auferat Paternam fidem, quam nos quoque ſicut Depoſitum filiis commendamus. Attendite ad Patres noſtros atque Majores, quos nec tormenta, nec mors, nec aliud quodvis humanum valuit ab affectu fidei ſubmovere. Noſtris verò temporibus parvæ minæ ſunt, magna eſt merces: Parvæ paſſiones, ſed magnæ coronæ. Nemo vobis Depoſitum rapiat. Dico verò ad integritatem Dogmatum. Nemo vobis Deitatem perſuadeat eſſe paſſibilem. Neque unam naturam Divinitatis & Corporis. Nam illa quidem ſemper eſt per ſe Divina ſubſtantia, illam verò ſuſcepit. Undè conjunctionem prædicamus, non verò confuſionem: Unitionem, non tamquam aliquorum miſturam. Deus iſtud propter illud, Filius hoc propter illud. Omnia hoc pro-

pter

Digitized by Google

pter illud. Adoratur cum illo. Glorificatur cum illo. Et hinc Conjunctum inſeparabiliter, ipſum naturæ noſtræ Primitiæ nominatur. Hæc cuſtodite, & Deus pacis erit vobiſcum, defendans vos, quo ipſe novit modo. Ipſi honor & gloria in ſæcula. Amen.

## SCHOLION,

ETiam hic Sermo exſtat in Actis Synodalibus. Attamen Caſſinenſis translatio eſt melior, & ejus titulus habet aliquid ſingulare. Demonſtrat antiqnum concionandi modum. Dum concionabatur Presbyter, ad ejus verbum aliqua Epiſcopus, & ad bujus verbum aliqua ſubjungebat Parriarcba. Dum nempè ad Patriarchalem, cui plures etiam Epiſcopi aderant, Synaxim fiebat concio. Hinc apud Marium Mercatorem Hæreſiarcba Neſtorius quartum ſuum contra Pelagianos ſermonem ita inchoat: *In alium ſermonem lingua perurgente repromiſſionum mearum præcedens Magiſter memor luctam me vobis Dominicam debere ſubmonuit, & ad bujus redbibitionem coarctat*. Magiſter ille erat unus illorum Dnctorum, quos in IV. Quinario laudat antiqua noritia Dignitarum ac Officiorum magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: *Doctor Evangelii, Doctor Apoſtoli, Doctor Pſalterii*. Hi coram Epiſcopo concionabantur. Ita S. Joannes Chryſoſtomus, ac ipſe poſtmodò Neſtorius Antiochiæ coram Flaviano ac Theodoto, Conſtantinopoli Anaſtaſius coram Neſtorio, Hippone Sanctus Auguſtinus coram S. Valario, Alexandriæ Pierius coram Theona Epiſcopo, alibi alii coram aliis ſunt concionati. Erant paſſim Presbyteri. Quandoque tamen etiam Epiſcopi. Ita Theodorus Mopſueſtenus & Theodoretus Cyrenſis freqnenter Antiochiæ, Sanctus Epiphanius Hieroſolymæ, Dorotbeus Martiano-Politanus Epiſcopus Conſtantinopoli coram Naſrorio, ibidem coram Sancto Joanne Chryſoſtomo Severianus Gabalorum Epiſcopus, Sanctus Auguſtinus Carthagine coram Aurelio tractarunt. Quin & S. Proclus Cyzicenus Epiſcopus Conſtantinopoli in præſentem Neſtorium, & S. Epipbanius Hieroſolymis dixit in præſentem Joannem. Ejuſdem moris Neſtorios meminit in quarto ſermone de Dominica Incarnatione, quem Marius Mercator ſcribit fuiſſe primum & extemporalem adversùs S. Procli orationem Panegyricam in Virginem Dei-Param: *Diviſionem ſuper boc præcedentis Magiſtri valdè ſum admiratus*. Et in duodecimo ſermone, babito poſt acceptas Sancti Celeſtini Pontificis Litraras: *Dulcem nobis præcedens Doctor menſam charitatis appoſuit*. Eundem morem laudat Sanctus Cyrillus, poſt Pauli Emeſeni Epiſcopi concionam ſubjungens: *Hauſimus vobis aquam ex Sacro fonte Doctoris, qui ante nos diſſeruit*. Attamen in bis omnibus nullum babemus exemplum, in quo poſt Presbyterum Epiſcopus, poſt Epiſcopum Patriarcha eſt concionatus. Quapropter præſens Caſſinenſis titulus eſt admodum ſingularis.

Eondem moram laudat & omnibus Eccleſiia imponit Autbor ſeu Compilator Apoſtolicarum Conſtitutionum: *Deindè bortentur Populum Presbyteri. Non omnes ſimul, ſed ſingulatim. Et poſtremus omnium Epiſcopus, qui ſimilis eſt Gubernatori* L. 2. c. 57. *navis*. Deſumpta hæc ſunt ex priori Sancti Pauli ad Corintbios Epiſtola: *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quod ſi revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exbortentur. Et Spiritus Propbetarum, Propbetis ſubjecti ſunt*. Hæc fuerunt prima Eccleſiæ plantamina, ideoque poſt ipſam plantatam ac firmè Cap. 14. radicatam iſta, uti & pleraque alia primitiva charismata, utpote expleto officio, ceſſaverunt. Hoc lamentans variis in locis Sanctus Joannes Cbryſoſtomus affirmat ſui temporis Eccleſiam fuiſſe ſimilem depauperatæ Dominæ, quæ ſua ornamenta amiſerit, retinuerit tamen arcas. Etenim Catholica Eccleſia deficientibus chariſmatibus retinuit aut ſuffecit Sacros ritus, qui illorum eſſent imagines, memoriæ, aut etiam arcæ. Pro primitivis illis divarſorum Prophatarum per Spiritum ſermonibus Induxit, ut per ordinem Presbyteri dicerent ad Populum, deindè Epiſcopus: Ut primò Presbyter, deinde Epiſcopus, ultimò diceret Patriarcba, juxta varietatem Collectæ. Ita ſibi conſervavit imaginem ac memoriam antiqui chariſmatis & ordinis, qui Prophetarum Spiritum ſubjiciebat Prophetis. Attamen bujus moris nullum mihi occurrit exemplum, niſi præſentis tituli. Omninò exiſtimo ipſum non fuiſſe betroclyton, ideoque ſactum juxta vetuſtam Orientalis Eccleſiæ conſuetudinem.

Porrò quis fuerit ille Presbyter Apbtonius, ignoto: centeſima vigeſima quinta Theodoreti Epiſtola eſt ad Aphtonium, Theodoretum, alterum Aphtonium, alioſque gerentes Magiſtratum Zeugmatis. At illi gerebant civilem Magiſtratum, ideoqua hic Presbyter non fuit ex ipſis. Fuit Clericus ac Miniſter alicujus præſantis Epiſcopi. Porrò Joannes Patriarcba per hunc ſermonem ſuis ad propria redeuntibus Epiſcopis valedixit, eos zeloſiſſimè bortatus ad firmam in Ortbodoxa fide & fraterna unitate concordiam. Per fidem intelligit devias adversùm Sancti Cyrilli Capitula calumnias. Hinc & per fraternam unitatem intelligit firmam in inita contta iſta Capitula conjuratione pertinaciam. Et ita facta eſt Orientalium Legatorum diviſio, ac profectio ad propria. Hinc brevis, ſuperiùs laudata, relatio veriſſimè ſcribit: *Remanſit Joannes Antiocbenus, ceterique Epiſcopi, qui partes illius tuebantur, in ſeparatione permanentes*. Proindè bic ſermo fuit dictus poſt peractam Maximiani Ordinationem, & poſt vulgatam tartiam ac ultimam, qua fuit diſſoluta Synodus, Imperatoris Theodoſii Sacram. Poſt diem vigeſimam quintam Octobris.

Quod

Quod Caſſinenſis translatio ſit melior, demonſtrant plura loca. Primus locus eſt: *Qui veſtram cum noſtra congregavit Eccleſiam, & hunc pro pietate zelum cum aliis donis largitus eſt*. Rectiùs: *Qui noſtrum Sanctum gregem congregavit ad nos, inſtantiamque illi pro pia fide donavit ſuper alia bona*. Alter locus eſt: *Etenim vobiſcum ſumus, ad fratres noſtros contendentes*. Longè rectiùs: *Carpemus namque iter, vobiſcum manentes. Et rurſus vobiſcum ſumus, ad fratres noſtros euntes*. Forſitan legendum ſit: *Carpſimus namque iter, &c.* Tertius locus eſt: *Connexionem prædicamus, & non confuſionem; unionem, non contemperationem*. Rectiùs: *Conjunctionem prædicamus, non verò confuſionem; unitionem, non tamquam aliquorum mixturam*. Joannes enim agit adversùs Sanctum Cyrillum, qui in ſua duodecim Capitulorum Epiſtola ſcripſit ad Neſtorium: *Immò verò conjunctionis vocabulum, tamquam ad unionem hanc exprimendam non ſatis idoneum, repudiamus*. Marius Mercator tranſtulit hoc modo: *Immò potiùs conjunctionis nomen vitamus, tamquam non exiſtens idoneum, quod ſignificet unitatis Arcanum*.

Hujus rationem Sanctus Cyrillus exponit in litteris ad Valerianum Iconienſem Epiſcopum, Metropolitam Lycaoniæ: *Ne ergò nobis unum filium dividant, ſeorſim Verbum ſtatuentes, & alterum rurſus filium ſeorſim hominem illum, qui ex muliere natus eſt, ut ipſi ajunt, ſed cogitent Deum Verbum non homini conjunctum eſſe, ſed ipſum dici hominem factum*. Vox, *Conjunctio*, eſt ambidextra: Apta ſignificare & habitualem ſeu affectionalem Perſonarum unionem, & unionem naturarum ſecundùm hypoſtaſim. Eſt lana apta & Orthodoxis Ovibus veſtiendis, & obregendis Neſtorianis Lupis. Hinc ipſam dilexit & uſitavit Neſtorius, Sanctus Cyrillus cenſuit averſandam. Non quia prava, ſed quia hypoſtaticæ unioni exprimendæ inſufficiens, & adversùm Neſtorii dolos non ſatis tuta. At verò Joannes Antiochenus non ſolummodò tutam, ac ab omni periculo immunem cenſuit, ſed inſuper neceſſariam adversùs Cyrilli Capitula: Ad excludendam Apollinariſticam aut Eunomianam, quam Capitula prædicare putabantur, confuſionem, contemperationem, aut mixturam. Sancti Cyrilli rationem inſigniter illuſtrat in diſputatione contra Acephalos Ruſticus Diaconus Romanæ Eccleſiæ.

## CAPUT XXXVIII. --126

### *Epiſtola Sancti Joannis Antiocheni Epiſcopi, quam Præfecto ſcripſit ab Ancyra.*

INſatiabile quiddam reverà nequitia eſt. Et inſatiabile nimiùm. Et hoc ex aliis quidem quis plurimis videat. Nihilominùs verò & ex iſtis, qui omnes quidem Principum leges, omnes verò calcaverunt Eccleſiaſticas Sanctiones. Et ſursùm versùm cuncta fecerunt. Non ſatiati enim Firmus atque Theodotus, & qui cum eis, iniquitatibus quæ in Epheſo, & quæ in Chalcedone factæ ſunt, & ſeditionibus quæ in Conſtantinopoli, everſione piorum dogmatum, nunc rursùs illicitis omnia tentant loca turbare. Nam nunc quoque cooperatorem ſibi ſumentes illum, quem in Conſtantinopoli produxerunt, direxerunt contra nos ad Ancyram litteras, infirmiores araneis, & inaniores umbris: Multam tamen eorum nequitiam prædicantes. Nam dum priùs ipſi à nobis excommunicati ſunt, eò quod hæreticis ſubſcripſerint Cyrilli Capitulis, eorumque impietatem roborare præſumpſerint, dumque excommunicationis conculcaverunt terminum, & comminiſtrant condemnatis, & ſecundùm Sanctorum Patrum Regulas per hoc ipſi quoque depoſiti ſint, ſuſpenſiones contra nos ſegregationeſque miſerunt: Simile aliquid facientes, velut ſi quis vinctus, & adhuc ipſis vinculis obnodatus, vincientem ſe vincire conetur. Memor eſt autem Magnificentia veſtra, quia & quando Chalcedone degebamus, ſæpiùs & piiſſimo Principi & veſtræ Magnitudini diximus, quia quicumque à damnatis atque excommunicatis ordinatus fuerit, Ordinationem habet illicitam & iniquam. Quomodò autem veniet Spiritus gratia orantibus eis, quibus interdicta eſt Sacerdotis Oratio? Hoc & olim docuimus Magnificentiam veſtram. Et notum facimus in præſenti, quia nos nec iſtos eſſe ſcimus Epiſcopos, nec illum qui ab iſtis eſt factus. Nam illi quidem tranſgreſſione Regulæ ſub Regulæ facti ſunt pœna; Ille verò ab eis nihil accepit. Quia nihil habebant quod impertirentur illi, qui ſemetipſos ante privaverunt. Hæc ſi Poteſtas veſtra probaverit, quæſumus ut etiam piiſſimo & amico Chriſti Imperatori noſtro legantur, & Magnificentiſſimo Glorioſiſſimoque Præpoſito, & omni amico Chriſti Conſiſtorio, ſive Senatui: Ut univerſi cognoſcant, quia nos uſque ad præſens nulli noſmetipſos ſubjecimus crimini, & ordinabiliter omnia, & conſequenter, ſecundùm quod placet Regulis, egimus.

## SCHOLION.

HÆe Epiſtola eſt magni ponderis, & nos docet plura. Primò, quod Joannes Patriarcha non per mare ſit reverſus Antiochiam, ſed per terram. Nam & ita Epheſum venerat. Secuodò, qnod pertinaciter crediderit Cyrilli Capitnla fuiſſe canonicata Epheſi, & Synodaliter ſubſcripta ab omnibus Epiſcopis. Tertiò, qund Chalcedone recedeos permanſerit duriſſimus in ſuo factioſo Judicio, quo Cyrillum ac Memnonem degradarat, excommunicarat verò cunctos Sanctæ Syoodi Epiſcopos. Quod ipſos obſtinatiſſimè cenſuerit degradatos ac excommunicatos, & inſuper obnnxios pœnis Antiochenorum Canoonm. Quia nempe illud ſpreverant, aut certè ſe-met mutuò abſolverant, ac ita reſumpſerant Epiſcopale Miniſterium. Et præſertim quod præſumpſiſſent Conſtantinnpolitanis conſecrare novum Epiſcopum. Hoc volunt hæc verba: *Transgreſſione regulæ ſub regulæ facti ſunt pœna*. Sub pœna Antiochenæ Regulæ. Quartò Epiſtola nos docet, quod poſt Chalcedonenſia colloquia & Acta nec Joannes, nec quis ejus Epiſcopus potuerit intrare Conſtantinopolim: Omnes recto tramite debuerunt redire ad propria. Quintò, quod inter Zeloſiores Synodi Epiſcopos Legati ad Principem, inter Legaros autem ſingulariter zeloſi ſuerint Firmus Cæſaræoſis in Cappadocia Epiſcopus, ac Theodotus Ancyranus. Firmi zelus Epheſi multipliciter apparuit. Et inſra apparebit ampliùs. Thendotus Epheſi ante Synodum diſputavit cum Neſtorio, iſtaque diſputatio fuit inter palmaria ſundamenta, ex quibus Synodns damnavit Hæreſiarcham, & ex qnibus Princeps damnatiooem firmavit. Idem Theodotus, licèt brevia, erudita tamen ac ſolida ſcripſit contra Neſtorium. Quod ipſe cum Firmo apud Chalcedonem ac io Regia civitate ſingulariter plura egerit, demonſtrat præſens Epiſtola: Operum tamen ſpecies ignoramus.

Præter duas. Prima eſt in his verbis: *Per illum, quem in Conſtantinopoli produxerunt*. Eſt Maximiani in Neſtorii locum Ordinatio. Etenim perpetua generalium Synodnrum conſuetudo atque antboritas eſt, nt in degradati à ſe Epiſcopi locum ordinet alium. Ita Conſtantinopolitana Synodus in Sancti Gregorii Nazianzeni, licèt non degradati, tamen renuoiiantis, locum conſecravit Nectarium. Chalcedonenſis Synodns in degradati Dioſcori locum voluit alium conſecrare, at propter ſupplices ac multiplices quorumdam Ægyptiorum Epiſcoporum interceſſiones diſpenſatoriè ac gratioſè abſtinuit. Etiam ſexta Synodus in degradati Macarii, Patriarchæ Antiocheoi, locum conſecravit Theophanium. Quin & Sacro-Sancta Nicæna Synodus in Sancti Philogonii, Patriarchæ item Antiocheni, apud ſe defuncti, Thronum evexit Sanctum Euſtatium Epiſcopum Berrhæenſem. Ex regula vacationis in Synodo. Ex quo lucet hodiernam Romanæ Eccleſiæ ſimilem de vacatione in Curia Regulam non carere antiquis fundamentis. Præſens opus habet aliquid ſingulare. Etenim non niſi plena Synodus, & non niſi in ipſo Synodali loco conſuevit novum conſecrare Epiſcopum: Epheſina Synodus id fecit per Legatos in ipſa civitate vacantis Cathedræ.

Alteram iſtorum operum ſpeciem exponunt hæc verba: *Nunc quoque Cooperatorem ſibi ſumentes illum, quem in Conſtantinopoli produxerunt, direxerunt contra nos ad Ancyram litteras. Suſpenſiones contra nos, ſegregationeſque miſerunt*. Eſt noviter ordinati Maximiani Synodus. In qua Joannes Patriarcha lamentatur non ſolas ad Romanum Pontificem ac alios Patriarchas, Epiſcopalis conſecrationis confirmationem poſtulantes, litteras fuiſſe conceptas, ſed & attentata longè alia: Novas nequitias & turbas contra Eccleſiam atque rem publicam. Joannes Garnerius ex Mario Mercatore adducit Theodoreti Cyrenſis ad Himerium Nicomedienſem Epiſcopum litteras, in quibus hæc habemus: *Sciat Sanctitas veſtra, quod non priùs eis communicandum eſſe cenſemus, quam veſtras recipiatis Eccleſias*. Et commentatur: *Ut Epiſcopi à Maximiano depoſiti, Himerius, Helladius, Eutherius, & Dorotheus, ſuas Sedes reciperent*. Exiſtimat iſtos quatuor hac in Synodo fuiſſe degradatos, & Sanctum Cyrillum fuiſſe hujus judicii pertinacem adeò tutatorem, ut iſtos quatuor ab inita Eccleſiarum pace ſecluderet.

Res eſt elucidanda. Exſtat Synodalis ad veteris Epiri Antiſtites Epiſtola, & eſt adducenda: *Schiſmaticorum conſilium & impoſturam, quam contra Eccleſias machinati ſunt, compertam habentes, certique quod ſingulas Eccleſias, tamquam qui cum Sancto & magno Epheſino Concilio ſocietatem habeant, circumcurſitantes, unumquemlibet circumvenire, Populorumque & Cleri communionem modis omnibus aucupari ſtudeant, in hoc ſollicitè incumbentes æquum judicavimus, ſimul atque Sanctiſſimus Maximianus magnæ civitatis Epiſcopus inſtitutus eſt, has litteras una cum eo ad vos transmittere, quo ſtatum artesque illorum perſpectas habentes, ipſos ac ipſorum communionem averſemini. Ut autem ſecuriores ſitis, & ſciatis quod non litteris tantum noſtris pareatis, ſed etiam Decretis Sanctæ & Œcumenicæ Synodi Epheſi congregatæ, ſubjecimus Synodicas litteras, ut vos ex illis certiores reddamini de iis, quæ contra ſchiſmaticos & Neſtorianos decreta ſunt: Et qualis pœna iis conſtituta eſt, qui cum illis communicare præſumpſerint*. Epiſtola affirmat ab iſta Conſtantinopolitana Synodo eſſe dumtaxat confirmata ac ſtabilita Epheſina Decreta, ideoque ipſi eſſe obtemperandum in omnibus.

Adducenda eſt & ipſa Epheſinæ Synodi Epiſtola, edita poſt ſextam Actionem, conditis Canonibus præfixa, & tranſmiſſa ad omnes ſub cœlo Eccleſias: *Cum eſſemus Epheſi congregati, defecerunt quidam à nobis, numero paulò plus triginta*,

*ginta, defectionis ſuæ Anteſignanam Joannem Antiochenum Epiſcopum habentes. Horum nomina ſunt hæc.* Enumerat ſingulorum nomina, & inter ipſa omnino ſunt Helladius, Eutherius, Himerius, ac Dorotheus. Et pergit: *Hi nullam omnino Eccleſiaſticæ communionis facultatem habentes, ut ex authoritate Sacerdotali cuiquam nocere vel prodeſſe poſſint, propterea quod etiam quidam ex ipſis ſint depoſiti, quos Sancta Synodus communi Decreto ab omni Eccleſiaſtica communione alienos eſſe ſtatuit, & omnem Sacerdotii efficaciam illis ademit.* Ex his igitur triginta ipſum Epheſinum Concilium quoſdam Chriſtiana dumtaxat communione, quoſdam exuit ipſo Epiſcopali gradu. Et inter priores omnino ſuit Joannes Patriarcha. Synodalia Acta exſtant, & ſunt lucida. Quando & quomodo alii judicati ſuerint, & quinam Epiſcopali, quinam Chriſtiana Communione fuerint privati, diſtinctè ignoramus. Nempe Synodalia Acta perierunt. Interim quod præfati quatuor fuerint degradati ab Epheſina Synodo, ſuperius oſtenſum eſt, & infra patebit clarius. Non igitur ab hac Maximiani Synodo. Ipſa tamen Epheſinas ſententias firmavit, & ſingulare vinculum addidit. Præſertim iſtos quatuor, ob ſingularem ipſorum contumaciam ac petulantiam. Quin immò ſanxit ipſos extrudendos, ac ipſorum ſedibus dandos & conſecrandos alios Antiſtites. Et quod ipſe Maximianus Dorotheo Martiano-Politano Saturninum ſtatim ſuperordinarit, decurſus docebit. Etiam Firmus Cæſareenſis ſuperordinavit Thyanenſi Eutherio. Idem fuit tentatum apud Tharſenſes. Nec dubitandum, quin ſactum ſit & Nicomediæ. Eſt enim vicina Conſtantinopoli. Hinc & ipſos Beatus Cytillus, licèt Paulus Emeſenus inſtantiſſimè deprecaretur, excluſit à pace. Ita ipſe ſcribit in litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum, ac in litteris ad Theognoſtum, Charmoſynum, ac Leontium, ſuos in Regia urbe Apocriſarios. Inſuper hæc Conſtantinopolitana Synodus de damnatis Epheſi Epiſcopis novas Tractorias tranſmiſit ad plures Eccleſias. Nempe ad illas, quas ſingulariter metuebat turbandas à Schiſmaticis. Hinc licet ad Sanctum etiam Cyrillum retulerit, retulit tamen ſolam Maximiani Ordinationem, nihil adjungens contra Schiſmaticos. Quod nempe Alexandriæ nullum eſſet ab ipſis periculum. Quod non ad ſolam Ancyranam Eccleſiam tranſmiſerit Tractoriam, demonſtrat tranſmiſſio ad veteris Epiri Epiſcopos. Ad omnes forſitan ſcriptum eſt à paribus. Theodotus noverat Joannem & ejus Aſſeclas tranſituros per Ancyram & Galatiam, ideoque ſuum Clerum & Populum duxit muniendos. Et iſtas forſitan litteras Joanni nullus per viam intimavit, niſi Ancyræ Clerus. Hinc ille graviſſimè offenſus ſcripſit Conſtantinopolim.

Dico iſtas Synodales litteras Joanni Patriarchæ, uſque dum Ancyram veniret, fuiſſe ignotas. Nec enim ignota fuit iſta Synodus. Nec item Maximiani Ordinatio. Nam non niſi poſt ipſas Joannes diſceſſit Chalcedone. Nempe poſt tertiam & ultimam Synodi dimiſſoriam Sacram, datam in Novembris exordio. Notanda ſunt hæc ejus verba: *Hoc ſignificamus veſtræ Religioſitati, quod quamdiu vivimus, Orientales adjudicare non poſſumus. Coram enim nobis nulla ex parte convicti ſunt. Quippe contra vos nonnullis contendere volunt.* Sacra eſt hac Synodo poſterior. Licèt ipſam diſertè non circumducat, attamen manifeſtè improbat: Affirmat ſe non conſentire ſactæ damnationi Orientalium. Se nolle ipſos haberi pro damnatis. Et iſtud Joannes Patriarcha omnino noverat. Ex hoc Principis judicio ſecurus proceſſit ad propria. Secutus fuit de non mittendis Tractoriis ad Eccleſias. Et hinc Ancyræ reperiens contrarium fuit ſtomacho acriter motus, & has querimonias ſcripſit ad Præfectum. An ad Regiæ urbis, an ad Orientalis Prætorii Præfectum, ignoro. Videtur fuiſſe idem ille Præfectus, qui Neſtorio ſupra miſit evectionis litteras.

Notanda ſunt Epiſtolæ verba: *Suſpenſiones contra nos, ſegregationeſque miſerunt.* Nempe Tractorias, quæ Orientalium Epiſcoporum quoſdam excommunicatos, quoſdam denuntiabant ab Epheſina & Conſtantinopolitana Synodo depoſitos. Per ſegregationes omninò intelliguntur depoſitiones. Notanda item ſunt hæc verba: *Quibus interdicta eſt Sacerdotalis oratio.* Per Sacerdotalem orationem palam intelligunt verbum ſeu formam Epiſcopalis conſecrationis. Ita & Sanctus Auguſtinus in Sermone de ſuis cum Emerito Cæſareenſi Donatiſtarum Epiſcopo Actis ſcribit: *Invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati. Non enim ſuſcipio Epiſcopum, ſi quando eſt ordinatus, ſuper caput ejus Donatus eſt invocatus.* Quin immò Eccleſiæ Patres paſſim ſcribunt omnia Novi Teſtamenti Sacramenta conſtare certo elemento, & invocatione Divini Nominis. Eſt res ſuo loco exponenda.

Notanda ſunt & hæc verba: *Illi tranſgreſſione regulæ ſub regulæ facti ſunt pœna.* Laudant Antiochenos Canones. Hos enim, licèt adverſùm ipſos proclamaverit Sanctus Joannes Chriſoſtomus, ſemper retinuit Orientalis Eccleſia. Patriarcha Joannes eos hic laudat ut palam authenticos. Et antiquus ille, quicumque fuerit, Orientalium canonum Collector, quem ſibi prælegit, atque ita authenticum cenſuit Chalcedonenſis Synodus, ſuo Codici ipſos inſeruit. Et Codex hic apud omnes Græcos fuit tantæ authoritatis, ut appellari meruerit *Codex univerſæ Eccleſiæ*. Eoſdem tandem probavit Romana Eccleſia, dum admiſit Codicem Dionyſii Exigui. Hæc verba, *Ille verò ab eis nihil accepit*, videntur exſufflare datos & acceptos Ordines extra Eccleſiam. Attamen quod non de ſubſtantia, ſed de ſola exequendi facultate loquantur antiqua iſtiuſmodi teſtimonia, aliis in locis ſtudui oſtendere. Hæc tandem verba, *Imperatori noſtro legantur*, rogant Principem confirmari in bona ſua de Orientalibus Epiſcopis opinione, qua & Epheſinum, & Maximiani

de ipſis Synodale judicium in ultima Sacra ſcripſerat nunquam à ſe probandum.

---

## CAPUT XXXIX. —127

*Epiſtola Joannis Antiocheni Patriarchæ, & omnium, qui in eadem Civitate pariter convenerunt, Epiſcoporum ad Imperatorem Theodoſium poſt certamina, quæ hi habuerant Epiſcopi in Epheſo & Chalcedone.*

SCientes quia veſtrum Pietate ornetur Imperium, & quia Evangelicis & Apoſtolicis Dogmatibus faveatis, evangelizamus Serenitati veſtræ, præ omnibus hoc vos lætificare præcipuè cognoſcentes, quia per Divinam gratiam, quæ Orthodoxam fidem omnibus modis evacuari non ſinit, nec permittit effluere, ſed ſemper ſcintillam relinquit, & per hanc reaccendit extincta, quia omnes Orientalis Diœceſis Epiſcopi, & Clerici, & populi rectis ſunt ſalvi Dogmatibus, & perſeverant in fide, quæ à Beatis Patribus expoſita eſt in Nicæa congregatis. Et eligunt potiùs omnibus privari corporis membris, quam vel unam rectæ illius Confeſſionis ſyllabam prodere. Propter quod & Cyrilli Capitula, tanquam valde contraria & Sanctorum Apoſtolorum Doctrinæ, & Sanctorum Evangeliorum Prædicationi, & expoſitioni fidei, quæ in Nicæa facta eſt, execramur Univerſi. Et amicam Deo veſtram quæſumus Summitatem, in nulla Eccleſiarum, quæ ſunt ſub Cœlo, permittere Dogma illud impium prædicari; ſed ut nefas & blaſphemiam ab univerſo Mundo fugari præcipere. Decet enim vobis, quia ab ipſo Domino Chriſto ſumpſiſti Imperium, ſervare illi mundam Dogmatum traditionem, omni additamento hæreſios liberatam. Sic enim ſuper præſens Imperium fruetur veſtra Pietas & futuro, quod & curis eſt liberum, & non recipit finem, ſed illud, quod ſeneſcere non poteſt, immortale gaudium tenet.

Joannes Epiſcopus Antiochiæ.

Incolumem veſtram Pietatem, & multis annorum curriculis perdurare oro Eccleſiis Chriſti, & Romano Principatui, Deo amiciſſimi, & optimi Dei Cultores, & piiſſimi Imperatores.

Similiter & omnes pariter convenientes Epiſcopi ſubſcripſerunt.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt ſcripta Chalcedone, poſt expletam Maximiani Ordinationem, antequam Joannes Antiochenus cum ſuis Epiſcopis rediret ad propria. Hinc de iſta Ordinatione nullam facit memoriam. Hanc enim Theodoſius fieri juſſerat, ideoque ante ejus faciem, & in datis ad ipſum literis Factio veretur arguere. Proteſtatur tamen & affirmat varia. Primò, quod in Mundo non remanſerit, niſi modica ſcintilla Orthodoxæ Fidei. Quia nempe Epheſina Synodus, & omnes illi communicantes Eccleſiæ admiſiſſent Cyrilli Capitula. Secundò, quod iſta ſcintilla permanſerit apud Orientalem Diœceſim, ac ipſi communicantes Eccleſias. Eſt communis vox omnium Erronum. Ita Donatiſtæ iſtam ſcintillam in ſola Africa, Lucifer dicebat reſtare apud ſolam Maſtrucam Sardorum. Tertiò, quod non ſoli Orientales Epiſcopi, ſed & omnes eorum Populi ſint conſtantiſſimi adversùs Capitula: Quod omnibus lacerari ac mutilari membris malint, quam ipſa admittere. Quartò, quod nihil admittere velint, niſi ſolum Nicænum Symbolum. Quintò, quod omnia ad ipſum additamenta ſint hæreſes. Hinc Principem rogat, ut ſuo temporali Imperio, ac ſuæ præſertim ſempiternæ ſaluti conſulat, atque ita acquieſcat ſanis conſiliis. Et hinc vides, quod Caſſinenſis Codicis Collector in digerendis Epiſtolis non ſervaverit temporis ordinem. Hæc enim Epiſtola eſt palam ſcripta ante præcedentem.

Quæſtio eſt, Quomodò Joannes Antiochenus ac ejus Factio aſſiduè proclament ad Nicænum Symbolum? Rationem dubitandi adducit Joannes Caſſianus, in ſexto de Dominica Incarnatione libro ſcribens adversùs Neſtorium, ac de Neſtorio: *Ad fidem Antiocheni Symboli, virtutemque veniamus. In qua cum ipſe baptizatus ſit ac renatus, ſuis profeſſionibus argui, ſuis armis conteri oportet. Textus ergò ac fides Antiocheni Symboli hic eſt.* Adducit omnem textum uſque ad articulum de extremo judicio, & concludit: *Et reliqua.* Haud dubiè reſtabant non ſola verba, *Et in Spiritum Sanctum*, ſed plura alia. Idem Symbolum laudat & urget Euſebius, tunc adhuc Laicus, poſtmodo Doryleenſis in Phrygia Epiſcopus, in conteſtatione, quam contra Neſtorii exordia publicè affixit Conſtantinopoli: *Accipe partem quoque doctrinæ Eccleſiæ Antiochenæ, quam hic tibi aſſignamus. Nam inter cætera concionatur*, Adducit hæc verba: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit.* Caſſiani textus non nihil diſcordat: *Qui propter nos venit.* Ex his diſcimus, quod Neſtorii tempore Antiochena Eccleſia non Nicæno, ſed proprio uteretur Symbolo: Quod iſtud etiam traderet ſuis Catechumenis, ac in ipſo baptizaret. Et quod in

ipſo

ipſo baptizatus fuerit ipſe etiam Neſtorius. Porrò hic non Antiochenus fuit, ſed Germanicienſis in Euphrateſia Provincia, adeoque aut in adulta ætate fuit baptizatus apud Antiochiam, aut iſtud Symbolum vigebat per omnes, aut certè per plures iſtius Patriarchatus Provincias. Quidquid ſit, perſeverat quæſtio, Quomodo hæc Orientalis Factio ſemper reclamaverit ad Nicænum Symbolum, quo in ſuis Sacris non utebatur?

Reſpondeo iſtud Antiochenum Symbolum omninò fuiſſe Nicænum. Qui ipſum in neſcio qua Antiochena Synodo conditum exiſtimant, hallucinantur. Erat Nicænum cum Antiochenis additamentis. Etenim Nicænum Symbolum ſola Sanctiſſimæ Trinitatis ac Dominicæ Incarnationis Myſteria exponit: Præſertim Myſterium ſolius Divini filii. De Spiritu Sancto nonniſi pauciſſima verba habet, de Catholica Eccleſia, de remiſſione peccatorum, de reſurrectione Mortuorum, ac de vita æterna penitus tacet. Et tamen horum omnium expreſſa fides eſt omninò neceſſarium ſempiternæ ſalutis medium. Deinde ſtatim poſt Nicænam Synodum emerſerunt novæ hæreſes: Et quidem arripientes anſam ex ipſo Symbolo. Nam Apollinarius, aut potius ejus diſcipulus Polemon, hæc verba, *Conſubſtantialem Patri*, detorſit ad humanam etiam Domini naturam, atque ita in ipſo blaterare ac blaſphemare cœpit eſſe naturam unicam. Hinc varii Patres ac Eccleſiæ ſtatim ad Nicænum Symbolum adjecerunt varia additamenta ac ſupplementa. Nam & Sanctus Cyrillus, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ necdum Epiſcopus, ſed Clericus adhuc & Cathechiſta, nobis exponit non Nicænum, ſed proprium iſtius Eccleſiæ Symbolum. Quod tamen non eſt aliud, quam ipſum Nicænum cum ſupplementis ac additamentis. Sua additamenta etiam fecit Philippo-Politanum Euſebianæ Factionis Conventiculum. Inter alia addidit contra Marcellum Ancyræ Epiſcopum: *Cujus Regni non erit finis*. Quod poſtmodo firmavit Conſtantinopolitana Synodus. Similia ſupplementa in variis litteris refert ac probat etiam Sanctus Baſilius: Magnus Athanaſius videtur iſta non probaſſe. Ad Nicænum Symbolum ſupplendum, aut potiùs ad ſuum Populum circa articulos, quos iſtud non expreſſerat, plenè inſtruendum videtur compoſuiſſe ſuum Symbolum. In ipſo enim habes non ſola iſta ſupplementa, ſed etiam ſolidiſſimam confutationem Apollinarii ac Macedonii. Iſtam igitur ſupletionem fecit etiam Antiochena Eccleſia. Forſitan ipſe Sanctus Euſtatius, in ipſa Nicæna Synodo evectus in Antiochenum Epiſcopum. Dolendùm eſt, quod Joannes Caſſianus ſuo libro non indiderit totum contextum iſtius Symboli: Tacuit ipſa ſupplementa. Hæc enim ſequebantur poſt articulum de Spiritu Sancto. Omnia iſta variarum Eccleſiarum additamenta poſtmodò diſcuſſit Conſtantinopolitana Synodus, elegit meliora & congruentiora, & ex ipſis condidit ſuum Symbolum. Attamen hoc omnes, etiam Orientales, Eccleſiæ non ſtatim receperunt. Etenim lectum non fuit in Epheſina Synodo. Quædam Eccleſiæ noluerunt à ſuis ſupplementis recedere. Et inter has fuit Antiochena. Et opinor, quod iſtius Diœceſeos plures ipſi adhæſerint. Attamen non omnes. Etenim jam à Sancti Cyrilli tempore, dudum ante invaſas ab ejus Succeſſoribus iſtic Provincias, Hieroſolymitana Eccleſia habebat propria additamenta. Libertas duravit uſque ad Chalcedonenſem Synodum. Hæc poſt Nicænum juſſit ſibi prælegi, & in ſuarum definitionum regulam figi Conſtantinopolitanum etiam Symbolum, atque ita ad ipſum obſtrinxit omnes Eccleſias. Exinde omnis Oriens cœpit ipſum tradere ſuis Catechumenis, & eoſdem in ipſo baptizare. Facta hæc ſunt contra Eutychetem, qui oderat facta contra Apollinarium additamenta, atque ita ſub ambiguis & ambi-dextris Nicæni Symboli verbis ſtudebat ſuam lepram occultare. Hinc omnis Eutychiana Factio dudum conflixit contra iſtud Symbolum. Porrò hoc Symbolum etiam hodie quandoque Nicænum appellatur, quandoque Conſtantinopolitanum. Utraque appellatio eſt æquè famoſa. Poſterior in additamentis, prior fundatur in radice. Eadem eſt ratio Antiocheni Symboli. Dicitur & Nicænum.

Ex his ſurgit & alia quæſtio: Quomodò Conſtantinopolitanum Symbolum dicatur eſſe à Conſtantinopolitana Synodo? Quomodò hæc Synodus dicatur diſcuſſiſſe varia ad Nicænum Symbolum additamenta, elegiſſe meliora, ac ex ipſis conflaſſe ſuum Symbolum? Rationem dubitandi facit Sanctus Epiphanius, in anchorato libro iſtud Symbolum adducens de verbo ad verbum, & adjungens hæc à ſe ſcribi ad decimum annum Valentiniani ac Valentis, ſextum Gratiani, qui à Diocletiani Imperio erat nonageſimus, quarti Chriſtiani ſæculi ſeptuageſimus tertius. At verò Conſtantinopolitana Synodus convenit iſtius ſæculi anno octogeſimo primo. Quomodò igitur iſtud Symbolum poſſit eſſe ab iſta Synodo? Reſpondeo in iſto Epiphaniano Symbolo quidem contineri omnia ferè ac ſingula Conſtantinopolitani verba, attamen non ſola: Eſt largius ac abundantius. Iſtud eſt quoddam hujus Extractum. Attamen ad articulum de Eccleſia addidit: *Sanctam*. Quis iſta additamenta primus fecerit, ignoro. Iſto Symbolo haud dubiè utebatur Cypriorum Eccleſia, atque ita Antiochenum non viguit per omnem Patriarcharum. Conſtantinopolitana igitur Synodus probavit iſtud Symbolum, contraxit ac polivit, ſuum fecit, impoſuit toti Eccleſiæ, atque ita dici cœpit Conſtantinopolitanum. Nam & ipſum probavit Sanctus Damaſus Pontifex, & omnia tandem ſub cœlo Eccleſia. Propter ipſum Conſtantinopolitana Synodus eſt una iſtarum quatuor, quas in omnibus Eccleſiarum tabulis prædicari juſſit Imperator Juſtinianus, & Magnus Papa Gregorius honorari juſſit tamquam Dei Evangelia. Ejus Author, id eſt, Epiphaniani Symboli Contractor ac Politor fuit Sanctus Gregorius

gorius Nazianzenus. Nicephorus Calixtus affirmat fuiſſe Sanctum Gregorium Nyſſenum. Proindè Antiochenum, Hieroſolymitanum, Epiphanianum, Conſtantinopolitanum, aliaque omnia hujuſmodi Symbola non ſunt aliud quam ipſum Nicænum. A ſubſtantia & radice Nicænum, à variis ſupplementis appellantur Antiochenum, aut tale & tale.

Epiphanianum Symbolum de Spiritu Sancto hæc profitetur inter cætera: *A Patre procedentem, accipientem à Filio*. Hoc forſitan novit Caroli Magni Imperatoris ad Leonem tertium Pontificem Legatio, ideoque ab ipſo poſtulavit, cur Conſtantinopolitana Synodus non dixiſſet de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit?* Cur ex Epiphaniano Symbolo expunxiſſet laudatas particulas? Et Pontifex hoc ſolummodò reſpondit: *Sicut non audeo dicere non benè feciſſe, ſi feciſſent*, videlicet Conſtantinopolitanæ Synodi Antiſtites, *quia procul dubio ſicut cætera, quæ vel omiſerunt, ſcientes utique, & non tam humana, quam Divina illuminati ſapientia fecerunt, ita quoque non audeo dicere iſtud eos nobis minùs intellexiſſe. Perpendiſſe cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum, ne ultra mitteretur, ſicut & cætera, prohibuere*. Notanda ſunt verba: *Omiſerunt, dimiſerunt, dimiſſum, ne ultra mitteretur, ſicut & cætera, prohibuere*. Palam affirmant Conſtantinopolitanum Symbolum ex alio longiori fuiſſe extractum & contractum per variorum prætermiſſionem. Porrò laudatum Epiphaniani Symboli additamentum altiſſimè clamat antiquos Græcorum Patres de Spiritus Sancti ex Patre & Filio proceſſione non dubitaſſe: Fuiſſe apud ipſos immobilem fidei articulum. Nam & ipſum Magnus Athanaſius inſeruit ſuo Symbolo. Exemplaria ipſo carentia ſunt vitiata per Schiſmaticos.

Primus erroris fons à quibuſdam putatur fuiſſe Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus. At malè. Fuit ſceleratus Theodorus Mopſueſtienſis Eccleſiæ in ſecunda Cilicia Epiſcopus. Patet ex ſcelerato ejus Symbolo, damnato per Epheſinam Synodum. Item ex Symbolis, ſeu profeſſionibus Hæreſiarchæ Pelagii, Celeſtii, Juliani Eclanenſis Epiſcopi, ac iſtiuſmodi aliorum. Hi namque omnes venenum biberunt ex ore aut Scripris Theodori. Hinc quæſtio eſt, quomodo Conſtantinopolitana Synodus, cui Theodorus, utpotè tunc necdum Epiſcopus, non adſuit, prætermiſerit iſtas Sacratiſſimas voces? Præſertim, quomodo id fecerint Nazianzenus aut Nyſſenus Gregorius, quos certum eſt de iſto articulo recta ſapuiſſe? Reſpondeo non conſtare, quod Theodorus non adfuerit. Licèt non ut Epiſcopus, poſſit cum ſuo Magiſtro ac Tharſenſi Metropolita Diodoro adfuiſſe. Nam & Sanctus Athanaſius Nicænæ, Ibas Epheſinæ, alii docti Clerici cum ſuis Epiſcopis adfuerunt aliis Synodis. Et non ſine opere. Interim adſuit præfatus Diodorus, à quo Theodorus ſuxit omnes ſuas contra Dominicam Incarnationem blaſphemias. Et Sanctus Cyrillus in litteris ad Succeſſum Dio-Cæſareæ Epiſcopum teſtatur ipſum fuiſſe Macedonianum. Hic igitur poſſit & iſtum errorem inſtillaſſe Theodoro, itemque per dolos & technas Conſtantinopolitanam Synodum ad iſtarum vocum prætermiſſionem circumſcripſiſſe. Nec fuit difficile. Quam enim miſerabiles Epiſcopi adfuerint iſti Synodo, nos docet Nazianzenus Gregorius. Eſt res incerta.

## CAPUT XL. —128

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri, quam ſcripſit ad Populum Conſtantinopolitanum, per quam oſtenditur, quia non ſolùm priùs & poſteriùs, ſed & quando ab Epheſo ad Chalcedonem, & à Chalcedone redivit ad Eccleſiam ſuam, ſemper fidem Catholicam prædicavit, licèt Neſtorium damnare diſtulerit, non credens illa ejus eſſe Dogmata, quæ & ipſe Neſtorius denegabat, & in Epheſo ex Quaternionibus ſub ejus nomine, nullo teſte probata credebat.*

QUale quiddam patiuntur & faciunt avium matres, quoties nidos ſuos deprædandos adſpiciunt. Anxiantur enim, & garrulæ ſtridunt. Et ad ſimilem volatum teneros adhuc pullos hortantur, ut Aucupantium manus effugiant. Tale aliquid patior ſimul & facio, lamentationes veſtras ex litteris audiens, & quaſi vos garrulè ſtridentes ac tremulè, mentis oculis cernens. Inſpectis namquè ipſis litteris, mox lachrymarum cunctos humores expendi, & ſicut dicit Propheta, *Exitus aquarum depoſuerunt oculi mei*. Pſal. 118. Et tacens ſimul ac gemens permanſi diutiùs: Hoc improviſum cogitans malum, & diviſionem Corporis Eccleſiæ, & prælium omni bello Civili deterius.

Non enim de una Tribu tantummodò ſumus, ſed de utero uno: Eundem gloriantes habere nos Patrem omnium Deum, eandem Matrem, ſanctiſſimum Fontem. Non ſolùm verò unius uteri ſumus, ſed & unius quoquè Thori: Unius menſæ, unius & victus. Et licet membra multa ſimus atquè diverſa, unum tamen Corpus efficimus, juxta Apoſtolicam doctrinam dicentem: *Vos eſtis Corpus Chriſti, & Membra de Membro*.

Si

Digitized by Google

1.Cor. 12. Si nec naturæ cognatio, nec communio partuum, nec qnod myſtica Menſa perfruimur, nec quod manus invicem ſumus, ac pedes, & oculi, & quia unum Corpus univerſi complemus, vinculum ſufficit ſervare concordiæ, contemptis verò cunctis legibus pacis, tamquam laniantes propria membra diſcerpimus, & Adverſariis facti ſumus præda facillima, atque inſultationis & illuſionis occaſio, eò quod invicem nobis ſicut Adverſariis abutamur: Incidenteſque cuneum noſtrum, & partes ejus in invicem vertimus.

Unde rident qnidem Gentilium pueri: Rident quoque Judæi. Exiliunt agmina hæreticorum. Ovantque cuncti Adverſarii veritatis. Et noſtris malis inſultant, nos reſpicientes partitos. Et propriam pacem noſtrum prælium ducunt. Hos autem, qui horum cauſæ ſunt facti, nec hoc evigilare facit, atquè ad ſemetipſos reverti, ut radicitus evellant quæ malè ſunt ſeminata Zizania, ſalutaribus Apoſtolorum contemptis ſeminibus, quæ Spiritus per omnia Sancti gratia præſtitit. Hæc igitur, mox ut Epiſtolam legi, mente percipiens, ingemui, lamentatus ſum, in lachrymis tunc rationes expendi, quas peperit dolor. Quando ſuper iſta quædam in animo introeunt: Nnn error ſolùm ſeducentium, ſed & illorum, qui ſeducuntur, læſio.

Sed dum recognoviſſem eum, qui eſt à principio uſque nunc, Eccleſiæ ſtatum, & quomodò ſemper expugnata, expugnans ſuperans proficit, dum virtus à Domino in infirmitate *perficitur* ac probatur, juxta ipſius Domini vocem, aliquantulum recreatus ſum, nimietatemque diſſolvi triſtitiæ. Rememoratus enim etiam Sanctorum Evangeliorum Doctrinas, Inveni Salvatorem Dominumque noſtrum nihil ſuave, neque feſtivitate dignum in terrena vita Sanctis ſuis promiſiſſe Diſcipulis; labores verò atque ſudores ſua lege proferentem, & injurioſa jurgia, & plagas at-
Matth. 10. que flagella prædicere. *Ecce*, inquit, *Ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Et ante Præſides & Reges ducemini propter me: Et in Synagogis ſuis flagellabunt. Et eritis odio omnibus propter nomen meum*. Et poſt iſta inſurrectiones in invicem docens ait: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater filios. Et inſurgent filii in Parentes, & morte eos afficient*. Eorum verò, quæ dicta ſunt, finalis, extremaque ſententia continet etiam fructum: *Qui enim perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit*.

Diſcimus ergò ex his nihil remiſſum, plenumque lætitiæ quærere in præſenti vita. Bonorum verò, quæ ſperantur, ſervationem viriliter ſuſtinere. Et fortiter ferre, quæcumque propter veritatem contigerint triſtia. Hujuſmodi enim perſeverantia futura nobis bona providebit. Dicit enim Beatus Paulus: *Quia tribulatio patien-*
Rom. 5. *tiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit*. Confeſſionis nunc liberatio feſtivitatis initium eſt. Qui verò illa ſuſtinent, eis non poteſt miſceri triſtitia. Et nunc experimenta innituntur rebus. Exſpectationes fructuum pondus laboris exonerant.



Unde & Sanctorum Apoſtolorum Contubernium, dico autem, Petrus & Joannes, dum miracula & perflagellati feciſſent, *Exierunt gau-* Act. 5.
*dentes, quia digni facti ſunt injuriam pro Chriſti nomine ſuſtinere*. Et Paulus pietatis Procertator ex-
clamat: *Complacemus in infirmitatibus, in inju-* 2.Cor. 12.
*riis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis, in ſeditionibus pro Chriſto*. Explicans rationem dicit: *Quando enim infirmor, tunc potens ſum*. Et non ait, *Tolero infirmitates & injurias*, & reliqua, ſed, *Complaceo*, inquit. Id eſt, gaudens ſuſcipio, cum voluntate flagellor, tormentis gaudeo, feſtivitas doloribus commiſcetur.

Et illa quidem natura ſenſibus ingerit, hanc verò voluntas adducit. Et mox infert, inquiens
ità: *Si gloriari oportet, de infirmitate mea gloriabor*. 2.Cor. 12.
Et alibi: *Non ſolùm verò, ſed & gloriamur in tribulationibus*. Non autem dicit, *Perſeveramus*, vel *Toleramus*, vel *Tribulationes patienter ferimus*, ſed ait: *Gloriamur in tribulationibus*. Inter tribulationes declarans voluntatem, animæque fiduciam de ſpe notificans futurorum. Quia enim in principio certaminum ſummitas eſt dolorum, & circumvallantium ſe malorum multitudinem cernens, & deprecans ut erueret ex tribus certami-
nibus, Judicem dicere audiit: *Sufficit tibi gratia* Ibidem.
*mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur*. Lætabatur poſteà flagellatus, inſultabat cum torqueretur, extentus quaſi in Choro gaudebat. Cum plagis finderetur, hymniebat, gratias agebat in vinculis, & Eccleſias ex carceribus faciebat, noctes Pſalmodiis mutabat in dies. Iraſcebatur contra eos, quos flere audiebat propter fu-
turas ei tentationes, atque dicebat: *Quid fletis*, Act. 21.
*& confoditis cor meum? Ego enim non ſolùm ligari, ſed & mori pro Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine paratus ſum*.

Iſta omnis Apoſtolorum Chorus faciens permanſit. Hæc qui poſt illos fuerunt veritatis Athletæ. Hæc ſunt etiam multi, qui pro pia Religione contemnant atque perficiant. Non enim nos omninò deſeruit illius gratia, qui cernit deſuper univerſa. Dereliquit autem nobis Dominus ſemen, ut non ſimilemur Sodomis & Gomorrhis. Et eſt etiam per miſericordiam Salvatoris aurea grana in Botro cernere: Quæ juxta imaginem Propheticam Benedictio Domini nominantur. Et ſpicas non duas aut tres, ſed multa millia ſolida in valle radicatas eſt videre. Olivas quoque non quatuor aut quinque tantùm, ſed numero plures ſuper extremitatem plantatas montis excelſi, quæ ab inimicis furantibus auferri non queant. Hæc enim tropicè ſancivit de his, quos pietas nutrit, qui Divinum Depoſitum minimè perdiderunt, ſed intentabile atque incontaminabile ſervavere.

Scit Dominus qui ſunt ejus, & adeſt Præconfirmator. Et excitatione levigat, & clamat:
*Non te deſeram, neque derelinquam, & adhuc lo-* Eſai. 58.
*quente te dicam, Ecce adſum. Ecce ego vobiſcum* Matth. 28.
*ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Joan. 15.
*Et confidite, ego vici Mundum. Et ſufficit vobis* Joan. 10.
*gratia mea: Virtus enim mea in infirmitate perficitur*. 2.Cor. 13.

*tur*. Ob hoc enim quia in pugnatione multa undiquè ſagittarum millia excipientes neque fugiebant, neque cadebant, ſed fortiter ſtabant, & habebant immobilem virtutem, hoc ipſum ait amplius prædictam ejus Regni virtutem. Expendentes enim ſagittas impugnabant adverſùm nos: Et lapides ac lanceas. Noſtros nos dejiciunt milites. Hoc igitur audientes verbum, contra inſurgentes moleſtias hæſitare non convenit, ſed fortiter ſtare hæreditatemque Paternam inadibilem furibus cuſtodire: Et ſupernum cuſtodire nutum. Veniet enim quicumque venturus eſt, & non tardabit, & Athletas proprios coronabit. Credimus verò, quia & Gregem ſuum, qui diviſus eſt, celeriter uniet. Et paſcit nos continuò. Tamen finit fieri ſicut in principio, quando non erat nobis. Et eos qui erraverunt convertet, & languentes ſalvabit, & ſalvos cuſtodit in omnibus.

Confidite igitur vos, qui eſtis piæ Religionis peculiare nutrimentum. Et veſtram ipſorum ſalutem operamini, ad virtutes animi invicem provocantes, & Divinas Leges ad memoriam reducentes, deprecanteſquè Dominum, ut hanc caliginoſam nubem, pinguemque diſſolvat, & omnibus lumen veritatis oſtendat, & doceat Univerſos, quia impaſſibilis & immutabilis eſt Trinitatis natura, ſecundùm Sanctorum Patrum Doctrinam, qui in Nicæa convenerunt, dicentem: *Eos enim qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat, aut quia ex non exſtantibus procreatus eſt, vel ex alia quacumque ſubſtantia, dicentes eſſe vertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Sancta Catholica Eccleſia*. Qui ergò Divinæ naturæ paſſiones apponunt, eam vertibilem dicunt atque mutabilem. Mutatur namque ac vertitur, quod ſe aliter atque aliter habet. Qui autem vertibilem dicunt atque mutabilem, ſub Patrum maledictione ſunt Sanctorum. Si enim quod impaſſibile naturaliter exiſtit, vertibilitatem, mutabilitatemque ſuſtinuit, quod autem convertitur ac mutatur, jam non eſt inconvertibile, neque incommutabile, quomodò igitur per Prophetam Dominus exclamat: *Ego ſum, ego ſum, & non*
Malach. 3. *mutabor*? Si ergò & Deus ſemetipſum immutabilem vocat, & Beati Patres huic voci obedientes anathematizant, qui hunc vertibilem atque mutabilem vocare præſumunt, quis ita propriam ſalutem deſpiciat, ut & adverſa alleget contra Deum, & his, qui ſubtiliter Divina edocti ſunt, apertè repugnet?

Oportet igitur credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Et Patrem quidem, qui non ſit ex aliquo alio, nec exiſtendi cauſam ab aliquo habeat. Filium verò ex Patre quidem genitum conſempiternum, non tamen eum, qui hunc genuit, exiſtentem. Et nulli hoc verbum abſque omni perſuaſibilitate videatur. Nam ſicut Filius quidem genitus eſt ex Patre, ſicut Verbum verò eſt Splendor Gloriæ conſempiternus Patri. Et quidem ſicut Filius ex Patre, ſicut Verbum in Patre, ſicut autem Splendor cum Patre. Sicut verè confidens unà cum Patre. Idem quidem credimus de Spiritu Sancto, quem nos Dominus docuit ex Patre procedere. Et Apoſtolus tradit dicens: *Nos autem non Spiritum Mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt*. Credimus 1. Cor. 2.
igitur unam eſſe Patris & Filii & Spiritus Sancti Divinitatem, unam Dominationem, unum Regnum & Poteſtatem, atque Conſilium in tribus Proprietatibus, ſive in Subſiſtentiis agnoſcendam. At verò illis relinquamus minus & majus, qui ea, quæ infinita ſunt, tanquam per linguam penſare præſumunt. Nos autem unam Trinitati offeramus adorationem. Præcipimur enim ſic honorare Filium, ſicut adoramus & Patrem. Et in omnibus Spiritum Sanctum Patri & Filio communicare ſumus edocti. Tanta nobis ad præſens de Divinæ naturæ Deiloquio dicta ſint. Iſthic docens enim, non ſicut diſceptans feci Sermones. Et doctrinam fratribus, non inimicis offerimus.

De Diſpenſatione verò credere convenit, quia unigenitus Dei Filius, Deus Verbum, qui ante ſæcula eſt, propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, & inhumanatus, & habitavit in nobis. Et factus eſt Caro non vertibilitate Divinitatis, ſed aſſumptione humanitatis. Forma enim Dei exiſtens formam ſervi accepit. Et in terra viſus eſt per humanam naturam, & cum hominibus converſatus eſt. Propter quam etiam Templum vocavit ſumptam naturam, differentiam ejus qui accepit, ad id quod aſſumpſit, oſtendens. Et quia hoc quidem Deus eſt, illud verò Templum: Utrumque autem unus Chriſtus, unus Dominus, unus Filius unigenitus. Et idem primogenitus. Hoc enim nos etiam Beatus Paulus edocuit: *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia*. Et in Epiſtola ad Hebræos: *Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe, & in ſæcula*. Et alibi: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*. Et Patres autem, qui in Nicæa congregati ſunt, inquiunt: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei*. Quos ſequentes unum quidem Chriſtum & Dominum confitemur Filium Dei, in ipſo uno autem duas naturas agnoſcimus. Et novimus unum eundemque recentem & ſempiternum; Ex Abraham recentem ſecundùm humanitatem, ſempiternum ſecundùm Divinitatem. Paſſibilem circa id quod viſibile eſt, impaſſibilem circa inviſibilem naturam. Ex Deo, quia Deus eſt; ex Abraham, quia homo eſt. Sic Filium confitentes agnoſcimus, quæ cujuſque naturæ ſunt propria.

Hæc vobis iterum, velut in Summa, de Dogmatibus pietatis ſcripſimus. Direximus autem vobis & ea, quæ à nobis ad Monachos Sanctiſſimos ſcripta ſunt, & Divinorum Dogmatum latiùs opus habentes, & claram Conciliorum cognitionem. Super hæc autem direxi vobis Amantrici dilectionem: Amantrici Dei Congregationi. Et ea quæ ad Deo Amiciſſimos Epiſcopos à nobis dicta ſunt, qui diſcere voluerunt, quæ ſit eorum, quæ moventur, cauſa. Perierunt enim à nobis hanc eis manifeſtam ſtatuerem & claram. Si verò vacare potuero, & ea quæ de Sancta Trinitate, & de

& de Divina Diſpenſatione olim à me ſcripta ſunt, dirigo vobis: Non ut ſarietatem vobis faciam Divinorum, ſed ut accendam deſiderium veſtrum, ardentiuſque perficiam. Potens verò eſt Deus omni vos implere ſapientia per Spiritum: Et quod deeſt ex Magiſtrorum interpretationibus adimplere, ut etiam dicat ipſe de vobis: *Oves meæ vocem meam audient, & cognoſco eas.* Et vos
Joan. 10. Pſalm. 21. ei reſpondeatis: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.*

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola videtur ſcripta poſt Theodoreti reditum ex Epheſina Synodo & Chalcedonenſi colloquio ad Cyrenſem Eccleſiam. Non modica Conſtantinopolitani Populi pars ad ipſum Chalcedone concionantem frequenter transfretarant, & ejus eloquentia ac eruditione delectati permanſerant ultra ſextam diei horam, ſeu ultra meridiem, manſuri etiam diutius, niſi ſolis æſtus prohibuiſſet. Eſt in Septembri concionatus. Ideoque hinc diſcimus, quod iſto adhuc menſe Meridianus Sol apud Thraces fervidus ac nocivus. Theodoretus pertinaciſſimè defendit Neſtorium, aſſiduè clamans eſſe virum innocentem, ideoque factioſè & iniquè à Cyrillo ac ejus Synodo damnatum. Clamarat Neſtorium apud Deum permanere; verum Regiæ civitatis Epiſcopum, ideoque ſuas ad Populum voces non eſſe niſi veri iſtius Paſtoris vicarias. Ejus Exegeſes, Epiſtolas, aliaque Scripta, in quibus ſuum virus palam vomuerat, & quæ Romæ Celeſtinus Papa, ac Epheſi univerſa Synodus horruerat, & propter ipſa eum degradarat, fuerat proteſtatus eſſe ſpuria & calumnioſa figmenta. Nequaquam eſſe Neſtorii. Et Populus tanto Epiſcopo crediderat. Verùm poſt ejus abitum novus Regiæ civitatis Epiſcopus Maximianus, licet non ſummè doctus Orthodoxæ tamen fidei ac pacis zelo plenus, mox explevit, immo prævenit Sanctiſſima Mandata præfati Pontificis: *Congrega ſparſos, plumque animum, qualem te habere novimus, in eos, quos Perturbator diſſipaverat, exerce. Congrega Populos tuos ad Matris ſuæ ubera: Revoca, quos invitos veneni ſapore abſtraxerat inimicus. Confirma in fide, quos videris infidiis appetitos. Cura, quos inſpexeris vulneratos. Remove, qui non recipiunt medicinam.* Demonſtravit omnia iſta Scripta eſſe genuina Neſtorii opera, ideoque ipſum fuiſſe re verà hæreticum, ac juſtiſſimè damnatum. Et conſequenter ſe eſſe legitimum Epiſcopum. Ita omnem ferè Populum à Neſtorii Patrocinio retraxit ad ſuam Orthodoxam communionem. Nec dubium eſt, quin ipſum Sanctus Proclus, tunc vacantivus Epiſcopus, degens Conſtantinopoli inter Presbyteros, ſtrenuè adjuverit. Nam & contra Epiſcopum adhuc, & præſentem Neſtorium fuerat intrepidè concionatus. Eum in ſuo Conſtituto Vigilius Pontifex non ſine fundamento appellat *Eruditiſſimum Sacerdotem.*

Porrò Regiæ civitatis Populus admirabatur hæc omnia. Et quia Theodoretum diligebat, ad ipſum retulit; Dubitans & quærens an & ipſe probaret iſta dogmata? Immò potiùs quærens, an & ipſe jam didiciſſet iſta hæretica Conſcripta eſſe germana Neſtorii germina, ideoque & ipſe, Epheſinis Decretis acquieſcens, eum anathematizaret? Et ipſe reſcripſit hanc Epiſtolam. Operosè ſe expurgat de hæreſi; Demonſtrat ſe ſemper & de Sacro-Sancta Trinitate, & de adorando Dominicæ Incarnationis Sacramento Orthodoxa ſenſiſſe. Hoc demonſtrat ex ſuis prioribus Scriptis: Et vulgatis & vulgandis. Proteſtatur ſe in illis docuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe nequaquam duos, ſed omninò unicum Filium, unicam Hypoſtaſim & perſonam, ideoque ſe fuiſſe ſemper alieniſſimum à blaſphemo errore, quem omnis tunc Mundus imponebat Neſtorio. Hunc tamen non nominat. Nec Epheſinam Synodum. Nec iſtum damnat. Nec probat Ordinationem Maximiani. Quia nempe Eccleſiarum pax necdum coaluerat. Necdum credebat Neſtorium deviaſſe. Hinc ſuæ famæ ſolummodo conſulit. De ſuo Amaſio rectè tacet: Ne contra fluvii ictum navigans impingat in ſcopulum. Videbat enim è Regiæ civitatis Populo plurimos ſibi in hoc puncto diſſentire.

Porrò laudat hic tria opera nobis incognita: Scripta ad Monachos, libros de Sacro-Sancta Trinitate, & Scripta de Dominica Diſpenſatione. Scripta ad Monachos eſſe poſſint ejus Epiſtolæ ad Andream Monachum Conſtantinopolitanum, quarum unam integram vulgavit Jacobus Sirmondus, alterius fragmentum exſtat apud Marium Mercatorem. Exſtat & alia ejus ad omnes Regiæ civitatis Monachos Epiſtola, verùm hæc adversùm incipientes tunc Eutychianiſtas eſt ſcripta poſt ejus intra Cyrenſes muros circumſcriptum exilium, ideoque eſt manifeſtè alia. Etiam memorati hìc de Dominica Diſpenſatione libri non poſſint eſſe ejus Pentalogium. Hoc enim poſt & contra Epheſinam Synodum eſt ſcriptum, ideoque hujus Epiſtolæ tempore aut ſcribebatur, aut erat mox ſcribendum: At verò iſti libri erant olim ſcripti. Marius Mercator etiam hæc habet: *Theodoretus aliam in favorem Neſtorianorum Conſtantinopolim deſtinavit Epiſtolam, in qua dicit, quod duas quidem naturas & cætera pietatis dogmata confiteretur, ut Ægyptii, de iniquitate verò, quæ in Neſtorium commiſſa eſt, nulla ſit correptio ſubſecuta.* Quibuſdam videri poſſit eſſe hæc ipſa. At certum eſt non eſſe. Etenim in hac nulla eſt memoria de Ægyptiis, nulla querimonia de commiſſa iniquitate in Neſtorium. Hæc poſſit noſtram præceſſiſſe. Attamen non conſtat. Etenim hæc verba, *Et Ægyptii*, ſuadent Epiſtolam eſſe ſcriptam poſt initam pacem. Quoniam videtur in Ægyptiis recta dogmata admittere: Quod ante pacem pernegavit pertinaciſſimè. Etiam non modico poſt ipſam tempore perrexit de patrata in Neſtorium iniquitate graviter murmurare.

CA.

## CAPUT XLI. –129

Epiſtola Sancti Acacii, Berrhæenſis Epiſcopi antiquiſſimi, & illo tempore clari Sacerdotis, qui etiam Confeſſor Arianorum temporibus fuit. Cujus & ſcriptas contra Beati Cyrilli Capitula litteras approbavit Theodoſius Imperator, ſcribens ad Synodum, quæ in Epheſo congregata eſt, per Joannem Comitem Largitionum, ſicut ſupra oſtenſum eſt. Cui & in ipſa diſcordia poſito & Sedes Apoſtolica, & Beatus Cyrillus cum magna veneratione reſcripſit.

*Domino meo ſanctiſſimo & Deo Amiciſſimo Fratri & Comminiſtro Alexandro Acacius.*

SIcut pridem nunciavi Religioſitati tuæ, pervenit huc Dominus meus per omnia Sanctiſſimus Joannes Epiſcopus cum Deo Amiciſſimis Epiſcopis, Alexandro Apameæ, Archelao, Theodoreto, Thalaſſio, Euſtatio, Mari, & Maru. Et nunciaverunt quæ dicta ſunt, & quæ acta, priùſquam evocati ſunt à Religioſiſſimo & Deo Amiciſſimo Imperatore noſtro. Quæ talia ſunt, ut nequeat complecti oratio. Omnem namque linguam ſuperant ad loquendum, quæ per concinnationem Diaboli dicta ſunt. Diſcuſſione verò facta coram piiſſimo & Deo Amiciſſimo Imperatore noſtro inter utraſque Partes, dum omnia piiſſimus Imperator cum Orientalibus ſentiret ac diceret, multa pecunia, quam dedit Cyrillus, pro peccatis noſtris obruit veritatem. Nam poſtquam mortuus eſt Scholaſticus Eunuchus, Piiſſimus Imperator res ejus inquirens, & aurum, quod reliquerat, infinitum, invenit Hypomnyſticum continens, quia multas auri libras acceperit à Cyrillo. Et verò aurum tradebatur à Paulo quodam, filio fratris Cyrilli Alexandrini, qui illic Comes erat Conſiſtorianorum: Præter alia munera, quæ in variis ſpeciebus ſunt diverſis oblata perſonis. Depoſitio verò Cyrilli & Memnonis fuerat confirmata. Et ut prædicaretur quoque convenerat. Et ſic tempus inveniens, dum cuſtodiretur in Epheſo, fuga eſt uſus. Maximianus verò, qui in Conſtantinopoli eſt ordinatus Epiſcopus, Orientalibus in Conſtantinopolim non permiſit intrare. Cognovit autem Religioſitas, ſicut oportebat agnoſcere. Videns enim multam turbam Monachorum piiſſimus Imperator, valefecit Epiſcopis, ſatiſfaciens eis. In anguſtia igitur nimia ſunt qui ad Eccleſiam pertinent. Et ad ſalvandum Dei omnipotentia indigent atque remedio. Qualiter verò hi, qui ad nos à vobis venerunt, conſolati ſint cum multitudine quæ pariter venit, & quomodò nos fuerint conſolati prædicti Religioſiſſimi Epiſcopi, Reverendiſſimus Panicius Diaconus edocebit. Omnem, quæ tecum eſt, in Chriſto Confraternitatem plurimùm ſalutavi.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt magni momenti, & nos docet grandia. Etiam ejus titulus plura docet de Berrhæenſi Acacio. Primò, quod eſſet ætate antiquiſſimus. Supra audivimus, quod iſtius ſæculi anno trigeſimo primo haberet annos centum & decem. Deinde, quod iſto tempore eſſet clarus Epiſcopus. Erat enim quarumvis majorum in Orientali Eccleſia cauſarum Geſtor & Arbiter. Intricatiſſimam Flaviani Patriarchæ Antiocheni, à Romana Eccleſia dudum improbati, quæſtionem ipſe compoſuit, atque ita finem dedit, aut certè præparavit Euſtatiano apud Antiochenos Schiſmati. Etiam cauſæ Sancti Joannis Chryſoſtomi ſe potentiſſimè immiſcuit. Verùm inſigniter prævaricatus. Videndus eſt Palladii Helenopolitani Epiſcopi cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Dialogus de Actis & paſſionibus laudati Joannis. Quare ipſum catholica communione exuit Innocentius Pontifex, & poſtmodò non niſi ſub variis conditionibus abſolvit. De ipſo Theodoretus ſcribit ad Berrhæenſes Clericos: *Pater veſter, Magnus ille & Apoſtolicus vir, meus quoque Pater fuit.* Et in Religioſa Hiſtoria: *Magnus Acacius.* Et in alio ejuſdem Hiſtoriæ loco: *Divinum illud Caput, Magnus ille Acacius.* Ibidem exponit Magni illius Monachi Juliani vitam, & adjungit: *Julianus cum alios multos, tum Magnum quoque traxit Acacium, ſummum illum, & fama clariſſimum, qui & vita monaſtica excelluit, & ſplendidos virtutis radios emiſit Pontifex creatus, & Berrhæam paſcendam ſortitus. Quinquaginta autem & octo annos gregis curam gerens, monaſticæ vitæ formam non reliquit, ſed monaſticam civilemque virtutem ſimul temperavit, & illius quidem exactam ſumens perfectionem, hujus autem diſpenſatione, ea in unum, quæ erant disjuncta, conjunxit.* Plura iſtic adducit heroica ejus facinora. Etiam Sanctus Cyrillus in litteris ad Theognoſtum, Charmoſynum, ac Leontium, ſuos apud Principem Apo-

Epiſt. 75. Cap. 4. Cap. 2.

Digitized by Google

Apocriſarios, eum appellat *veneranda canitie & ſingulari pietate virum*.

Tertiò diſeimua, quod Acacius Arianorum tempore fuerit Confeſſor. Etenim Sancti Euſtatii, aut ejus in Antiochena Cathedra Succeſſorum fuit Orthodoxus Monachus, & à Sancto Euſebio Samoſatenſi Epiſcopo, devaſtatas ab Arianis Eccleſias in militari habitu viſitante ac reparante, fuit conſecratus in Epiſcopum, ideoque à Conſtantio ac Valente, Arianis Imperatoribus, non poſſit non eſſe dura paſſus. Iſta viſitatio, adeoque & ejus conſecratio contigit ad annum ſeptuageſimum octavum quarti ſæculi. Quod quinquaginta octo annos Epiſcopus vixerit, jam audivimus. Proinde obiit anno trigeſimo ſexto quinti ſæculi. Ei ſucceſſit Theoctiſtus, ad quem exſtant duæ Theodoreti Epiſtolæ. Hujus ſæculi anno trigeſimo primo habebat annos centum & decem. Proinde moriens habuit centum & quindecim. Quod ſub Valente Imperarore fuerit dura paſſus, Theodoretus diſertè ſcribit in religioſa Hiſtoria.

Quartò diſcimus, quod ipſum circa Sancti Cyrilli Capitula Imperator Theodoſius conſuluerit, quod ejus judicium ſecutus Cyrillum tunc cenſuerit Hæreticum, quod ejus à Joanne Antiocheno attentatam degradationem firmaverit per Sacram Juſſionem, tranſmiſſam ad Synodum, & executioni mandatam per Joannem Comitem Sacrarum Largitionum. Sacta Juſſio habet: *Ut Sanctitas veſtra non modò per noſtræ Pietatis litteras incitata ad concordiam ſpectet, univerſalemque pii dogmatis pacem, etiam Acacii Berrhæenſium Epiſcopi lectam à nobis Epiſtolam, quæ idem ſuadet, ad vos miſimus. Hic cum propter extremam ſenectutem Sanctiſſimo veſtro Concilio adeſſe non poſſet, ea per litteras conſulait, quæ & pietatem ipſius decent, & Orthodoxæ religioni conducunt*. Theodoſius erat tardiſſimus ad legendas Epiſtolas, aut alia Scripta. Nam quibuſcumque ſuorum Secretariorum Sctipsis paſſim ſubſcribebat ſine examine, immò & ſine inſpectione. Er hinc non rarò fuit eircumſcriptus. Porrò hie affirmat Acacii Litteras à ſe non per alium, ſed per ſemetipſum fuiſſe lectas. Eas tanti faciebat.

Quintò diſeimus, quod & in ipſa diſcordia non ſolummodò Sanctus Cyrillus, ſed & ipſa Apoſtolica Sedes ad eum, licèt adverſæ parti addictum, ſcripſerit: Et quidem cum magna veneratione. Eaſtat Sancti Cyrilli ad ipſum Epiſtola, qua ei exponit primas Neſtorii ac Dorothei Martiano-Politani Epiſcopi in Sanctam Virginem blaſphemias: Attamen ille tunc necdum erat poſitus in diſcordia. Quare præſens titulus laudat alias Litteras, de quibus Sanctus Cyrillus ſcripſit ad præſatos ſuos Apocriſarios: *Ego ſcio me ſcripſiſſe, Acacium Berrhæenſem Epiſcopam, veneranda canitie & ſingulari pietate virum, impulſu quorumdam Religioſiſſimorum Orientalium Epiſcoporum ad me litteras miſiſſe per Dominum meum Magnificentiſſimum Ariſtolaum, quibus ſignificabat oblitteranda eſſe omnia, quæcumque libris & Epiſtolis noſtris continentur, & inſiſtendum uni Symbolo, quod in Sancta Synodo Nicæna eſt editum. Ego verò ad hæc longiſſimam et ſcripſi Epiſtolam*. Joannes Antiochenus, dum ex Theodoſii Imperatoris juſſu cogebatur eum Sancto Cyrillo pacem inire, auſus non fuit ipſemet ad Cyrillum ſcribere: Hinc uſus eſt mediatione Acacii. Et Cyrillus ad ipſum, licèt necdum facta pace, reſcripſit benigniſſimas Epiſtolas. Er eum magna reverentia. Utraque Epiſtola exſtat in hoc Caſſinenſi Codice. Et ipſas laudat præſens titulus. Addit ſimiles ſcriptas etiam à Sede Apoſtolica.

Præſens Epiſtola eſt ſcripta ad Alexandrum Hierapoleos Epiſcopum, Metropolitam Euphrateſiæ Provinciæ: Non ad Alexandrum Apameenſem, Metropolitam ſecundæ Syriæ. Ille enim fuir longè duriſſimus in Sanctum Cyrillum, ac in omnem eum ipſo pacem, & per Theodoretum fuit multùm familiaris Acacio. Et inter Epiſcopos, de quibus Epiſtola ſcribit, eſt Apameenſis Alexander. Ejus Scriptæ tempus diſci poſſit ex Theodoreti, apud Marium Mercatorem exſtante, exſtante item in hoc codice, Epiſtola ad Andream Samoſatenſem Epiſcopum: *Nullatenus violare acquieſcam communem promiſſionem, quæ in Tharſo, & Chalcedone, & Epheſo facta eſt. Meminit enim* Joannes Patriarcha *& eorum, quæ nuper apud Antiochiam poſt noſtrum regreſſum à nobis ſæpè deprompta ſunt*. Omnes factioſi Epiſcopi Epheſo & Chalcedone, neſcio ubi ſe congregantes, ſimul proceſſerunt Tharſum: Et iſtic ſuam conjurationem innovatunt & confirmarunt. Quidam tunc ad propria, quidam cum Joanne abierunt Antiochiam. Et alii, qui Epheſi non fuerant, acceſſerunt. Et tractarunt varia. Et inde proceſſerunt Berrhæam, de omnibus inſtructuri Acacium, & audituri ejus oracula. Etiam iſtic fecerunt Synodum. Et ex hac videtur eſſe ſcripta præſens Epiſtola. Et per ipſam Acacius Alexandro refert ſua iſtic Audita, Senſa, & Acta.

Hæc verba, *Priuſquam evocati ſunt ab Imperatore*, reſpiciunt evocationem, qua Imperator Theodoſius utriuſque partis Legatos Epheſo evocavit Conſtantinopolim. Ante ipſam enim damnatus eſt Neſtorius, admiſſa ſunt Sancti Cyrilli Capitula, damnatus eſt Joannes Antiochenus, Synodus reparavit Cyrillum, ipſa perrexit peragere Divina, & definita ſunt iſtiuſmodi alia: Hæc Acacius affirmat eſſe concinnationes Diaboli. Hæc verba, *Dum omnia Imperator cum Orientalibus ſentiret ac diceret*, laudant primum Legatorum cum Imperatore colloquium, in quo Acacius Melitinenſis Epiſcopus dixit *paſſibilem Deitatem*, atque ita Principem penitus alienavit à Sancti Cyrilli Capitulis & Actis, & plurimùm inclinavit in favorem Orientalium. Ita ſupra audivimus ex ſingulari ſchiſmaticorum Legatorum ad ſuos Epiſtola de iſto colloquio.

Querimoniam de obruta per Cyrilli aurum veritate ſupra item audivimus ex ſimili Epiſtola Comitis Irenæi ad omnem Factionem, ſimilique E-

piſtola

Digitized by Google

piſtola Theodoreti ad ſuum Metropolitam Alexandrum. Et quidem Irenæus has nundinas retulit in Joannem Saocti Cyrilli Syncellum ac Medicum. Attamen illa, quæ Acacius hic lamentatur, tunc necdum evenerant. Exponit firma ſuæ querimoniæ ſundamenta. Nempe poſt Chryſoretis, Scholaſtici, Eunuchi, & ſui Cubicularii, mortem Imperator Theodoſius viſitavit ejus domum & arcas, ac in ipſis invenit infinitum aurum, nec non & Hypomnyſticon ſeu catalogum, in quo etiam Donatores annotaverat, Et inter hos magnum locum habebat Cyrillus. Quin immò Imperator videtur iſtic reperiſſe ipſum Cyrilli Catalogum, in quo ille omnia & ſingula ſua in varios Palatinos donaria annotaverat: Quid unicuique dediſſet; & in ſignato auro, & in aliis. Hoc ſuadent hæc verba: *Præter alia munera, quæ in variis ſpeciebus ſunt diverſis oblata perſonis*. Quidquid ſit, hæc clandeſtina negotia gerebantur per Paulum, Cyrilli ex fratre Nepotem, degentem Conſtantinopoli, Comitem Conſiſtorialem. Sanctus enim Cyrillus dicitur fuiſſe Conſtantinopolitanus.

Hic eſt ille Paulus, quem cum filiis Succeſſor Cyrilli Dioſcorus omnibus ſortunis exuit, & qui tunc Conſtantinopolim refugiens accepit aliquid auxilii à Sancto Patriarcha Flaviano. Etenim Conſiſtorialis Comes Flavianum adhuc Presbyterum dilexerat, ideoque & à Patriarcha recepit ſimilia. Et ex hoc bono opere Dioſcorus accepit fomitem ſui pertinaciſſimi in S. Flavianum odii. Et iſtud adjuverunt Chryſaphius Eunuchus, Chryſoretis in Sacri Cubiculi Præſectura Succeſſor, & Nomus Conſul. Paulum adeò expilarunt ac vexarunt, ut præ mærore ſit mortuus Conſtantinopoli. Attamen Acacius videtur lapſus, ſcribens ipſum fuiſſe Cyrilli nepotem ex fratre. Etenim ejus germanus frater Athanaſius, Diaconus Alexandrinæ Eccleſiæ, in libello, quem adversùs Dioſcori in ſe ac omnem Cyrilli Familiam violentias exhibuit Chalcedonenſi Synodo, diſertè affirmat Cyrillum fuiſſe ſuum Avunculum, germanum fratrem ſuæ matris Iſidoræ. Nec enim credo iſtum fuiſſe alium Paulum. Quidam Eccleſiarum Prælati hinc ſumunt anſam ditandi nepotes ex Eccleſiaſticis proventibus. Cenſent ſe, dum Sanctum Cyrillum imitantur, non poſſe deviare. Errant in Suppoſito. Etenim memoratus Athanaſius in præfato libello diſertè ſcribit: *Cyrillus plurimis & magnis Legatis honoravit de propria ſubſtantia*. Non ſolos ſuos nepotes, ſed & ſuum Succeſſorem.

Notanda ſunt hæc verba: *Depoſitio Cyrilli & Memnonis fuerat confirmata. Et ut prædicaretur, quoque convenerat*. Hoc eſt concluſum ac decretum erat, ut Regia confirmatio tranſmitteretur per omne Imperium, publicanda ac prædicanda in cunctis ubique Eccleſiis. Acacius laudat ſupra adductam Sacram, per quam facta fuerat prima dimiſſio Synodi. Per hanc enim damnatio Cyrilli ac Memnonis fuerat confirmata. Et adjungit de Saocto Cyrillo: *Et ſic tempus inveniens, dum cuſtodiretur in Epheſo, fuga eſt uſus*. Affirmat Cyrillum tunc auſugiſſe è carcere. Eſt manifeſta calumnia. Etenim ſupra audivimus ipſos Schiſmaticos lamentantes, quod Cyrillus & Memnon à Principe permitterentur permanere in ſui Eccleſiis, Neſtorius autem vix poſſet redire ad ſuum Monaſterium. Item aliundè audivimus, quod Sanctus Cyrillus die trigeſima Octobris Alexandriam intraverit, glorioſè receptus à Clero & Populo. Certè carcerum perfractores non conſueverunt taliter recipi. Undè Acacius hanc calumniam hauſerit, ignoro.

Hæc verba, *Maximianus, qui in Conſtantinopoli ordinatus eſt Epiſcopus, Orientalibus in Conſtantinopolim non permiſit intrare*, nos docent, quod Orientales etiam poſt Maximiani promotionem non deſtiterint tentare apud Principem. Verùm ille impetravit ipſos recto tramite compelli ad propria. Sequentia verba, *Cognovit autem Religioſitas, ſicut oportebat agnoſcere*, videntur mutila, ideoque ſunt & obſcura. Videntur ſupplendum. *Religioſitas veſtra*. Poſſit tamen & abſtractim legi: *Cognovit Religioſitas*. Utique omnium Chalcedone præſentium Epiſcoporum. Hoc ſenſu: Religioſiſſimi Epiſcopi cognoverunt iſtud Maximiani Factum, ac de ipſo judicarunt, ſicut oportebat. Laudatur aliquod iſtorum Epiſcoporum judicium, quod nos ignoramus. Et tunc haud dubiè facta, aut certè innovata & confirmata eſt illa Orientalium conjuratio, à qua Theodoretus ſupra in adductis ad Andream Samoſatenſem Epiſcopum litteris aſſeverat ſe nunquam receſſurum. Facta eſt ex indignatione ad iſtud Factum Maximiani.

Hæc verba, *Videns enim multam turbam Monachorum Imperator valefecit Epiſcopis, ſatisfaciens eis*, reſpiciunt Conſtantinopolitanos præſertim Monachos, quos Schiſmatici etiam ſupra dixerunt turbulentos, inter cætera queſti, quod propter ipſos non potuerint intrare Conſtantinopolim, juſſi hærere apud Chalcedonem. Acacius queritur, quod multa ipſorum turba etiam Maximiano adhæſerit, & quod ipſos Imperator timens valefecerit Epiſcopis, ac ipſos ſine Regiæ civitatis ingreſſu, ac ſui Sacri vultus adaſpectu juſſerit redire ad proprias Eccleſias. Utique Orientales Epiſcopos. Et quod ipſis ſatisfecerit. Nempè concedendo gratiam, ſupra expreſſam in tertia Synodi dimiſſiva, & poſt Maximiani Ordinationem data Sacra: *Quamdiu vivimus, Orientales adjudicare non poſſumus. Coram enim nobis nulla ex parte convicti ſunt. Quippe contra vos nonnullis contendere volunt*. Novus Epiſcopus Maximianus, eique aſſidens Synodus à Principe ſupplicarunt Orientales Epiſcopos non ſolummodò non admitti ad Regium conſpectum, ſed etiam confirmari datam in ipſos à Synodo ſententiam: Degradationem in quoſdam, in quoſdam excommunicationem. Præſertim degradationem quatuor jam ſæpè nominatorum. Et primum conceſſit, ſecundum omninò rejecit Theodoſius. Et hæc eſt eis data ſatisfactio, quam hic laudat Acacius. Et his etiam videmur doceri cauſam & originem tertiæ illius Sacræ. Schiſma-

tici

tici Epiſcopi detrectahaot redite, ſed novas lites quætehant movete apud Principem. Hinc laudata Maximiani Synodus poſtulavit & ohtinuit novam totius Synodi dimiſſionem. Theodoſius tamen, ut Orientalibus daret aliquid ſolatii, ipſi Sacræ inſetuit præſatam ſatisfactionem.

Porrò hæc Berthæenſis Synodus ſeu Congregatio non fuit modica. Etenim ex ſola Enphrateſia Provincia adſuetat oon ſolus Theodoretus, ſed & alii Epiſcopi, & quidem cum Cleticorum, ac ſortitao etiam Laicorum moltitudine, quæ pariter venerat, haud dubiè ex curioſitate: Ad diſtinctè audiendam plenam ſeriem omnium Actorum Epheſi & Chalcedone. Et omnes ſunt invicem conſolati. Inquiſiverunt ac decreverunt vias & modos, quibus proſcriberent Cyrilli Capitula, ac ſeſe eruerent ex præſentibus anguſtiis. Plura apud Berthæam facta ſunt iſtiuſmodi Conventicula. Etenim Acacius erat decrepitus, ae itinerum impatiens, & ſine ejus per multam rerum experientiam ſapientiſſimo conſilio nihil concludi poterat: Hine ipſe Patriareha Joannes eum ſuis Epiſcopis ibat ad illum.

## CAPUT XLII. —130

*Epiſtola, quam præfatus Irenæus direxit à Beato Theodoreto Cyri Epiſcopo ad Candidianum Comitem Domeſticorum, ante pacem miſſa.*

PRopter multa & ipſam memoriam Epheſi odio habens, gratias ei de una re ago præcipua, quia manifeſtam nobis fecit animam tuam, quæ eſt plena virtutibus. Sie enim Athletas luctamina, & equos currendi certamen, & aurigas currus, & aurum coticula oſtendit; Utrum probatum ſit, an adulterinum, ipſa decernit. Sic & Civitas illa, & illa vehemens tempeſtas, & denſi atque crehri fluctus, & diverſi atque contrarii flatus ſtahilitatem veſtram, & fortitudinem, firmitatemque pru Juſtitiæ partibus oſtenderunt. Et ferventes Dilectores nos veſtræ Magnitudinis effecerunt. Oh hoc Epheſo gratias agere cogar, in qua illud peſſimum naufragium ſuſtinuimus. In qua Eccleſiæ membra contra invicem ſeditione armata ſunt, & unum Corpus inciſum eſt. Et mala illa ſunt perpetrata, quæ taciturnitate ſunt digua: Quæ plus nobis tua ſcit Magnitudo. Unde & de Sanctiſſimo, ac Deo Amiciſſimo Epiſcopo, & Comminiſtratore noſtro Theophanio ſcribens, verbis non egeo longis: Et ipſum namque manifeſtè novit Magnificentia veſtra, & ſcit injuſtitiam, quæ præſumpta eſt contra eum. Quia igitur & adverſamini, & odiſtis eos, qui talia commiſerunt, linguam pro manu porrigite: Et ſuadete illos, qui habent hujus ſententiæ vim, extinguere tandem flammam, quæ malè ſuccenſa eſt, & reſtituere malè pulſis Eccleſias, & ſiſtere riſum, qui contra nos eſt, pietatis Adverſariorum.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt ejuſdem temporis. Docet nos, quod Comes Irenæus ſtatim poſt dimiſſam Synodum, etiam ante factam Eccleſiarum pacem, fuerit projectus extra gratiam Auguſti Theodoſii. Et quod iſtud ipſum, licèt non plenè, evenerit Comiti Candidiano. Nempe oh fraudes, violentias, falſas relationes, aliaque id genus facta apud Epheſum, ac in ipſa etiam Conſtantinopoli. Porrò Epiſtola ſcripta eſt ad latus Theodoreti. An Cyri, an Antiochiæ, an Tyri? Reſpondeo, quod Tyri. Etenim Irenæus tunc omninò erat in Cyri defuncti locum à Theodoreto conſecratus in Tyriorum Epiſcopum. Hoc mihi perſuadent hæc verba: *De Sanctiſſimo & Deo amiciſſimo Epiſcopo, & Comminiſtratore noſtro Theophanio.* Altiſſimè clamant Irenæum tunc fuiſſe Epiſcopum. Proinde id factum eſt ante Eccleſiarum pacem. Immò & ante Tractatum pacis. Hoc lucidè affirmat Epiſtola. At verò pax tractari cœpit mox poſt confirmatum à Celeſtino Pontifice Maximiani Epiſcopatum: Ad preces ejuſdem Pontificis. At verò hæc confirmatio fuit data Idibus Martiis, anno trigeſimo ſecundo iſtius ſæculi. Proinde circa hoc tempus ille fuit evectus in Epiſcopum.

Memoratus hìc Theophanius eſt Philadelphienſis in Lydia Epiſcopus, qui cum Joanne Antiocheno fuit Epheſi, ac ah Epheſina Synodo nominatim damnatus. Nec mirum. Ille enim eſt, qui Photium ac Anaſtaſium, Neſtorii Preshyteros ac Emiſſarios, cum ſcelerato Theodori Mopſueſteni Symbolo admiſit in ſuam Eccleſiam, & omnes Quarto-Decimanos ſuh ejus profeſſione recepit in communionem. Poſſit inſuper alias patraſſe petulantias. Quidquid ſit, Maximianus ipſum ſtatim poſt ſuam Synodum eſt aggreſſus, ejecit è Philadelphiæ Cathedra, & juſſit ordinari alium. Ex quo diſcimus plura. Primò, quod in ſua Synodo Maximianus non dumtaxat Dorotheum, Helladium, Eutherium, ac Himerium, ſed plures ah Epheſina Synodo damnatos juſſerit ejici è ſuis Eccleſiis. Secundò, quod Imperator Theodoſius, licet Orientalium, & ipſis adhærentium Epiſcoporum iſtas damnationes improbaverit, nequaquam tamen circumduxerit: Hinc ipſas contra ejus judicium executus eſt Maximianus, ac ſtatim ejecit Theophanium. Tertiò, quod Aſiaticæ Diœceſis rapinas, poſt quas Patriarcham iſtic agere cœpit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, etiam Maximianus ſit

pro-

proſecutus. Lydia enim erat Aſiatica Provincia. Quartò, quod iſto tempore Candidianus Comes necdum plenè eſſet extra Principis gratiam. Etenim Epiſcopus Irenæus ipſum obteſtatur, ut adversùs hæc mala apud Imperii Poteſtates porrigat pio manu linguam, atque ita curet reſtitui Theophanium: Et extingui malè ſuccenſam flammam hujus perſecutionis. Dico Candidianum plenè necdum fuiſſe extra Principis gratiam. Etenim diminutam illi fuiſſe hanc gratiam ſuadet, quod Irenæus ipſum roget, non apud Principem agere, ſed apud ſolos ejus Miniſtros. Notanda ſunt & hæc verba: *Quia adverſamini, & odiſtis eos*. Demonſtrant Candidianum tunc adhuc perſtitiſſe in ſua nequitia.

---

## CAPUT XLIII. —131

*Epiſtola ſanctæ memoriæ Venerabilis Andreæ, Epiſcopi Samoſatæ Civitatis, ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum, de Rabbula Epiſcopo Edeſſeno, qui ſe ab Orientali Synodo ſeparavit.*

HI qui pro recta fide laborant, ſcripſerunt mihi ab Edeſſa, quia Rabbulas apertiſſimè declinavit à Dogmatibus veritatis, & perſequitur rectè fidei Defenſores. Ita ut Theodorum quidem Beatum rectæ Glorificationis Magiſtrum præſumeret anathematizare in Eccleſia, & multa mala contra eum diffunderet. Anathematizaret verò & illos, qui ea, quæ illius ſunt, legunt. Inſuper & qui illa, quæ ſcripſimus. Et quicumque veniunt, & non portaverint ad combuſtionem Theodori Codicem. Et eos qui præter illa, quæ Cyrilli ſunt, ſapiunt. Dicitur autem & prædicare, quod una tantùm natura ſit Chriſti. Et expellere validè hos, qui aliquid aliud dicunt. Superfluè igitur, ut apparet, Dominos confingimus, qui per taciturnitatem proditores veritatis efficimur. Et feſtivitas quidem, quæ ſiſtit in januis, nunc convenire nos prohibet. Rogo verò, ut mihi tua Probitas indicet, quæ oportet dicere vel agere ſuper his, & priuſquam nos convenire contingat. Amici verò, qui perſecutionem ſuſtinent, interrogant nos, ſi oporteat jam ſciſſionem fieri, & oſtendi fiduciam: Quia circa ea conſilium minimè id nunc uſque fecerunt. Mihi autem rationabile videtur, ut qui fiducialiter impiè agit, & omnes abjuravit Orientales, & nos contra eum clarè pugnemus. Si verò eſſent quidam fortes, & illud aliud fieri debuit. Et mihi quidem videtur, quod in Conſtantinopoli ſuſcipiens litteras, quas nunc uſque ſuſtinuit, erupiſſet: Et impietatem, quam olim conceperat, clariſſimè peperiſſet. Nobis verò tutum ſicut arbitror, non eſt, ut de talibus ulteriùs taceamus.

### SCHOLION.

HUjus Epiſtolæ radicem exponit in Breviario Liberatus Carthaginenſium Archi-Diaconus: *Neſtorii Sectatores videntes libros illius blaſphemos non poſſe proferri in publicum, eòquod Synodo Epheſina anathematizante fuerant condemnati, & Imperiali lege prohibitum fuerat, ne quis eos legere auderet aut defendere, tunc cœperunt Diodori Tharſenſis, & Theodori Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopi, & aliorum Epiſcoporum, qui contra Eunomium & Apollinarem, unius naturæ Aſſertores, libros compoſuerant, duas in Chriſto oſtendentes naturas in una perſona, quod Neſtorius ſic non dixerat, circumferre volumina, & ſimpliciſſimos quoſque decipere cupientes, ajebant non ſapuiſſe nova Neſtorium, ſed antiquorum Patrum proſecutum fuiſſe doctrinam. Et in eo tantum ſtudii geſſerunt, ut ipſa eorum volumina malitioſè in Syrorum linguam, & Armeniorum, atque Perſarum transferrent. Sed hæc ubi agnoverunt Acacius Melitinenſis, & Rabbulas Edeſſenæ civitatis Epiſcopus, ſcripſerunt Armeniæ Epiſcopis, ne Theodori Mopſueſteni libros ſuſciperent, tamquam hæretici, & Authoris dogmatis Neſtoriani, inſimulantibus Epiſcopis Ciliciæ Rabbulam & Acacium, quod hoc non ex charitate, ſed ex æmulatione feciſſent.*

Liberatus non vidit has Epiſtolas. Etenim affirmat Acacium & Rabbulam ſcripſiſſe, ſeu ſua Synodica Decreta tranſmiſiſſe ad ſolos Armeniæ Epiſcopos. Item ſolos Cilicas inſurrexiſſe in Rabbulam. At verò ex hiſce litteris lucet, quod etiam Euphrateſii, immò & ipſe Antiochenus Joannes ſtatim inſurrexerint. Item quod etiam per Orientem iſti Damnatores ſua Decreta divulgaverint. Ejuſdem rei meminit Rabbulæ in Edeſſenam Eccleſiam proximus Succeſſor Ibas in famoſa Epiſtola ad Marim Perſidis Epiſcopum agens de Eccleſiarum poſt Epheſinam Synodum Diſcordiis: *Multi ante oculos non habentes Dei timorem, occaſione Eccleſiaſtici Zeli inimicitiam, quam occultam in cordibus ſuis habuerant, ad effectum perducere feſtinabant. Ex quibus unus exiſtit noſtræ Tyrannus civitatis, quem & ipſe non ignoras: Qui occaſione fidei non ſolùm viventes punit, ſed & hos etiam qui olim ad Dominum migraverunt. Quorum unus eſt Beatus Theodorus, veritatis Prædicator, & Doctor Eccleſiæ. Hunc auſus eſt, qui omnia præſumit, clarè coram Eccleſia anathematizare.* Ex quibus lucet Rabbulam, dum ſcribebatur hæc Epiſtola, adhuc vixiſſe: Epiſtolam eſſe ſcriptam ſtatim poſt dictum Theodoro anathema. Et hæc verba, *Qui non ſolùm viventes punit*, ſuadent inter iſtos punitos fuiſſe & ipſum Ibam,

tunc

tunc Preſbyterum. Hinc enim ſuum Epiſcopum Rabbulam appellat ſuæ civitatis Tyrannum. Cum ipſo fuerat Epheſi. At facta pace, noluit dogma aut cauſam Neſtorii deſerere: Hinc & ipſum Rabbulas punivit.

Ejuſdem rei meminit in libris contra Neſtorianos ac Eutychianos Leontius Scholaſticus Byzantinus: *Quid opus eſt dicere de Sancto Rhambulô, Epiſcopo Edeſſeno, viro, ut ajunt, Propheta? Cujus fiduciam atque confutationem poſtquam, qui tunc erant impietatis Theodori Sectatores, pati non potuerunt, poſt multa pericula illum dolo aggrediuntur, uni ex eis, qui latus erant, negotio commiſſo.* De eodem Rabbula ſcribit in ſecundo Collectaneorum libro Theodorus Lector: *Rabbulas Edeſſenus Epiſcopus tæcus erat. Andreas verò Samoſatenus eum accuſat, quod contra duodecim Capita Theodoreti ſcripſiſſet.* Theodorus manifeſtè legit præſentem Epiſtolam. Loquitur enim ex his ejus verbis: *Inſuper & qui illa, quæ ſcripſimus.* Cyrillianorum Capitulorum refutatio, quæ exſtat ſub omnium Orientalium Epiſcoporum nomine, eſt omninò opus Samoſatenſis hujus Andreæ. Hanc ergò ipſe queritur etiam fuiſſe damnatam & anathematizatam à Rabbula. Notanda ſunt verba: *Quæ ſcripſimus.* Nempe & ego & Theodoretus. Theodorus Lector has Capitulorum refutationes appellat Capitula. Eadem de re ad quintam Synodum dixit Benignus, Heracleæ in Pelagonia Epiſcopus, ac Eliæ Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopi Vicarius, oſtendens conſuetudinem, quæ Hæreticos etiam poſt mortem damnat, eſſe antiquiſſimam, & ſubjungens: *Hanc Eccleſiaſticam traditionem cuſtodiens & Rhambulas Sanctæ memoriæ Epiſcopus factus Edeſſenæ civitatis, qui in Sacerdotibus exſplenduit, Theodorum iſtum Mopſueſtenum etiam poſt mortem in Eccleſia anathematizavit propter impia ejus Conſcripta, ſicut teſtimonium præbet etiam Epiſtola, quæ ab Iba ad Marim Hæreticum Perſam ſcripta eſſe dicitur.*

Rationes, quæ Rabbulam permoverunt, illuſtrat in litteris ad Joannem Antiochiæ Patriarcham Sanctus Cyrillus: *Optamus ut omnes res ſuas agant, atque turbas Eccleſiis excitent, jam per Chriſti gratiam, & Doctorum ubique terrarum vigilantiam ſedatas. Cæterum qui cum Neſtorio aliquando ſenſerunt, nunc verò ex animo reſipiſcentes à nugis illius diſcedunt, eantaque voluntate rectam & integram fidem complecti proponunt, eos placidè ſuſcipere oportet, nec illorum cuiquam præteritorum culpa convitium facere. Illud tamen vos, tamquam fratres, & Magiſterii ſocios, obſecramus, ut Clericis veſtris præcipiatis, ne alia loquantur, præſertim in Eccleſiis, præter ea, quæ vera ac probata, & benè ſe habere judicata ſunt, ſed potiùs ut rectæ fidei confeſſionem ſequantur: Maximè verò ne facilè ad ſermones de ejuſmodi rebus proſiliant. Quod ſi qua neceſſitas coegerit, eò quod aliqui in Myſteriis fidei ſint inſtituendi, nullo modo de fide ſermonem à rectitudine fidei deflectere ſinant. Quia verò omnes turbarum occaſiones per Sanctitatis veſtræ vigilantiam ſunt præcidendæ, propterea quæ in rem fore cenſebamus, hæc perſcripſimus. Si quibus ergò Clericis vel Monachis à nonnullis objiciatur, quod cum Eccleſiæ communicaverint, cum impio Neſtorio huc uſque ſentiant, his in Eccleſiis potiùs Audientia proponatur, & apud vos, qui illas regitis, eorum Dicta accuratè examinentur. Nam veroſimile eſt eos qui tales accuſare volunt, quaſi nemo ſermones illorum admittere ſuſtineat, apud extera Tribunalia tumultuari.*

Antiochena ac omnis Orientalis Eccleſia à Pauli Samoſatenſis, iſtic Patriarchæ, lapſu nunquam fuit plenè libera ab ejus Judaicis blaſphemiis. Hinc & Neſtorius ſtatim illic nactus eſt plurimos Sectatores. Sed & poſt Epheſinam Synodum, ac præſertim poſt factam Eccleſiarum pacem plurimi redierunt ad Eccleſiam, ac Neſtorium abjurarunt. Epiſcopi & Clerici ſunt recepti in ſuis honoribus. Quin & multi per conſuetos reconciliationis ritus redire noluerunt: Quaſi ſtantes ac innocentes permanſerunt in ſuo gradu, proteſtantes ſe nunquam fuiſſe Neſtorianos. Et de his Venerabilis Maximus, Antiochenæ Eccleſiæ tunc Diaconus & Archi-Mandrita, poſtmodò Patriarcha, Sanctum Cyrillum conſuluit. Cenſebat ipſis ſine conſueta pœnitentiæ Paratura non communicandum. At Sanctus Cyrillus ex diſpenſatorio pacis amore cenſuit oppoſitum. Interim iſtorum plures ſoli Neſtorii perſonæ valedixerunt, non ejus erroribus. Quin & ab ipſis in ſolemnibus ad Populum Tractatibus non abſtinuerunt. Et horum plenam correctionem Sanctus Cyrillus advertit difficilem. Hinc Patriarchæ Joanni ſuaſit, ut ipſis nullum de hiſce quæſtionibus Tractatum aut ſermonem permitteret: Excepta tamen Catechiſmi aut ſimilis inſtructionis neceſſitate. Erat diſpenſatoria medicina. Verùm & ipſa non plenè profuit. Hinc ad iſtius ſæculi annum trigeſimum quintum Imperator Theodoſius, exoptans Eccleſiis plenam pacem, omnes Neſtorii libros rigidiſſima lege prohibuit, & damnavit ad ignes. Et Neſtorianum errorem eſſe juſſit crimen læſæ, non ſolius Divinæ, ſed & humanæ Majeſtatis. Et tunc damnatæ blaſphemiæ Oſores cœperunt illius Sectatores non dumtaxat apud ſuum Patriarcham, aut Epiſcopales Synodos accuſare, ſed etiam apud Laica Tribunalia: Utpote crimen mixti fori. Quandoque ex pio zelo, quandoque ex invidia aut odio. Hinc doloſi hæreſeos dilectores ſunt converſi ad aliud conſilium. Decreverunt penitus tacere de Neſtorio. Quo tamen perſiſterent in ſuis ſenſibus, & tam Eccleſiaſticam, quam Imperialem cenſuram ac manum evaderent, Theodori Mopſueſtienſis nuper Epiſcopi, qui eadem ſapiens ac docens Neſtorio Magiſter fuerat, libros tranſtulerunt in varias linguas, ac per iſtas gentes diſperſerunt. Clamaverunt ſibi nihil eſſe cum Neſtorio, ſed ſe ſequi dogmata Theodori, viri paris & æqualis Magno Athanaſio, Magno Baſilio, Gregorio Nazianzeno, & iſtiuſmodi aliis Eccleſiæ Gigantibus. Et petulantia in dies crevit. Hinc igitur Rabbulas, ſuam Provinciam ſervaturus, anathematizavit Theodori non ſolummodò dogmata, ſed & perſonam. Synodaliter

liter ac ſolemniſſimè. Quod ipſum in ſecunda Armenia fecit Metropolita Acacins.

Eadem de re Sanctus Cyrillus ſcribit ad Lamponem Presbyrerum, & alios ſuæ Eccleſiæ Clericos: *Cum apud Æliam commorarer, vir aliqais ex his qui nobiliter militant in Palatio, Epiſtolam multorum verſuum & grandem mibi obtulit ſignatam, quam ſe dicebat accepiſſe ab Antiochenis Orthodoxis. Subſcriptiones autem erant in ea plurimorum Clericorum, & Monachorum, & Laicorum. Accuſabant autem Orientales Epiſcopos, quaſi tacentes quidem Neſtorii nomen, & diſſimulantes eum averſari, tranſilientes autem ad Theodori Codices de Incarnatione factos, in quibus multò pejores Neſtorii blaſphemiis poſitæ ſunt. Pater enim fuit Neſtorii perfidiæ, & illius mala locutus, impius in his factus eſt, in quibus modò eſt. Et ſcripſi quidem Reverendiſſimo Epiſcopo Antiocheno, ut Theodori impia dogmata nemo in Eccleſia loquatur. Accedens autem ad Alexandriam Reverendiſſimus Diaconus & Archimandrita Maximus plurima inclamavit in Orientales, dicens Orthodoxos nullum ibi locum habere, nec fiduciam loquendi de recta fide. Dixit verò, quod confingunt quidem confiteri Symbolum Niçæ expoſitum à Sanctis Patribus, malè autem illud interpretantur. Et adhortatus eſt omnem expoſitionem Niçenæ Synodi interpretari planè, ut non ſubripiant quoſdam alia pro aliis exponentes. Quod & feci.* Doloſæ vulpes clamabant ſe inſiſtere Nicæno Symbolo; idque juxta expoſitionem magni Theodori, ac propterea ſeſe nequaquam Neſtorianos eſſe, ſed plenè Orthodoxos. Eſt antiqua ipſius Neſtorii cantilena. Etiam totius Factionis, quam apud Epheſum fovit Patriarcha Jnannes. Et ipſam acceperat à Berrhæenſi Acacio. Ex his diſcimus, quod venerabilis ille Diaconus & Abbas Maximus non ſolummodo ad Sanctum Cyrillum ſcripſerit, ſed etiam Alexandriam acceſſerit. Scripſit ſtatim poſt initam pacem, inquirens modum, quo Neſtorianos oporteret ac expediret recipere in Eccleſiam. Acceſſit poſt vulgatos Theodori libros. Et tunc induxit Sanctum Cyrillum ad commentandum Nicænum Symbolum. Ex quo lucet iſtius Scripti occaſio ac tempus. Lampo Presbyter eſt omninò idem ille Presbyter ac Monachus, qui Sancti Cyrilli ac Neſtorii primas lites ſtuduit componere, illorum ultro citroque litteras deferens. At quæſtio eſt, quomodo Sanctus Cyrillus ſe ſcribat hoc tempore fuiſſe apud Æliam? Quis credat illum tunc fuiſſe Hieroſolymis? Eſt mendum. Forſitan legendum ſit: *Helionopoli*.

Iſta igitur omnia conſiderans, & latiùs per omnem Orientalem Diœceſim, immò & per Armeniam ac Perſidem ſerpere videns, Venerabilis Rabbulas fecit ſequentia. Primò, ſeparavit ſe à communione Joannis ſui Patriarchæ, & omnium Epiſcoporum recipientium libros Theodori, aut ipſis faventium. Secundò, non dumtaxat libros, ſed & ipſam Theodori perſonam ſolemniter anathematizavit in Eccleſia. Et multa adversùs ipſum mala diffudit. Hoc eſt, adduxit multas rationes ſui anathematis. Tertiò, anathematizavit etiam omnes, qui deinceps Theodori libros legerint. Quartò anathematizavit & illos, qui Theodoreti Cyrenſis, aut Andreæ Samoſarenſis Epiſcopi legerent Scripta contra Capitula Sancti Cyrilli. Quintò, idem anathema inflixit illis, qui Theodori libros ſibi non deferrent comburendos. Non quovis modo ipſos comburi voluit, ſed per ſemet-ipſum. Eſſe certus voluit. Idem anathema inflixit illis, qui deinceps recalcitrarent Sancti Cytilli Capitulis. Et omnes ſibi non obedituros minatus eſt proſcribere extra ſuam Provinciam. Et abjuravit omnes Orientales Epiſcopos. Non ſimpliciter ſe diſcrevit ab illorum communione.

Notanda ſunt hæc verba: *Et mibi quidem videtur, quod in Conſtantinopoli ſuſcipiens litteras, quas nunc uſque ſuſtinuit, erupiſſet. Et impietatem, quam olim conceperat, clariſſimè peperiſſet.* Affirmat quod Rabbulas neque ex ſemetipſo ſolo, neque ex recenti conſilio iſtu fecerit: Quod antiqua fomenta habuerit, antiquas à Conſtantinopoli litteras, utique à Maximiano Epiſcopo. Quod ipſas dudum occultaverit, ac nunc tandem cœperit ex ipſis operari. Utique ſub Proclo, quem ſuo Anteceſſore Maximiano noverat longè ferventiorem contra Neſtoriana dogmata, ac potentiorem ſermone & opere. Quod tamen anathematizandi nominatim Theodori Mandata aut fomenta à Maximiano accepiſſet, non caret ſcrupulo. Etenim Epheſina Synodus, quæ Maximiano erat agendorum regula, dum Theodori damnavit Symbolum, noluit nomen exprimere, longè minus anathematizare perſonam.

Notanda ſunt & hæc verba: *Amici verò, qui perſecutionem ſuſtinent, interrogant nos, ſi oporteat jam ſeceſſionem fieri, & oſtendi fiduciam.* Reſpiciunt Edeſſenæ Eccleſiæ Clericos, qui damnabant Factum ſui Epiſcopi, ideoque parabant ab ejus communione ſe ſeparare. Et ab Andrea vicinæ Provinciæ Epiſcopo, & harum rerum peritiſſimo, poſtularunt conſilium. Et Andreas quæſtionem ex more retulit ad ſuum Metropolitam, ab ipſo deducendam ad judicium Synodi. Et inter iſtos Clericos omninò fuit Ibas Presbyter. Hinc enim in ſua famoſa Epiſtola Rabbulam appellat ſuæ civitatis Tyrannum. Ex eodem fonte Leontius Scholaſticus Byzantinus in libro de Sectis proponit hanc quæſtionem: *Cur Chalcedonenſis Synodus ab Iba non requiſivit, ut Theodorum anathematizaret? Cur ejus in qua Theodorum prædicat, ad Marim Epiſtolam recepit?* Et reſpondet: *Hoc potiùs de Sancto Cyrillo quæri debebat, quam de Synoda. Nam Sanctum memoriæ Cyrillum, cum nonnulli hoc ipſum quærerent, ut Theodorus anathemati ſubjiceretur, ad Proclum ſcripſiſſe conſtat, minimè Theodorum anathematizari debere. Nam Orientales, inquit, univerſi Theodorum pro magno Doctore habent. Quem ſi anathemati ſubjecerimus, in Orientalem Eccleſia diſſidium ingens excitabimus. Quorum unus eſt Ibas, qui eum anathematizari non patietur.* Fateor Ibam, dum iſta ſcripſit Cyrillus, fuiſſe Epiſcopum: Hinc interim lucet ipſum fuiſſe virum magnæ authoritatis. Theodoretus ſcribit

ipſum

ipſum fuiſſe in Divinis Litteris educatum à puero, & conſtantiſſimum in rebus aſperis.

Eædem virtutes reſplenduerunt etiam in Iba Presbytero. Hinc non ſolus Rabbulæ contradixit, ſed ſecum ab illo abſtraxit majorem partem Cleri. Etenim in Tyrio judicio dixit: *Eſt Clerus noſter nominum ducentorum plus minus, aut etiam plurium. Neque enim retineo numerum.* Ex his non niſi decem aut duodecim poſtmodò in ipſum recalcitrarunt, ipſumque deduxerunt primò ad Domni Patriarchæ Antiocheni Tribunal, deinde ad Delegatos à Principe Judices, hinc ad Ephesinum Latrocinium, ac tandem ad Chalcedonenſe Concilium. Et palmare accuſationis caput fuit læſa per Neſtorianam Hæreſim fides. Quod dixiſſet: *Non invideo Chriſto facto Deo. In quantum enim ipſe factus eſt, & ego factus ſum.* Et quod Beatum Cyrillum appellaſſet Hæreticum. Quod dixiſſet: *Bonæ memoriæ Cyrillum tamquam hæreticum habui, & donec anathematizaſſet ſua Capitula, non recepi eum.* Summa erat hic articulus: *Quia Neſtorianus eſt, & Beatum Cyrillum accuſavit Hæreticum.* Et hæc omnia probarunt non ſolummodo ex publicis ejus ad Clerum Tractatibus ac privatis hinc inde colloquiis, ſed etiam ex famoſa ejus Epiſtola. Quis non videat hæc omnia fundari in ejus Actis contra Rabbulam? Quod nempe noluiſſet anathematizare Theodorum, quod noluiſſet canonizare Sancti Cyrilli Capitula, quod noluiſſet damnare eorum Damnatores. Ibas ergo Rabbulæ facinus retulit ad Andream Samoſatenſem. Haud dubiè & ad Theodoretum. Hi enim duo ſingulariter invaſerant iſta Capitula. Et ab ipſis poſtulavit, an non oporteret, aut ſaltem expediret deſerere communionem Rabbulæ? Andreas conſuluit Alexandrum Metropolitam: Et licèt hujus non habeamus Reſponſum, non dubito quin ipſe probaverit omnia, atque ita ab ipſis inflammatus Ibas iſtud ſchiſma apud Edeſſam fecerit. Statim adducam Synodale Joannis Antiocheni ad Edeſſenam Eccleſiam Decretum in hæc verba: *Rabbula & Edeſſam perturbat, & omnes qui vicinas Provincias habitant Apoſtolicæ fidei valde contraria perpetrans. Et eos qui recta ſapere elegerunt, vertit in fugam. Unde compulſi ſumus Religioſitati veſtræ Epiſtolam deſtinare, ut ſi vera ſunt iſta, immunes vos ab ejus communione ſervetis, donec eum evocantes ad nos, &c.* Ibas igitur ſecum abſtraxit omnem Clerum præter iſtos decem aut duodecim, qui illum poſtmodò accuſarunt. Et iſti illum, utpote ſuum Ducem, poſt Rabbulæ mortem elegerunt in Epiſcopum. Pauci alii perrexerunt in ipſum grunire, tandemque proruperunt in apertam accuſationem.

An Rabbulas dato in Theodorum ac ejus libros anathemati ex Maximiani Conſtantinopolitani inſtinctu addiderit canonizationem Capitulorum Sancti Cyrilli, non poſſum firmus aſſeverare. Poſſit id feciſſe ex prævisæ contradictionis metu: Ex providentia & ſpe ſibi conciliandi auxilia Cyrilli. Poſſit utrumque attendiſſe. Quidquid ſit, præfata ſui Cleri rebellione, & natis

inde anguſtiis preſſus ac mœſtus omnia ad Sanctum Cyrillum retulit. Et ante omnia expoſuit ſui Facti rationes: *Jam verò quidam unitatem ſecundùm ſubſiſtentiam omnibus modis abdicant. Morbus enim aliquis ſublatens inveteravit Orienti, immedicabilis vulneris modo depaſcens Eccleſiæ corpus, & plurimos quidem latens, apud autem quaſi Studioſos & ſupercilia extollentes eruditione, latenter honoratus.* Uti adversùm Arii dolos Nicæna Synodus vocem, *Conſubſtantiale*, ita adversùm ſimiles Neſtorii technas Sanctus Cyrillus, ac per ipſum directa Epheſina Synodus, introduxerunt voces: *Unio ſecundùm hypoſtaſim.* Etenim Neſtorius profitebatur, immò plenis buccis crepabat *unitatem, unionem, conjunctionem.* At ſecundùm affectum, inhabitationem, parem honorem, ac æqualem authoritatem. Porrò Orientalium Epiſcoporum & Clericorum plures hoc Judaicum venenum fovebant clauſum in pectore, ideoque laudatas Sancti Cyrilli voces penitus averſabantur. Et certè ipſas in pacis Decreto nec Joannes Patriarcha obtulerat, nec Sanctus Cyrillus exegerat. Rabbulas rectè ſcribit fuiſſe inveteratum Orientis malum. Nempè iſtic plantatum à Paulo Samoſatenſi, & uſque tunc non evulſum radicitus. Addit ipſum ſemper vixiſſe in Theodoro, & ſparſum per ejus libros. Etiam originalem ac fundamentalem totius Neſtoriani erroris blaſphemiam, quæ Sanctam Virginem negat Dei-Param.

Quæ omnia Sancto Cyrillo graviſſimè diſplicuerunt. Hinc & firmiſſimè ſunt infixa ejus memoriæ. Omnia enim, quæ ſtatim audivimus ipſum ad Joannem Patriarcham & alios ſcripſiſſe de latenter apud Orientem reſtante ac graſſante Neſtorii errore, videtur hauſiſſe ex hac relatione Rabbulæ, ac alia Archi-Mandritæ Maximi. Ejus mentem graviſſimè momordit pertinax abnegatio Sacroſanctarum vocum: *Unio ſecundum Hypoſtaſim.* Penetrabat enim iſtud peſſimæ iniquitatis myſterium. Hinc reſcripſit Rabbulæ, ac in ſuo Reſcripto laudavit ejus *incomparabilem alacritatem ac inexpugnabilem confidentiam.* Et adjunxit: *Sicut verò ſollicitos optimè gubernare, non in ſerenitate navigare, ſed in tempeſtate poſſe navem ſervare, probatiſſimos declarat; ſic etiam fortitos Eccleſiæ præſidere, non omnimodò rerum ſerenitas claros demonſtrat, magis verò ſolertia in tribulationibus, & fortitudo, & patientia, & fortiter reſiſtere inſtabilibus Hæreticorum ſermonibus. Semper quidem tua ſplenduit Sanctitas, præcipuè autem modo, facta omnibus Orientalibus columna & firmamentum veritatis, ſicut & quemdam peſtiſerum morbum expellens, novæ & abominandæ Hæreſeos Neſtorii blaſphemiam. Nam procedit quidem ex altera radice, illius dico qui de Cilicia erat, iſta impietas. Arbitratus verò eſt, quod tenebit Orbem terrarum propter potentiam neſcio quomodo illi datam. Rapuit enim Sedem fortiſſimam, & factus eſt eibus Draconi multa capita habenti. Speravit verò etiam ipſe Sanctas Dei Eccleſias devorare, & omnes apprehendere. Et niſi nos ſalvaſſet Deus omnipotens, prævaluiſſet utique, quantum ad potentiam conatuum ejus pertinet, ſceleratasque concurſiones illorum, qui eum continent.*

Rabbulæ alacritas & confidentia fuit re vera incomparabilis & inexpugnabilis. Sanctus Cyrillus meritò affirmat ipſam fuiſſe robuſtam illam, immò & perfectam charitatem, de qua ſcripſit ad Romanos Sanctus Paulus Apoſtolus: *Qui nos ſeparabit à charitate Chriſti? An tribulatio? An anguſtia? An perſecutio? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius?* Et concludit: *Nihil enim intolerabile eſt eis, qui firmiter apud ſe ſtatuunt certamen fidei certare, curſum perficere, fidem ſervare, ut & incorruptionis mereantur coronam.* Plura ex his diſcimus. Primò, quod Rabbulas ob ſuum ſanctiſſimum ac glorioſiſſimum facinus inciderit in graviſſimas tribulationes. In tales, quæ Eccleſiæ regimen redderent difficillimum: Difficilius, quam navim inter marinas tempeſtates gubernare. Quia nempè major ac potior Cleri, adeòque & Populi pars deſerebat ejus communionem. Secundò diſcimus, quod Sanctus Cyrillus Rabbulæ facinus tunc in exordio penitus probaverit. Certum eſt illum inſigniter exultaſſe, quod ſua Capitula, in quæ Orientalis Diœceſis vomuerat tot anathemata, jam ibidem inciperent ſub anathemate canonizari. Hinc affirmat Rabbulam eſſe factum *omnibus Orientalibus Eccleſiis columnam ac firmamentum veritatis.* Et lucidè ac diſertè affirmat Theodorum eſſe radicem totius Neſtorianæ perfidiæ. Neſtorianos ſperaſſe, quod per hujus potentiam invaderent omnem Orbem terrarum. Quod per ipſum jam rapuiſſent fortiſſimam Sedem, per quam devorarent omnes Eccleſias. Quod ad illum ſceleratæ concurſiones fierent. Palam intelligit Antiochenam Eccleſiam. Rabbulas erat Silicernium, immò cæcus præ ſenio, ideòque videtur inter ac per has calamitates feſtinaſſe ac migraſſe ad meliorem vitam futuri ſæculi. Et in hoc tumultu Ibas eſt promotus ad ejus Cathedram.

Horum omnium tempus addiſcimus ex Theodoſii Imperatoris ad Leontium Præfectum ſcripta lege, qua Neſtorium Simoni Mago, & ejus Sectatores Simonianis æquiparat, ac iſto infami nomine nuncupandos ſanxit, *ut cujus ſcelus ſunt in deſerendo Deo imitati, ejus vocabulum jure videantur eſſe ſortiti.* Legis occaſio fuit nefarii Neſtorii audacia, qui Synodaliter degradatus, ac per Principem deportatus, non deſiit adversùs Sacro-Sanctam Epheſinam Synodum libros ſcribere, & ubique diſpergere. Eos omnes lex vetat legi aut deſcribi, mandat inquiri ac exuri. Data eſt trigeſimo quinto iſtius ſæculi anno 3. die Auguſti. Tunc igitur occulti Neſtorianæ blaſphemiæ fautores verterunt ſe ad alia conſilia: Cœperunt Theodori libros in Syriacam, Armeniam, ac Perſicam linguam transferri, ac ſeminare per iſtarum Gentium Provincias. Ita ſemetipſos conſolari, ac ſtabilire ſuam hæreſim. Quæ omnia videntur intra annum non potuiſſe fieri. Quapropter feſtivitas, ante cujus inſtantis lapſum Andreas Samoſatenſis ſcripſit non potuiſſe celebrari Synodum, omninò videtur fuiſſe Paſcha anni trigeſimi ſeptimi. Eſſe non potuit Dominica Nativitas. Etenim Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter in quadam homilia diſertè affirmat iſtam feſtivitatem in Orientali Diœceſi non incepiſſe, niſi à viginti annis. Quare hoc tempore videtur necdum fuiſſe tanta, ut poſſet impedire ac ſuſpendere Synodos. Porrò Rabbulas ſuum facinus non patravit ſolus, ſed cum Synodo ſuæ Provinciæ. Et ſimilium Synodorum tempus juxta Nicænum Canonem erat ante Quadrageſimam Paſchæ: Et iſto anno Paſcha incidebat in diem undecimam Aprilis, ideòque Quadrageſimæ exordium, quod hodie dicimus diem Cinerum, erat 24. Februarii. Proinde iſta Rabbulæ Synodus fuit circa medium ejuſdem menſis. Antiochena Joannis Patriarchæ Synodus fuit facta poſt Paſcha. Eodem tempore Rabbulas Alexandriam ad Cyrillum ſcripſit, & accepit ejus Reſcriptum. Ad eundem Cyrillum ſcripſit Joannes Patriarcha, & contra hunc venerabilis Maximus, Diaconus & Archi-Mandrita, acceſſit Alexandriam. Joannes ſcripſit etiam ad Imperatorem Theodoſium, & ad Sanctum Proclum, Regiæ civitatis Patriarcham. Et Reſcripta accepit. Ad eundem Proclum ſcripſerunt, & Reſcriptum acceperunt Armeniorum Eccleſiæ. Et plura alia intercurrerunt. Egregiè feſtinatum eſt, ſi unicus annus omnia expleverit. Et inter has turbas venerabilis Rabbulas obiit. Certè vix ante exordium anni trigeſimi octavi. Quare ante hoc tempus Ibas non poteſt fuiſſe Epiſcopus.

Titulus, qui Samoſatenſem Andream inſcribit *Sanctæ memoriæ venerabilem*, eſt ab Irenæo. Longè aliud ſcribit venerabilis, per Jacobum Gretzerum vulgatus, Anaſtaſius Sinaita. Refert Andreæ contra quartum Sancti Cyrilli Capitulum calumnias ac invectivas, & ſubjungit: *Audiſtis, Fratres, Draconis nequiſſimi Andreæ convitia, quæ ex pectore Neſtoriani veneni pleniſſimo adversùs Sapientiſſimum Doctorum Cyrillum eructavit.* Anaſtaſio huic magnas debemus gratias: Cap. 22.
Quoniam nos docet ab iſto Andrea fuiſſe conſcripta duo opera contra Sancti Cyrilli Capitula. Hoc enim, cujus hìc adducit verba, eſt penitus aliud ab illo, quod Andreas ſcripſit ſub Orientalium Epiſcoporum nomine. Et hinc in Conſtantinopolitana collatione dixit Hypatius Epheſinus Epiſcopus: *Sanctus Cyrillus in expoſitione duodecim Capitulorum adversùs Theodoretum & Andream ſcribens, qui contra eadem Capitula ſcripſerunt, ſed nec adversùs Orientale Concilium, quod illi Arii vel Apollinaris opinionem impoſuiſſe viſum eſt, &c.* Diſtinguit tres Capitulorum hoſtes ac impugnatores: Theodoretum, Andream, ac Orientale Concilium. At verò hujus Concilii Scriptum eſt etiam ab Andrea. Hinc enim in litteris ad Joannem Conſtantis Auguſti Cubicularium, quæ de rectis Eccleſiæ dogmatibus ſunt adversùs Severum Eutychianiſtam, ſcribit Sanctus Abbas ac Martyr Maximus: *Sanctus Cyrillus in Apologia adversùs Andream, qui tertium ejus Capitulum reprehenderat, ſic ait.* Adducit verba exſtantia in Sancti Cyrilli Apologia adversùs reprehenſiones Orientalium. Rem

illu-

illuſtrat Marius Mercator : *Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Apologeticus pro duodecim Capitulis adverſùm Orientales Epiſcopos, quorum nomine Andreas Samoſatenus objectiones ſcripſerat*. Hinc Hypatins Andreæ Scriptum diſtinguit contra Scriptum Orientalium : Qnod nempè unum ex totius Factionis nomine, aliud ſcripſiſſet ex nomine proprio. Iſtud ante, hoc poſt Epheſinam Synodum : Immò poſt ſcriptum à Sancto Cyrillo Apologeticum adversùs Theodoreti calumnias. Lucet ex his ejus, apud Anaſtaſium Sinairam exſtantibus, ad Cyrillum verbis : *Quomodo cum Theodoretus duodecim Capitula tua refutare aggreſſus eſſet, nunquam defendiſti id, quod de hujuſmodi hypoſtaſibus in tertio Capitulo aſſeveras?* Cyrillum arguit, quod Theodoreto reſponderit, ſed non ad ſingula. Quod quædam diſſimulando ſubterſugerit. Et binc diſcimus Andream ab illa infirmitate, quæ ipſum ab Epheſini Concilii acceſſu prohibuit, ex integro convaluiſſe. Exſtat Theodoreti ad ipſum Epiſtola, hæc ha-
Cap. 24. bens: *Qui mihi, Domine, felicitate tua eſſe poſſit amabiliùs?* Hæc, uti & aliæ plures evincunt ipſnm ſupervixiſſe uſqne ad completam Eccleſiarum Pacem. Attamen dum Irenæus ſcripſit ſuam Tragœdiam, ille erat deſunctus. Hinc ipſum appellat venerabilem beatæ memoriæ. Et Epheſino Latrocinio adſuit ejus Succeſſor Ruffinus. Proindè labitur Sanctus Theophanes, in Chronicis aſſirmans Andream ſuiſſe degradatum à Latrocinio. Quod in Notis ad Theodori Lectoris ſecnndum librum Henricus Valeſius debuerat advertere : Et Theopbanis teſtimonio præferre Acta Synodalia. Anaſtaſius Sinaita Andream inſuper appellat *execrandum*. Per exceſſum. Etenim & ipſe, & Theodoretus, licèt çirca Sancti Cyrilli Capitula ballucinarentur, ſuerunt tamen Orthodoxi, pacem admiſerunt & Orthodoxè dormierunt in Eccleſia.

At verò non ſolus Rabbulas in Theodori dogmata ac perſonam dixit Anathema, ſed etiam Acacius Melitinenſis Epiſcopus, Metropolita ſecundæ Armeniæ. Haud dubiè fecit Synodaliter. Verùm Synodns non ſuit nnanimis. Et-
Cap. 10. enim Liberatus Carthaginenſis addit : *Congregati ſunt ergo in unum Venerabiles Armeniæ Epiſcopi, & miſerunt duos Presbyteros, Leontium & Aberium, ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſecundùm morem cum libellis ſuis, & uno volumine Theodori Mopſueſteni, ſcire volentes, utrum doctrina Theodori, an Rabbulæ & Acacii vera eſſe probaretur*. Proindè iſti Epiſcopi ſecerunt etiam Synodnm. Et quidem ſoli ſine Metropolita. Quia contra ipſnm. Iſtiuſmodi Conventuum ſunt plnra exempla. Eidem Epiſcopi, & Joannes Patriarcha Antiochenus, & Andreas Samoſatenſis ad huic anathemati recalcitrandum videntnr ſuiſſe moti à ſecundæ Ciliciæ Epiſcopis, de quibus idem Liberatns : *Inſimulantibus Epiſcopis Ciliciæ Rabbulam & Acacium, quod hoc non ex charitate, ſed ex æmulatione atque contentione feciſſent*. Etenim Mopſueſtia, cujus Epiſcopatum Theodorus geſſerat, erat in ſecunda Cilicia.

Æmnlationis & contentionis fundamentum exponit in ſamoſa ſua Epiſtola Ibas, Rabbulæ Succeſſor, de ipſo dicens : *De libris Theodori multa ubique perſcrutatio facta eſt, non quia à vera fide exiſterent alieni, vidi enim Rabbulam, adhuc illo vivo, frequenter eum laudantem, & in libris ejus legebat; ſed propter inimicitiam latentem, quam adversùs eum habuit, quoniam manifeſtè eum convicit in Synodo*. An hæc vera ſint, ignoro. Item ignoro, an Liberatus ſolum Rabbulam notet, an etiam Acacium. Ejuſdem Liberati verba, *Secundùm morem*, videntur laudare morem Armeniæ Eccleſiæ, immò totius Ponticæ Diœceſeos, jam pridem referentium ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Nempe à tempore Sancti Joannis Chryſoſtomi, qni & iſtam Diœceſim tentare cœpit, ideoque dnta fuit paſſus à Cæſaræenſi Exarcho Helladio. Et Præfati Epiſcopi nolebant ad Firmnm Exarchum recurrere. Qnod nempe Sancto Cyrillo adhærens, potentiſſimè adverſaretur Neſtorio, ideoque & Theodoro.

Relatio periit aut latet. Nec enim eſt iſta, quæ in quarta quintæ Synodi Collatione exſtat ſub hoc titulo : *Ex libellis porrectis à Presbyteris & Diaconis, qui tranſmiſſi ſunt ab Epiſcopis, & Clericis, & Monachis, & cæteris magnæ Armeniæ, & Perſidis, & aliis gentibus, Proclo Sanctiſſimo Epiſcopo Conſtantinopolitanæ civitatis*. Harum Relationum patenter ſunt plura diſcrimina. Iſta per ſolos duos Presbyteros, hæc delata ſuit per Presbyteros & Diaconos. Iſta miſſa fuit à ſolis quibnſdam ſecundæ Armeniæ Epiſcopis, hæc ab Epiſcopis, Clericis, Monachis, & cunctis fidelibus totius Armeniæ, Perſidis, ac aliarum gentium. Iſta quaſi pro Theodoro, hæc patentiſſimè contra illum. Eum enim inſcribit hominem peſtiferum, immò potius feram, habentem Diabolicam formam hominis. Laudat priorem relationem, à ſuis factam ad Sanctnm Cyrillum. Item memorat extracta è Theodori libris Capitula. Proinde eſt manifeſtè alia, & poſterior.

Ad iſtam igitnr priorem relationem Proclns mox reſpondit per ſuum famoſum Tomum. Etiam ipſe totus oderat Neſtorium, ac ejns dogmata. Nam primus invaſit ejus blaſphemias, apertè & frequenter in ipſas concionatus. Nec timuit ab Hæreſiarcha damnari aut relegari. Licet enim iſtic inter Presbyteros degeret, erat tamen ab illius Anteceſſore Siſinnio conſecratns in Epiſcopum Cyzicennm. Aſt à Populo non admiſſus redierat Conſtantinopolim, & illic tamquam Vacantivus Epiſcopus degebat inter Presbyteros. Et hinc Neſtorius, qui cunctos adversùm ſe prædicare auſos Presbyteros privavit gradu & civitate, crudeles manns non præſumpſit in Proclum extendere. Et hinc ille jam Epiſcopus & Patriarcha, videns hæc omnia non pro ſolo Theodoro, ſed etiam pro Neſtorio agitari, in ſuo Tomo acerrimè confixit Neſtorinm : Et licèt non expreſſerit, tamen ſtabilivit Sancti Cyrilli Capitula. Præſertim duodecimnm. Tomo enim inſcripſit

hunc, contra quem poſtmodò Neſtoriani tot horrendas concitarunt turbas, articulum: *Unus è Trinitate eſt incarnatus & paſſus*. Configit palmares Neſtorii articulos, ſcribens eſſe Judaicos errores. Attamen de Theodori nomine penitus tacuit: Et Armenios in Tomi fine obteſtatus eſt, ut Nicæno Symbolo, Magno Baſilio, Gregorio Nazianzeno, aliiſque Eccleſiæ Patribus, iſtud Symbolum rectè intelligentibus, conſtanter adhærerent. Quæ omnia implicitè tendunt in Theodorum. Proclus enim noverat Epheſinam Synodum, licèt Theodori Symbolum damnaverit, abſtinuiſſe ab ejus nomine: Ab hac diſpenſatione noluit etiam in ſuo Tomo recedere, aut ſcabroſis Acacii quæſtionibus ſe miſcere. Et ſuum Tomum non ſolummodò ad Armenios miſit, ſed etiam ad Joannem Antiochiæ Patriarcham, alioſque Orientales Epiſcopos.

Fecit hoc ob duas cauſas. Primò, quod Mopſueſtia ac ſecunda Cilicia eſſent in iſta Diœceſi, ideoque Joannes de Theodori cauſa baberet plenam notitiam. Deinde, quod per Acacii Factum metueret turbandam, tunc adhuc novellam, Eccleſiarum pacem, ideoque cenſuit iſtis Epiſcopis non irritandum ſtomachum. Ex hac etiam cauſa forſitan diſpenſavit ſermones ſuos in judicio, & Theodori nomen tacuit. Et hæc diſpenſatio Joanni ac ejus Epiſcopis fecit animos ad defendendum Theodorum. Ad invadendum Rabbulam. Acacius enim erat extra Joannis poteſtatem. Tomus ſcribitur datus ad quintum decimum Theodoſii, & quartum Conſulatum Valentiniani. Eſt iſtius ſæculi annus trigeſimus quintus, in quo ad Nonas Auguſti prodierat Auguſta lex adversùs Neſtorium. Non reſtabant niſi quinque menſes in iſto anno. Quomodò interim potuerint Theodori Scripta verti in linguam Syriacam, Armeniam, & Perſicam, ſpargi per iſtas Gentes, fieri Rabbulæ & Acacii Synodus, fieri alia ſine Metropolita Synodus Armeniorum Antiſtitum, referri Conſtantinopolim, & hinc reſcribi per Patriarchalem Tomum, certè non capio. Et ſupra claruit Rabbulæ Synodum fuiſſe factam ante Quadrageſimam, ideoque non niſi anno trigeſimo ſexto. Permitto hæc aliis judicanda. De hac re ſcribit ad laudatum Proclum Sanctus Cyrillus. Affirmat omnes Neſtorii verboſitates jam ceſſare apud Orientalem Diœceſim, eſſe iſtic multam tranquillitatem, & ipſam in dies creſcere, & adjungit: *Nunc verò, ſicut ſcribit ad me Dominus meus, Sanctiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Joannes, initium apud ipſos alterius tempeſtatis ſurrexit, & plurimus eſt timor, ne forſitan quidam inſtabiles ad priora revertantur. Dicunt enim quoſdam ad magnam illam civitatem*, Conſtantinopolim, *perveniſſe, deinde interpellaſſe Piiſſimos & Chriſtianiſſimos Imperatores, & poſtulaſſe per Divinam eorum Sanctionem anathematizari libros Theodori Mopſueſteni, ipſumque memoratum virum. Magnum verò ejus nomen eſſe per Orientem, & mirificari nimium Conſcripta ejus. Et ſicut dicunt, contriſtantur omnes, quod vir nobilis, & defunctus in communione Eccleſiarum, anathematizetur*. Hæc Epiſtola non eſt ſcripta ſtatim poſt intellectum à Sancto Cyrillo Factum Rabbulæ & Acacii, ſed poſt aliquod intervallum. Etenim tunc Cyrillus omninò probabat anathematiſmum, hìc verò penitus improbat. Interim iſte quorumdam ad Principem acceſſus eſt vetuſtior. Exiſtimo fuiſſe Legationem Acacii. Erat Principi notiſſimus. Etenim Chalcedone coram ipſo cum Orientalium Legatis diſputarat, & poſtea cum Synodi Legatis fuit introductus in Regiam civitatem, conſecravit Maximianum Epiſcopum, & ibidem interfuit non modicæ Synodo. Igitur audiens ſuos Epiſcopos ſuo in Theodorum Decreto recalcitrare, & deſtinaſſe Legatos ad Patriarcham Proclum, ipſe legavit ad Imperatorem Theodoſium, & inſtitit ſuum anathema per Auguſti brachii authoritatem roborari. Et tandem obtinuit.

Quod Sanctus Cyrillus Rabbulæ Factum in exordio plenè probaverit, non permittor dubitare. Scio illum quandoque declinaſſe in diſpenſationem, quæ ſola damnaret dogmata, non perſonam. Nam & in Epheſina Synodo fuerat uſus iſta clementia, anathematizans ſolum Theodori Symbolum, non perſonam. At dico ipſum medio tempore ſic fuiſſe diſpoſitum, non in exordio. In iſtam diſpoſitionem poſtmodò deſcendit propter preces quorumdam Orientalium Epiſcoporum. Diſertè hoc teſtatur Patriarcha Joannes, in datis ad ipſum litteris eandem diſpenſationem commendans, rogans firmari, & adjungens: *Hoc & tua Religioſitas diſpenſavit apertè in anterioribus litteris veſtris, ad ſatisfactionem quorumdam Venerabilium Coepiſcoporum noſtrorum. Quod & ipſum tuæ virtutis, tuæque ſapientiæ proprium eſt*. Cyrillum lucidè laudat, quod prioris ſententiæ rigorem in diſpenſationem tranſtulerit. Hoc idem profitetur ipſe Cyrillus in litteris ad Acacium Melitinenſem, qui Theodori etiam perſonam non minùs atroci, quam Rabbulas, anathemate damnarat: *Perlegi Epiſtolam tuæ Sanctitatis, ſcriptam ad Reverendiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Joannem, plurimæ plenam confidentiæ, ſimul & amoris Dei. Scripſi autem & ego tales ad ipſum Epiſtolas, ſed, ut videtur, pejora vincunt. Confingentes enim quæ Neſtorii ſunt odiſſe, alio iterum ea introducunt modo: Quæ Theodori ſunt admirantes, & certè æqualem, magis verò multò pejorem impietatis morbum habentia*. Confidentiſſima Acacii ad Joannem Epiſtola haud dubiè impetebat Theodori perſonam: Suſtinebat datum in ipſam anathema. Et Cyrillus affirmat ſe ſimilia ad Joannem ſcripſiſſe, ſed poſtmodò invaluiſſe pejora. Nempè non ex iſtis, ſed ex aliis Epiſtolis trahentia anſam & originem: Ex Epiſtolis diſpenſationem indulgentibus.

His enim Joannes abuſus permiſit ſuos populos clamare in Eccleſiis: *Creſcat fides Theodori. Sic credimus ſicut Theodorus*. Hæc ſunt pejora iſta, quæ palam non potuere ſequi ad iſtas confidentiæ plenas litteras. Quod ipſum lucet ex Cyrilli litteris ad Lamponem Presbyterum. Affirmat Orientalium Epiſcoporum à Neſtorii libris ad Theo-

dori

dori Codices tranſitum ſibi priùs innotuiſſe apud Helinpolim, & adjungit de iſtis Codicibus: *In quibus multò pejores Neſtorii blaſphemiis poſitæ ſunt. Pater enim fuit Neſtorii perfidiæ*. Hæc Cyrillus etiam ante Rabbulæ Factum de Theodoro cenſuit. Cur ad tempus receſſerit ab hnc judicio, dicetur inferiùs.

Sancti Procli Tomus, prout hodie exſtat, eſt mutilus. Ei deſunt Capitula, quæ ex Theodori libris decerpta ei ſuppoſuit ac ſubnexit. Item deeſt Mandatum, quo Tomum ſubſcribi ab omnibus juſſit, & Capitula anathematizari. Lucent hæc ex litteris, quas Sanctus Cyrillus iſta de re ſcripſit ad Acacium Melitinenſem, ad Theodorum Aocyranum, & ad Firmum Cæſareenſem in Cappadocia Metropolitam: *Proclus Tomo ſuppoſuit etiam Capitula quædam, collecta ex Theodori codicibus, quæ conſonantem Neſtorii perfidiæ intellectum habent, & adhortatus eſt etiam illa anathematizari*. Et ipſe Sanctus Proclus in litteris, quibus Ibam Edeſſenum compeſci & caſtigati juſſit, ſcripſit ad Joaonem Aotiochenum: *Ibas Neſtorii dementiam in tantam diligit, ut quædam Capitula, quæ ſuppoſita ſcripto ad Armenios Tomo direxi tuæ Reverentiæ, ſtulta ac profana conſtituta, & omni impietate plena transſerret Syrorum voce*. Ibam arguit, quod nec Tomo ſubſcribere, nec Capitula iſta anathematizare unquam voluerit, ideoque rogat illum ad iſta compelli, & ob priorem contumaciam caſtigari. Et in aliis, quarum fragmeota apud Facundum Hermianenſem exſtant, ad eundem Joannem litteris: *In Tomo directo ſubſcripſi, & illa Capitula, quæ ſubjecta ſunt, repuli, ut potè ſubtilitatem non habentia pietatis*. Et in exſtantibus ibidem litteris ad venetabilem Maximum, Eccleſiæ Antiochenæ tuoc Diaconum & Archi-Mandritam: *Admonui Tomum quidem ſubſcribi, Capitula autem ſubdita ſine nomine, tamquam non habentia ſubtilitatem pietatis, averti & abdicari*. Et adjungit: *Quomodò igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopſueſteni, & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt Capitulis ad anathematizandum?* Proinde Sanctus Proclus Tomn ſubnexuit Capitula, at ſine nomine: Et eodem modo, prout jacebant, juſſit damnari. Poſtmodò quidam ſuperſcripſerunt Theodori, Diodori, ac aliorum nomina, dixerunt Capitula eſſe iſtorum, & eorum etiam perſonas voluerunt percuti aoathemate. Quæ & qualia fuerint Capitula, non plenè conſtat.

Exiſtimo fuiſſe illa ſexaginta, quæ ſuo Conſtituto inſeruit, & anathematizavit Vigilius Pontifex. Validè hoc ſtabilitur ex ipſius data adversùm ſuos Cardinales Diaconos Ruſticum ac Sebaſtianum degradatoria ſeotentia, in qua dicit ad Sebaſtianum: *Dicta Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in Romana Urbe inter aliquos Codices reperiſſe, quæ confirmabas omni execratione & blaſphemiis eſſe completa*. Hæc palam videntur eſſe iſta ipſa Capitula, quæ Vigilius primùm ſuo Judicato, deindè ſuo Conſtituto inſeruit: Et antiquus ille Romanus Codex videtur omninò non fuiſſe alius, quam Tomus Sancti Procli, aut ſanè ſubnexa ei Appendix, continens Capitula. Certè in ſuo Conſtituto Vigilius eodem modo proceſſit, quo Sanctus Proclus in ſuo Tomo. Damnavit Capitula, nullam perſonam voluit ullo præjudicio taogere. Et hinc verè ſcribit Liberatus Diaconus: *Proclus in Tomo nullam fecit de Theodoro reprehenſionis mentionem*.

Quintæ Synodi Acta adjungunt: *Porrecta autem ſunt & ipſi Sanctæ memoriæ Theophilo*, Patriarchæ Alexandrino, Sancti Cyrilli Avunculo & Anteceſſori, *impia Capitula ex Codicibus Theodori*. An fuerint eadem, ignoro. Quidquid ſit præſentia Capitula Proclus non excerpſit aut collegit, ſed Melitinenſis Acacius, aut quis Act. 5.
ex ejus juſſu. Ita teſtantur Acta præſati quinti Concilii: *Porrecta ſunt autem & impia Capitula ex Theodori Codicibus Sanctæ memoriæ Proclo ab Armeniis*. Hi igitur collegerunt, Proclus ſuo Tomo ſuppoſuit, & juſſit ab omnibus anathematizari. Aliorum Capitulorum Sanctus Cyrillus meminit in litteris ad præfatum Acacium: *Inſpectis Theodori ac Diodori libris poſui aliqua Capitula, & quo potui modo, contradixi eis*. Hæc ſunt manifeſtè alia Capitula: Nempè illa, quæ Sanctus Cyrillus reſutavit io ſuis libris contra Theodorum ac Diodorum. Quædam exſtant in quinta Syoodo.

Occurrunt duæ quæſtiones. Prima eſt, An Rabbulas & Acacius damnaverint omnia & ſingula Theodori Scripta, an dumtaxat aliqua? Fuerunt longè plurima. Eteoim Joannes Antiochenus in litteris, quibus Sancti Procli Tomum probavit, ſcribit ad eundem Proclum: *Beatus Theodorus quinque & quadraginta annis clarè in doctrina perfulſit, & omnem hæreſim expugnavit, poſt multa certamina, & poſt decem millia libros adverſum hæreſes conſcriptos*. Epiſtolæ fragmentum exſtat apud Facundum Hermianenſem. Iſtud ipſum Joannes confirmat in litteris ad Sanctum Cyrillum: Theodorus *agonibus adversùm Arianos, & Eunomianos, & alios hæreticos decem millibus per omnem ſuam vitam ubique decoratus*. Hujus etiam Epiſtolæ fragmentum nobis cuſtodivit idem Facundus. Quinta Synodus nobis cuſtodivit memoriam ac fragmenta librorum contra Apollinarium, librorum de Incarnatione, librorum ad Baptizandos, librorum contra Synuſiaſtas, librorum de creatura, & aliorum. Photius in Bibliotheca memorat ejus viginti quinque libros contra Eunomium, Apologeticus pro Sancto Baſilio. Et ſeptem libros ſub hoc titulo: *Interpretatio Geneſeos*. Et tres alios contra Eunomium neſcio cujus loci Epiſcopum. Et quinque libros contra aſſerentes peccare hominem natura, non voluntate. Peſſimos fontes non ſolius Neſtorianæ, ſed & Pelagianæ hæreſeos. Poſſint fuiſſe iidem cum libris, quos quinta Synodus inſcribit de creatura. Sanctus Abbas & Martyr Maximus in litteris, quas adversùm Heraclii Imperatoris Ectheſin ſcripſit ad Stephanum Doreoſem Epiſcopum, citat ſecundum ejus librum de Chriſti Domini Miraculis. Alios inſuper ejus libros invenias apud alios. Videri poſſit etiam Lateranenſis

Synodus

Synodus Sanctì Martini Pontificia.

Quæſtio igitur eſt, An omnes iſtos libros Neſtoriani tranſtulerint in alias linguas, & per gentes diſſeminaverint? Et an Rabbulas & Acacius ſimiliter omnes anathematizaverint? Aliqui volunt anathematizatos fuiſſe ſolos libros de Domini Incarnatione. Etenim de hac re ſcribens ad præfatum Acacium Sanctus Cyrillus memorat ſolos *libros quos Theodorus non de Incarnatione Unigeniti ſcripſit, ſed magis contra Incarnationem*. Etiam in litteris ad Lamponem Presbyterum ſcribit Orientales Epiſcopos accuſari, quod ſe à Neſtorii Scriptis *ad Theodori Codices de Incarnatione factos tranſtuliſſent*. Et in libellis, apud quintam Synodum exſtantibus, quos Sancto Proclo obtulerunt, Armeniæ ac Perſidis Presbyteri ac Diaconi ſimiliter iſtos ſolos libros impetunt. Et in præſenti Epiſtola Andreas Samoſatenſis affirmat Rabbulam dixiſſe anathema in omnes, qui Theodori codicem non portarent ad combuſtionem. Notanda eſt vox, *Codicem*. Adverſam tamen partem ſuadet quinta Synodus, quæ non ſolos de Domini Incarnatione, ſed & plures alios Theodori libros demonſtravit eſſe plenos Neſtoriana ſcabie, ideoque & anathematizavit. Reſpondeo eſſe rem incertam. Neſtorii fautores videntur ſolos de Incarnatione libros divulgaſſe, ideoque etiam Rabbulas & Acacius iſtos ſolos damnaſſe. Quidquid ſit, pedetentim evulgati fuerunt etiam alii, ideoque & à variis Epiſcopis ac Synodis, tandemque à quinto Concilio damnati. Nam & Imperator Theodoſius in legibus, quibus inflictas Neſtorianis pœnas extendit ad Theodori Sectatores, damnavit omnes generatim ejus libros: *Nemo audeat ſacrilegos Codices ab eis compoſitos, maximè à Theodoro & Neſtorio, legere, aut poſſidere, aut ſcribere. Sed nec habent quis, aut legat, aut ſcribat Theodori Conſcripta*. Exſtant leges in quinta Synodo. Si tamen ſint authenticæ.

Secunda quæſtio eſt, An Rabbulas & Acacius ſolius Theodori libros & perſonam damnaverint, an etiam libros & perſonam Diodori Tharſenſis Epiſcopi? Hic enim fuerat Theodori Magiſter, eademque docuerat & ſcripſerat. Quæ omnia etiam in ipſo Eccleſia poſtmodò damnavit. Partem negativam ſuadet Liberatus Diaconus, nullam penitus de Diodoro mentionem faciens. Etiam præſatus libellus, quem Sancto Proclo obtulerunt Armeniæ ac Perſidis Legati, de ſolo loquuntur Theodoro. Item præſens Epiſtola Andreæ Samoſatenſis. Similiter Sancti Cyrilli Epiſtola ad Lamponem. Partem tamen affirmativam ſuadet Sancti Cyrilli ad Acacium Epiſtola: *Quoniam verò oportebat & contradictiones ſcriptas eſſe apud eos, inſpectis Diodori ac Theodori libris, quos ſcripſerunt, non de Incarnatione Unigeniti, ſed magis contra Incarnationem, poſui aliqua Capitula, & quo potui modo, contradixi eis, ubique declarans abominationis plenam eſſe Sectam eorum*. Etiam in prima ad Succeſſum Dio-Cæſaræenſem apud Iſauros Antiſtitem Epiſtola acriter invadit Diodorum, dicens fuiſſe Magiſtrum Neſtorii, & hunc ex ejus libris fuiſſe ſeductum. Etiam ſuas in Neſtorium leges Imperator Theodoſius pariformiter extendit in Theodorum ac Diodorum.

Quidam volunt etiam hanc rem eſſe dubiam. Etenim Liberati, de ſolo Theodoro ſcribentis, teſtimonium eſt debile. Quia is fuit conſtans Defenſor trium Capitulorum Chalcedonenſis Concilii, ad quæ non Diodorus, ſed ſolus ſpectabat Theodorus, ideoque & ille de hoc ſolo loquitur. Reſpondeo Andreæ Samoſatenſis teſtimonium eſſe firmum: Et ipſe Diodori non meminit. Habemus inſuper aliud longè firmius teſtimonium. Etenim in Synodali pro Theodoro ad Sanctum Proclum Epiſtola Joannes Antiochenus ad ipſum, & quædam præſertim ejus Capitula purganda affirmat ſimilia reperiri in Sanctorum Patrum libris, ideoque aut ipſum eſſe abſolvendum, aut iſtos ſimiliter anathematizandos: Et inter ipſos numerat Diodorum. Igitur hic uſque tunc erat immaculatus apud omnes, & non tactus à Rabbula. At verò poſtea eſt vocatus in idem judicium, eumdemque reatum. Exiſtimo quod Neſtoriani, videntes ſolum Theodorum ſibi non ſufficere, advocaverint & Diodorum, qui ſummæ authoritatis fuerat in omni Eccleſia. Hinc Orthodoxi etiam perrexerunt in ipſum, & curaverunt comprehendi in legibus Theodoſii. Quinta etiam Synodus illius meminit, attamen non damnavit. Ratio exponetur ſuo loco.

## CAPUT XLIV. —132

*Synodicum Decretum Joannis Antiocheni Epiſcopi, & reliquorum, ad Epiſcopos Oſrhoenæ Provinciæ contra eundem Rablulam, Edeſſenæ Civitatis Epiſcopum.*

A Multis & dignis fide viris ſubtiliter & integrè didicimus, quia honorandiſſimus Rabbulas & Edeſſam perturbat, & omnes qui vicinas Provincias habitant, Apoſtolicæ fidei valdè contraria perpetrans, & eos qui rectè ſapere elegerunt, vertit in fugam. Et multa molitur contra Orthodoxam fidem. Unde compulſi ſumus, hæc diſcentes à plurimis, veſtræ Religioſitati Epiſtolam deſtinare, ut ſi vera ſint iſta, quæ hic diffamantur à pluribus, immunes vos ab ejus communione ſervetis, donec eum evocantes ad nos, & integrè diſcutientes quæ ad eum pertinent, aut ignoſcamus ſatisfacienti, aut convictum ſubdamus ſatisfactionibus Regulæ. Oportet enim veſtram Deo Amabilitatem in fidei cauſa uti

Adn. Nor. Evocatio Archi-Epiſcopi ad Patriarcham.

ſa uti fiducia, qua & præter litteras noſtras veſtra Sanctitas utique uti potuerat: Quippè quæ in Divinis Legibus ante conſcripta eſt. Omnem Fraternitatem, quæ vobiſcum eſt, ego & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

## SCHOLION.

HOc Decretum nos docet plura. Primò, quod Andreæ Relationem Alexander Metropolita ad Joannem Patriarcham retulerit, & ad ipſum Joannes ſtatim cum Advenis in ſua civitate Epiſcopis decreverit, ut Edeſſenæ Eccleſiæ Clerici, ac Oſrhoenæ Provinciæ Epiſcopi conſtanter deſererent communionem Rabbulæ. Ex quo vides antiquum Canonem, mandantem ut Provincialis Epiſcopus non proximè ad Patriarcham, ſed ad ſuum Metropolitam, & hic ad iſtum referat, tunc viguiſſe in Orientali Eccleſia. Secundò docemur, quod non ſoli Edeſſeni Clerici, ſed etiam iſtius Provinciæ Epiſcopi fuerint adverſati Rabbulæ, & cauſam retulerint ad Joannem. Nempè cauſam habebant adverſùs ſuum Metropolitam, ideòque non habuerunt, ad quem referrent, niſi ipſum Patriarcham. Edeſſeni Clerici iſtud ipſum potuerant. Maluerunt tamen ex rationibus referre ad vicinæ Provinciæ Epiſcopum Andræam. Forſitan quod ejus etiam Scripta eſſent anathematizata per Rabbulam, ideòque meritò confiderent ipſum non defuturum propriæ injuriæ. Quin ex eodem principio invocaverint etiam T..eodoretum, videtur non dubitandum. Joannis tamen Decretum dirigitur ad ſolos Oſrhoenæ Provinciæ Epiſcopos, non ad Edeſſenos Clericos. Forſitan quod hi ad ipſum non retuliſſent. Ejus tamen oraculum haud dubiè acceperint per Andream ac Theodoretum.

Tertiò diſcimus, quod iſti, tam Epiſcopi quam Clerici, in ſua Relatione poſtulaverint, quomodo ſe deberent gerere cum Rabbula: An ejus communionem poſſent, aut etiam deberent deſerere? Ex quo addiſcimus octavi Concilii Canonem, mandantem ut nemo Epiſcopus aut Clericus antè Synodale judicium deſerat ſui Metropolitæ aut Patriarchæ communionem, eſſe antiquiſſimum, ideòque non inductum, ſed ſolummodò innovatum ab octava Synodo. Excipe tamen fidei cauſam. De hac enim Joannis Decretum adjungit: *Oportet in fidei cauſa uti fiducia, qua & præter litteras noſtras veſtra Sanctitas uti potuerat. Quippè quæ in Divinis legibus antè conſcripta eſt.* Nam in Epiſtola ad Titum ſcribit Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Porrò hoc Decretum eſt omninò Synodicum: Non à totius Orientalis Diœceſeos, nec à totius primæ Syriæ Synodo, ſed à Synodo ex ſolis advenis Epiſcopis. Hinc enim ſubditur: *Donec eum evocantes ad nos, &c.* Proindè Joannes ab Oſrhoenæ Provinciæ Epiſcopis, ab Alexandro Hierapolitano, ac forſitan ab aliis ejus Epiſcopis de graviſſimo hoc, & moram non ſuſt ınente malo admonitus, ſtatim convocavit præſentes ſibi Epiſcopos, & emiſit hoc interloquutorium Decretum, promittens in proxima Synodo evocare Rabbulam, ac definire. Proindè Decretum emanavit in Quadrageſima, circa Paſchale Feſtum, anno trigeſimo ſexto iſtius ſæculi. Etiam notanda eſt Rabbulæ conſtantia. Omnes ſibi adverſantes proſcripſit, & coegit ad fugam. Hinc Ibas illum ſcripſit ſuæ civitatis Tyrannum.

Hoc Joannis Decretum multia adverſùs Rabbulam fecit pro Theodoro generoſos animos. Et grandes per omnem Orientem motus. Et ipſos potenter adjuvit Armeniorum Epiſcoporum adverſùs Metropolitæ Acacii Factum recalcitratio, & Relatio ac Legatio ad Sanctum Proclum. Hinc enim Proclus fecit, quod in Proſphonetico ad Martianum Imperatorem ſermone dicit Chalcedonenſis Synodus: *Magnus Proclus Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia deſtinavit.* Et ſtatim infra: *Sapientiſſimus Joannes, Antiochenorum Epiſcopus, Hæreticorum Maledicta repellens, & Apoſtolicæ doctrinæ rectiſſimum dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, Sanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus Mundi regebat gubernacula, deſtinavit.* Quod & proprias ad Joannem litteras Proclus addiderit, affirmat Facundus Hermianenſis. Per ipſas poſtulavit aſſenſum in ſuum Tomum. Ita apud eundem Facundum ſcribit Joannes ad Sanctum Cyrillum. Tunc etiam factum puto, quod Sanctus Cyrillus ſcribit ad Melitinenſem Acacium: *Reverendiſſimus Diaconus & Archi-Mandrita Maximus ad me pervenit, & talem virum adſpexi, ſicut oportebat in longo tempore deſiderantem videre. Vidi verò Zelum ejus, & rectitudinem, & ſtimulum pietatis, quem habebat in Chriſto. Contriſtatum verò ita & plenum ſollicitudinis animum habet, ut & omnem laborem ſubire velit, quatenus Neſtorii perfidiam à partibus Orientis radicitus perderet. Perlegi verò Epiſtolam veſtræ Sanctitatis, ſcriptam ad Reverendiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Joannem, plurimæ plenam confidentiæ, ſimul & amoris Dei. Scripſi autem & ego tales Epiſtolas ad ipſum.*

Proinde etiam Acacius, quorumdam ſuorum Suffraganeorum recalcitrationem, ac ipſorum perfugium ad Joannem paſſus, ſcripſit ei litteras, plenas zeli & confidentiæ. Forſitan Leontius & Aberius Presbyteri, quos ſecundæ Armeniæ Epiſcopi ad Proclum legaverant, legati fuerunt etiam ad Joannem. Quidquid ſit, plenas zeli & confidentiæ litteras ad ipſum ſcripſit item Sanctus Cyrillus: Motus à Venerabili Maximo, qui Joannis pro Theodoro præparamenta noverat, & improbabat ex pectore. Apud Joannem & alios Orientales permanebat vetuſtus affectus in ſolum Nicænum Symbolum. Porrò ipſum Neſtorii Fautores ſperabant detorquere in ſua Senſa, ac ita ſub ejus verbis ſecuri latere. Hinc Sanctus Cyrillus pergit de Venerabili Maximo: *Cum me adhortatus eſſet Religioſiſſimus Diaconus*

Digitized by Google

*conus & Archi-Mandrita Maximus, ut interpretater fidei Symbolum, à Sanctis Patribus Nicææ congregatis expoſitum, ad hoc me contuli. Affirmat enim verſutè quoſdam ſimulare hoc & dicere, & ipſum ſequi, non tamen ad hoc cogitationes rectas habere, immò potius ea, quæ ſunt rectè & conſtanter dicta, ad id, quod ſibi videtur, detorquere.* Nempe ſectabantur expoſitionem, quam à Theodoro factam memorat ac damnat quinta Synodus. Et adversùs hanc Archi-Mandrita Maximus poſtulavit aliam, & Sanctus Cyrillus dedit. Quæ omnia ſimul juncta magnos motus concitarunt per omnem Orientalem Eccleſiam.

Et his excitatus Joannes fecit, quod apud Facundum Hermianenſem ſcribit ad Sanctum Cyrillum: *Convenientes ex unaquaque Provincia, quæ in Oriente ſunt Dei Gratia, in civitatem amabilem Chriſti Antiochiam, propter litteras Sanctiſſimi Epiſcopi, Domini Procli.* Haud dubiè & propter Sancti Cyrilli litteras. Erat plena totius Diœceſeos Synodus, à qua tamen aberant plures Epiſcopi, quos infra audiemus contumaciter recalcitraſſe adversùs Joannem, ob initam cum Cyrillo pacem. Ejus Sancita novimus ex Synodicarum litterarum fragmentis, quæ nobis idem Facundus cuſtodiit. Primum eſt ex litteris
L.1.C.1. ad Sanctum Proclum: *Tomum, qui ad Armenios factus eſt, à Reverendiſſimo noſtro Filio, Diacono Theodoſio, qui dignus eſt tuis diſpoſitionibus miniſtrare, ob eam quæ ei ſupra ætatem ineſt diligentiam, & perlegimus, & cum omni dilectione ejus fecimus mentionem. Faciebat autem nobis delectationem non pulchritudo compoſitionis ſola, neque argumentationum multitudo contra unamquamque Adverſantium partem pertractata, quantum ipſa Sacrorum dogmatum cautela ſimul & pietas.* Alte-
L.2.C.2. rum Fragmentum ex eadem Epiſtola eſt: *Non ſolum nos viventes tales calumnias ab his, qui conturbare volunt Eccleſias, continuò ſuſtinemus, ſed & qui bene de vita profectus eſt Beatus Theodorus, & quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulſit, & omnem hæreſim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab Orthodoxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc diſceſſum, & poſt multa certamina, & poſt decem millia libros adverſùm Hæreſes conſcriptos, & poſteaquam in conſpectu Sacerdotum, ac Imperatorum, & Populorum probatus eſt, periclitatur quæ hæreticorum ſunt ſuſtinere, & illis proximus prædicari.* Idem fragmentum Facundus adducit & in alio loco, &
L.8.C.2. ampliat: *Hæc nos confuſione & turbis compleverunt. Non autem nos ſolùm, ſed & Chriſtianos Populos, qui hæc cognoſcentes nullatenus ſine turba Eccleſiaſticas celebrationes impleri permittunt, ſed adverſùm nos ſeditiones faciunt, nec uſque ad auditum paſſi ſuſcipere, quod adversùs dormientes Patres meditabantur anathema: Et decem millia adverſùm nos mala minantur, ſi quid ab aliquo fuerit tale præſumptum. Sciat autem & hoc tua Sanctitas, quia Scripturas antiquorum Doctorum Eccleſiæ requirentes, decem millia talia & his ſimilia invenimus, qualia quidam malo more ex libris Beati Theodori colligentes, & corpus reliquum abſcindentes, tuæ obtulerunt Sanctitati.* Affirmat ſimilia Capitula, ſeu ſimiles propoſitiones reperiri in Sancto Ignatio, Sancto Euſtatio, Sancto Athanaſio, Nazianzeno, & Nyſſeno Gregorio, Magno Baſilio, Flaviano & Diodoro, Sancto Joanne Chryſoſtomo, Sancto Ambroſio, Sancto Amphilochio, Attico Conſtantinopolitano, ac aliis Patribus, ideòque ſi Theodorum tentemus anathematizare, & iſtos omnes fore anathematizandos.

Illa igitur Joannis Synodus Sancto Proclo, utpote Regiæ civitatis Epiſcopo, gratiſſimo ac potentiſſimo apud Imperatorem Theodoſium, ac profeſſo hoſti damnati Neſtorii, ex pectore placere ſtuduit, ideoque & ejus Tomum probavit per omnia. Rationem dat Liberatus Diaconus: *Proclus in Tomo nullam fecit de Theodoro reprehenſionis mentionem.* Etenim ſolam Neſtorianam luem eliminare voluit, de Theodoro cenſuit diſpenſatoriè tacendum. Hoc ſuum ſilentium ſperavit fore reſtauratoriam medicinam diſruptæ pacis. Et hinc Joannes Tomum libenter admiſit. Ejus porrò Synodica affirmat plura. Primò, quod in Orientali Diœceſi eſſent graves diſcordiæ, atque ita alter alterum accuſaret de Neſtorio. Archi-Mandritæ Maximi, nec non & Sancti Cyrilli de hac re querimonias ſupra audivimus. Acceſſit & ipſorum antea amiciſſimorum duriſſima, ac inferius videnda ſciſſura ob initam à Joanne cum Cyrillo pacem citra Capitulorum anathema, & cum admiſſa damnatione Neſtorii. Synodica ſecundò affirmat, quod iniquitas iſtic non ſteterit, ſed progreſſa ſit etiam in mortuos: In ipſum Theodorum, glorioſum Epiſcopum, qui per quadraginta quinque annos rexit Mopſueſtienſem Eccleſiam, ſcripſit decem millia librorum, omnes tunc graſſantes Hæreſes non oppugnavit ſolummodo, ſed & expugnavit, à nullo unquam vocatus in erroris ſuſpicionem, ac in Catholica communione tandem piè defunctus. Hujus non tantum dogmata, ſed & ipſam perſonam anathematizari Antiochena hæc Synodus cenſuit eſſe atrociſſimam totius Eccleſiæ injuriam: Et iſtum ſenſum conata eſt etiam Proclo imprimere.

Admirandum eſt, quomodò dicat Theodorum ac ejus dogmata à nullo unquam fuiſſe reprehenſa. Etenim quod ipſe in quadam ad Antiochenum Populum concione voci, *Dei-para*, detrahens fuerit horrendè invaſus, immò propemodum lapidatus, & compulſus ad ſolemnem palinodiam, Patriarcha Joannes optimè norat, ac non ita pridem ſcripſerat ad Neſtorium. Etiam non ignorabat quæ circa ſceleratiſſimum ejus Symbolum eſſent acta antè, & in, & poſt Epheſinum Concilium. Theodorus, uti Neſtorianæ tradux ac propago, ita Pelagianæ hæreſeos fuit primus Author: Primus abnegator originalis peccati. Ejus Presbyter Ruffinus hanc impietatem impreſſit Pelagio & Celeſtio. Julianus Eclanenſis Epiſcopus, Pelagianæ ſuperbiæ Goliath, à Sancto Celeſtino Pontifice ejectus

ex

ex Italia, ad ipſum confugit, & apud ipſum ſcripſit poſtremos octo libros adversùs Sanctum Auguſtinum. Et apud ipſum manſit uſque ad ejus mortem. Tunc Conſtantinopolim abiit ad ejus diſcipulum Neſtorium. Et quoties in ſuis Scriptis, ſanè frequentet, ad Orientalem appellavit Eccleſiam, intellexit hunc Theodorum. Theodorus etiam primus blaſphemavit Spiritum Sanctum nec ex Filio, nec per Filium, ſed ex ſolo Patre procedere: Niſi tamen hauſerit à ſuo Magiſtro Diodoro. Quomodò igitur facinoroſus tot monſtrorum genitor ac educator poſſit à nullo fuiſſe vocatus in reatum, aut ſaltem in ſuſpicionem erroris? Certè Joannis conatus ſibi ipſi non cohæret.

Notanda ſunt hæc Synodalis Epiſtolæ verba: *Qualia quidam ex libris Beati Theodori, malo more, colligentes, & corpus reliquum abſcindentes, tuæ obtulerunt Sanctitati.* Elucidant hæc Liberati Diaconi verba: *Poſt hæc autem, occaſione accepta, ſurrexerunt quidam Monachi ab Armenia, Apollinaris Sectatores, duo vel tres, ſicut refert Joannes Antiochenus in Epiſtola ſua, portantes excerpta Capitula, ut dicebant, ex libris Theodori Mopſueſteni, vel aliorum Patrum, qui illo tempore contra Apollinarem ſcripſerant, & intrantes Regiam civitatem, & multorum ſordidantes auditum, calliditate ſua omnia perturbabant.* Liberatus aſſerit Capitula ex Theodori libris non fuiſſe excerpta, niſi poſt hanc Antiochenam Synodum, & varios contra ejus Decreta conatus. Aſt Epiſtola docet fuiſſe duas Capitulorum collectiones, & primam ante hunc Conventum fuiſſe directam Proclo. Forſitan ab Epiſcopis ſecundæ Armeniæ. Forſitan ab Archi-Mandrita Maximo. Vel etiam ab ipſo Rabbula. Et quidem Joannes neſcivit expurgare articulos: Confeſſus eſt eſſe Neſtorianos. Addidit tamen exindè iſtud crimen non traduci in perſonam Theodori. Ob duas rationes. Primò, quod eſſent avulſi à totius libri corpore, ideòque aliam faciem & ſenſum hic præferrent, alium iſtic. Secundò, quod eſſent æquivoci, ac ad rectum & pravum ſenſum ambi-dextri, ideòque benignè interpretandi in Theodori favorem. Etenim tunc non Neſtorianis, ſed ſolis Apollinariſtis contra Orthodoxam veritatem litigantibus, Theodorus fuerat libeſiùs in adverſam partem, ac ſecurè locutus. Et imitatus ſupra laudatos Patres. Apud cunctorum libros affirmat reperiri ſimiles articulos. Propter quos ſi & ipſos Authores velis anathematizare, orbabis Eccleſiam iſtis luminibus. Proindè Joannes non iſta Capitula ſalvare ſtuduit, ſed ſolam Theodori perſonam. Et in præfatorum Patrum catalogo è Latinis laudat ſolum Ambroſium. Quia nempè illum ex tranſmiſſo nuper ad Principem per Martinum Mediolanenſem Epiſcopum libro credebat adverſari Capitulis Sancti Cyrilli.

Epiſtola conſtanter aſſerit Theodorum fuiſſe Epiſcopum per annos quadraginta quinque. Nam & in Synodalibus ad Imperatorem Theodoſium litteris diſertè ſcribit fuiſſe Epiſcopum per annos fere quinquaginta. Et iſti Synodo omninò adfuerit Theodoretus. Certè ipſiſſima harum Epiſtolarum Senſa inſeruit ſuæ hiſtoriæ: *Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, totius Eccleſiæ Magiſter, hæreticarumque omnium Cohortium debellator.* At verò adjungit: *In Epiſcopatu annos peregit ſex & triginta.* Eſt maniſeſtè mendum. Legendum eſt: *Sex & quadraginta.* Quia nempè quadrageſimum ſextum inchoavit. Eſt verò mortuus eodem anno, quo Theodotus Patriarcha Antiochenus: Vigeſimo ſeptimo iſtius ſæculi. Proindè eſt in Epiſcopum promotus quarti ſæculi anno octogeſimo ſecundo, aut primo, atque ita primo Conſtantinopolitano Concilio, quod hujus anni Idibus Juliis celebratum fuit, poſſit Epiſcopus interfuiſſe, & ſic per Diodorum Tharſenſem Epiſcopum, iſtic potentiſſimum, doloſè obtinuiſſe, ut in Symbolo de Spiritu Sancto dumtaxat poneretur: *Qui ex Patre procedit.* Hanc Epiſcopalem Theodori ætatem firmant & hæc præfatæ Synodicæ verba: *Theodorus honorem poſſedit, non à Sacerdotibus tantummodò, ſed à Sacratiſſimo Avo veſtro, dicimus ter Beato Theodoſio, qui in deſiderio viſionis viri factus, in Eccleſia ejus doctrinę fuit auditor, Magnus ille Imperator.* Affirmant Theodoſium Theodoro Epiſcopo per notabile tempus convixiſſe. Eſt verò mortuus quarto ſæculo ſub exordium anni nonageſimi quinti. Proindè Theodorus non nonageſimo quarto, ut aliqui volunt, ſed dudum antea fuit Epiſcopus: Per annos quadraginta ſex aut quinque.

Antiochena Joannis Synodus non ad ſolum Proclum, ſed inſuper ad Sanctum Cyrillum retulit ſua Acta & Senſa. Teſtatur hoc Facundus Hermianenſis: *Scribens etiam Beato Cyrillo ſupradictus Joannes cum eadem Synodo Orientis, ita ſe Tomum ipſum ad Armenios approbaſſe perhibuit.* Lib. 1. c. 1. Epiſtola latet aut periit. Ejus tamen ſubſtantiam utcumque novimus ex Sancti Cyrilli ad Sanctum Proclum litteris. Compendio exponit Epheſinæ Synodi Acta, natas exinde cum Orientalibus Epiſcopis lites, ac initam pacem, & proſequitur: *Nunc verò, ſicut ad me ſcribit Sanctiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Joannes, initium apud ipſos alterius tempeſtatis ſurrexit, & plurimus eſt timor, ne forſitan quidam inſtabiles ad priora revertantur. Dicunt enim quoſdam ad magnam illam civitatem perveniſſe, deinde interpellaſſe Chriſtianiſſimos Imperatores, & poſtulaſſe per Divinam ipſorum ſanctionem anathematizari libros Theodori Mopſueſteni, ipſumque memoratum virum; magnum verò ejus nomen eſſe per Orientem, & mirificari nimiùm Conſcripta ejus. Et ſicut dicunt, contriſtantur omnes, quod Vir nobilis, & defunctus in communione Eccleſiarum, anathematizetur.* Hæc Joannes Synodaliter ſcripſit ad Sanctum Cyrillum. Nempè quod Theodori Scripta, ac præſertim perſona anathematizari non poſſent ſine periculoſiſſimo motu totius Orientalis Eccleſiæ: Quod quidam Epiſcopi ac Populi confectam tot laboribus pacem lacerare mallent, quam iſtud anathema admittere.

Et Cyrillus fuit motus. Etenim pergit in ſua Epiſtola: *Nunc verò quod in Conſcriptis ejus inve-*

*nimus*

Digitized by Google

*itimus quædam nefariè Dicta, & nimiæ plena blaſphemiæ, nulli dubium eſt recta Sapientium. Sciat verò tua Sanctitas, quod prolata apud Sanctam Synodum Expoſitione ab eo compoſita, ſicut dicebant qui protulerunt, nihil ſanum habente, reprobavit quidem eam Sancta Synodus, utpote perverſis plenam intellectibus, & Neſtorianam impietatem quaſi effluentem. His verò condemnatis qui ſic ſapiunt, nullam viri memoriam fecit diſpenſativè, nec ipſum nominatim anathemati ſubjecit propter diſpenſationem: Ne quidam ad viri exiſtimationem reſpicientes, ſeipſos ſepararent ab Eccleſia. Diſpenſatio verò in his eſt res optima ac ſapiens. Si enim adhuc in vivis eſſet, & Neſtorii blaſphemiarum fautor, aut ſuffragari vellet iis quæ ſcripſit ipſe, anathema etiam in propria perſona ſubiiſſet. Quoniam verò ad Deum abiit, ſufficit, ut ego puto, ea quæ abſurdè ab eo ſcripta ſunt, rejici ab eis qui rectè ſentiunt, cum iis, qui in ejus libros incidunt, etiam ulterius progredi tumultuum occaſiones nonnumquam pariat. Et per alium verò modum anathematizatis ac ejectis Neſtorii blaſphemiis, una cum eis ejecta ſunt & quæ illius ſunt, plurimam habentia ad iſta conſonantiam. Etſi quidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque eſſet tumultum inde ſperare, dicebam utique nullum eſſe impedimentum nunc exigi eos in Scriptis hoc facere. Si verò, ſicut ſcribit Sanctiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Joannes, eligant utique magis comburi, quam aliquid ejuſmodi peragere, quare flammam ſopitam reſuſcitamus, ſedatoſque tumultus importunè commovemus, ne forſitan unquam ultima primis pejora inveniantur? Et hæc dico vehementer quidem increpans quæ ſcripſit memoratus Theodorus, timens verò futuros à quibuſdam propter eam rem tumultus, ne forſitan aliquo modo ea quæ Neſtorii ſunt, lugere quidem celeratim incipiant, ſecundùm illud, quod alicubi à Poeta dictum eſt apud Græcos, quod occaſione Patrocli ſuas calamitates unaquæque lugebat. Si igitur hæc tuæ Sanctitati placent iudicare digneris, ut communibus litteris mandentur. Poteſt enim etiam iis, qui hæc petierunt, diſpenſatio rei enarrari, ipſiſque perſuaderi, ut quieſcere malint, quam Eccleſiis ſcandali occaſionem præbere. Miſi autem etiam exemplar eorum, quæ à Sanctiſſimo Epiſcopo Joanne ad me ſcripta ſunt: Quod cum legerit Sanctitas tua, accipiet omninò occaſionem ad ipſum argumentum.*

Sanctus itaque Cyrillus primò cenſuit Theodori Scripta eſſe penitus impia, & plurimam habentia conſonantiam ad Neſtorii dogmata. Secundò cenſuit iſta dogmata non egere nova Synodali damnatione, ſed abundè jam pridem eſſe damnata ab Epheſino Concilio. Tertiò cenſuit etiam Epheſinam Neſtorianæ perſonæ damnationem poſſe extendi ad perſonam Theodori, & Orientales Epiſcopos ac Populos poſſe compelli ad iſtam extenſionem admittendam ac ſubſcribendam. Quartò cenſuit hanc extenſionem, ac præſertim ſubſcriptionis exactionem, non expedire. Ob varias cauſas. Primò, quoniam Orientalium plures juxta ſui Patriarchæ Joannis atteſtationem vivi mallent exuri, quam iſtam extenſionem admittere, ideòque illa fieri non poſſit ſine graviſſimis motibus & ſcandalis. Sine motibus, qui Neſtorianas turbulentias plenè reducant, immò & amplo fœnore augmentent. Deindè, quod Theodorus jam eſſet mortuus, ideòque ſua Senſa non poſſet exponere, ac proindè nec impugnari aut judicari tunc expediret. Tertiò, quod eſſet intra Catholicæ Eccleſiæ communionem defunctus, ideoque ſperandus eſſet cum Chriſtiano rectè mentis Propoſito à nobis abiiſſe. Hinc Sanctus Cyrillus libros ejus, ac item deſumpta ex ipſis Capitula cenſuit tractanda ad eum modum, quo Epheſina Synodus tractaverat ejus profanum Symbolum. Cenſuit ipſa damnanda, at ſine expreſſione authoris aut perſonæ. Ex diſpenſatorio amore pacis. Nam & iſtius Epheſinæ diſpenſationis Sanctus Cyrillus fuerat Author, ideòque cenſuit & nunc reſumendam.

Illum in hanc ſententiam produxit non ſola Joannis Patriarchæ Synodica Epiſtola, ſed & privatæ plurium Orientalium Epiſcoporum litteræ, quas ſupra laudari audivimus in aliis ejuſdem Joannis ad Cyrillum litteris: *Hoc & tua Religioſitas diſpenſavit apertè in anterioribus litteris veſtris ad ſatisfactionem quorumdam venerabilium Coepiſcoporum noſtrorum.* Horum unus omninò fuit Ibas Edeſſenus, de quo Leontius Byzantinus in libro de Sectis: *Sanctum Cyrillum, cum nonnulli hoc ipſum quærerent, ut Theodorus anathemati ſubjiceretur, ad Proclum ſcripſiſſe conſtat, minimè Theodorum anathematizari oportere.* Et adducit Cyrilli verba: *Nam Orientales univerſi Theodorum pro magno Doctore habent, quem ſi anathemati ſubjecerimus, in Orientalium Eccleſia diſſidium ingens excitabimus. Quorum unus eſt Ibas, qui eum anathematizari non patietur.* Hæc verba non ſunt in ſupra adductis Cyrilli ad Proclum litteris: Nulla iſtic eſt Ibæ memoria. Hinc lucet plures de hac re litteras inter iſtos Eccleſiæ Principes cucurriſſe.

Porrò iſta Ibæ pertinacia non eſt admiranda. Ejus radicem habemus in litteris ejuſdem Procli ad eundem Patriarcham Joannem, exſtantibus apud quintum Concilium: *Multi inclamant hic Religioſiſſimum Epiſcopum Edeſſenorum Ibam, quia tantùm Neſtorii dementiam diligit, ut & quædam Capitula, quæ ſuppoſita ſcripto à nobis ad Armenios Tomo direxi tuæ Reverentiæ, ſtulta ac profana Conſtituta, & omni impietate plena, transferret Syrorum voce, & tranſmitteret ubique, & multis ſimpliciorum, inconſiderato auditu læſionem perniciosorum ſuſcipientibus, perſuaderet ita ſapere, ſicut abdicatum eſt Dei Eccleſiæ.* Ibas igitur, adhuc Presbyter, fuit unus iſtorum, qui Theodori libros tranſtulerunt in linguam Syriacam, & ubique diſſeminaverunt. Ita Epiſcopum ſuum Rabbulam permovit ad iſtis libris, ipſique etiam perſonæ Theodori dicendum anathema. Ex eodem principio rebellavit Edicto Rabbulæ, illius communionem deſeruit, ab ipſo diſtraxit Clerum & Populum, in defuncti Cathedram irrepſit, ac ipſum etiam magnanimum Cyrillum à confirmando iſto anathemate deterruit.

Hæc

Hæc omnia laudat in ſuo Conſtituto Vigilius Pontifex, & adducit trium ad ipſa ſpectantium Epiſtolarum fragmenta. Primum eſt ex Reſcripto Sancti Cyrilli ad Synodales Joannis Antiocheni litteras: *Quæ prolata eſt in Sancta Synodo Epheſina Definitio, veluti à Theodoro diſpoſita, ſicut offerentes dicebant, nihil habens ſanum, evacuavit quidem eam Sancta Synodus, velut perverſarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos, qui ſic ſapiunt. Diſpenſatim verò mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati ſubdidit. Neque alios.* Ex hoc ſuo apud Epheſinam Synodum opere Cyrillus concludit diſpenſationis ac pacis regulas ſuadere, ut neque nunc Theodori perſona anathematizetur. Hinc enim ſubdit: *Sed juſtè audient, tametſi nolint, qui hujuſmodi cauſas præbent: Obliviſcimini vos ipſos, quando adverſùm pulveres arcus extenditis. Non enim ſupereſt, qui apud eos inſcriptus eſt.* Lib.3.c.6. Ampliora iſtius Epiſtolæ fragmenta habes apud Facundum Hermianenſem. Aliud fragmentum eſt ex Reſcripto Sancti Procli ad eundem Joannem: *Quando enim ſcripſi tuæ Sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quoſdam, qui pridem defuncti ſunt, anathemati ſubdi, aut nominatim alicujus feci mentionem? Et illa Capitula, quæ ſubjecta ſunt, utpotè ſubtilitatem non habentia pietatis, repuli, neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam, qui jam defuncti ſunt, ſcripſi, aut ut anathematizetur, aut ut abdicetur. Sed neque chariſſimus Theodotus, qui à nobis directus eſt, Diaconus talia Mandata ſuſcepit.* Tertium fragmentum eſt ex ejuſdem Procli Reſcripto ad Venerabilem Archi-Mandritam Maximum: *Quomodo igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopſueſteni & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt Capitulis ad anathematizandum, cum illi ad Deum jam migraverint, & eos, qui jam vitam reliquerunt, ſupervacaneum eſt injuriari poſt mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus? Poſt ſubſcriptionem autem Tomi, & poſt abjectionem Capitulorum, quæ cujus ſint ignoramus, continuò præpara Theodotum Diaconum venire ad Regiam civitatem.*

Etiam hæc fragmenta, & quidem ampliora, & correctiora, exſtant apud Facundum Hermianenſem. Priori poſt verba, *Fieri mentionem* Lib.8.c.2. interſerunt hæc: *Sed puto, ſicut & ipſæ litteræ ad tuam Sanctitatem directæ clamant, nihil difficile vel pravum Epiſtola contineri, ſed quia oportet omni ſuſpicione liberari, & detrahentium ora conſuere ex hoc, quod in directo Tomo ſubſcripſi, & illa Capitula, quæ ſubjecta ſunt, repuli.* Vigilius habet: *Deo amantiſſimi.* At verò Facundus: *Deo amantiſſime.* Affirmat hæc non ad Synodum, ſed ad ſolum Joannem fuiſſe à Proclo reſcripta. Porrò illum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconum ac Legatum, quem Proclus vocat Theodotum, Joannes Patriarcha appellat Theodoſium. Aliud Lib.8 cap. fragmentum eſt item Procli ad Maximum: *Memor eſt tua Reverentia, quando ad Sanctiſſimum Antiochenum Epiſcopum tibi litteras injungebam, quia omnia cum ejus admonui voluntate fieri oportere, & nihil ad confuſionem vel tumultum Eccleſiarum pacem habentium agi, ſed Tomum quidem ſubſcribi, Capitula autem ſubdita ſine nomine, hæc tamquam non habentia ſubtilitatem pietatis averti & abdicari. Quomodo igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopſueſteni & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt Capitulis ad anathematizandum, cum illi jam ad Deum migraverint, & eos, qui vitam reliquerunt, ſupervacaneum eſt injuriari poſt mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus? Rogo ergò, feſtina ſicut filius exquirere, ſed omnia permittere authoritati ejuſdem Reverendiſſimi Conſacerdotis Joannis. Poſt ſubſcriptionem autem Tomi, & poſt abjectionem Capitulorum, quæ cujus ſint ignoramus, continuò præpara Diaconum Theodotum venire ad Regiam civitatem, quatenus tempeſtate & tumultu non impleantur Eccleſiæ urbis Sanctiſſimæ, & donetis aliquid deſiderio impii Neſtorii, qui ſe putat habere multos ſimilia ſapientes.*



Ex his fragmentis addiſcimus plura. Primò, quod ab Epheſina Synodo factam, & à Sancto Cyrillo rurſus fieri ſuaſam circa Theodori perſonam ac nomen diſpenſatoriam gratiam Sanctus Proclus probaverit atque admiſerit. Secundò, quod Archi-Mandrita Maximus fuerit inter zeloſos jactati in Theodorum anathematis fautores ac patronos. Tertiò, quod ad ipſum ſtabiliendum mox Regiam civitatem acceſſetit: Ut Proclum Epiſcopum, ac Theodoſium Imperatorem deflecteret in eadem Senſa. Forſitan acceſſit unà cum Legatis ſecundæ Armeniæ. Quartò, quod per ipſum Proclus ſuum Tomum tranſmiſerit Patriarchæ Joanni, ac ejus Synodo. Hinc Facundus Hermianenſis ſcribit ipſum fuiſſe *unum ex duobus, per quos Proclus Synodicam Epiſtolam miſit Orientalibus Epiſcopis.* Alter fuit Theodoſius, ſeu Theodotus Diaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Nec dubitandum eſt, quin Maximus Proclum ad emittendum Tomum generosè accenderit. Et hinc prudentiſſimus Doctor ac Paſtor nec ſe nimis accendi eſt paſſus, & Maximi flammas eſt moderatus: Eum ſeriò admonuit nihil tentare, ex quo oriri poſſet nova commotio pacatæ jam Eccleſiæ. Et ut omnia ageret juxta judicium ſui Epiſcopi.

Quintò addiſcimus, quod quidam diſpenſatoriæ iſti in Theodori nomen gratiæ noluerint acquieſcere. Sancti Procli Tomo ſubnexa, & per illum damnata Capitula cœperunt divellere, eis Theodori nomen præponere, eidem anathema adſcribere, iſtiuſmodi charitas ſpargete per omnem Orientem, & clamare quod iſta fierent ex juſſu Sancti Procli. Et iſtorum unus omninò fuit Archi-Mandrita Maximus. Quare Joannes Patriarcha apud Proclum interceſſit, cum magnis querimoniis. Et ipſas Proclus attendit, perſtitit in diſpenſatoria gratia, ſe purgavit de datis fomentis iſti audaciæ, & increpuit Maximum, denuò mandans nihil moveri ſine arbitrio Epiſcopi. Et ſuum Diaconum Theodotum juſſit remitti ad propria, addens cauſam: *Quatenus tempeſtate & tumultu non impleantur Eccleſiæ urbis Sanctiſſimæ.* Per Sanctiſſimam urbem exiſtimo non Conſtantinopolim intelligi, ſed Antiochiam.

An Theodotns Joannis Patriarchæ, an Archi-Mandritæ Maximi partes fnverit, ignoro. Certè Joannes in ſuis ad Proclum litteris ipſum prædicat à vatiis virtutibus. Quidquid ſit, Theodori præſentia poſſit alteri, aut utrique parti ſubminiſtraſſe fomenta mntuum. Hinc Proclus juſſit ad ſe redire. Tandem diſcimus, quod non ſolius Theodori, ſed & quorumdam aliorum nomina ſuerint præfixa iſtis Capitulis. Nempè nomen Diodori Tharſenſia. Et exindè etiam hic cœpit ad damnationem poſtulari.

Iſta nominum ſuperſcriptio ac anathematis expoſtulatio non caruit rationibus. Palmaris haud dubiè fuerit petulantia Theodorianæ Factionis, quam elatam & audacem fuiſſe teſtatur in ſua de Theodoro Hiſtoria venerabilis Heiychius, Presbyter Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, itemque Lenntius Scholaſticus Byzantinus. Superſcriptinnis authores exiſtimo fuiſſe Edeſſenæ Eccleſiæ Clericos, Rabbulæ contra Ibam adhærentes, nec non & Epiſcopos & Clericos ſecundæ Armeniæ, Sectatores Melitinenſis Acacii. Hi haud dubiè noverant Ibæ reverentiam aut potentiam ipſi etiam Sancto Cyrillo fuiſſe terrori, & ex hoc fonte manaſſe diſpenſatoriam pro Theodoro gratiam; Hinc ſtuduerunt ipſum obturare, Ibam accuſantes, qnod ipſe eſſet unus ex pravorum librorum translatoribus, ideòque non audiendum. Factum fuiſſe ab Edeſſenæ Eccleſiæ Clericis ac Monachis, diſertè jam audivimus à Sancto Proclo. Et hinc lucet accuſationem, quæ contra eundem Ibam ab eiſdem Clericis poſtmodò facta eſt apud Tyriam ac Berytenſem Synodum, non fuiſſe primam. Interim omnibus iſtis permoti non fuerunt Proclus aut Cyrillus: Perſtiterunt in ſuo diſpenſatorio judicio. Quin immò Proclus ad Joannis Patriarchæ preces, haud dubiè ex Cyrilli Placito, à Theodoſio Imperatore obtinuit hanc confirmatoriam legem: *Imperatores, Cæſares, Theodoſius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Piiſſimi, ſemper Auguſti, Dei amatori Joanni Archi-Epiſcopo, & Synodo cum eo in Antiochia congregatæ. Turbam atque tumultum, qui evenit in Oriente, noſtrum cognovit Imperium per Religioſiſſimum & Sanctiſſimum Patrem noſtrum & Epiſcopum Proclum. Quoniam ergò pro quiete & pace omnium providemus, præcipuè autem pro fide Catholica, quæ noſtrum quoque cuſtodit Imperium, veſtræ ſcribimus Sanctitati, quatenus pacem obtineatis, & nullum verbum intendatis eorum, qui contra ſalutem propriam volunt Religionem Sanctam conturbare. Intentio etenim noſtræ Divinitatis illa eſt, ut omnes homines cum quiete degant, præcipuè autem Sanctę Eccleſiæ Dei, per quas & nos ſalvamur, & noſtrum pollet Imperium. Hac itaque voce quieti Eccleſiæ providentes, nos aliquid de vobis utiliùs eſſi, ut hoc quoque cum omni ſtatuatis Eccleſia, ne quis adversùm eos, qui in ejus pace defuncti ſunt, quidquam de cętero tale præſumat.* Lex palam ſancit pro Theodoro. Exſtat apud Facundum Hermianenſem. Ita illis, qui legem adversùs Theo-

Lib.3 c.3. dorum obtinere tentaverant, Proclus clauſit ora.

Hæc ſolemnis victoria Joanni Patriarchæ, aliiſque Theodori fautoribus fecit novos animos, atque accendit ad non ſolam ejus perſonam, ſed etiam ad ipſius Capitula liberanda ab anathemate. Quod in Theodori libris iſta reperirentur, ac fideliter eſſent extracta, denegari non poterat. Hinc igitur de Tomo illo ſeu libro, in quo Capitula continebantur, Joannes ſcripſit ad Sanctum Cyrillum; *Sunt in illo Tomo quædam incerta, & aliter, quam dicta ſint, intelligi valentia. Confitemur hoc etiam nos. Plurima verò eorum aperta videmus, & ſine aliqua ambiguitate recta; Sed illic, quæ putantur obſcura, ſimilia multa à plurimis anterioribus ejus, & glorioſis Patribus dicta invenimus. Et periculum hinc pendet non leve, ne in iſtis etiam illorum ſolvamus, ejus viri reprobantes Dicta, qui in Epiſcopatu quidem defunctus, agonibus autem adversùm Arianos & alios hæreticos decem millibus per omnem ſuam vitam ubique decoratus eſt. Quod ſi fiat, multa etiam in aliis Patribus apertè Dicta retractaturi ſumus, & reprobaturi. Excerptis enim iſtis ſimilia quædam invenimus apud ter Beatum ac nobilem Athanaſium, quædam etiam apud Beatum Baſilium, quædam apud Gregorium utrumque, multa verò & apud Amphilochium ſæpiùs dicta. Non parva verò & apud communem Patrem Beatum Theophilum. Sunt enim etiam, quæ tua Sanctitas ita confitetur, & eundem de illis habet intellectum. Quædam etiam ab ipſo amabili Deo Proclo in eodem ipſe Tomo, quem ad Armenios miſit, que multis ſenſibus iſtis decerptis concurrit. Et diet nos deficiet percurrentes Beatum Baſtatium, Antiochenæ civitatis Epiſcopum, qui fuit pro recta fide in Niceno Concilio, & magnæ famæ Alexandriæ veſtræ. Sed etiam poſt illos Sanctiſſimos Epiſcopos, Meletium, Flavianum, à quibus plura iſtis concordantia ſunt dicta. Quid jam dicam de his, qui in Occidente ſecundùm eandem doctrinam, & eandem confeſſionem decorati ſunt, quos etiam tua Sanctitas meliùs novit? Intende itaque, rogo, ad qaod præcipitium nos impellant, qui ad nullam utilitatem verbis contendunt. Quid non hinc læſionis, vel corruptionis, & confuſionis plenum generetur, ſi aperiamus januam his, qui volunt Dicta tranſeuntium Patrum evertere? Quale damnum non apertum erit Dicta non ſolùm refutare, ſed etiam anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat, aliud non, in aliquorum Dictis, ſive antiquorum, ſive poſteriorum, ſive non noſtrorum, alia ratio eſt. Ut autem anathema eis imponatur, arbitramur audax & aſperum apparere, etſi perſonæ cum Dictis non anathematizeatur. Quis enim noſtrum ſperet, quod alium poſſet movere? Aut quid horum non præbeat occaſionem ſemper, ut Populi perturbentur? Et hoc quidem & viventibus & tranſeuntibus contingere ſolet. Quod non ſcienti tantùm hæc dicimus, ſed etiam plus omnibus conſiderare valenti magnitudinem hujus abſurditatis. Quid autem non præbeamus in hoc deſiderabile Neſtorii defenſoribus? Quis enim eum non honorabit, ſi cum iſto, & aliis, qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt, ſimul anathematizetur? Aut ubi ejus opinio per hoc non accipiat incrementum? Quis autem de-*

cepto-

*ceptorum hominum, de iſtis occaſionem aſſumens, non Confeſſorem vocaverit, velutt propter illa paſſum quæ paſſus eſt, quæ etiam illi, qui in Eccleſia fulſerunt, paſſi ſnat? Quis autem mentem babentium aeſcit, quia ea, quæ durè à Beato Theodoro dicta ſunt, neceſſitate compulſus diait? Proponebat eaim eum totus in commune Oriens inter eos, qui ante aos fuerunt, ſicut virtutem multam doctrinæ habeutem adverſùs hæreſes, coutra quas pugnans & dimicans multa quadam diviſione uſus eſt, non ex pravo intellectu veniens, ſed efficaciùs adverſùm hæreticos illo modo uti judicans: Neque unitatem ſummam ignorans vel negans, abſit, plcat enim ejuſmodi ſunt omnes ejus libri, ſed naturarum proprietates ampliùs dividens, ſicut & pugna, quam adverſùs hæreticos habuit, faciendum dictavit. Hoc & tua Religioſitas diſpenſavit apertè in anterioribus litteris veſtris ad ſatisfactionem quorumdam Venerabilium Coepiſcoporum noſtrorum. Quod & ipſum tuæ virtutis, tuæque ſapientiæ proprium eſt.*

Epiſtola in Sancti Cyrilli operibus exſtat variè
Lib. 8. c. 4 vitioſa ac mutila, ita correctam nobis cuſtodivit Facundus Hermianenſis. Eſt inſigniter erudita. Affirmat variæ. Primò, quod inter excerptos ex Theodori libris articulos quidam ſint incerti ſeu obſcuri, quidam æquivoci, quidam certò ac manifeſtò veri. Secundo, quod æquivocorum, ſeu tam ad pravum quam rectum ſenſum ambidextrorum, pletique reperiantur etiam in aliis Patribus. Et Latinis & Græcis. Etiam in Scriptis ipſorum Cyrilli ac Procli, à quorum arbitrio pendebat omne hoc negotium. Tertiò, quod ob iſtos articulos non ſolummodò non anathematizemus illos Patres, ſed nec ipſos articulos, adeoque iſta juſtitia exereeri debeat etiam in Theodorum. Quartò, quod aliud ſit aliquos Orthodoxi Doctoris articulos improbare, aliud anathematizare: Primum tolerabile, ſecundum eſt audax & aſperum. Et quidem licèt cum articulo non anathematizetur perſona Authoris. Quintò, quod iſtud in Theodori articulos anathema futurum ſit Neſtorio tunc adhuc viventi, ac ejus Sectatoribus longè gratiſſimum. Quod ille ab his proclamandus ſit glorioſus Confeſſor: Utpote degradatus cum authenticis Eccleſiæ Doctoribus, & propter eadem dogmata. Quod Neſtoriana lues ex iſto anathemate ſit acceptura grande fomentum. Sextò, quod iſta variorum articulorum æquivocatio fuerit Theodoro neceſſaria, ideoque à nobis non ſit damnanda, ſed probanda. Hærebat enim inter contrarios Errones, inter Apollinarii ac Pauli Samoſateni Sectatores, ideòque in utroſque pro Evangelico dogmate diſceptans debuit ſermones ſuos diſpenſare in multo judicio. Septimò, quod Theodorus iſtas æquivocationes non aſſumpſerit ad adſtruendam inter Dominicas naturas diviſionem, ſed dumtaxat ad demonſtrandas integras proprietates utriuſque inconfuſæ naturæ. Quod enim de Dominicæ Incarnationis Sacramento recta ſapiat, lucet ex pluribus ejus libris ac profeſſionibus.

Hanc Joannis Epiſtolam ampliſſimè extendit ac exponit præfatus Facundus. Eam præſertim partem, quæ aſſerit æquivocos, ac aliquid cacophoniæ habantes Theodori articulos reperiri etiam in adductis Eccleſiæ Patribus. Demonſtrare id conatur pluribus ipſorum teſtimoniis. Quin immò Ruſticus ac Sebaſtianus, Vigilii Pontificis Cardinales Diaconi, ſunt progreſſi ulterius. Iſta Capitula ex eodem principio non dumtaxat defenderunt, ſed etiam *Domnum Leonem*, magnum illum Pontificem, *in Theodori Mopſueſteni Dictis, quæ contra rectam fidem legitur ſcripſiſſe, conſenſum præbuiſſe, atque firmaſſe, dato Scripto ad Chriſtianiſſimum Principem Juſtinianum ſunt auſi adſtruere*. Peſſimè. Rectè enim Vigilius in degradatorio illorum Decreto reſpondit: *Abſit quemlibet credere Chriſtianum, quod aliquid tale, quod contra rectam fidem à quolibet inveniatur ſcriptum, illius tanti Præſulis Sanctitas ſuſcepiſſet, quippe qui in univerſis Epiſtolis ſuis & Neſtorium & Eutychetem, vel eis ſimilia ſapientes, pari legitur ſententia condemnaſſe.* Iſta calumnia eſt unum è facinoribus, ob quæ Vigilius degradavit præfatos Diaconos. Interim Facundi aſſertio, licèt nihil fundamenti, habet tamen aliquid coloris aut fuci. Etenim ad Julianum Eclanenſem Epiſcopum, ſimili adverſùs Originale peccatum utentem argumento, rectè dixit Sanctus Auguſtinus, quod Patres, Pelagianis aut aliis hæreticis necdum litigantibus, quandoque ſint in ſuis Scriptis liberius ac ſecuriùs locuti. Quin Patriarcha Joannes ſimiles litteras etiam ad Sanctum Proclum ſcripſerit, non eſt dubitandum. Notandum eſt, quod in hac Epiſtola de Diodoro, quem in prioribus litteris inter Eccleſiæ Patres numeraverat, penitus ſileat. Quia nempè Diodorus erat tunc in eodem reatu, ideòque purgari ipſe indigens non poterat Theodorum purgare. Etenim Adverſarii clamabant Diodorum fuiſſe Theodori Magiſtrum, ideoque hunc dumtaxat rivum, illum eſſe fontem pravorum Capitulorum.

Eandem regulam in litteris ad Irenæum Tyri Epiſcopum ſecutus eſt Magnus Diodori ac Theodori Patronus Theodoretus: *Quoniam autem me etiam reprehenditis, quaſi Sanctos ac Beatos Patres Diodorum & Theodorum in Magiſtrorum numero prætericrim, neceſſarium duxi de hoc etiam pauca dicere. Primùm enim, ò Amice, multos quoque alios illuſtres viros omiſi, & fama clariſſimos. Deinde hoc etiam conſiderandum eſt, eum qui accuſatur, teſtes minimè dubios producere oportere, quos redarguere nec Accuſatorum poſſit quiſquam. Quod ſi ad teſtimonium eeur illos vocet, quos Actores accuſant, nec judex ipſe admittendos putabit. Quare ſi ſuſcepta Patrum laudatione iſtos omiſiſſem, iniquè, fateor, egiſſem, & in Magiſtros fuiſſem ingratus. At ſi cum accuſarer, defenſionem ſum aggreſſus, & Teſtes indubitatos adduxi, quid incaſſum nos vituperant, qui horum nihil videre volunt? Quo autem cultu viros proſequar, teſtis eſt liber, quem de illis compoſui, in quo conflatam in illos accuſationem diluimus, nec Accuſatorum potentiam, nec ſtructas contra nos inſidias reformidantes.* In quapiam ad Irenæum Epiſtola Theodoretus ſuam aſſertionem



Digitized by Google

multis variorum Patrum teſtimoniis ſtabiliverat, & prætermiſerat Diodorum ac Theodorum; Hoc Irenæo graviter diſplicuit. At Theodoretus reſpondit id non factum ex defectu ſuæ in iſtos Magiſtros reverentiæ, ſed ex neceſſitate temporis, quo iſti viri à multis poſtulabantur ad anathema, immò jam judicati erant ipſo digni. Hinc neminem fuiſſe permovendum ipſorum teſtimoniis. Porrò ſuum in ipſos conſtantem affectum eſſe notiſſimum, præſertim ex Apologetico pro ipſis libro, edito adversùs Sanctum Cyrillum. Cyrillus enim adversùs Diodorum ac Theodorum quatuor libros ſcripſit, & ipſos Theodoretus refutavit. Hinc dicit ſe non timuiſſe Adverſariorum
Act. 5. potentiam, Utique Sancti Cyrilli. Ita hanc Epiſtolam intellexit quinta Synodus. Et ex ipſa diſcimus, quod uti Irenæus, ita & Theodoretus fuerit pertinax defenſor Diodori ac Theodori. Item quod Sanctus Cyrillus contra illos reverà ſcripſerit, & quod ejus libros Theodoretus reverà refutarit. Item quod Theodoretus fuerit Theodori diſcipulus. Lucet ex verbis: *In Magiſtros fuiſſem ingratus*. Ex ipſo hauſit, ac ſemper retinuit errorem de Spiritus Sancti proceſſione ex ſolo Patre.

Præfatis igitur rationibus Joannes Cyrillum ac Proclum ſperavit permovendos ad circumducendum anathema, quod in Theodori Capitula jam emanaverat. Et ipſis adjecit illud adjutorium, quod Sanctus Cyrillus refert in litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Perſuaſerunt verò ita Orientalibus Populis*, utique Joannes Patriarcha & alii Epiſcopi, *ut exclamationes in Eccleſiis fierent*; Creſcat fides Theodori, ſic credimus ſicut Theodorus; *cum eum aliquando lapidaſſent in ſua Eccleſia, auſum aliquid ſubloqui breve. Sed ſicut Doctor vult, ſic ſapit Grex.* Et hæc omnia potentiſſimè adjuvit Ibas Edeſſenus. Etenim de ipſo ad Joannem Patriarcham ſcripſit Sanctus Proclus: *Multi inclamant hic Religioſiſſimum Edeſſenorum Epiſcopum Ibam, non ſolum quidam Clerici Edeſſeni & Monachi, ſed etiam Primates & Clasi militia, quibus rectæ fidei calidus zelus accenditur, quod tantùm diligit Neſtorii inſaniam, ut & quædam Capitula, quæ ſuppoſui ſcripto à nobis ad Armenios Tomo, & dirent tuæ Reverentiæ, quæ ſunt ſtulta & profana, & omni plena impietate, transferret voce Syrorum, & transmitteret ubique, ut multis ſimpliciorum, inconſiderato auditu læſionem pernicioſorum ſuſcipientibus, perſuaderet ſapere, ſicut abdicatum eſt Dei Eccleſiæ. Quæ quando per lectionem cognoveris, feſtinare digneris cum omni alacritate eum compellere, Tomo quidem ſcripto ad Armenios ſubſcribere, vaniloquium verò, magis verè monſtriloquium, vel quod eſt verius dicatur, Judaicam impietatem Capitulorum illorum condemnantem, viva voce & ſua manu anathematizare dementiam.*

An Ibas, adhuc Presbyter, Theodori libros, an verò Epiſcopus ſola ex ipſis extracta Capitula in Syriacam linguam tranſtulerit, non poſſim certò aſſerere. Exiſtimo, quod utrumque fecerit, atque ita & Rabbulæ Epiſcopo ſuo damnandi Theodori anſam dederit, ac poſtmodò omni huic motui præbuerit valida fomenta. Etenim Sancti Procli ad Armenios Tomo, qui fuit primum, ac variè diſpenſatorium pro Rabbulæ Facto Decretum, nunquam ſubſcribere voluit, longè minùs illi ſubnexa Theodori Capitula anathematizare. Undè & ipſa tranſtulit in ſuæ Gentis linguam, & tamquam innoxia ac malè damnata diſſeminavit. Et ob ejus authoritatem Populi pro iſtis Capitulis clamaverunt in Eccleſiis: *Creſcat fides Theodori. Sic credimus, ſicut Theodorus.* Quod enim tantæ authoritatis fuerit, ut ipſum timuerit Sanctus etiam Cyrillus, ſupra audivimus à Byzantino Leontio. Et de ipſo ſcribit in hac adducta Epiſtola Sanctus Proclus, quod fuerit vir prudens, à pueritia enutritus in ſacris litteris. Et adjungit, quod hæc ejus petulantia ſummè contriſtaverit magnum illum adversùs Neſtorianam impietatem pro Chriſto Domino Athletam Dalmatium, Preſbyterum & Archi-Mandritam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Etiam Theodoretus & alii plures Joannem Patriarcham ſtrenuè adjuverunt.

Verùm iſta omnia Sanctum Cyrillum nullo modo inclinarunt, ſed graviſſimè offenderunt. Præſertim audacia, qua Joannes Theodorum ac ejus impia Capitula præſumpſit Magno Athanaſio, aliiſque ſupremis Eccleſiæ Patribus, & quibuſdam ipſorum hinc indè non ex integro rectè ſonantibus articulis comparare. Et ad ipſam Joanni reſcripſit: *Infames opiniones, Diodori, inquam, ac Theodori, & aliorum quorumdam, quos non laudare ſatius erat, ne quid gravius dicant, propterea quod plenis quodammodo velis adversùs Chriſti gloriam ferantur, nemo, obſecro, Sanctis & Orthodoxis Patribus noſtris, Athanaſio, inquam, Baſilio, Gregorio, Theophilo, & reliquis tribuat, ne quo pacto res hæc nonnullis ſcandali fiat occaſio, exiſtimantibus re vera ita ſenſiſſe ac docuiſſe viros totius rectæ fidei cuſtodes, & qui contra perverſas opiniones non modò Neſtorii, ſed etiam aliorum, qui idem quod Neſtorius ante ipſum ſenſerant, & litteris mandaverant, oppoſitos libros reliquerunt.* Et adjunxit: *Optamus autem, ut omnes res ſuas agant, neque turbas Eccleſiis excitent, jam per Chriſti gratiam, & Doctorum ubique terrarum vigilantiam ſedatas, neque ve aliis negotia denuò faceſſant.* Palam loquitur adversùm memoratas Populorum in Eccleſiis exclamationes. Joannem obteſtatur, ne per hæc ſedatæ jam ob Epheſinæ Synodi Acta diſcordiæ Eccleſiarum ac turbæ reſurgant, aut novæ ſuſcitentur. Eundem obteſtatur, ut omnes Neſtorianæ luis reliquias, & omnes de ipſis diſputationes, immò & conciones ſuffocet ac impediat: Quod nempè hic eſſet fons quæſtionum de Theodoro.

Sancto Cyrillo præfata audacia adeò diſplicuit, ut de ipſa apud varios fuerit ſolemniter lamentatus. Apud Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Scripſerunt ad me Orientales, quod non oportet quæ Theodori ſunt accuſari, ne ſicut dicunt; & Beati Athanaſii, & Theophili, & Baſilii, & Gregorii*

Dicta

Digitized by Google

*Dicta accuſentur. Quæ enim locutus eſt Theodorus, eadem & illi. Ego verò ſcribentes iſta non ſuſtinui, ſed fiducialiter dixi, quod Theodorus quidem blaſphemam habuit linguam & calamum miniſtrantem ei; illi autem fuerunt totius Orthodoxiæ Doctores, & ſplenduerunt in ea.* Et in alia ad eundem Acacium Epiſtola: *Orientales ſcripſerunt ad me, quod ſi contigerit anathematizari ea, quæ ſunt Theodori, perveniet omni modo macula etiam ad Sanctos Patres noſtros, Athanaſium dico, & Baſilium, & Gregorios, & Theophilum, & cæteros. Nam ſcripſerunt & ipſi quædam conſonantia eis, quæ ſunt Theodori.* Exſtat Epiſtola in quinta Collatione quinti Concilii. Et Acta Synodalia ei præfigunt hanc adnotationem: *Cyrillus eandem ſcripſit ad Theodotum Ancyræ, & ad Firmum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum.* Hi enim tres ipſum in Epheſina Synodo conſtantiſſimè adjuverant. Et iſtiuſmodi litteris accenſus Acacius fecit, quod habet prior ad ipſum Epiſtola: *Perlegi Epiſtolam tuæ Sanctitatis, ſcriptam ad Reverendiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Joannem, plurimæ plenam confidentiæ, ſimul & amoris Dei.* Hæc enim turba commovit univerſam Orientis Eccleſiam. Pergit Cyrillus: *Scripſi verò & ego tales Epiſtolas, ſed, ut videtur, pejora vincunt.*

Etiam meliora creverunt, potentiùs ſe armarunt, ac tandem vicerunt. Etenim tunc Armeniæ, Perſidis, ac aliarum Gentium Epiſcopi, à Cyrilli, Acacii, Theodoti, ac Firmi Actis excitati, ad Sanctum Proclum ac Imperatorem Theodoſium legaverunt Epiſcopos, Clericos, ac Monachos cum libello, exſtante apud quintam Collationem quintæ Synodi. Affirmant Theodorum fuiſſe *hominem Diabolicæ formæ*, ejus facinora exponunt, præſertim blaſphemam ejus concionem, qua Antiocheni offenſi voluerant ipſum lapidare, & quam ipſe, ne lapidaretur, ſolemniter recantavit. Hujus recantationis meminit in litteris ad Neſtorium etiam Patriarcha Joannes, eum ex pectore adhortans ad imitandum. Præfati affirmant Antiochenos ac alios Orientales eſſe adeò verſatiles, ut iſtum ipſum hæreſiarcham, jam non lapidibus invadant, ſed magnificent glorioſis exclamationibus: *Creſcat fides Theodori. Sic credimus, ſicut Theodorus.* Quia nempè exclamant Populi, ſicut docent Epiſcopi. Et tandem concludunt: *Miſeratus Deus Eccleſias ſuſcitavit multa contra Theodorum, in quibus & nos humiles conſtituti nihil prætermiſimus, uſque ad mortem pro veritate certantes, ſicut & in noſtris contra Theodorum & Scripta ejus libellis ad Alexandrinum Religioſiſſimum Epiſcopum diximus, & in his quæ ad veſtram Sanctitatem dicimus. Et petimus, poſtquam iſti perlecti fuerint, & illos perlegere, quatenus fiat unitas veſtra contra Theodorum, & ſacrilega Capitula & dogmata ejus, & eorum qui ſimilia ſapiunt vel docent: Et ſicut Domino placuit damnari manifeſtè & nominatim in Epheſo ab univerſali Synodo ſacrilegum Neſtorium, ſic per vos etiam antea condemnatum ſine nomine ſacrilegum in varia impietate Theodorum nominatim condemnari, & eos qui ſecundùm impiiſſimam ejus*



*Expoſitionem hactenùs in Syria & Cilicia ſapiunt & docent.* Conſtanter affirmant Capitulorum anathema nequaquam ſufficere: Ad præſentibus turbis dandum finem penitus requiri, ut etiam Theodori perſona diſertè anathematizetur. Diſpenſatoriam, quæ Epheſinæ Synodo nuper, ac etiam Cyrillo & Proclo huc uſque in Theodorum placuit, gratiam nunc eſſe noxiam, ideoque abrumpendam, & ſacrilegum hominem eſſe, ad inſtar Neſtorii, expreſſo nomine projiciendum. Præſertim quia ejus ſacrilega Expoſitio, ſeu Symbolum adhuc frequentatur apud Syros & Cilices.

Quintæ Synodi Acta libellum recitant, & adjungunt: *Porrecta ſunt autem & impia Capitula ex Theodori codicibus Sanctæ memoriæ Proclo ab Armeniis, quorum multa in antè latis continentur. Ad tales igitur libellos Armeniorum reſcribens Sanctæ memoriæ Proclus, inter alia dogmata de Theodoro ac ejus impietate dicit.* Affirmant ad iſtum libellum emanaſſe laudatum Sancti Procli Tomum. Labuntur. Etenim illius Tomi obtentor libellus fuit miſſus à ſolis ſecundæ Armeniæ Epiſcopis, & per ſolos duos Presbyteros Leontium ac Aberium, & detulit unicum Theodori volumen; at verò hìc legantur plures, & à pluribus Gentibus Clerici, ſimulque Epiſcopi & Monachi. Deindè prior Legatio ac ſupplicatio fuit omnium prima adversùs Theodorum; at verò hæc facta eſt poſt varios libellos, poſt varia uſque ad mortem certamina. Proindè hæc Legatio eſt iſta, de qua pergit Liberatus Diaconus: *Poſt hæc autem, occaſione accepta, ſurrexerunt quidam Monachi ab Armenia, Apollinaris Sectatores, duo vel tres, ſicut refert Joannes Antiochenus in Epiſtola ſua, portantes excerpta Capitula, ut dicebant, de libris Theodori, vel aliorum Sanctorum Patrum, qui in illo tempore, ſicut diximus, contra Apollinarem ſcripſerant: Et intrantes Regiam civitatem, & multorum ſordidantes auditum, calliditate ſua omnia perturbabant. Deindè circumeuntes totius Orientis civitates, & univerſa Monaſteria, damnanda eſſe cum Authoribus clamabant, accuſantes ea Neſtoriano ſenſu eſſe conſcripta. Dicebant. Quia ſi Neſtorius juſtè damnatus eſt, damnentur & iſta cum ſuis Authoribus. Et hæc agebant, firmare volentes ea, quæ Apollinarii ſunt, qui per unam naturam Chriſtum nobis conſubſtantialem, expoſuit. Qui quorum-* Cap. 10. *dam utentes patrocinio, terrebant nimis Clericos, Populos, & Monachos, qui vitam ſectabantur quietam.* Palam reſpicit præſentem libellum. Ipſe enim diſertè affirmat Theodori Capitula, quæ ejus Defenſores volebant ambigua, & in rectum ſenſum exponenda, eſſe conſcripta ſenſu Neſtoriano, ideoque petiit Theodorum manifeſtè ac nominatim anathematizari, uti apud Epheſum anathematizatus fuit Neſtorius.

Porrò Liberatus fuit pertinax quintæ Synodi Adverſarius, ac Defenſor trium Capitulorum. Hinc humano die præoccupatus quædam errat. Primò, quod iſta Capitula fuerint non ſolius Theodori, ſed & aliorum Sanctorum Patrum, qui iſto tempore ſcripſerant contra Apollina-

ſium. Nempè Tharſenſis Diodori, & ſimilium. Deindè quod iſte libellus fuerit circumlatus à quibuſdam dumtaxat Armeniæ Monachis. Etenim proceſſit à variarum Gentium Epiſcopis, Clericis, Monachis, ac Populis. A quot verò vel qualibus fuerit circumlatus, fateor me ignorare. Tertiò errat, quod iſti Circumlatores fuerint Apollinariſtæ. Eſt antiqua calumnia, ex qua omnes Neſtorianæ perfidiæ dilectores conſueverunt Orthodoxis impingere iſtud elogium. Liberatus poſſit ipſum ab illorum aliquo hauſiſſe. Quartò dicit, quod iſtius libelli circumlatio cœperit antè factam à Sanctis Cyrillo & Proclo diſpenſatoriam gratiam in perſonam Theodori: Antè gratiam, quæ damnavit ſola ſine authore Capitula. Quod hæc gratia ſit facta adversùs iſtum libellum, ac ejus Circumlatores. Confundit ordinem temporis.

Eodem tempore quidam Eccleſiæ Edeſſenæ Clerici ac Monachi, forſitan iſtius libelli Circumlatoribus ſe adjungentes, acceſſerunt Regiam civitatem, ac apud Imperatorem Theodoſium & Proclum Patriarcham accuſaverunt ſuum Epiſcopum Ibam, quod eſſet primus harum turbarum Author & pertinax fotor, quod Theodori libros tranſtuliſſet in linguam Syriacam, quod ipſos ſparſiſſet per omnem Orientem, quod Sancti Procli ad Armenios Tomum noluiſſet ſubſcribere, quod ſubnexa illi impia Capitula noluiſſet damnare. Et poſtulaverunt juſtitiam. Et Proclus cauſam juxta ſextum Nicænum Canonem remiſit ad Patriarcham Joannem, ſeriò admonens, & per Heli Sacerdotis, qui ob non caſtigatos filios deſcendit in ſempiternas gehennas, exemplum obteſtans, ut Ibam corrigeret ac puniret. Liberatus denuò labitur: Affirmat primam Ibæ accuſationem fuiſſe apud Patriarcham Domnum, Joannis nepotem & Succeſſorem. Rectiùs Acta Synodalia quinti Concilii: *Cum à Scriptis Procli nulla emendatio pro querimoniis Accuſatorum facta eſt, defuncto Joanne interpellaverunt Domnum ejus Succeſſorem, iterum Ibam accuſantes.* Igitur longa illa & dura accuſationis catena, quæ uſque ad Chalcedonenſem Synodum perduravit, originem duxit ex hac ſcabioſa cauſa ſordidiſſimi Theodori.

Præfatus libellus non fuit ſine fructu. Etenim iſta omnia Sanctus Cyrillus conſiderans cœpit transferre vela. Circumduxit diſpenſatoriam pro Theodoro gratiam, & cœpit non ſola Capitula, ſed & perſonam conſtanter anathematizare. Etiam ejus Magiſtrum Diodorum. Tunc enim ſcripſit ſuos contra utrumque libros, quorum fragmenta nobis cuſtodivit quintum Concilium. Et exponit eorum originem & ſcopum. Laudat præfatam diſpenſatoriam gratiam, & proſequitur: *Quoniam verò ejuſmodi diſpenſationem Cyrilli & Procli non ſuſceperunt quidam Orientales Epiſcopi, è contrario verò permanſerunt defendentes etiam ipſas blaſphemias Theodori, & dicentes eas conſonare Scriptis à Sanctis Patribus, videns Sanctus Cyrillus impietatem, & indè ſimpliciorum læſionem timens, coactus eſt libros conſcribere adversùs Theodorum, & adversùm ejus blaſphemias, & poſt mortem ejuſdem Theodori, & hæreticum, & impium, & ſuper Paganos & ſuper Judæos blaſphemum eum oſtendere.* Et anathematizare. Inter fragmenta unum ſic habet poſt varia: *Quid enim aliud ſit, quam laqueus & ſcandalum, lingua diſtorta loquens, & ſacris litteris abhorrentia, & Traditioni Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum impudenter reſiſtentia? Recuſandum igitur eos, qui tam malis culpis obnoxii ſunt, ſive in vivis ſint, ſive non.* Inter palmaria pro Theodoro argumenta erat, quod eſſet in Catholica communione defunctus, ideòque jam diſcuti & examinari non poſſet, longè minùs judicari. Cyrillus affirmat id non attendendum. Dum prava defuncti doctrina ſit manifeſta, in Authorem eſſe omninò procedendum.

His plurimùm obſtabat Imperatoris Theodoſii lex, quæ Cyrilli ac Procli diſpenſatoriam pro Theodori Perſona gratiam ad ipſorum preces confirmaverat. Hinc iſta lex erat circumducenda. Hinc Cyrillus ſcripſit ad Principem: *Theodorus quidam fuit, & ante eum Diodorus, hic quidem Tharſi civitatis, ille verò Mopſueſtiæ Epiſcopus. Iſti Neſtorio impietatis Patres fuerunt. In ſuis enim libris, quos compoſuerunt, immaniter blaſphemaverunt contra Chriſtum omnium noſtrum Salvatorem, neſcientes ipſius Myſterium. Voluit igitur impius Neſtorius, quæ ſunt illorum, in medium proferre, & expulſus eſt à Deo de Sacra Aula. Cum verò anathemati ſubjeciſſent Dicta Neſtorii, aliqui Orientis Epiſcoporum alio modo iterum ea introducunt, admirantes Scripta Theodori, & dicentes eum recta ſapuiſſe, & conſonantia Sanctis Patribus noſtris Athanaſio, & Gregorio, & Baſilio. Mentiuntur verò contra Sanctos Viros. Scripſerunt enim quæ Theodori ac Neſtorii blaſphemias impugnant. Quoniam igitur didici, quod & ad piiſſimas veſtras aures quidam eorum referunt, rogo ut intactas & inviolatas animas veſtras conſervetis ab impietatibus Theodori ac Diodori. Sicut enim jam dixi, Neſtorius eorum verba locutus eſt, & propter hanc cauſam, ut impius, condemnatus eſt ab univerſali Synodo, quæ Dei voluntate eſt collecta in Epheſo.* Cyrilli ſtomachus digerere non poterat, quod Joannes Antiochiæ Patriarcha Theodorum & impia ejus Capitula Sanctis Eccleſiæ Patribus, & quibuſdam obſcuris eorum locutionibus præſumpſiſſet æquiparare, & æqualem prætendere dignitatem. Præſertim quod talia ad ipſum etiam Principem ſcripſiſſet, ut ab ipſo poſtulaſſet. Hìc enim lucidè id aſſeverat. Hinc & à ſe factam diſpenſatoriam gratiam, & illius confirmatoriam legem cenſet circumducendas, & Principem obteſtatur, ne patiatur ſe circumſcribi. Et propter præfatam de defunctis non damnandis regulam adjungit ipſos ex odio aut invidia non vexandos, & ſubnectit: *Quoniam verò dogmaticæ rectitudinis Amatoribus dilecta eſt veritas, & vera dicere nos neceſſariò decet, & exercitatos eſſe, ut poſſint vana ſolentibus loqui reſiſtere, arbitratus ſum oportere, innumerabili multitudine fratrum non mediocriter inquietatam paſſa, ex quibus ſcripſerunt de omnium noſtrum Domino & Salvatore*

Chriſto

*Chriſto Diodorus Tharſi civitatis, & qui Mopſueſtiæ fuit Epiſcopus, eloquentiſſimus Theodorus, pauca quædam dicere ad ea, quæ illi dixerunt, & Sectæ amborum deformitatem legentibus demonſtrare.* Affirmat etiam defunctis, dum prava ipſorum dogmata ſunt manifeſta, non eſſe parcendum. Epiſtolæ fragmentum exſtat in quinto Concilio. Et ad iſtam rem Sanctus Proclus fuit ſeriò cooperatus.

Nec ſine fructu. Etenim Imperator Theodoſius ſeveriſſimam legem, qua Neſtorii perſonam, ejuſque Sectatores ac libros perſecutus nuper fuerat, hos omnes exuri, illos verò jubens appellari Simonianos, extendit ad Theodori perſonam ac libros, ideoque datum in ipſum à Cyrillo ac Proclo anathema firmavit. Ejus de Theodoro ac Neſtorio verba ſunt lucida: *Neque de cætero inveniatur prædictorum hominum memoria, vel ulla appellatio, præter Simonis.* Quo anno hæc omnia & ſingula ſint facta, diſtinctè non poſſim dicere. Exiſtimo operoſam tot moliminum ſeriem ante trigeſimum nonum, aut quadrageſimum iſtius ſæculi annum non potuiſſe expleri. Quod porrò Cyrillus quatuor adversùs Diodorum ac Theodorum libros ſcripſerit, licet Facundus Hermianenſis conetur vocare in dubium, fatetur tamen ejus Collega Liberatus Diaconus. Reluctans interim, & quaſi cum proteſtatione. Nam adjungit iſtos libros à ſolis Acephalis, id eſt, trium Capitulorum Damnatoribus adſtrui, negari autem à Catholicæ veritatis, id eſt, dictorum Capitulorum Defenſoribus. Audienda ſunt ejus verba: *Sed Baſilius quidam Diaconus, ſumens Tomum Procli, quem Armeniis ſcripſerat, Alexandriam venit, & Armeniorum libellos ſuis libellis adnectens, obtulit Cyrillo ejuſdem urbis Antiſtiti. Quibus, ut ferunt rumores, quatuor libros ſcripſit, tres adversùs Diodorum ac Theodorum, quaſi Neſtoriani Dogmatis Auctores, & alium de incarnatione librum.* Dicit, *Ut rumores ferunt*, quod nempe etiam ipſe vellet, ſed non audeat iſtos libros vocare in dubium. At quintæ Synodi authoritas videtur irrefragabilis. Et ipſi palam conſonat in litteris ad Irenæum Theodoretus. Affirmat iſtos libros eſſe à
Epiſt. 16. ſe refutatos. Quin & ipſe Cyrillus ſcribit ad Melitinenſem Acacium: *Inſpectis Theodori ac Diodori libris, quos non de Incarnatione Unigeniti, ſed magis contra Incarnationem ſcripſerunt, poſui aliqua Capitula, & quo potui modo, contradixi eis.*

Baſilius Diaconus eſt omninò ille Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archi-Mandrita, cujus zeloſiſſima & conſtantiſſima adversùs Neſtorium adhuc Epiſcopum, ac ejus tyrannicas in Clerum ac Populum violentias conteſtatio ac appellatio exſtat in prima parte Epheſini Concilii. Hic igitur videns, quod Joannis Antiocheni ac aliorum Orientalium Epiſcoporum Legati tentarent Theodori Capitula purgare, & deſuper legem extorquere, aſſumpſit Sancti Procli Tomum, & ſupra adductos Armeniorum, Perſarum, ac aliarum Gentium contra Theodori perſonam libellos, eiſque adjunxit libellum proprium, & cum omnibus iſtis perrexit ad Sanctum Cyrillum. Nec dubitandum eſt, quin & Sancti Procli litteras habuerit. Etiam litteras aut libellos Sancti Dalmatii Presbyteri & Archi-Mandritæ. De ipſo enim Proclus in litteris, quibus Ibam caſtigari poſtulavit, ſcripſit ad Joannem Antiochenum: *Habebit Ibas*, ſi ſe correxerit, *non ſolum eos, qui nunc de ipſo dubitant, mirantes eum, ſed etiam Sanctiſſimum noſtrum Patrem, Presbyterum & Archi Mandritam Dalmatium, nimium honorantem & mirantem, ſi videat ſapientem eu, quæ piæ fidei ſunt. Modo enim, utpote ſuper aliis eo vulgata, memoratus Sanctiſſimus propter charitatem non mediocriter laceratur, quod ii qui debent in Divinitoribus prædicari, in adverſis accuſantur, ſive zelo dicentium, ſive invidia criminantium.* Dalmatius, uti adversùs Neſtorium, ita & adversùs Theodorum erat zeloſiſſimus. Hinc Epheſini Concilii tempore dumtaxat Diaconus, poſtmodò à Sancto Maximiano aut à Sancto Proclo eſt evectus in Presbyterum. Forſitan ſuas litteras adjunxit etiam, tunc Orthodoxus, Archi-Mandrita Eutyches. Quod enim ſermone & opere potens, ac Sancto Cyrillo gratiſſimus fuerit, infra docebimur. Hæ contra Theodorum lites fuerunt illi prima odii radix in Ibam. Baſilius Diaconus videtur horum omnium fuiſſe Legatus. Quidquid ſit, per laudata arma Sanctum Cyrillum permovit ad ſtringendum calamum in Theodorum, & ad ipſum anathematizandum. Et anathematis firmitatem poſtulandam à principe. Utique per Proclum Regiæ civitatis Epiſcopum, ad cujus munus ſpectabant talia.

Verùm hæc omnia non dimoverunt Antiochenum Joannem à ſuo Propoſito. Nec Ibam caſtigavit, nec deſiit Theodorum defendere. Etiam ejus nepos & Succeſſor Domnus, de quo Facundus Hermianenſis: *Accedat etiam Venerabilis Domnus Antiochenus, qui ſui Deceſſoris Joannis, alio-* L.12.c.4.
*rumque præcedentium Collegarum ſententiam tenens, Eutychi Apollinaris Hæreſiarchæ impietatem renovare tentanti, & ob hoc Diodorum atque Theodorum anathematizare præſumenti, primus reſtitit ad Imperatorem Theodoſium ſcribens.* Idem Facundus nobis cuſtodivit fragmentum iſtius & quidem Synodalis Epiſtolæ: *Veſtram docere cogimur Pietatem, quoniam Apollinaris Hæreſiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renovare pertentat, & Apoſtolicas labefactare doctrinas; Myſterii Incarnationis dogma corrumpens, & Divinitatem Unigeniti & humanitatem vocans unam naturam, commixtionemque & confuſionem aſſerens factam, & ſalutarem paſſionem ipſi incommutabili Deitati adnectens & hos, qui columnæ veritatis, & propugnatores pietatis fuerunt,* L.2.c.55.
*& adversùs omnem Hæreſim clarè virtutem exercuerunt, Diodorum ac Theodorum anathematizare præſumit.* Ex quibus diſcimus plura. Primò, quod Eutyches Diodorum ac Theodorum anathematizarit, Domnus autem defenderit. Nempè hic ex Antiochenæ, ille agebat ex Decretis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Secundò, quod Domnus ſequeretur veſtigia ſui Anteceſſoris Joannis.

Tertiò,

Tertiò, quod Eutyches omninò fuerit unus ex adjutoriis Baſilii Diaconi. Quartò, quod ex nimio Diodori ac Theodori odio ſit lapſus in blaſphemam impietatem Apollinarii. Duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum habebat hanc propoſitionem: *Deus verbum eſt paſſus*. Et conſonabat Sancti Procli Tomus, habens hunc articulum: *Unus è Sancta Trinitate eſt paſſus*. Verùm iſtos articulos hoſtiliſſimè tunc perſequebantur Orientales Epiſcopi. Etiam Theodoretus & alii Orthodoxi. Et hæc eſt una ex cauſis, ob quas Ibas nunquam voluit laudato Tomo ſubſcribere. Iſtos nihilominùs articulos alii omnes conſtanter defenderunt. Erant enim rectiſſimi. Aſſerebant Deum Verbum non in ſua Deitate, ſed in aſſumpta in propriam hypoſtaſin carne fuiſſe paſſum. At verò Eutyches intellexit ac voluit paſſum in ipſa Divinitate, ideoque ab Eccleſia exeidit. Hinc Magnus Leo Pontifex ipſum frequenter, & meritò appellavit Senem delirum ac imperitum. Hæc igitur ſunt prima exordia Eutyebianæ blaſphemiæ. Et ipſis Patriarcha Domnus fuit uſus ad Theodorum ac Diodorum expurgandos, clamans omnes eorum hoſtes eſſe Apollinariſtas: Lucidè id patere in uno iſtorum hoſtium Coryphæo, Eutychete. Ex his item diſcimus exordia Eutychiani odii in Ibam. Similiter prima exordia non ſolius Neſtorianæ hæreſis, ſed etiam Eutychianæ. Ambæ, ac inſuper Pelagiana, ſunt à Theodoro per diverſum tamen influendi modum.

Domni accuſatio videtur facta anno quadrageſimo primo iſtius ſæculi: In ipſo exordio ſui Epiſcopatus. Iſto enim anno Joannes Patriarcha eſt defunctus, & Domnus ſucceſſit. Eodem item anno Eutyches incepit ſuam hæreſim. Teſtem adduco Sanctum Anaſtaſium Synaitam: *Annis circiter poſt* Epheſinum Concilium *decem Eutyches quidam, Archi-Mandrita Conſtantinopoli, eſt exortus, qui diceret totum Chriſtum eſſe naturam unicam.* Eodem tempore poſſit cœpiſſe turba illa, de qua Imperator Theodoſius in litteris, per quas Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham avocavit ad ſecundum Epheſinum Concilium: *Pervenit ad noſtræ Serenitatis auditum, quia multi Reverendiſſimi Orientales Archi Mandritæ ſimul cum Catholicis Populis adverſùm quoſdam Epiſcopos, qui Neſtoriana impietate ægrotare dicuntur, in quibuſdam Orientalium civitatibus conſtituti laborarent, & pro fide Catholica contenderent*. Clamabant Theodorum docuiſſe eadem cum Neſtorio, ac ejus fuiſſe Magiſtrum, ideoque Joannem Antiochenum, & alios Theodori defenſores Epiſcopos eſſe palam Neſtorianos. Iſtorum Archi-Mandritarum Coryphæus erat Barſumas, Eutycheti amiciſſimus, ac eadem cum ipſo ſentiens. Et poſſint ab Eutychete, qui Sancti Procli, Sancti Cyrilli, Imperatoris Theodoſii, ac plurium etiam Orientalium Antiſtitum contra Theodorum Acta & Senſa norat, fuiſſe inflammati, & varia ab ipſo fomenta accepiſſe. Hinc igitur Patriarcha Domnus ſtatim in ſui Epiſcopatus exordio cenſuit ipſum compeſcendum, atque ita capiſtrum injiciendum etiam Barſumæ, & aliis ſibi rebellibus per Orientem Monachis. Eum apud Theodoſium accuſavit de reſuſcitato Apollinario.

Accuſatio acerbè momordit Eutychetem. Hinc ſe contulit ad Apoſtolicam Sedem, & Magno Pontifici Leoni queſtus eſt, *Quod Neſtoriana Hæreſis quorumdam rurſum ſtudiis pullularet*. Non Conſtantinopoli, ſed in Orientali Diœceſi. Palam reddit rationem Domno, ipſumque, ac item Theodoretum, Ibam, & alios iſtic Epiſcopos accuſat, quod Diodorum ac Theodorum defenderent, atque ita reſuſcitarent Neſtorianam Hæreſim. Et Papa laudavit ejus zelum, ac benignè reſcripſit. Quinti Concili Acta rectè ajunt: *Leo Sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ & ſuſcepit Eutychetem, & reſcripſit, comprobans eum, & tamen poſtea condemnavit, & anathematizavit eum, ut Hæreticum*. Reſcriptum datum eſt Calendis Juniis, Conſulatu Poſthumiani & Zenonis. Eſt iſtius ſæculi annus quadrageſimus octavus. Proinde Eutychetis querimonia fuerit facta anno præcedenti. Et ab ipſo omnes paſſim numerant exordium Eutychianæ blaſphemiæ. Hinc Sanctus Papa Gelaſius in litteris, per quas Dardaniæ Epiſcopis intimavit ſuæ Papalis Dignitatis ingreſſum, affirmat Eutyehetem incepiſſe ante annos ferè quadraginta & quinque. Scripſit ejuſdem ſæculi anno nonageſimo ſecundo, ideòque iſta exordia palam refert in annum quadrageſimum ſeptimum.

Quæſtio eſt, Quare & quomodo Eutyches tamdiu ſiluerit? Quomodo & quare ſe adversùs Domnum non ſtuduerit purgare? Reſpondeo non dubitandum, quin ſtuduerit, & nullatenus ſiluerit. Licèt documenta non habeamus, perſuademur à rerum & Actorum conſequentia. Purgavit ſe & apud Theodoſium, & apud Proclum. Etenim cum Proclo, cui tamen Domnus fuit amiciſſimus, nihil umquam habuit quæſtionis. Proclus & Domnus, licèt circa Theodori ac Diodori cauſam penitus diſſentirent, habuerunt aliud amicitiæ vinculum: Nempe Pacta illa de admittendo, qui Conſtantinopolitanæ Cathedræ indulgebat ſecundum totius Eccleſiæ locum, Canone Conſtantinopolitani Concilii, nobis à Theodoreto relata in litteris ad Sanctum Flavianum, proximum Procli Succeſſorem. Proclus obiit iſtius ſæculi anno quadrageſimo ſeptimo: Et Eutyches tunc erat adeò purgatus & integer, ut Regiæ civitatis Cathedram prætenderet, verùm Sanctus Flavianus obtinuit.

Alexandriæ Patriarcha, qui quadrageſimo quarto iſtius ſæculi anno ſucceſſerat Sancto Cyrillo, Dioſcorus, iſtis Pactis graviſſimè offenſus, Orientalem tunc divexabat Eccleſiam. Cyrillus, licèt Diodorum ac Theodorum anathematizaſſet, ob ejus tamen patrocinium non damnabat Orientales Epiſcopos, ſed cum illis fovebat communionem & amicitiam. At de Dioſcoro in præfata ad Sanctum Flavianum Epiſtola ſcribit Theodoretus: *Rati nos adjutorem ac ſocium ad ea, quæ contra fidem Apoſtolicam moventur, habituros Deo cariſſimum Alexandriæ Epiſcopum,*

Domi-

*Dominum Dioſcorum, miſimus unum è Religioſiſſimis Presbyteris, prudentia inſignem, cum litteris Synodicis, Pietati ejus ſuggerentes, nos in eo fœdere, quod ſub beatæ memoriæ Cyrillo initum eſt, permanere, ſcriptamque ab eo Epiſtolam amplecti, & Beatiſſimi quoque Athanaſii Epiſtolam, quam ad Beatum Epictetum ſcripſit, libenter recipere, atque antè hæc fidem in Nicæa Bythiniæ à Sanctis Patribus expoſitam. Et hortati ſumus, ut eos, qui in his permanere nolunt, ſuadent permanere. Verùm abiens hinc quidam ex illis, qui contraria ſentiunt, & tumultus iſtos ciens, cum aliquos illic decepiſſet, & ſexcentas contra nos calumnias texuiſſet, nefandas contra nos vociferationes excitavit. Deo autem Chariſſimus Epiſcopus Dioſcorus Epiſtolam ad nos ſcripſit, quam ab eo ſcriptam non decuit, qui ab univerſorum Deo didicerat vocem mendacii non ſuſcipere. Eis enim fidem habens quæ contra nos dicta fuerant, quaſi accuratè ſingula examinaſſet, ac veritatem per tormenta expreſſiſſet, ita nos condemnavit. Sed nos calumniam forti animo pertulimus, eique blandis litteris reſcripſimus, & Pietati ejus oſtendimus falſa eſſe hæc omnia, nullumque Deo Chariſſimorum Orientis Epiſcoporum ab Apoſtolicis dogmatibus diſſentire. Quod & Religioſiſſimis Clericis, qui ab eo venerant, ipſa rerum experientia perſuaſum eſt. At ille omnibus valere juſſis, & calumniantibus aures tradens, rem aggreſſus eſt, quæ credi nullatenus queat, niſi teſtem haberet Eccleſiam. Tulit enim illos, qui nobis anathema dicebant, ſurgenſque & acclamans illorum voces confirmavit. Ad hæc aliquos ex Deo chariſſimis Epiſcopis in urbem Regiam miſit, ut accepimus, majores ſperans contra nos tumultus excitandos. Nos verò primùm Defenſorem habemus omnium Inſpectorem Deum, pro Divinis ſiquidem ejus dogmatibus dimicamus; deinde verò tuam quoque Sanctitatem obteſtamur, ut oppugnatam fidem tueatur, & pro conculcatis Canonibus decertet.* Et poſt quædam: *Ut autem hoc quoque tua Sanctitas non ignoret, ſcito hanc illum adversùs nos puſillanimitatem gerere, ex quo Synodicis veſtris, ſub beatæ memoriæ Proclo factis, Sanctorum regulis inhærentes adhæſimus, & de hoc nos ſemel & iterum increpaſſe, quaſi Antiochenorum, ut ait, & Alexandrinorum jura prodiderimus. Horum memor, tempuſque, uti ei viſum eſt, nactus, inimicitias patefecit.*

Docent plura ad præſentem rem ſpectantia. Primò, quod præfata Procli ad Domni de Conſtantinopolitanæ Sedis Primatu Pacta Dioſcorus, etiam vivo Sancto Cyrillo, utpote Alexandrinæ Eccleſiæ tunc Archi-Diaconus, ſemper iniquiſſimè tulerit. Secundò, quod etiam tunc Domnum ac ejus Epiſcopos durè increpaverit, tamquam Apoſtolici ac ſexti Nicæni Canonis Prævaricatores, ac Proditores non ſolius Alexandrinæ, ſed ſuæ etiam propriæ Antiochenæ Eccleſiæ. Tertiò, quod tunc iſtam injuriam vindicare non valens ſibi ipſi dixerit: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Quartò, quod factus Alexandrinus Epiſcopus crediderit iſtud tempus adveniſſe: Quod cœperit ſurſum ac deorſum inclamare Sancti Marci Sedem, utique ab iſta infamia liberandum. Quod cœperit occaſiones quærere. Quintò, quod Domnus ac ejus Epiſcopi hæc audientes cœperint ſibi timere. Nam etiam audiebant, quomodo ille in Sancti Cyrilli Acta, nepotes, ac amicos graſſaretur. Sextò, quod capiendi conſilii cauſa Synodum fecerint. Septimò, quod ex ipſa eximium Presbyterum cum Synodicis litteris legaverint, profitentes ſe in inita inter ſuos Anteceſſores, Cyrillum ac Joannem, pace firmos permanere, ac in cunctis ejus conditionibus: Nempe in ſincera adhæſione ad Nicænum Symbolum, ad Sancti Athanaſii Epiſtolam ſcriptam Epicteto Corinthiorum Epiſcopo, & ad Sancti Cyrilli Epiſtolam, Orientalibus tunc miſſam per Paulum Emeſenum Epiſcopum. Octavò, quod Dioſcorum rogaverint, ut illos Epiſcopos & Populos, qui illa prævaricarentur, poſtularet caſtigandos. Nonò, quod tunc in Orientali Eccleſia reſtarent diſcordiæ ac turbæ: Quidam enim volebant firmum eſſe Sancti Cyrilli ac Sancti Procli de Theodoro judicium, ac ipſum etiam à Domno Patriarcha ac ipſi adhærentibus Epiſcopis anathematizari. Hi haud dubiè erant iſti cum Barſuma Monachi, itemque Edeſſeni Clerici, quidam militiæ Primates, & plures alii, de quibus eſt actum in ſuperioribus. Hos Theodoretus ſcribit eſſe authores tumultuum. Decimò, quod iſtorum quidam hanc ſuæ Synodi legationem audiens duxerit ipſam impugnandam: Quod ipſam impugnaturus Alexandriam abierit. Haud dubiè Legatus à ſuis Aſſeclis. Undecimò, quod idem ille multorum Alexandrinorum aures circumſcripſerit, atque ita ſexcentas calumnias contra ſuos Epiſcopos ſeminaverit. Duodecimò, quod contra ipſos ſuſcitaverit neſandas vociferationes. Vociferationes anathematis. Nempè Orientalium Populorum vociferationibus, *Creſcat fides Theodori, credimus cum Theodoro*, reddidit rationem, & ab Alexandrino Populo exclamari fecit: *Anathema Theodoro, anathema ejus defenſoribus*. Decimotertio, quod Dioſcorus iſta libenter audierit, ideòque præcipitem ac terribilem Epiſtolam ad Orientales ſcripſerit, horrendè mandans juxta Sancti Cyrilli Edicta Theodorum anathematizari, niſi mallent ipſi cum illo ſuſtinere idem ſupplicium. Addidit omnes Theodori Defenſores eſſe etiam duorum in Chriſto Domino filiorum Dogmatiſtas, ideòque manifeſtè Neſtorianos: Et hæc abundè ſibi conſtare. Decimoquarto, quod hæc illis intimaverit per Legatos Clericos. Decimoquinto, quod Orientales Epiſcopi ſe abundè purgaverint apud iſtos Legatos, & nihilominùs addiderit purgatorias ad Dioſcorum litteras. Decimoſexto, quod Dioſcorus nullam penitus purgationem admiſerit. Decimoſeptimo, quod iſtos turbidos Orientalium Epiſcoporum calumniatores advocaverit, ipſos ad ſuperiora denuò vociferanda animarit, ac præfati præſertim anathematis exclamationem, ſurgens in ſuo Throno, & acclamans, confirmaverit. Quod anathematizarit omnem Orientalem Eccleſiam: Saltem ejus Patriarcham ac Primates Epiſcopos.

ſcopos. Quod ita ſit palam prævaricatus ſextum Nicænum Canonem, ſancientem quod Alexandrino Patriarchæ nihil poteſtatis ſit in Orientalem Diœceſim. Hæc calamitas duravit ab anno quadrageſimo quarto uſque ad quadrageſimum ſeptimum.

Et certè afflicti Orientalium Epiſcopi quò confugiſſent? Etenim Eutyches, quem Domnus Patriarcha potenter accuſarat, ac ita ſperarat compeſcendum, plenè ſe expurgavit apud Sanctum Proclum, profeſſum Theodori hoſtem, atque ita ejus aures Orientalibus plenè clauſit. Et omnis Regiæ *civitatis* Eccleſia oderat Theodoretum. Tandem annus quadrageſimus ſeptimus Sanctum Proclum evocavit ad meliorem vitam, & rejecto Eutychete dedit illi Succeſſorem Sanctum Flavianum. Et huic non ſolus competitor Eutyches adverſabatur, ſed etiam Dioſcorus. Optimus enim Flavianus Sancti Cyrilli nepotes, à Dioſcoro expilatos, & in Regia civitate mendicantes, ſtatim cœpit eleemoſynis adjuvare, atque ita iſtum Pharaonem graviter offendit. Hinc auxilii ſpem conceperunt Orientales Epiſcopi, ipſum ſperarunt etiam offenſum duobus iſtis turbinibus, atque ita per Theodoretum confugerunt ad illum, & poſtularunt duo: Defenſionem Orthodoxæ fidei, & obſervantiam Sacrorum Canonum. Defenſionem fidei contra Eutychetem & ejus Complices, quos jam olim Patriarcha Domnus ex firmis fundamentis accuſaverat, & quos nunc adjuvabat Dioſcorus; Canonum obſervantiam contra eundem Dioſcorum, qui ſextum Nicænum Canonem ſpernens exercebat Tyrannidem in Orientalem Diœceſim. Et Sanctus Flavianus admiſit preces, & addixit patrocinium. Etenim Eutyches quotidie fiebat ſuſpectior ac manifeſtior. Et Euſebii Dorylenſis Epiſcopi adversùs eum clamores videntur tunc incepiſſe. Certè Sancti Flaviani contra eum Synodus eſt iſto ipſo anno facta, die ſexto Idus Novembris. Novus igitur hæreſiarcha, ad ſuum Patriarcham non habens refugium, recurrit ad Magnum Leonem Pontificem, lamentans Neſtorianam hæreſim à quibuſdam reſuſcitari: Et reſurgere. Ex his vides ipſum etiam adversùs primam Domni accuſationem nullatenus tacuiſſe.

Et inter iſtos Reſuſcitatores non ſine fundamento numeravit Theodoretum. Hic namque Diodorum ac Theodorum pertinaciſſimè defendebat, & Sancti Cyrilli contra ipſorum dogmata libros tentaverat. Ita ipſe profitetur & gloriatur in ſupra-adductis litteris ad Irenæum Tyri Epiſcopum: Et iſtorum librorum fragmenta exſtant in Actis quinti Concilii. Et contra iſtos Errones tandem emanavit lex, qua Imperator Theodoſius datam adversùs Neſtorii Scripta legem extendit etiam ad Diodori ac Theodori Scripta, & ipſa ubicumque reperta juſſit exuri. Lex exſtat in quinto Concilio. Quæritur ejus tempus. Etenim adversùs Theodoretum exſtant tria Regia Edicta. Primum eſt illud circumſcripti intra Cyrenſem civitatem exilii Commonitorium, quod Imperator Theodoſius propria manu ſubſcriptum illi miſit per Rufum Comitem, & per Orientalis militiæ Magiſtrum juſſit mitti in executionem; *Quoniam ille illius civitatis Epiſcopus aſſiduè congregat Synodos, turbatque ea res Orthodoxos, da operam congruenti moderatione ac prudentia, ut is Cyro ſe contineat, nec ad aliam civitatem proficiſcatur.* Ep 79.80.
Videantur ejus litteræ ad Anatolium Patricium, ad Eutrechium Præfectum, & ad alios. Iſtas turbidas Synodos agitabat ſub Domno Patriarcha pro Dioſcoro ac Theodoro: Earum ipſe os Epiſt. 83.
& lingua. Ad Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham ſcribit tunc fluxiſſe ſeptimum Domni annum. Erat iſtius ſæculi annus quadrageſimus ſeptimus. Iſte ipſe, quo Eutyches eum accuſavit apud Leonem Pontificem. Epiſtola enim ad Dioſcorum videtur non niſi lapſo poſt inflictum exilium anno ſcripta. Ita Eutyches, qui apud Sanctum Flavianum nihil poterat, poterat multa apud Theodoſium, & ſperabat etiam poſſe apud Romanam Eccleſiam.

Aliud Edictum eſt ejuſdem Theodoſii Sacra juſſio, qua Dioſcorum Patriarcham evocavit ad ſecundam Epheſinam Synodum habens inter cætera: *Theodoretum ſanè Epiſcopum Cyri civitatis, quem pridem juſſimus ſuæ ſoli vacare Eccleſiæ, ſancimus non prius ad Sanctam Synodum convenire, niſi univerſo Sancto placuerit Concilio & ipſum concurrere, & pariter intereſſe.* Eſt data Conſulatu Poſthumiani & Zenonis, eodem anno, quo Sanctus Leo ſuas ad Eutychem reſcripſit litteras, & quo Sanctus Flavianus ſuam adversùs eundem celebravit Synodum. Et quidem tertiò Calendas Aprilis. At verò hæc Epiſtola data eſt Calendis Junii, iſta verò Synodus cœpit ſextò Idus Novembris. Porrò iſtud Epheſinum Concilum fuit indictum ad retractandum illius Synodi de Eutychete Judicium. Hinc quæritur, quomodo illius indictio poſſit iſtius celebrationem præceſſiſſe ad medium annum? Quin & Epheſinum Latrocinium ſcribitur Actum eodem anno, ſextò Idus Auguſti. Tribus menſibus ante Sancti Flaviani Synodum. Eadem eſt quæſtio de Reſcripto magni Leonis. Reſpondeo eſſe mendum. Aliud neſcio.

Tertium edictum eſt ejuſdem Principis Sacra Juſſio, qua Epheſini Latrocini Acta confirmans ſtabilivit etiam Theodoreti degradationem, ac damnavit ejus Scripta. Nempe Scripta contra Capitula Sancti Cyrilli. Juſſio dari non potuit, niſi ad ſequentem annum. Hinc igitur quæritur, quæ ſit, quando data ſit adversùm Theodoreti libros lex, quam laudat quinta Synodus?

Reſpondeo eſſe eam ipſam, quæ confirmavit Acta Epheſini Latrocinii. Utraque habet idem prooœmium, & eundem ferè finem. Earum præcipua differentia eſt, quod poſterior prætermittat illa, quæ tangunt Sanctum Flavianum, Domnum Antiochenum, alioſque latrocinaliter degradatos Epiſcopos. Neſcio quis Theodoreti Adverſarius legem ita caſtravit, & fabricavit quaſi ſingularem in Theodoretum. Et ne latrocinalis appareret, abſcidit illa, quæ erant in Domnum, ac præſertim in Sanctum Flavianum.

Plura

Digitized by Google

Plura iſtiuſmodi caduca contra Theodoretum, itemque contra Ibam argumenta habemus in quinto Concilio: Et tale palam eſt Epiſtola, quam de Sancti Cyrilli morte Theodoretùs aſſeritur ſcripſiſſe ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum. Etenim Joannes trienoio obiit ante Sanctum Cyrillum. Et talis forſitao ſutela eſt etiam lex adversùs Theodorum. Etenim ſi talis lex exſtitiſſet, quomodo Domnus Patriarcha, Ibas, Theodoretus, ac alii Orientales Epiſcopi adversùs illam præſumpſiſſent Theodorum defendere? Et Edeſſeni Clerici adversùs Ibam adduxerunt omnia poſſibilia: Et tamen de iſtius legis prævaricatione penitus ſiluerunt. Et lex emanaſſe dicitur ad Sancti Cyrilli non contra ſolum Theodorum, ſed & contra Diodorum libros, & tamen de illis noo ſancit æqualiter: Diodorum nominat, at ſilet de ejus libris. Hi prius comparent in ſecunda Lege. Snnt & alia argumenta technæ & artis. Certè credibilius eſt, quod Joannes ac Domnus, Patriarchæ Antiocheni, eiſque adhærentes per Orientem Epiſcopi, ſolam Procli auctoritatem, & ſolos Cyrilli libros, quibus dicebatur anathema Theodoro, parum curaverint, ideoque perrexerint illum defendere. Eos lex omninò deterruiſſet. Quidquid ſit, omnia ab Epheſino Latrocinio ac Theodoſii lege adversùs Theodoretum Decreta & Acta circumduxerunt Magnus Papa Leo, Chalcedonenſis Synodus, ac Imperator Marcianus; Ejus & perſonam & Scripta reſtituerunt in plenam libertatem. Marciani lex Theodoretum non dumtaxat Euſebio Doryleenſi, ſed etiam Sancto Flaviano adjungit, ipſumque appellat Religioſum Epiſcopum. & concludit; *Injuſta ſententia nihil obſit Theodoreto, qui eadem Theodoſii lege continetur. Quoniam non poſſunt Sacerdotes conſtitutione damnari, quos Synodicum ornat de conſervata religione Decretum.* Exinde cœpit non ſolius Theodoreti ac Ibæ, ſed etiam Diodori ac Theodori defenſio eſſe libera.

Hinc enim ſub Juſtini primi Imperio Sergius Cyrenſis Epiſcopus, ejuſque Clerici fecerunt, quod Conſtantinus Imperatoris Juſtiniani Quæſtor dixit ad quiotum Concilium: *Clerici venerandæ Eccleſiæ Cyri imaginem Theodoreti rhedæ impoſuerunt, & in prædictam civitatem pſallentes introduxerunt, Sergius verò tunc civitatis Epiſcopus Collectionem celebravit Theodori, & Diodori, & Theodoreti, & Neſtorii, tanquam unius SS.* Act. 7. *Martyrum.* Addidit Sergium ea de cauſa fuiſſe degradatum, ac perpetuò ejectum. Utique oon propter Theodorum, Diodorum, aut Theodoretum, ſed quod ipſis Neſtorium adjungeret, & venerandum juberet ut Martyrem. Quin immò etiam poſt quintam Synodum ſcripſit in illuſtrium virorum catalogo oeſcio cujus appendix ad Sancti Hildephonſi Toletani Archi-Epiſcopi catalogum: *Theodorus Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopus, ita clarè copioſeque ſcientiæ doctrina refulſiſſe refertur, ut prædicaretur, ſi referre fas eſt, mille voluminum Summam in Græco conſcripſiſſe adversùs omnium Hæreticorum errores. Hunc Acephalorum Epiſcopi, in præjudicium Chalcedonenſis Concilii, Juſtiniano Principe compellente, damnare poſt mortem cum Iba & Theodoreto Epiſcopis conſuerunt, dum conſtat eum, laudabilium virorum teſtimoniis, clariſſimum Eccleſiæ Doctorem fuiſſe. Vixit uſque ad Imperium ſenioris Leonis.* Quin immò jam ſupra audivimus, quod Theodorus decem librorum millia ediderit. Attamen uſque ad Leonis imperium non protraxit vitam. Etenim obiit quinti ſæculi anno vigeſimo ſeptimo. Et certè Scriptor iſte eſt non parum injurius in quintam Synodum. Interim ſcripſit juxta antiquum ſenſum Hiſpaniæ, quæ iſtam Synodum noluit admittere. Quam nos appellamus ſextam, Hiſpani appellant quintam. Hæc ſunt alterius loci. Addo tamen Liberatum Diaconum, utpotè pertinacem Theodori patronum, in harum quæſtioonm expoſitione non parum ceſpitare: Præſertim circa Decretorum, quæ à Sancto Cyrillo ac à Sancto Proclo proceſſerunt, tempus & ordinem. Et ipſe, & Hermianenſis Facundus, aliique trium Capitulorum adversùs quintam Synodum defenſores, diſpenſatoria pro Theodoro Decreta voluerunt eſſe poſtrema, & dictos Patres in iſtis perſtitiſſe. Graviſſimè labuntur. Et ex hoc errure ſunt lapſi in alios. Res ita pependit uſque ad quintam Synodum.

## CAPUT XLV. —133

*Hypomnyſticum Theodoreti ad Alexandrum Metropolitanum.*

VEnientibus quibuſdam, & qui præſentes ſe fuiſſe ipſo tempore in ipſa Thyanenſi Civitate, & hæc vidiſſe confirmaverunt, cognovimus quia Firmus ſubtrahens aliquos, qui erant de Provincia ſua, cum multitudine venit ſuper Deo Amiciſſimum Eutherium, & quemdam ex Aſſeſſoribus ordinavit. Et quia Magnificentiſſimus Comes Longras Iſauros ad auxilium Sanctiſſimi Epiſcopi Eutherii deſtinavit. Et portas quidem Civitatis ad eos, qui contra Epiſcopum venerant, Cives claudebant. Dum ergò ingreſſi fuiſſent univerſi, ſupervenientes tenuerunt, inter quos & eum, qui ab eodem Firmo fuerat ordinatus. At verò ipſe, qui ordinatus eſt, negavit Ordinationem ſuam, dicens & contra voluntatem ſe ordinatum fuiſſe, & non acquieviſſe, ita ut mox ſe indueret Chlamydem, & in Theatrum vadens exſpectaret ludos. Aliqui verò, qui cum ipſo erant, fugientes ad Nazianzum pervenerunt. Hæc agnoſcens multo dolore atque anguſtia ſum repletus, cogitans Eccleſiarum, quæ ubique ſunt, perturbationem & procellam, ſolam & per omnia peſſimam. Oret igitur Sanctitas tua, & Dominum deprecetur, ut extinguat hanc validiſſimam tempeſtatem, &

vel

vel modicam ſerenitatem donet Eccleſiis. Quæ verò & contra Deo Amiciſſimum Epiſcopum Dorotheum Martianopolitanum tentaverunt Adverſarii veritatis efficere, & ex ipſis agnoſces Domine, quæ ab eo ad Amatorem Chriſti Regiæ Urbis Populum per Epiſtolam dicta ſunt. Hujus enim rei gratia, nobis ab aliis directum, exemplar earundem litterarum tuæ Sanctitati direxi.

## Scholion.

Hoc Hypomnyſticum eſt factum & ſcriptum antè unitam Eccleſiæ Pacem. Eutherius Thyanenſis Epiſcopus erat unus illorum Epiſcoporum, quos degradaverat Epheſina Synodus, & quos Maximiani Conſtantinopolitani Antiſtitis Concilium decreverat ſuis Thronis & civitatibus exturbandos. Hinc Firmus Cæſaræenſis Epiſcopus, primæ Cappadociæ Metropolita, Ponticæ Diœceſeos Exarchus, zeloſiſſimus Sancti Cyrilli adjutor in Epheſina Synodo, & in iſta Conſtantinopolitana Aſſeſſor præfati Maximiani, cum armata manu venit Thyanam, alium conſecravit Epiſcopum, & conatus eſt Conſtantinopolitanam ſententiam exequi, & ejicere Eutherium. At hunc adjuvit Thyanenſis Populus, nec non & Comitis Longras Iſauricum auxilium, atque ita ipſum Firmum cum omni ſua turma ejecit. Ex quo lucet hæc antè pacem contigiſſe. Pax enim fuit ſigillata & firmata per ſacras juſſiones Principis, ideòque nec Thyanenſis Populus, nec præſertim Comes Longras præſumpſiſſet in ipſam impingere. Porrò Firmus ad hanc occaſionem fuit non parum gaviſus. Etenim ſpectantium ad ipſum Metropolitarum conſecrationem Conſtantinopolitani Patriarchæ jam cœperant invadere: Hac occaſione ſperavit ſibi ac ſuæ Sedi reparare ſua Privilegia. Theodorus Balſamon in Scholio ad ſextum Sardicenſem, & in Scholio ad ſecundum Conſtantinopolitanum, & in Scholio ad vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem affirmat trium Autocephalarum Diœceſeon Metropolitas antè hunc poſteriorem Canonem fuiſſe conſecratos à ſuis Synodis. Videtur labi. Videntur fuiſſe conſecrati à ſuis Exarchis. Nam hoc iſtorum jus invaſit Regiæ civitatis Epiſcopus, & per iſtud incepit ſe oſtentare Patriarcham.

Hic Firmi pro Epheſina Synodo zelus fuit omninò laudandus. Attamen fuit ſine ſale. Etenim contra Sardicenſes Canones ac totius Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem ordinavit hominem neophytum, & invitum. Et hinc lucet homini plenè invito ac voluntati repugnanti injectam Conſecrationem eſſe penitus vacuam & nullam. Etenim hic novus Thyanenſis Epiſcopus, dum ſe vidit civitate ejiciendum, *negavit Ordinationem ſuam dicens, & contra voluntatem ſe ordinatum fuiſſe, & non acquieviſſe, ita ut non indueret chlamydem, & in Theatrum vadens exſpectaret ludos*. Nempè uti Laicus, & nulla ratione Epiſcopus. Et omnis Thyanenſis Populus acquievit. Non ejecit hominem, ſed permiſit adeſſe ſpectaculis. Nempè norat iſtiuſmodi impreſſionem eſſe inane Attentatum. Notanda ſunt verba: *Dicens contra voluntatem ſe fuiſſe ordinatum, & non acquieviſſe*. Affirmant nos, licet inviti ordinemur, in ſuſcipiendam, ut valida ſit, Ordinationem debere tandem acquieſcere. Lucidè ac inſigniter hoc docet Sanctus Auguſtinus in litteris ad Donatum, in Donati Schiſmate Presbyterum, nolentem per pœnales Romanorum Imperatorum leges cogi ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ, ac ſempiternam ſalutem: *Attende quid* Epiſt. 204. *Apoſtolus dixerit*, Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, *& tamen tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas operis boni*. Palam affirmat ipſos non conſecrari, niſi talis voluntas ipſis antea extorqueatur. Et ita factum fuit Sancto Paulino, Sancto Pauliniano, Sancto Epiphanio, aliiſque non paucis, quos invitos ſcimus fuiſſe apprehenſos, & conſecratos. Hinc & Baſſianus Epheſinus Epiſcopus de ſuo Anteceſſore Memnone dixit ad Chalcedonenſe Concilium: *Memnon invidiam habens in iſtis, quoniam diligebar ab omnibus, nihil non egit, ut expellerer à civitate. Et immiſit manum ſuam, ut me ordinaret Epiſcopum Evazorum. Et hoc fecit. Ego autem non acquieſcebam, ſed ab hora tertia uſque ad ſextam coram Altari me plagis afflixit: Et Sanctum Evangelium & Altare ſanguine impletum eſt*. Baſſiani ſanguine, donec in Ordinationem conſentiret. Epiſcopalis Ordinatio fieri debebat continuato ab heri uſque hodiè jejunio, ideòque differri non poterat ultra prandium: Hinc Baſſianus ab hora tertia uſque ad ſextam permiſit ſe percuti & ſanguinolentari. Et tandem, quò plagas evaderet, conſenſit.

Eadem de re ſcribit in funebri ſui Patris Gregorii elogio, agens de Euſebii Cæſaræenſis Archi-Epiſcopi electione & conſecratione, Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Cæſareæ Cives de Ar-* Orat. 19. *chi-Epiſcopi creatione inter ſe contendebant, acriſque ſeditio erat, & quæ non facilè comprimi ac ſedari poſſet. Nonnulli Epiſcopi aderant, ut Archi-Epiſcopum darent. Sed cum in plures ſententias multitudo diſtraheretur, tandem Plebs tota uno conſenſu primarii ordinis virum, vita quidem & moribus eximium, Divino tamen Baptiſmate necdum conſignatum, invitum & repugnantem corripientes, ſimulque militaribus copiis, quæ tunc in urbe erant, opem adferentibus, in Sacrario collocarunt, & Epiſcopis obtulerunt, ab eiſque petere inſtiterunt ut eum initiarent, & Antiſtitem proclamarent, ſuaſioni interim vim admiſcentes: Non id quidem admodum modeſtè atque compoſitè, admodum tamen piè atque ardenter. Quid fit, & quò ſeditio progreſſa eſt? Coacti illi eum purificarunt, Antiſtitem renunciarunt, in Throno collocarunt, manu tamen potius, quam voluntate, animique affectu, velut poſtea declaratum eſt*. Euſebium baptizarunt, conſecrarunt,

Digitized by Google

runt, ac inthronizarunt. Sed manu potius, quam voluntate. Attamen & voluntate. Nam ſine voluntate manus operari non poterat. Pergit Gregorius: *Ut enim lubentibus animis deceſſerunt, ac ſententiam ſuam in ſuo arbitrio & poteſtate habuerunt, conſilium inter ſe ineunt, haud ſciu an ſpirituale, ſed ineunt tamen, nempè ut nihil eorum, quæ geſta fuerant, ratum ac firmum eſſe ducerent, nec inſtitutionem legitimam: Vim et objicientes, qui non minorem ipſe vim paſſus fuerat, ac ſermones quoſdam arripientes, ut petulanter magis, quam ſapienter eo tempore prolatos.* Epiſcopi illi ad Epiſcopalis Conſecrationis valorem volebant non dumtaxat in conſecrato, ſed etiam in conſecrantibus requiri voluntatem, non extortam, ſed plenè liberam, ideoque ſua in Euſebio opera clamabant eſſe irrita ac nulla. Adeò alieni erant ab illo Commento, quod vult Conſecrationem plenè invitis contra omnem voluntatis reniſum poſſe imprimi. Verùm Gregorius Nazianzenus Epiſcopus potenter interceſſit, demonſtrans extortam voluntatem in ambobus ſufficere. Et iſta omnia in laudata oratione confirmat ejus filius Gregorius Theologus.

Eadem eſt ratio iſtarum Ordinationum, quam invito Presbytero Sylvanus Calaguritanus in Hiſpania Epiſcopus, & quam Gregorio Mutinenſi Epiſcopo impreſſit Joannes Archi-Epiſcopus Ravennæ. Primam in litteris Aſcanii Tarraconenſis Metropolitæ ad Hilarum Papam, ſecundam habes in litteris Simplicii Pontificis ad præfatum Joannem. Iſta violentia erat tunc adeò communis, ut Sanctus Auguſtinus ſcribat in ſecundo libro de adulterinis conjugiis: *Solemus eis, qui dimiſſa ob adulterium uxore nolunt caſtè vivere, ſed ad novas tranſire nuptias, proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum Populorum violentia caperemini, nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repente converſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitaſtis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum conſolatur. Reſpondemus: Et vos timor amplior moderetur. Si enim multi Dei miniſtri repente atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere, quanto magis vos adulteria cavendo vivere continenter debetis, metuentes non in Regno Dei minus fulgere, ſed in gehennæ ignibus ardere.* Dicit illos Populorum violentia capi, & Sacrum miniſterii Ordinem illis repente ac inopinanter imponi, & tamen ipſos ſuſcipere iſtud onus, ſperantes fulgere in Chriſti Regno, & converſos ad impetrandas à Domino vires. Quia nempe nolentes volunt, & volentes nolunt. Omnis namque iſta violentia infertur ad extorquendam voluntatem. Quæ dum non extorquetur, nihil fit, nihil fieri poteſt. Sine ipſa ordinatus poteſt imitari præſentem militem ordinatum à Firmo: Poteſt redire ad cingulum & ſæculum.

Cap. 20. (margin note beside "nis, ut Sanctus Auguſtinus")

Porrò hæ violentiæ olim fiebant ex variis cauſis. Primò ex paucitate Clericorum. Dum Eccleſia indigebat Epiſcopo aut Clerico, & apta perſona non erat ad manum, quandoque ex ſemetipſo, quandoque ab Epiſcopo aut Clero accenſus Populus rapiebat aliquem, raptumque ac ſibi præſentatum Epiſcopus conſecrabat. Secundò, ex avaritia. Ita nobilem virum Pinianum, quod illuſtris ac opulentus eſſet, & Hipponenſis & Tagaſtenſis Eccleſia ſtuduerunt ſuo Clero per violentiam adſcribere, atque ita quæſtio nata eſt inter earum Epiſcopos, Sanctum Alipium ac Sanctum Auguſtinum. Eo enim tempore Clericum ſequebantur omnia ejus bona, & cum ipſo devolvebantur in Eccleſiæ dominium, ideoque quidam Populi conabantur opulentos rapere. Tertiò, rapiebant ex invidia. Ita quidam Epiſcopi ſuos, quos oderant, Archi-Diaconos, aut raptu, aut alia violentia conſecrabant in Presbyteros. Ita & Patriarchæ, Primates, ac Metropolitæ inviſos ſibi Clericos violenter conſecrabant in Epiſcopos: Quo eos ex ſua Eccleſia, ac à ſuis oculis ſub honoris fuco ejicerent. Ita Baſſianum à Memnone Epheſino, à Joanne Ravennate audivimus conſecratum Gregorium Mutinenſem Epiſcopum.

Quarta violentiæ cauſa fuit juſſio Principis. Quandoque juſta, quandoque iniqua. Etenim Capitales reos, aut undecumque ſibi ſuſpectos, dum clari ſanguinis aut eminentis dignitatis eſſent, Principes non rarò jubebat tonderi in Monachos, aut etiam conſecrari in Epiſcopos vel Clericos. Juxta variam perſonæ qualitatem. Sic enim conſecrati nequibant ad cingulum redire, aut Reipublicæ creare periculum. Sunt plurima exempla. Et hæc palam demonſtrant fuiſſe neceſſariam, ac ſemper conſecrato adfuiſſe ſaltem extortam voluntatem. Nam ſine illa quis adultus poſſit fieri Monachus? Regia juſſio aut conſecrationem imponebat aut mortem, atque ita voluntatem extorquebat. Quintam violentiæ cauſam edicunt in ſua adversùs eam lege Imperatores Leo ac Majoranus: *Sane non injuſta ſuſpicio eſt huic operi Parentum colludia plerumque miſceri, dum Liberis aliis amore nimio gratificantur, & alios injuſta ſententia perſequuntur, invitus filios præfato oneri ſubdidiſſe.* Non ob omnimodam voluntatis carentiam, ſed ob ejus violentam extorſionem invitos. Iſtiuſmodi conſecratio erat obnoxia multis incommodis. Hinc præfati Imperatores adversùs illam ſanxerunt: *Ad ſuſcipiendum Clericatus officium unicuique nos optionem dedimus, non legem. Quia quamlibet Sanctum onus, ut volentibus patimur imponi, ita ab invitis jubemus arceri. Nonnullorum enim perſuaſio Sacerdotum reluctantibus onus iſtud imponit, ut improvidas mentes violentiæ intercedentis offenſa ad odium piæ Religionis inſtituat. Eo ergo licentiam hujus præſumptionis excludimus, ut ſi quiſquam probatus fuerit, vi coactus, ſub contumelia publica Clericatus officia ſuſcepiſſe, licentiam commodemus apud Judices competentes hujuſmodi admiſſa damnare, illo ſuæ reddito voluntati, qui coactus non potuit conſecrari. Si quis ſanè Epiſcopus fuerit ordinatus, hanc conſecrationem nulla*

*violari accuſatione permittimus*. Palam ſanciunt pro habentibus extortam volnntatem. Hinc ſolos Clericos, non autem ita ordinatos Epiſcopos permittunt redire ad ſæculnm. Propter ſupremam Epiſcopalis dignitatis ſanctitatem. Imitantur ſuos Anteceſſores, qui ordinatum è Curiali Clericum permittebant revocari ad curiam, non Epiſcopum. Data eſt lex Conſulatu Magni & Apollonii, anno iſtius ſæculi ſexageſimo, vigeſimo primo & ultimo Magni Leonis Pontificis. Qnare non eſt dubitandum, quin ipſe fuerit Autbor legis. Et juxta ipſam Simplicius Pontifex proceſſit in cauſa Gregorii, qnem Joannes Ravennæ Metropolita non per electionem, ſed per invidiam juſſit ad ſe violenter pertrahi, atque ita non per animi tranquillitatem, ſed per amentiam ei impreſſit Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopatum. Reclamantem non exaudivit Simplicina, ſed juſſit abire Mntinam, exemptnm tamen à poteſtate Joannis.

Nihilominùs in opuſculo de Formoſi Pontificis Ordinationibus Auxilius Presbyter, & ipſum in opere de Sacris Ordinationibus ſequens Joannes Morinus volunt Sacram Ordinationem, licet plenè invito, & contrariam voluntatem plenè habenti imprimatur per violentiam, eſſe ratam ac validam. Et bic iſtnd probat per jam adducta, quæ ipſi manifeſtè non favent, exempla. Eſt tamen unum, qnod ipſi videatur ſavere. Nempè Ordinatio Macedonii Anachoretæ in Presbyterum, ſacta per Flavianum Antiochiæ Patriarcbam, & deſcripta per Theodoretum in
Cap. 13. religioſa hiſtoria: *Poſtqaam Magnus Flavianus magno Dei Gregi Paſtor eſt ordinatus, & Macedonii virtutem cognovit, de montis illam vertice per objectæ accuſationis ſpeciem abduxit, & ſub myſticum Sacrificium Altari admovit, coaptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque peracta Liturgia hoc illi quidam indicaſſet, ignorabat enim prorſus quid egiſſent, primum quidem conviriis & aſperis verbis proſcidit univerſos, deinde accepto baculo, qao innixus propter ſenium incedebat, Pontificem ipſam, & alios qui aderant, inſecutus eſt, Ordinationem hanc ratus montis ſibi verticem, optatamque habitationem erepturam. Sed eum quidem ſic indignantem ægrè tandem amici quidam ſedaverunt. Expleto autem hebdomadis circulo, cum rediiſſet dies Dominicus, iterum revocat illum Magnus Flavianus, rogatque ut celebritati cum ipſis interſit. Tum ille ad eos, qui venerant, ait: An vobis non ſufficiunt ea quæ acta ſunt, ſed iterum vultis me creare Presbyterum? Et reſpondentibus illis fieri non poſſe, ut bis fiat eadem manus impoſitio, non acqaievit, nec profectus eſt, donec illum tempus & familiares hoc ſæpiùs edocuerunt. Scimus ſanè haud laudandam multis viſum iri hanc narrationem, appoſui tamen memorabilem judicans, ut idoneam ad mentis ejus ſimplicitatem, animæque puritatem demonſtrandam.*

Reſpondeo Theodoreti de hoc Flaviani opere ſenſum eſſe ambiguum. Ipſe anim in præſenti Hypomnyſtico lucidè profitetur Epiſcopalem Conſecrationem, quam homini penitus non volenti, ac plenè repugnanti Metropolita Firmus apud Thyanenſes impreſſerat, fuiſſe vacuam & nullam: Er iſtum fuiſſe ſenſum Orientalis Eccleſiæ. Et hunc omninò reſpiciens ſcripſit Macedonii Conſecrationem multis diſplicuiſſe. Quidam tamen volunt ipſam non ſpectare ad præſens Propoſitum. Etenim Macedonius non fuit reluctans aut invitus, ſed dumtaxat neſcius factorum, ac rerum imperitus. Epiſcopalibus, quarum virtutem ignorabat, benedictionibus caput ſuppoſuit volens & gaudens, ideoqne videtur in omnem ipſarum effectum conſenſiſſe. Præfati volunt fuiſſe unum ex iſtis, de quibus ad Michaelem Moregium Arelatenſem Arcbi-Epiſcopum reſcripſit Innocentius tertius: *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obſiſtentem.* Verùm Pontifex de ſolis infantibus, amentibus, ac dormientibus loquitur. Mentia compotum, ac præſertim vigilantium eſt longè alia ratio. Etenim in Commentario ad quinqnageſimum octavum Sancti Iſaiæ caput Beatus Hieronymus quoſdam ridet, quod ſuſtinerent bunc articulum: *Clandeſtinæ vocis imprecatio Clericos ordinat neſcientes.* Proinde Macedonii Ordinatio etiam iſto tempore fuit plurimùm ambigua, plurimùmque ſuſpecta. In fine ſeptimi libri de Baptiſmo contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus agitat quæſtionem, an Baptiſma, in quo totum, tam ex dantis, quam ex ſuſcipientis parte mimicè ac joculariter ſine voluntate ageretur, eſſet validum ac ratum, & reſpondet: *Utràm approbandus eſſet Baptiſmus, qui ſic daretur, Divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus, implorandum eſſe cenſerem.* Idem olim dubium fuit Cap. 55.
de Baptiſmo violenter contra omnem voluntatem impreſſo. Et valuiſſe docuit præfatus Presbyter Auxilius. Et haud dubiè habuit Collegas ſuæ ſententiæ. Et dubium uſque ad ſua tempora viguiſſe teſtatur in laudatis litteris idem Pontiſex Innocentius. Hinc ipſe quæſtionem diſcuſſit, ac definivit iſtiuſmodi Baptiſmum non tenere. Et addit hunc fuiſſe ſenſum etiam Toletanæ Synodi, quæ baptizatos per vim Judæos cenſuit verè initiatos. Affirmat Synodum ſanxiſſe de vi, quæ extorſerat voluntatem. Eadem ſententiarum diverſitas fuit tempore Flaviani Patriarchæ, ideòque ille ex ipſa conſecravit Macedonium. Porrò Innocentius tertius non dumtaxat circa Baptiſma, ſed etiam circa Chriſtianam Confirmationem & Sacras Ordinationes evacuavit omne iſtud dubium. Etenim ſub Baptiſmate omninò comprehendit & Confirmationem: Quoniam ejus adhuc tempore hæc dabatur ſimul cum illo, utpote ejus complementum. Et Papales rationes penitus complectuntur etiam Sacras Ordinationes.

Porrò circa Sacras Ordinationes, & aliorum Sacramentorum adminiſtrationem legimus plura non ſolius Flaviani, cujus non eſt tanta authoritas, ſed & Sanctorum Patrum Acta, quæ non poſſimus in exemplar aſſumere, longè minus in

regu-

regulam. Quoniam ſunt hetroclyta, ideoque admiranda plurimum, nullatenus imitanda. Etenim de Sancto Phædimo, Amaſeno Epiſcopo, totius Ponti tunc Metropolita, & Sancto Gregorio Thaumaturgo, Epiſcopo Neo-Cæſareenſi, ſcribit in hujus elogio Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Cæterum cum Phædimus, cui Divinitus à Spiritu Sancto præſcia futurorum quædam vis inerat, in illo tempore Amaſenorum Eccleſiæ Antiſtes eſſet, & omni ſtudio laboraret, ut Magnum Gregorium, in poteſtatem redactum, Eccleſiæ adminiſtrationi præficeret, ut hic Sacerdotem id agitare ſenſit, cogitare cœpit, qua ratione latere poſſet, aliàs ad aliam ſolitudinem tranſiens. Sed poſteaquam nihil intentatum relinquens ille vir magnus Phædimus, & omni machinatione utens, non poterat virum ad Sacerdotium adducere, innumeris oculis præcaventem, nequando Sacerdotis manu caperetur, atque uterque inter ſeſe ſtudio certarent, ille quidem capere, hic verò perſequentis manus effugere cupiens, idcircò impetu quodam Divino Phædimus ad propoſitum ſtudium provectus, nihil curans interjectum ſpatium, quo à Gregorio dirimebatur, quippè ille aberat itinere tridui, ſed ad Deum ſuſpiciens, precatuſque ut & ipſe & ille pariter in illa hora à Deo reſpicerentur, loco manus impoſitionis Gregorio adhibet ſermonem, Deo conſecrans eum, qui corpore coram non adeſſet.* Eum conſecravit Epiſcopum ad civitatem Neo-Cæſareenſem. Non ſolummodò abſentem, ſed & plenè reluctantem, ideòque de ſylva gyrantem in ſylvam.

Nec ea fuit ſolius Phædimi ſententia. Etenim quod etiam Sanctus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus Sanctum Danielem Stylitem diſtantem conſecraverit in Presbyterum, & quod Daniel conſecrationem duxerit ratam, ac in ipſa miniſtraverit, teſtatur ejus vita apud Symeonem Metaphraſten ac Laurentium Surium. Quin & plures fuiſſe iſtius ſententiæ ſectatores, ſupra audivimus à Sancto Hieronymo. Huc etiam ſpectat opinio neſcio cujus Egabrenſis in Hiſpania Epiſcopi, qui cæcus conſecrandis Clericis imponebat manus, benedictionis verò formulam jubebat recitari per Presbyterum. Ita habes in ſecunda Hiſpalenſi Synodo. Iſto igitur tempore quidam docebant tria. Primò, quod ſola citra manus impoſitionem oratio poſſet conſecrare Clericos. Secundò, quod conſecrare poſſet etiam neſcientes ac invitos. Tertiò, quod etiam abſentes. Et omnia tria meritò damnavit, ac deriſit Sanctus Hieronymus. Ejuſdem mentis fuit Theodoretus, & omnes Eruditi. Et hinc diſcimus laxas ac periculoſas opiniones eſſe vetuſtas in Eccleſia. Etiam de Sancto Ignatio, tertio poſt Sanctum Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo, ſcribit in marginalibus ad octavam Synodum Scholiis Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, ac Bibliothecarius: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum ſtatuit in medio dicens*, Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut hic parvulus, *Iſte Ignatius fuit, & idcircò hunc Deiferum nuncupant. Undè nec Apoſtoli auſi fuerint ei, cum ad Eccleſiæ Præſulatum pro-*

Canone 5.



*moveretur, ampliùs manus imponere: Nimirùm quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverant.* Item Græci affirmant Sanctum Amphilochium, Iconienſem Epiſcopum, Lycaoniæ Metropolitam, fuiſſe non per Epiſcopos conſecratum, ſed à Sanctis Angelis. Ita teſtatur Nicephorus Caliſtus. Adduci poſſint plura exempla. Verùm nulla ratione poſſint verti in regulam.

---

## CAPUT XLVI. —134

### *Epiſtola Dorothei Metropolitæ, miſſa ad Populum Conſtantinopolitanum.*

REverenti Reverendiſſimo Martino Compresbytero, ſuſcipimus à veſtra Charitate litteras, & colligentes noſmetipſos in idem, & legentes eas confuſi ſumus immodicè, colligentes quia in tali tempore multorum millium Chariſmatum plena, & amica Dei navis veſtra piorum Sacerdotum ſiti nunc æſtuat: Ita ut nonnulli quidem veſtrorum Catechumeni de hac vita exierint; alii verò vita deſiderantes ultima Communionis Judicium, in ipſo vitæ termino id non potuerint obtinere, eò quod adverſarentur communicare cum impiis, ſed ſic ad Dominum migraverunt. Verumtamen noſtræ fidei nobilitatem recordati, quam didicimus à prioribus temporibus, ad gratiarum actionem converſi ſumus, omni tribulatione depoſita. Quia & ille juſtus Judex, cum ſit etiam clemens, & per omnia noſtrum Propoſitum noverit, etiam ſola voluntate contentus eſt. Et ad noſtram ſæpè intentionem menſurat divitias miſericordiæ ſuæ, ac fontem propriæ largitatis. Verumtamen veſtræ Charitatis Epiſtolam non nos ſoli cognovimus, ſed etiam legi eam Chriſto amicis Plebibus, cum litteris Orientalium Deo amiciſſimorum Epiſcoporum, coram Eccleſia fecimus. Communem orationem cuncti pro veſtra ſtabilitate ac fiducia, quæ ſecundùm Deum eſt, cum compunctione cordis & lachrymis obtulimus Domino Chriſto, ut ad ſumma Eccleſiæ Gubernacula in tempeſtate hac maxima deprecantes.

Sed his ita geſtis à nobis in Domini corde, nequam Dœmon ſtimulatus de his, quæ ab omnibus pariter atque affectu ſincero fiebant, præparavit ut ſuperveniret ad Civitatem noſtram cum Magnificentiſſimo & Religioſiſſimo Magiſtro militiæ Plintha Saturninus quidam, qui diffamabat ſemetipſum ab Apoſtatis & Prævaricatoribus Epiſcopum fuiſſe ordinatum noſtræ Metropoli. Qui & per violentiam capere hanc ſtuduit patrocinio viri prædicti. Sed Spiritus armati virtute Populi noſtri, Imitatores veſtræ in Chriſto fortitudinis facti ſunt. Omnia enim reliqua in præ-

ſenti poſtponentes, intus intra ſanctæ Eccleſiæ Septa Pſalmis & Hymnis, & Canticis Spiritualibus ſemetipſos armantes, machinamenta Adverſariorum omnia, & Saturnini artes, & concinnationes eorum, qui etiam patrocinabantur, telam araneorum oſtenderunt. Præparaverunt ſemetipſos ante de vita exire præſenti, quam nequam & impium ſuſcipere Pſeudo-Epiſcopum: Maximè cognoſcentes, quia unam Domini & Salvatoris noſtri naturam prodigioſè denunciet, alteram negans.

Si enim, ſicut putat, una natura eſt, neceſſe eſt eam aut mortalem eſſe aut immortalem. Et ſi mortalis eſt hæc circa eorum impiam factionem, igitur Deus Verbum paſſibilis atque mortalis eſt. Si verò hanc impaſſibilem dicunt, clarè circa illos Chriſtianorum gloria eſt convicta, & ſalutaris Baptiſmi evertitur Donum. Ad quid enim jam pertinebit, quod Apoſtolus ait: *Quicumque in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus ei per Baptiſma in mortem?* Ubi verò eſt & id, quod eſt ſcriptum: *Sicut plantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſic etiam Reſurrectionis erimus?* Rom. 6.

Propter iſta igitur ſimili zelo Reverentiæ veſtræ motus noſtræ Eccleſiæ *Populus* feſtinavit non deſerere veſtra veſtigia. Undè & clementis Dei gratia effulgens ſuper nos hoc præparavit, ut omnem inimicorum conatum fumi vice diſſolveret. Saturninus autem, ſicut venerat, ſic diſceſſit. His igitur ità factis, & dum prædictus Venerabilis Presbyter Martinus propter id ad Regiam pergeret civitatem, juſtum eſſe arbitrati ſumus per humiles litteras noſtras hæc ipſa ſicut Dilectis nobis innoteſcere, & rogare amicam Chriſti Dilectionem veſtram, ut reaccendentes, per pium zelum ad Deum, pium deſiderium circa Patrem veſtrum, quoque Epiſcopum noſtrum, hujus quidem ſine oblivione habeatis memoriam vos, qui per ea, quæ docuit, ac docet nunc uſque, dum leguntur, ſemper juvamini.

Permanete verò in ſana Confeſſione Patrum, qui in Nicæa congregati ſunt, abſque omni ſimulatione clamantes: *Credimus in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum. Ex Patre natum ante omnia Sæcula.* Conſubſtantialem nobis quippè, ut ex ſemine Abraham & David, circa humanitatis naturam. Neque enim quieſcimus unquam dicere duas naturas in Filio. Licet non videatur Hæredibus impiæ culturæ Apollinarii, qui dignus eſt exuri. Et undè tamen confitentes *Creatorem, Operatoremque univerſorum*? Secundùm Deitatis rationem. *E Spiritu Sancto & Maria Virgine?* Secundùm humanitatis fructum. *Impaſſibilem & immortalem?* Secundùm humanitatem. Hæc inceſſabiliter meditamini, in his permanete: Ut profectus veſter manifeſtus in omnibus ſit. Rogamus autem vos, ò amice Dei Grex Chriſti, quò per operationes ac deprecationes ſupplicetis Domino Chriſto, ut quantociùs hanc totius orbis terrarum increpet tempeſtatem, & profundam nobis Eccleſiarum pacem donet.

## SCHOLION.

DOrotheus Martiano-Politanus Epiſcopus, ſecundæ Mœſiæ Metropolita, etiam fuit degradatus Epheſi, & per Conſtantinopolitanam Patriarchæ Maximiani Synodum juſſus expelli ex ſua civitate ac Throno. Juſtiſſimè. Etenim ipſe eſt, qui primus in Conſtantinopolitana Eccleſia ad plenam Patriarchalem præſentis Neſtorii Synaxim non erubuit pro concione dicere: *Si quis Mariam eſſe Dei-Param dixerit, anathema ſit*. Ita præſumpſit univerſam Eccleſiam anathematizare. Iſtud de ipſo Sanctus Cyrillus in pluribus, apud primam Epheſini Concilii partem exſtantibus, Epiſtolis queritur. Hinc C. 20. 21. 14. igitur præfatus Maximianus in ejus locum conſecravit Saturninum, & cum militiæ Magiſtro Plintha, ac inſigni armata manu tranſmiſit Martianopolim, expulſo Dorotheo inthronizandum. Verùm ſcabioſus Populus adjuvit Hæreticum Epiſcopum, & Plintham cum Saturnino ejecit. Etenim ex præcedenti Hypomnyſtico audivimus hoc eſſe factum antè Eccleſiarum pacem. Iſtiuſmodi turbæ permoverunt & compulerunt Imperatorem Theodoſium ad pacem conciliandam. Et ab ipſa Dorotheus cum Eutherio fuit excluſus, ideòque iterum juſſus ejici è ſua Eccleſia. Et fuit ejectus, & Saturninus pro ipſo inthronizatus. Etenim inter Epiſcopos, qui Sancto Flaviano Conſtantinopolitano, Eutychem Archi-Mandritam damnanti, Synodaliter aſſederunt, primus fuit Saturninus Martiano-Politanus.

Ex præſenti Epiſtola addiſcimus plura. Primò, quod in ipſa etiam Conſtantinopolitana civitate poſt Epheſinum Concilium fuerint tantæ turbæ, ut multi Catechumeni ac Pœnitentes noluerint à Maximiano Epiſcopo baptizari aut reconciliari. Maluerunt ſine Sacramenti Viatico tranſire ad aliud ſæculum. Pertinaciter cupiebant recipere ſuum Epiſcopum Neſtorium. Secundò diſcimus, quod de iſtiuſmodi morientibus, dummodo tamen veram, licèt imperfectam, Dei dilectionem habeant, nequaquam ſit deſperandum, ſed ſperandum optimè. *Quia & ille Judex, cum ſit etiam clemens, & per omnia noſtrum Propoſitum noverit, etiam ſola voluntate contentus eſt. Et ad noſtram ſæpè intentionem menſurat divitias miſericordiæ ſuæ, ac fontem propriæ largitatis.* Novit iſtud noſtrum Propoſitum, de quo edixit Tridentina Synodus: *Contritio eſt dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum Propoſito non peccandi de cætero.* Quod Propoſitum haberi non poteſt, niſi per fidem & charitatem. Tertiò diſcimus, quòd hanc noſtræ fidei, ſeu contritionis virtutem à Majoribus acceperimus. Dorotheus enim hæc ex communi Orientalis Eccleſiæ ſenſu loquitur, ideoque eſt omninò audiendus. At valdè deteſtandus eſt, quod ipſa valere velit in turbulentis Neſtorianis contumaciter detre-

ctan-

ſtantibus communicare ſuo legitimo ac Orthodoxo Epiſcopo. Hujuſmodi homines, ſi vel ſcintillam charitatis haberent, non lacerarent Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Quartò diſcimus, quod Joannes Antiochiæ Patriarha, & cuncta ejus Factio firmiſſimè crediderint, quod Sanctus Cyrillus, ac ipſi adhærens Epheſina Synodus docerent unicam naturam in Chriſto Domino. Hæc fuit tota radix iſtius pertinacis odii.

---

# CAPUT XLVII. —135

## *Alia Epiſtola Theodoreti ad Populum Conſtantinopolitanum, commendatitia.*

QUantum nos anxios facit error eorum, qui rectam viam dereliquerunt, tam lætificat veſtræ Deo Amabilitatis fervens Zelus pro Evangelica fide. Invenimus enim & Beatum Paulum dolentem quidem nimis de inſania inimicorum, reanimatum tamen de unitate fidelium. Unde & Timotheo ſcribens triſtitiam, quam de illis habebat, revelavit & refrigerium, quod de
2.Tim.1. iſtis, inquiens: *Noſti quia averſi ſunt à me omnes, qui ſunt in Aſia. Quorum eſt Philetus & Hermogenes.* Et oſtendens factam ſibi per illam anguſtiam Divinitùs conſolationem, mox ſuperadjecit & hæc: *Det Dominus miſericordiam Oneſiphori Domui, qui ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Et veniens Romam ſtudioſiùs me quæſivit, & invenit. Det illi Dominus invenire miſericordiam à Deo.*

Maximam igitur & nos habemus conſolationem, Deo Amabilitatis veſtræ devotionem. Et firmitas fidei veſtræ diſſolvit triſtitiam noſtram, quam parit hyema, quæ comprehendit Eccleſias. Unde etiam ſæpiùs ſcribens feſtinamus etiam *accipere* ſanctam lectionem veſtram. Et indicamus quia nos nocte ac die pro pietate laborem ſuſcipimus, & ſperamus nos non perdituros uſque ad mortem doctrinam traditam nobis à Sanctis Apoſtolis. Atteſtantur verò his litteris & Domini mei ſanctiſſimi, & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Joannes, & Petrus, & Eliſeus, & Alphius, & Jephthale: Qui elegerunt expelli ab Eccleſiis ſibi commiſſis, & multa millia luctuum ſpecies ſuſtinere, quam perdere Apoſtolicam hæreditatem. Confidentes igitur, quia non ſuſtinebimus deſpicere, ut vel *una ſyllaba* Doctrinæ, quam percepimus, corrumpatur, ſtate in Fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in charitate fiant. Et Deus pacis erit vobiſcum.

## S C H O L I O N.

EX hac Epiſtola diſcimus, quod turbida Conſtantinopolitani Populi pro Neſtorio rabies quotidie decreſceret ac mitigaretur. Quia nempe Maximianus Epiſcopus non deſinebat opportunè ac importunè inſtare, itemque arguere & increpare, immò & Neſtorii Fautores Epiſcopos ubicumque ejicere, & alios conſecrare in ipſorum Cathedras. Hi ejecti veniebant Conſtantinopolim, & ſua calamitate Populum reducebant ad ſana conſilia. Inter hos erant Joannes, Petrus, Elizeus, Alphius, & Jephthale. An Petrus fuerit Trajanopolis, an Pruſæ Epiſcopus, neſcio affirmare. Item ignoro aliorum Sedes. Interim Theodoretus ſtudet confortare ſuæ Factioni addictos Conſtantinopolitanos, affirmans ſe & ſuos perſiſtere firmiſſimus. Erant iſti, qui ad audiendas ipſius conciones frequenter navigarant Chalcedonem. Eos conatur obdurare in ſua contumacia contra Epheſinam Synodum.

Harum rerum Socrates compendio meminit: *Cæterùm poſt depoſitionem Neſtorii graviſſimus tumultus Eccleſias Conſtantinopoli occupavit. Nam diviſus eſt Populus ob inanem & ſtultam illius garrulitatem. Clerici quidem omnes eum anathematizarunt. Sic enim nos Chriſtiani ſententiam contra impiè loquentes prolatam vocare conſuevimus, quando illam velut in tabula propoſitam publicè omnium oculis ac notitiæ ſubjicimus.* Affirmat hæc contigiſſe ante Maximiani electionem. Contigiſſe videotur adversùs illam. Ad ipſam ex Principis juſſu proceſſuros Clerus videtur Epheſinum de Neſtorio judicium ac anathema publicè per civitatem affixiſſe, atque ita fuiſſe apud omnes conteſtatus, quod legitimè procederet ad creationem novi Epiſcopi. Et adversùs hoc videntur è Populo quidam turbas concitaſſe. Eadem ferè Socratis verba Liberatus Diaconus inſeruit ſuo Breviario. Hæc igitur turbatio permanſit etiam poſt Maximiani conſecrationem.

## CAPUT XLVIII. --136

*Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Helladium Tharſi Epiſcopum, quando allata ſibi Maximiani Synodica, noluit ejus nomen in Dyptricha recipere.*

COndelector tuæ Religioſitati, quæ ſic clarè pugnavit. In circuitu namque ambulantibus impiis veſtra effulſit Eccleſia. Non enim pacificè ramum portabant Olivæ, qui venerant, ſed ſanguinem & mortem inſatiabiles requirebant. Undè defendentes in omnem prædicabimini Orbem terræ, & claritatem vobis univerſa ſæcula non deducent. Tales enim ſunt piorum fortes animi, ut faciliùs univerſa deponant, quàm piæ fidei poſſeſſionem. Circa quam quicumque damnificati fuerint, nihil eis prodeſt, etiamſi totum Mundum lucrentur, juxta Domini vocem. Qui verò lucrati hoc fuerint, hæredes quidem æternæ ſunt vitæ, obtinentes poſſeſſionem, qua nihil dignum eſt eorum, quæ præſentia ſunt, niſi futura tantùm: Et quæ parata ſunt piis, his qui parvo quidem tempore habent pro pia Religione fiduciam, in illum verò, qui abſque ſenecta & fine eſt, ordinem mutabuntur.

### Scholion.

QUis & qualis fuerit hic Helladius, docet nos Theodoretus in Religioſa Hiſtoria. Exponit Sancti Theodoſii apud Antiochiam Archi-Mandritæ mortem ac ſepulturam, & proſequitur: *Gregis verò Præfecturam ſuſcepit admirandus Helladius, qui per annos ſexaginta laboribus illis defunctus, Cilicum poſtea Divinitus eſt factus Antiſtes, priſtinam non deſerens Philoſophiam, ſed laboribus ſuis Pontificales quotidie ſudores adjiciens*. Proinde ad Epiſcopatum pervenit valde ſenex. Et hinc ejus lapſus eſt magis deplorandus. Nam & ipſe eſt unus iſtorum quatuor, quos Conſtantinopolitana Maximiani Epiſcopi Synodus juſſit ſingulariter ejici, & quos Sanctus Cyrillus excluſit à pace. Hæc Epiſtola nos docet duo. Primò, quod Venerabilis Maximianus ſuę conſecrationis ac inthronizationis Synodicas litteras non ſolummodo per tres nuper Autocephalas, & jam à Conſtantinopolitanis Epiſcopis invadi cœptas Diœceſes, ſed etiam per omnes Patriarchatus miſerit: Præſertim ad Patriarchatum Antiochenum. Ad omnes & ſingulas illius Metropoles. Et hoc præter morem. Patriarcha enim ſuam Synodicam non niſi ad alios Patriarchas ſolebat tranſmittere: Hi ad ſuos Metropolitas, horum quiſque traducebat ad ſuos Suffraganeos. Morem inverti compulit Joannis Patriarchæ ac totius Orientalis Diœceſis adversùs Epheſinam Synodum, ac præſertim adversùs Maximiani promotionem duriſſima rebellio. Hi omnes Neſtorium pro iniquè damnato, Maximianum habebant pro intruſo ac ſuperordinato, ideoque ejus Synodicis nulla erat ſpes admiſſionis. Porrò Maximianus volebat iſtorum Epiſcoporum, ac præſertim Helladii, utpote ſibi ſingulariter adverſantis, tentare obedientiam, aut eorum contumaciam toti Mundo manifeſtam facere, atque ita habere firma fundamenta ad exequendam in ipſos ſuæ Synodi ſententiam.

Et Helladius permanſit duriſſimus: Noluit Synodicas admittere. Notanda ſunt hæc Epiſtolæ verba; *In circuitu namque ambulantibus impiis veſtra effulſit Eccleſia*. Affirmant quod plures per primam Ciliciam Epiſcopi ac Eccleſiæ ceſſerint violentiis, & admiſerint Synodicam: Et quod cum omni ſua Eccleſia Helladius permanſerit pertinax. Notanda ſunt & hæc: *Non enim pacificæ ramum portabant olivæ, qui venerant, ſed ſanguinem & mortem inſatiabiles requirebant*. Edicunt tria. Primò, quod Maximianus armatam Apparituram ſuæ Synodicæ adjunxerit. Secundò, quod hi terribiles Executores Clero ac Populo, ſi obedirent, pacem ſpoponderint. Tertiò, quod recalcitrantibus ſint minati extrema, uſque ad effuſionem ſanguinis. Verùm Tharſenſes manſerunt firmiſſimi in ſua inobedientia. Hinc pergit Epiſtola: *Tales enim ſunt piorum fortes animi, ut faciliùs univerſa deponant, quam fidei poſſeſſionem*. Proindè Populus ejecit præfatam Apparituram, cum Helladio proteſtans ſe paratum ad omne exterminium. Et iſta Joannes Patriarcha fovit ac ſtabilivit per præſentem Epiſtolam. Eadem Imperatorem Theodoſium permoverunt ad potenter conciliandam pacem.

Præſens Epiſtola nos ſecundò docet, quod omnes olim Patriarchæ ſua invicem nomina inſcriberent Sacris ſuarum Eccleſiarum Dypticbis, & ipſa ad Sacro-Sanctum Sacrificium per Diaconum recitarent. Et viventium, & mortuorum. Et inter ipſos numerari à Sancti Joannis Chryſoſtomi tempore cœperat Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Etenim de extincto per Alexandrum Antiochiæ Patriarcham Euſtatiano ſchiſmate, itemque ſchiſmate, quod ob injuſtam laudati Joannis damnationem fuerat inter Romanam ac omnem Orientalem Eccleſiam, Innocentius primus Pontifex ad Bonifacium Presbyterum ſcripſit, quod laudatus Alexander ad firmandam pacem ſpopondiſſet Joannis nomen inſcribere ac recitare. Quod ipſum tandem admiſit Alexandrina Eccleſia. Exſtant hac de re Sancti Cyrilli ad Joannis Succeſſorem Atticum, & hujus ad illum eruditæ Epiſtolæ omninò videndæ. Et venerabilis Theophanes, tunc Presbyter, & Abbas Monaſterii ad Bajas, poſtmodò Antiochenus Pa-

Patriarcha, poſt recitatum Sancti Ephremii Antiocheni olim Patriarchæ teſtimonium dixit ad Actur. tu. ſextam Synodum: *Ephremius hic erat Patriarcha Antiochiæ, & recenſetur in ſacris Dypticbis Sanctæ, quæ hic eſt, magnæ Eccleſiæ*. Ex quo videtur colligi, quod alienorum Patriarcharum nomina fuerint recitata in ſolis Cathedralibus Eccleſiis. Et de Baſſiano Epheſino Exarcho ac Sancto Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, inter ſe reconciliatis poſt lites circa Baſſiani promotionem, Theophilus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter dixit ad Chalcedonenſem Synodum: *Baſſianum ſuſcepit Sanctæ memoriæ Proclus communicantem, & Synodalibus litteris honorans eum dimiſit ad Epheſum, & in Dypticbis poſuit ejus nomen, & recitabatur uſque ad modicum abhinc tempus*. Etiam trium Autocephalorum Primatum nomina videntur olim fuiſſe inſcripta ac recitata apud Patriarchales Eccleſias: Et iſto jure ipſos privare noluerunt inter invaſionis primordia ipſi etiam Conſtantinopolitani Epiſcopi. Quidquid ſit, Maximianus Epiſcopus nomen ſuum inſcribi ac recitari voluit etiam apud Tharſenſem Eccleſiam, atque ita nos docet iſtam honoris ſpeciem conſueviſſe tunc alienis Patriarchis impendi, non dumtaxat in Patriarchalibus Eccleſiis, ſed & in cunctis Metropolitanis. Forſitan & in cunctis Cathedralibus.

---

## CAPUT XLIX. ---137

*Item Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Clerum & Populum Tharſenſis Eccleſiæ, quandò perſonuerat, quod Imperator juſſiſſet, ut inde pelleretur Helladius, eò quod minimè ſuſcepiſſet Maximiani Epiſcopi Conſtantinopolitani Synodica.*

FAma quædam novelli Facti contra Eccleſiam veſtram ſignificata, nobis etiam annuntiata eſt. Sive autem fama eſt, ſive res, quam fore venit in notitiam veſtram, quæ benè ac magnè inchoavit pro Chriſti Fide certamina fortiter propugnare, & ſavillam arbitrari ipſam Facti, quæ contra vos nuntiata eſt, novitatem. Talia enim novit quidem dextera Dei diſſolvere. Scit verò & egregius animus irriſione digna monſtrare. Unde rogo veſtram in Chriſto Beatitatem, neque corpore, neque anima præter illa, quæ olim nobis cognita ſunt, aut ſapere, aut in conſilium ſumere. Vult enim Deus, ut ex nulla re, quæ apud homines vel triſtifica eſt vel ſuavis, occaſionem perditionis Fidei faciamus. Nam ſi quæ ventilantur cauſæ diſſidii, de Sedibus aut Præſidentibus eſſent, & non de piis impiiſque Dogmatibus, forſan haberet aliquam veniam remiſſio animi. Si verò Confeſſionis eſt tempus, quæſo ut Fidem, quæ ſola, omnibus præferamus: In qua & ſpem ſalutis habemus. Pro qua hi, qui ante nos fuerunt, & vitam deſpexerunt & mortem. Neque ad patiendum quodlibet hæſitantes, neque ad agendum. Ne appareat inter vos aliquis, qui Commune prodat in animæ ſuæ damnationem. Magis autem nè quis appareat in Eccleſia veſtra, qui non ſit Defenſor pietatis: Et putans bonum eſſe ſegnitiem. Decet enim & amicum Deo eſſe, ut omnis, qui apud vos, perſtet unuſquiſque in ordine ſuo & ætate oſtendere fortitudinem pro pietate Religionis ad Deum, & Sacerdote ſancto, & pro Civitate, quæ & magnum dixerim quoque Paulum protulit. Illum, quem nullum periculum à Chriſti charitate ſejunxit. Quamvis vel ſi famam vanam, ea quæ dicuntur eſſe, noſcamus.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola docet, quod Helladii pertinaciam & Clerus & Populus adjuverit. Item quod Imperator Theodoſius ipſam penitus improbarit, ideoque Epheſini Concilii Decretis conſtans adhæſerit. Hinc enim & Maximiani Synodicis dedit armatam executionem, & Helladii duritiam cepit adeò malè, ut fama ferret emanaſſe Edictum, quo ille juberetur expelli civitate & Throno. Etiam ad Joannis Patriarchæ aures ipſa pervenerat, & haſce ab illo litteras extorſerat, ideoque non carebat fundamento. Nec dubitandum eſt, quin eadem fama etiam Clero ac Populo omnia extrema promiſerit. Hinc Joannes ipſos zeloſiſſimè armat, clamans non eſſe quæſtionem de Sedibus aut Præſidentibus, non de ſolo Maximiani Epiſcopatu aut nomine admittendo, ſed agi de fundamentalibus Catholicæ fidei articulis, de admittendis Cyrilli Capitulis, quæ omnis Orientalis apud Epheſum Eccleſia acerbiſſimè damnarat. Eos obteſtatur, ut recogitent ſe eſſe Concives Sancti Apoſtoli Pauli, ideoque & ejus pro Evangelico Depoſito zelum uſque ad tormenta aut fortunarum ſpolia, immò uſque ad mortem æmulentur. Eſſe jam tempus Martyrii.

CA-

## CAPUT L. ---138

*Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum de Ariſtolao, quem prò pace facienda miſit Theodoſius Imperator ad eundem Joannem, & Cyrillum Alexandriæ Patriarcham cum Epiſtolis ſuis, per quas Synodis omnibus inter eos pacem fieri juſſit.*

QUi me vocavit ad Conſtantinopolim, jam in jannis eſt Mirandiſſimus Trihunus Ariſtolaus. Si autem in noſtra fuerit poteſtate ire vel nnn, reſponſione congrua opus eſt, & quæ ex communi deliberatione deſcendit. Si verò violentum ſuſtinuerimus aliquid, vel hoc eveniat nt valedicamus ad invicem. Licet noſtrum corpus ita ſit fragile, ut ſi Cyrillus millibus contra me neceſſitaibus abutatur, vias ma aſſumere poſſibile nnn ſit. Scriptum mihi eſt enim ab aliquibus amicis & propriis, quia & in vla mihi dolus interfectionis compoſitus ſit, ſi paſſus fuero iter aſſumere. Et hæc agnoſcens, quæſo, ut poſt Collectam, qnæ hoc tempore Cyri fieri ſolet, ſimul cum Domino meo, Deo Amiciſſimo Epiſcopo Theodoreto, & his quoſcumque repereris, advenire abſqoe mora dignetis. Ea enim, quæ ad fidem pertinent, ſi cum faſtidio cœperint agi, ad extrema pervenient, dum quid ſim reſponſurns, ignorem. Propoſitiones verò, quæ nnnc adferuntur, apertè ſont impiæ. Nam Cyrilli quidem Capitula obumbratam habent incongruitatem, ounc autem qoi poteſtatem obtinuerunt, inimici Dei proponont anathematizandos eſſe hos, qui dicunt duas naturas: Quod nec ipſe, qui primus exſtat illorum, Cyrillns dicere clarè præſumpſit. Volo autem, ut dum veneritis, quaſi ſub occaſione honoris Domini mei Magnificentiſſimi & Glorioſiſſimi Magiſtri militum veniatis. Nam & ipſe Præceptum habet, ut nnbis violentus inſiſtat de his ipſis importabilibus propoſitionibus. Hæc autem ſcripſimus per Reverendiſſimum Preshyterum Eliam. Omnem quæ tecum eſt fraternitatem plurimùm ſalutamns.

### SCHOLION.

DE præſentis Epiſtolæ materia ſcribit Liberatus Diaconus. Affirmat Maximiannm quatuor poſt Neſtorii damnationem menſibus fuiſſe conſecratum Conſtantinopoli, & proſequitur: *Poſt paululum verò videns Imperator Cyrilli & Joannis permanſiſſe diſcordiam, intolerabilem judicabat eorum diſſenſionem, & vocans tunc ad ſe Maximianum Epiſcopum, & alios plurimos tunc Conſtantinopoli repertos Epiſcopos, quomodo tolleretur Eccleſiarum diſſenſio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri poſſit, niſi prius iretur, & præferretur unius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus Epiſcopus anathematizaret Neſtorium,* Cap. 8. *& improbu ejus dogmata. Et gaviſo valde ſuper hoc Imperatore, miſſus eſt hoc ipſum agere Ariſtolaus Tribunus, Sacram Principis deferens Joanni & Cyrillo, in qua comminatus eſt utrique Nicomediam exilium, niſi pacem haberent ad invicem.* Iſta eſt ſecunda Maximiani Conſtantinopolitana Synodus: Adunata ex Epiſcopis tonc illuc Advenis oh alia negotia. Tales namque Synodi fuerunt familiares non ſolummodo cunctis Patriarchis, ſed etiam Romanis Pnntificihus. Eſt facta ex juſſu Principis. Et concluſit, ac eidem Principi ſuggeſſit iſtam pacem fieri non poſſe, niſi JoannesAntiochenus ac ejus Epiſcopi admitterent duos præſatos articulos. Propter ipſos enim graſſabaint præſens diſcordiæ ſcandalum.

Et conſilium Principi placuit. Etenim Neſtorii damnationem, & omnia Epheſinæ Synodi contra ipſum ac ejus errores Decreta jam pridem confirmaverat. Ejus Sacra Juſſio exſtat in tertia parte Epheſini Concilii, habens hunc titulum: *Exemplum Sacræ Imperatoriæ, per Ariſto-* Cap. 24. *laum Tribunum & Notarium miſſæ ad Joannem Antiochenum Epiſcopum, de Sanctarum Eccleſiarum pace ac anione conſtituendu.* Cum grandi doloris ſenſu lamentatur hanc inter Orthodoxos ejuſdem fidei Epiſcopos diſcordiam, & pergit: *Quapropter hujus tanti mali exitum inde invenire ſperantes, nnde originem traxit, enixèque ac diligenter, ut hoc conficiatur curuntes, ne hoc contentionis vitium latiùs ſerpat, celebris hujus civitatis Epiſcopo Maximiano, cæteriſque omnibus, qui in ea comperti ſunt, Sanctis Epiſcopis, & univerſo illorum Clero in eandem, ac nos, ſententiam convenientibus, ud Orthodoxu fidei membra, quæ unte bene unita, infelicis caſus interventu miſerè divulſa ſunt, denuò conglutinanda, illud providimus, ut vos, hoc eſt, Tu & Cyrillus, Religioſiſſimus Alexandriæ Epiſcopus, inter vos convenientes, omni ſimultate & moleſtiu contentione, quæ inter vos exarſit, depoſitu, ad priſtinam concordiam rediretis: Cum prædicti Piiſſimi Epiſcopi ſponderent, ſi Neſtorii depoſitioni ſubſcriberes, illiuſque doctrinam anathematizares, fore ut omnis altercutionis materia mox è medio colleretur, Cyrilluſque Sanctiſſimus Alexandriæ Epiſcopus cum ſuis, & Sanctiſſimus Celeſtinus quoque glorioſæ Romæ Epiſcopus, ac reliqui omnes, quotquot ubique ſunt Orthodoxæ fidei Sacerdotes, cum tua Pietate ad communionem redirent, cæteris verò, ſi qua fortè erunt, quę emendationem deſiderent, facilè eam ſolutionem ſuſcepturis, quam vos ipſi neceſſariò reſumentes, & ſimul illis privatim & communiter omnibus perſuadentes, afferetis. Cum itaque hoc noſtrum eſſe ſtudium & conſilium non ignores, omnibus aliis curis poſthabitis in hoc unum*

*incumbe,*

*incumbe, ut omni contentione & ęmulatione ſublata, pax hęc diligenter ac firmiter Sanctiſſimis Orbis Eccleſiis, quę ubique Orthodoxam fidem profitentur, & per illas omnibus Subditis noſtris integrè cum Dei auxilio reſtituatur: Utque ad Nicomedię civitatem ſumma cum celeritate, omnique dilatione poſtpoſita venire matures. Nec ullum omninò Epiſcoporum tecum adducas, ſed paucos tantùm Clericos, qui Sanctitati tuę famulentur: Certò tibi perſuaſum habens Cyrillo Sanctiſſimo Epiſcopo per Majeſtatis noſtrę litteras mandatum eſſe, ut ipſe quoque eadem animi promptitudine ad eundem locum accurrat, ipſique denunciatum, nullum priùs ad nos aditum habiturum, quam inter vos conveneritis, omnemque mutuam inimicitiam penitùs exueritis, & ad confirmandam pacem per propriam concordiam communi omnium Propoſito conſenſeritis. Atque hoc ipſum & tuę Reverentię denuntiatum volo. Etenim viris adeò celebribus, ut eos aut bona pacis aut mala diſcordię excipiant & conſequantur, nullo modo ignorandum erit, non primò eos in conſpectum noſtrum admittendos, quam ea omnia correcta ac emendata fuerint, quę maxima nos ęgritudine affecerunt.*

Hinc docemur varia. Primò, quod præfata Maximiani Synodus non ex ſolis Epiſcopis conſtiterit, ſed etiam ex ipſorum Clericis. Proindè potiùs fuit Eccleſiaſticus Conventus, quam vera Synodus. Secundò, quod hæc contigerint vivo adhuc Celeſtino Pontifice. Obiit is anno iſtius ſæculi trigeſimo ſecundo, die ſexta Aprilis. Proindè hæc Sacra, quæ nec diem nec Conſulem habet, data eſt ad iſtius menſis exordium aut medium: Antequam Pontificis mors innotuiſſet apud Conſtantinopolim; medio anno poſt Maximiani Ordinationem, & factam in ipſa Synodum. Etenim turbas, quas Epheſina ultrò citroque Acta in Eccleſias induxerant, iſta Synodus non modicè auxit: Quod degradatos ab Epheſina Synodo Epiſcopos ſanxiſſet expelli. Præſertim quatuor: Dorotheum Marcianopolitanum, Helladium Tharſenſem, Eutherium Thyanenſem, ac Himerium Nicomedienſem. Tertiò, quod præſens Sacra fuerit directa ad ſolum Joannem. Alia directa fuit ad Sanctum Cyrillum. Et hæc periit aut latet, ideòque ejus Arcana ignoramus. Directa eſt per eundem Ariſtolaum. Ita ſcribit Liberatus Diaconus. Quartò, quod uterque fuerit evocatus non Conſtantinopolim, ſed Nicomediam. Neuter Regiam intrare civitatem, aut Principis faciem intueri potuit, niſi poſt completam concordiam. Quintò, quod uterque debuerit advenire ſolus, ſine comitatu ullius Epiſcopi, cum paucis dumtaxat famulantibus Clericis. Princeps enim ſperabat faciliùs duos traduci in pacem, quam multos. Sextò, quod Liberatus videatur falli in his verbis: *In qua comminatus eſt utrique Nicomediam exilium, niſi pacem haberent ad invicem.* Etenim Sacra eus quidem uſque ad factam pacem ſecludit à Regia urbe, ſed de Nicomedienſi exilio nullam facit memoriam. Quod ipſum clarè lucet ex fine Sacræ: *Si verò, quod non credimus, noſtram hanc ſententiam; rectumque Propoſitum privato conſilio, humanęque alicujus perturbationis impulſu contemnere auſus fueris, noſtraque alia Decreta parvi feceris, tibi imputabis, ſi Sanctitas tua obedientię & promptitudinis, quę Sanctæ Dei Eccleſię componendæ debentur, neglectę meritas pœnas dederit.* Et non exilium decernit, ſed minatur arbitrariam pœnam.

Adducenda ſunt & hæc Sacræ verba: *Interea verò dum exoptata pacis, concordiæque, & mutuæ inter vos amicitiæ conjunctio confirmetur, & per illa iter ad noſtrum colloquium vobis patefactum fuerit, nulla prorſus quorumcumque Epiſcoporum aut creatio, aut depoſitio, aut quæcumque Ordinatio tentabitur, ſed ſi quid interim hujuſmodi factum eſſe contigerit, id immotum & imperturbatum Eccleſiæ Catholicę compoſitionem exſpectet. Præſertim cum religioſiſſimi Clerici ad Divina miniſteria exequenda ſufficere queant, donec perfecta unio conſequatur.* Theodoſius noverat populares motus, qui Martianopoli, Thyanæ, Tharſi, ac in aliis civitatibus evenerant ex tentata executione Conſtantinopolitanæ Synodi, in qua Maximianus Patriarcha juſſerat quoſdam Epheſi degradatos Epiſcopos extrudi, ac ipſorum Thronis ac Populis imponi alios. Hinc juſſit, pendente pacis negotio, nullum deinceps ejici, nullum novum ordinari. Ea tamen lege, ut quod hucuſque factum fuerat, ſtaret inconcuſſum uſque ad pacis exitum. Notanda enim ſunt verba: *Sed ſi quid interim factum eſſe contigerit*, &c. Manifeſtè ſanciunt de præteritis, non de futuris. Et hinc Martianopolis ac Thyana videntur uſque tunc manſiſſe ſine Epiſcopo. Etenim Dorotheum ac Eutherium adjutus ab Auguſto Principis brachio Maximianus abjecerat, at verò ipſos Populi defenderant, ac ejecerant ſuperordinatos. Hæc Theodoſius ſtare voluit per interim, & non reſerari portas novis turbulentiis. Hinc Sacra addit: *Præſertim cum religioſiſſimi Clerici ad Divina miniſteria exequenda ſufficere queant.* At verò cauſæ exitus Dorotheum, Eutherium, Helladium, ac Himerium excluſit à pace. Hinc tandem Saturninus obtinuit Martianopolim. Omnium ſortem infra docebimur.

Præſens Epiſtola eſt ſcripta eodem tempore: Nempè poſt emiſſam Sacram ac Ariſtolaum poſitum in Antiocheno itinere. Dum ad evocandum Joannem jam erat quaſi ad portas Antiochenas. Docet nos plura. Primò, quod Cyrillus & Joannes primò non Nicomediam evocati fuerint, ſed Conſtantinopolim. Aut potiùs quod fama ita tulerit. Hinc enim de adventante Ariſtolao dicit Joannes: *Qui me vocavit ad Conſtantinopolim*. Videtur legendum: *Qui me vocabit*. Attamen retinere volui Caſſinenſem Codicem. Fieri enim poteſt ut Ariſtolaus Joannem antè per litteras docuerit voluntatem Principis, atque ita monuerit præparari ad iter. Poſſit eadem fuiſſe monitus à ſuis apud Principem Apocriſariis. Et hi Auguſtorum Secretorum ignari poſſint ſcripſiſſe eum evocandum ad faciem Principis. Poſſit etiam Theodoſius primum ſic voluiſſe, & poſtmodò mutaſſe. Secundò docemur, quod

Joan-

Joannes iſtam evocationem valdè timuerit. Non ſolummodò ob ſenectutem ac itineris moleſtias, ſed etiam ob hanc cauſam: *Scriptum mihi eſt ab aliquibus amicis & propriis, quia & in via mihi dolus interfectionis compoſitus, ſi paſſus fuero iter aſſumere*. Per Proprios videtur intelligere Apocriſarios. O humani generis ex originali cæcitate miſerias! En qualia ſuſpicetur ac timeat Epiſcopus ab Epiſcopo, Patriarcha à Patriarcha. Joannes iſta omnia credidit eſſe Cyrilli machinamenta, ideoque addidit: *Licèt noſtrum corpus ita ſit fragile, ut ſi Cyrillus millibus contra me neceſſitatibus abutatur, vias me aſſumere poſſibile non ſit*. Credebat Cyrilli artes eò tendere, ut ipſe moleſtiis fractus moreretur in itinere. Et hæc omninò eſt una ex rationibus, ob quas Theodoſius utrumque poſteà excuſavit à Nicomedienſi acceſſu, permittens quæſtiones tranſigi per Epiſtolas.

Eidem Relatores ſuis litteris adjunxerant faciendæ pacis conditiones, ingratiſſimas Joanni, ideoque ipſi majorem horrorem incuſſerant. Prima erat, quod duodecim Cyrilli Capitula, propter quæ Joannes ipſum Epheſi degradaverat, eſſent probanda & acceptanda. Secunda conditio erat horribilior, nempè quod omnes illi, qui in Chriſto Domino duas naturas profiterentur, eſſent anathematizandi. Hinc Joannes ſcribit primam eſſe utcumque tolerabilem, eò quod Capitulorum iniquitas ſit obumbrata, non penitùs manifeſta; ſecundam autem conditionem eſſe adeò abominabilem, ut nec ipſe Cyrillus unquam præſumpſerit eam expoſtulare. Suſpicio originem duxit ex hac Sancti Cyrilli propoſitione: *Chriſtus eſt una Dei Verbi natura incarnata*. Eſt orthodoxa, æquivoca tamen, ideoque fuit anſa multarum ſuſpicionum ac tumultuum. Porrò quod Sanctus Cyrillus duas in Chriſto Domino naturas fuerit ſemper profeſſus, eſt exploratiſſimum. Hi igitur rumores Joannem conturbaverant. Erant plateales in Regia civitate fabulæ, quas Apocriſarii, aut alii amici temerariè crediderant, & tranſcripſerant. Nam etiam duodecim Capitulorum comprobationem Theodoſius nunquam exegit: Immò nec ipſe Cyrillus. Contentus fuit ea non damnari.

His interim rumoribus Joannes concuſſus convocavit Synodum, tractaturam quid eſſet reſpondendum, Principi: An evocatio eſſet admittenda, an declinanda ac excutienda. Et per quas rationes. Aut certè *ſi violentum ſuſtinuerimus aliquid, vel hoc eveniat ut valedicamus ad invicem*. Ecce Joannes timebat violenter abduci ad Principem. Et timorem augebat, quod etiam Orientalis militiæ Magiſter haberet Præceptum, *ut violentus inſiſteret de his ipſis importabilibus propoſitionibus*. Ut eis refragantem Joannem ſub armata cuſtodia tranſmitteret ad urbem Regiam. Ad hanc Synodum Joannes evocavit Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum, Metropolitam Euphrateſiæ Provinciæ, cum Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo, aliiſque quos præfatus Metropolita ſpontaneos ac promptos invenerit. Quin etiam ſuos aliarum Provinciarum Epiſcopos advocaverit, non eſt dubitandum. Eos advenire rogavit *poſt Collectam, quæ hoc tempore Cyri fieri ſolet*. Poſſet fuiſſe Sancti Martiani Monachi feſtivitas, quem Cyrenſem fuiſſe Theodoretus affirmat in Religioſa Hiſtoria. Eandem Cyrenſem feſtivitatem laudat Romanum Martyrologium. Et ipſam adſcribit ſecundæ diei Novembris. Poſſit iſtic fuiſſe celebrata in alio die. Hæc enim Epiſtola eſt omninò ſcripta ad finem Aprilis. Porrò Joannes in his omnibus fuit plurimùm deluſus. Nec enim abſolutè evocandus erat Conſtantinopolim aut Nicomediam, ſed in eventum quo faciles pacis conditiones nollet admittere. Hunc fuiſſe Sacræ Juſſionis ſenſum, inferiora docebunt.

Et hæc eſt tertia Joannis poſt Epheſinam Synodus. Prima fuit Tharſenſis, de qua Theodoretus ſcribit ad Andream Samoſatenſem Epiſcopum: *Nullatenus acquieſcam violare communem promiſſionem, quæ in Tharſo, & Chalcedone, & Epheſo facta eſt*. Omnis Factio partim Epheſo, partim Chalcedone ſimul venit uſque Tharſum: Et iſtic Synodaliter confirmavit ſuam pro Neſtorio contra Cyrillum ac ejus Capitula, omniaque Epheſinæ Synodi Acta conjurationem. Secundam Synodum nobis refert Socrates: *Joannes Antiochiam reverſus multis Epiſcopis in unum collectis Cyrillum, qui Alexandriam redierat, abdicat*. Et liberatus Diaconus: *Juſſit Imperator omnes Epiſcopos abire, unumquemque in propriam Regionem. Et ita Joannes cum ſuis Antiochiam profectus eſt. Ubi colligens plurimos Epiſcopos, damnavit iterum Cyrillum, cum jam eſſet Alexandriæ*. Eandem Synodum omninò reſpicit, ac ejus Acta nobis exponit in præfatis ad Andream litteris etiam Theodoretus: *Meminit enim Joannes & eorum, quæ nuper apud Antiochiam poſt noſtrum regreſſum à nobis ſæpe deprompta ſunt*. Tertiam Joannis Synodum omnes cenſent eſſe illam, quàm celebravit poſt advectum Ariſtolaum, & ab illo acceptas Principis litteras. Caſſinenſis Codex nos docet hanc aliam priorem, à nobis jam expoſitam. Eandem videtur laudare in adductis litteris Theodoretus. Dicit enim: *Quæ nuper apud Antiochiam ſæpè deprompta ſunt*. Videtur omninò laudare plures Antiochenas Synodos.

De his rebus habemus varias memorias. In litteris Sancti Celeſtini Pontificis ad Epheſinam Synodum: *De his qui cum Neſtorio videntur pari impietate ſenſiſſe, atque ſe ſocios ejus ſceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos veſtra ſententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perſpicienda ſunt in talibus cauſis, quæ Apoſtolicas Sedes ſemper adſpexit. Quod loquimur Celeſtianorum teſtantur exempla, quod ſpem de Synodo hac uſque geſſerint: Habent, ſi reſipiſcant, copiam revertendi: Quod his ſolis non permittitur, quos propriè cum Authoribus Hæreſeos omnium fratrum conſtat ſubſcriptione damnatos. Per Dei namque miſericordiam aliquos ex eorum numero ad nos jam rediiſſe gaudemus. Quod hoc conſilio factum eſt, ut*

quos

*quos conſcientia mixta non poterat, ſaltem ſententia ſepararet. Hoc veſtra Fraternitas ſequatur exemplum. Sit caput ſceleris cum his, quos loquuntur Synodalia Statuta, damnatum; reliqui quos cum hoc ſentientes in communione Eccleſiaſtica non habemus, ejiciantur è civitatibus ſuis, & ſe in noſtro Collegio noverint non futuros, niſi ſecundùm Eccleſiaſticum & Chriſtianorum Principum Conſtitutum, damnata cum Auctoribus, ſociiſque damnantes, ſe profiteantur Catholicos Sacerdotes. Quam formam etiam circa eos volumus cuſtodiri, qui in Eccleſiaſticis cauſis ſubrependum Chriſtianis Principibus crediderunt, & alio ordine rurſum Eccleſias occuparunt. Antiochenum verò, ſi habeat ſpem correctionis, Epiſcopum à veſtra Fraternitate volumus conveniri, ut niſi quę ſentimus, ſenſerit, novellam blaſphemiam eodem exemplo ſcripta ſua profeſſione condemnans, intelliget de ſe quoque Eccleſiam, quod fidei noſtrę reſpectus imperat, ordinare.*

Epiſtola data eſt Idibus Martiis, die decima quinta, Conſulatu Ætii ac Valerii, anno trigeſimo ſecundo iſtius ſæculi, feria tertia poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ. Eo enim anno Paſcha cadebat in diem tertiam Aprilis. Eſt Reſcriptum ad Synodicas, quibus Maximianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuæ Ordinationis Apoſtolicam confirmationem rogaverat, preces, nec non ad relationem, quam adſidens ei Synodus de ejus meritis & virtutibus fecerat. Hæc omnia Romam detulerant Joannes Presbyter ac Epictetus Diaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: Romam circa Domini nativitatem appulerant, & Pontifex addit, quod eos ita dimittat, ut ad Paſcha poſſent eſſe Conſtantinopoli. Eadem die ſimiles ſcripſit litteras ad Auguſtum Theodoſium, ac ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum. Sunt ejus extremæ circa hanc cauſam litteræ, datæ tribus ſeptimanis ante ejus mortem. Nam ſexta Aprilis, in qua mortuus, erat feria quarta poſt Paſcha. Epiſtola nos docet varia. Primò, quod iſta Conſtantinopolitana Maximiani Synodus ſanxerit omnes ab Epheſina Synodo nominatim damnatos Epiſcopos eſſe extrudendos è ſuis civitatibus: Eſſe procedendum ad executionem. Singulariter extrudendos Dorotheum, Eutherium, Helladium, ac Himerium. Authenticum hujus ſanctionis teſtimonium infra videbimus. Secundò, quod iſta Synodus hoc Decretum retulerit Pontifici, ſupplicans confirmari. Ex quo vides, quod ad generalis Synodis Sancita exequenda non præſumpſerit ſine ejus juſſu procedere. Et quod iſta Sancita, licèt per Apoſtolicos Legatos condita, iſta firmitate omninò indiguerint. Tertiò, quod Celeſtinus omnem iſtius Decreti latitudinem confirmare noluerit: Cenſuit omnes ad Neſtorium lapſos, & apud Epheſum damnatos Epiſcopos non extrudendos à ſuis Thronis, aut ſecludendos ab omni ſpe veniæ ac reparationis. Cenſuit Decretum iſtud eſſe nimii rigoris, & adverſari antiquo Canoni, quem olim ex Magni Athanaſii ſuaſu condiderat Romana Eccleſia. Qui ſolis Hæreſiarchis, licèt pœnitentibus, claudebat recuperandi honoris, ac patere permittebat ſolam Laicæ communionis Januam, atque ad ipſos lapſis Epiſcopis aut Clericis per pœnitentiam aperiebat omnia. Hunc Canonem Celeſtinus obſervari voluit etiam erga Neſtorianos. Et quidem cum aliqua extenſione: Nempè ad illos, *quos propriè cum auctoribus hęreſis conſtat omnium fratrum ſubſcriptione damnatos*. Erat, & non erat extenſio. Etenim apud Epheſum ſolus Neſtorius ita damnatus fuerat. Et iſtam clementiam eſſe utiliſſimam Pontifex demonſtrat exemplo Pelagianorum, quos ipſe damnaverat, ac Italia ejecerat. Horum aliquot, licèt ad Synodum provocaſſent, ac ab ipſa ſperaſſent multa, atque ita contempſiſſent pœnitentiam, jam redibant ad mentem: Utique ob iſtam clementiam.

Quartò, Pontifex affirmat hanc clementiam eſſe non dumtaxat inductam à Romana Eccleſia, ſed inſuper per Imperiales leges ſtabilitam, ideoque non poſſe non ſervari. Quintò, quod reditum è Neſtorii luto Epiſcopi debebunt ipſum cum ſuo dogmate anathematizare, atque ita reddi ſuis Eccleſiis. Sextò quod iſta profeſſio exigi ac præſtari debeat etiam ab illis Epiſcopis, qui Principi obrepſerant, ac per ejus laicam auctoritatem receperant ſuas Eccleſias. Loquitur de Joanne Antiocheno, aliiſque cum ipſo apud Epheſum damnatis Epiſcopis, quos ad propria dimittens Imperator Theodoſius judicarat Orthodoxos ac innoxios, ideòque juſſerat recipi in ſuas Sedes. Etiam hos Papa vult compelli ad iſtam profeſſionem. Eadem tandem clementia tractari vult præfatum etiam Joannem, licet factionis caput, damnatum omnium ſuffragiis. Quia nempè non propter hæreſim damnatus fuerat, ſed propter turbulentiam & contumaciam.

Apoſtolica hæc Epiſtola venit Conſtantinopolim circa Paſcha, & circa idem tempus emanavit præfata Principis juſſio, etiam nihil exigi mandans ab Orientalibus Epiſcopis, niſi damnationem Neſtorii cum ſuis dogmatibus: Proindè hæc palam deſumpta eſt ex iſtis litteris. Porrò Epiſtola habet hunc titulum: *Celeſtinus Epiſcopus Sanctæ Synodo apud Epheſum conſtitutæ*. At verò data eodem die ad Principem Epiſtola ſic inſcribitur: *Epiſtola Celeſtini Papæ ad Theodoſium poſt Synodum*. Eadem Epigraphe apponitur Apoſtolicis litteris ad Maximianum Epiſcopum, ac litteris ad Conſtantinopolitanum Clerum ac Populum. Prima Epiſtola eſt ſcripta ad ſolos ſeptem Epheſinæ Synodi Legatos apud Principem. Hi enim Maximianum conſecraverant, cum illo Synodum fecerant, & omnium horum Actorum firmitatem à Papa poſtulaverant. Habuerant plenæ poteſtatis delegationem à Synodo: Hinc Pontifex ipſos adhuc appellavit Epheſinum Concilium.

Altera harum rerum memoriam ac elucidatio eſt in litteris Sixti tertii Pontificis ad Sanctum Cyrillum: *Non eſt, ſicut fratri & Coepiſcopo noſtro Maximiano jam ſcripſimus, etiam ipſe,* Joannes Antiochenus, *redeuntibus difficilis aperire*

*Januam,*

*Januam, ut verè niſi perditionis filius nemo ſit perditus, ſitque ei major cauſa lugendi, quod meruit ſolus excludi.* Et in litteris ejuſdem Pontificis ad præfatum Joannem: *Quam ſuper hoc*, concilianda Eccleſiarum pace, *eſſe ſolliciti nos debeamus, Clementiſſimorum & Chriſtianiſſimorum Regum cura teſtatur. Adſpice Frater Chariſſime, cœleſti negotio quam ſe vigilanter impenderint. Cogitationum ferias neſcierunt: Nec dignati ſunt terrena curare, niſi cœleſtibus paruiſſent. Quoties Apoſtolicam Sedem, quoties diverſos Fratres eorum ſermo commovit? Impenderunt ſe ejus negotio, qui ſe eorum nunquam negavit Imperio.* Hinc iterum primò diſcimus, quod Imperator Theodoſius de hac pace fuerit adeò ſollicitus, ut nullas ſibi fecerit de ipſa cogitandi ferias. Secundò, quod in ejus negotio nihil fecerit niſi ex prævia relatione ad Sedem Apoſtolicam. Quod omnia fecerit juxta ejus Reſcripta. Tertiò, quod Maximianus in recipiendis Neſtorianis fuerit durior, quod laudato Sancti Celeſtini Reſcripto non promptè obedierit, ideoque debuerit per ſucceſſorem Sixtum moneri aliquoties ad clementiam, ac impelli. Quartò, quod iſtam clementiam Sixtus adeò confirmaverit, ut optaret perire, ſeu in degradatione firmari ſolum Neſtorium, alios omninò omnes reddi ſuis honoribus ac Sedibus. Hæc ſcribit ad Sanctum Cyrillum omninò pro Dorotheo, Eutherio, Helladio, ac Himerio, quos Cyrillus à pace excluſerat. Ipſos Pontifex, licet non exprimat nomina, commendat admitti. Præſertim Eutherium ac Helladium. Ratio demonſtrabitur inferiùs.

Tertia memoria ac elucidatio eſt in litteris Sancti Cyrilli ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Religioſiſſimus Imperator, quod plurimam Sanctarum Eccleſiarum curam gereret, illarum diſſenſionem intolerabilem indicabat. Ad ſe ergò accerſens Reverendiſſimum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum Maximianum, ac alios non paucos, qui pro tempore ibidem comperiebantur, ſeriò cum illis conſultabat, quonam pacto Eccleſiarum diſſidium è medio tolli, Divinorumque Myſteriorum Miniſtri ad concordiam & pacem poſſent redigi. Illi verò non aliter id unquam fieri poſſe, neque priùs illos in concordiam venturos ajebant, quam unanimitatis & conſonæ fidei vinculum ita præfulgeret, & quaſi præferretur: Et oportere ajebant, ut pientiſſimus Joannes Antiochenus anathematizaret Neſtorii dogmata, ac illius depoſitionem Scripto approbaret. Hoc autem ab illo impetrato Epiſcopum Alexandrinum privatas offenſiones oblivioni traditurum, & contumelias, licet graviſſimæ & maximæ extitiſſent, quas Epheſi perpeſſus fuerat, propter charitatem nihili facturum. Cum itaque Religioſiſſimus Imperator eis aſſentiret, magnamque ex eo conſilio voluptatem caperet, miſſus eſt, qui hoc ipſum perficeret, præclariſſimus Tribunus ac Notarius Ariſtolaus.* Itaque laudata Celeſtini Epiſtola, ac laudata Maximiani Synodus Theodoſio perſuaſerunt hoc pacis ſtudium, & modum præſcripſerunt. Synodus hauſit ex Epiſtola.

## CAPUT LI. --139

### *Hypomnyſticum Imperatoris Theodoſii ad Acacium Epiſcopum Berrhææ.*

HOc fuit à principio tuæ Reverentiæ opus, ut Orthodoxia maneret, & inſuper augeretur. Jam enim & ante hoc tuo labore ac niſu Divina membra Catholicæ ac veræ fidei benè conjuncta ſunt. Et nunc quia Diaboli cujuſdam nequitia, & non ſimplici neque regulari doctrina ſemina diſciſſionis unitis, & unum idemque ſapientibus ſparſa ſunt, virtutem te recipere hortor illam, quæ omnibus nota eſt, ut ſimul orationibus ad Deum, & circa Sacerdotes conſiliis colligere quæ partita ſunt, atque conjungere quæ nec juſtè nec ſanctè in pugna ſunt, univerſa feſtines. Erit verò, ut arbitramur, hoc facile tuæ Sanctitati, ſi Reverendiſſimum Joannem Antiochenorum Epiſcopum non contendere, neque inſiſtere humanæ voluntati, ſive errori, fueris exhortatus, magis verò inſtiteris, ut ab illo recedat. Contra ejus adinventiones, novitatemque doctrinæ univerſi certant. Decet enim, ut in hac ſenectute & hoc certamen tua Religioſitas exequatur. Quod dum perclaboraveris, etiam eorum, quæ olim fortiter peregiſti, prædicaberis victor.

### SCHOLION.

IN tertia Epheſini Concilii parte exſtat Auguſta ad Berrhęenſem Acacium Epiſtola cum hac ſuperſcriptione: *Exemplum Sacrę ad Acacium Berrhęenſem Epiſcopum, & Symeonem Antiochenſem Anachoretam, aliaſque provincias, ad unumquemque ſeorſim.* Eſt longè alia à præſenti, & multo tempore poſterior. Eſt enim ſcripta poſt pacem: Adversùm nova Orientalium Epiſcoporum diſſidia, propter diſplicentes quibuſdam pacis conditiones. Rogat hæc compeſci per Acacium. Lucet hoc ex contextu Epiſtolæ: *Nihil omninò eorum à nobis eſt prætermiſſum, quæ religionis Chriſtianæ cauſa noſtro ſtudio effici debuerant. Atque hoc ipſum Sanctitas veſtra tum à Joanne Piiſſimo Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo, tum à cæteris Sanctis Epiſcopis, qui cum illo ſunt, dilucidè cognoſcere poterit. Acciderunt autem nonnullæ inter quoſdam circa hoc negotium difficultates & controverſiæ, quæ de medio tollere & abolere conati, negotiorum adhuc magnitudine & multitudine impediti ſumus.* Principis diligentiam Joannes ac ejus Epiſcopi antè pacem laudare non poterant: Laborabat

borabat enim illa pro Epheſino Concilio, quod iſti tunc averſabantur. Nec tunc aliqui, ſed omninò omnes Epiſcopi erant colligati cum ſuo Patriarcha. Item tunc nullæ inter ipſos erant circa hæc controverſiæ. Proindè hæc Epiſtola eſt manifeſtè poſt pacem ſcripta, adversùm novas circa illam quæſtiones.

At verò præſens Epiſtola eſt pace anterior: Acacium hortatur ad ipſam conciliandam. Eſt ſimul cum Sacra ad Joannem Patriarcham juſſione per Ariſtolaum Tribunum tranſmiſſa. Et primò affirmat laceratam Epiſcoporum ac Eccleſiarum pacem fuiſſe adhuc aliàs reſarcitam per Acacium. Nempè lacerationem, quæ ob Flavianum Antiochiæ Patriarcham olim fuerat inter Romanam ac Antiochenam Eccleſiam: Et quam cum eadem Romana omnis Orientalis Eccleſia incurrerat propter iniquam degradationnem Sancti Joannis Chryſoſtomi. Hinc ipſum Princeps rogat, ut & præſentem ſciſſuram dignetur & ſtudeat conſolidare. Secundò affirmat rem non fore difficilem. Quoniam à Joanne Antiocheno exigitur unica dumtaxat conditio: Nempè ut humano affectui ac errori renuncians deſerat Neſtorium, *contra cujus adinventiones, novitatemque doctrinæ univerſi certant*. Ex hac Epiſtola item videmus Theodoſium fuiſſe in iſto conceptu, quod Antiochenus Joannes non ſequeretur aut probaret errores Neſtorii, ſed quod ex humano affectu circumſcriptus crederet hominem fuiſſe malè intellectum, ideòque & injuſtè damnatum. Fuerant ſimul Presbyteri, & familiariter amici in Antiochena Eccleſia.

Præſens Epiſtola, licèt huc uſque publicam lucem non viderit, habet tamen antiqua & authentica teſtimonia. Etenim libellus, quem Paulus Emeſenus Epiſcopus, Orientalis Diœceſis in Ægyptum Legatus, Sancto Cyrillo obtulit, hæc habet: *Religioſiſſimi Imperatores per virum ſpectabilem Ariſtolaum, Tribunum ac Notarium, & ad tuam Sanctitatem, & ad Sanctiſſimum quoque Joannem Epiſcopum, & ad Sanctiſſimum Patrem noſtrum Acacium, Berrhœenſem Antiſtitem, litteras miſerunt, quibus præcipiunt, ut vel corpore, vel ſaltem animi ſententia inter nos coeuntes, controverſias illas inter Pientiſſimos Epiſcopos, qui in Epheſina civitate convenerunt, & nos exortus deleamus, acceptamque Deo pacem Sanctis ejus Eccleſiis conciliemus, turbas quotidiè deſævientes conſopiamus, ac Neſtorii depoſitioni conſentiamus, & perverſam illius doctrinam anathematizemus. Cum itaque Joannes & Acacius has pias litteras accepiſſent, &c.* Palam laudatur præſens Epiſtola. Item exponitur Sacræ Juſſionis ſenſus per hæc verba: *Præcipiunt ut vel corpore, vel ſaltem animi ſententia inter nos coeuntes, &c.* Lucidè affirmant quod Sacra Juſſio Cyrillum ac Joannem non abſolutè evocaverit Nicomediam, ſed dumtaxat in caſu, quo abſentes deduci non poſſent in concordiam. Etiam aſſeritur, quod variæ in Populis turbæ huic Sacræ Juſſioni ac evocationi cauſam dederint: Præſertim turbæ patratæ in extruſione quorundam Epiſcoporum, ac novorum conſecratione aut inthronizatione. Et hinc factum eſt, quod ad Marim Perſidis Epiſcopum ſcripſit Ibas adhuc Presbyter Edeſſenæ Eccleſiæ: *In contentione erant Epiſcopi contra Epiſcopos, & Populi adversùm Populos. Non enim audebat aliquis de civitate ad civitatem, aut de provincia ad provinciam proficiſci, ſed tanquam inimicum ſuum unuſquiſque proximum ſuum perſequebatur.* Quiſque enim ſuſpicabatur Epiſcopales hinc inde profectiones non fieri niſi ad patrandas iſtiuſmodi intruſiones. Porrò quam Græcorum Populi eſſent adversùm ipſas animati, apud Epheſum expertus eſt ipſe Joannes Antiochenus, dum degradato à ſe Memnoni tentabat ſuperordinare. Epheſii cives clauſerunt illi januas Eccleſiæ, & ipſum lapidibus abegerunt.

## CAPUT LII. —140

*Hypomnyſticum ad Sanctum Simeonem Stylitem per eundem Ariſtolaum.*

TOtam Reverentiæ tuæ vitam, ad Deum converſam, & ita viventem, ut poſſis habere fiduciam & circa nos ejus conciliare propitiationem, intelligentes, neceſſariè ad has nunc ſumus venire litteras invitati, ut rem, quæ reverà ad Divinam Providentiam pertinet, in hoc præcipuè tempore agere feſtines. Dicimus verò pacem, quæ bene fuerat radicata, firmari; litigium verò, malitione cujuſdam Diabolicæ malignitatis immiſſum, præpares amovere. Benè autem novimus hoc futurum, confidentes de tuæ orationibus Sanctitatis, & inſtantia atque hortationnibus ad eos, qui fundare hanc poterunt & redintegrare diſciſſam.

Reverendiſſimus enim Joannes Antiochenus Epiſcopus, ſi ſubſcribere ejus depoſitioni voluerit, qui ſemina contentionis immiſit, & patefecerit non ſe conſentire ipſi dogmati, vocum novitatis inſipientiaque præſumpto, diſciſſorum membrorum rursùs ſequetur unitio, in hoc ſimul concurrentibus univerſis. Si enim fecerit hoc, & Reverendiſſimo Epiſcopo Alexandriæ Cyrillo conſenſerit, cui & qui in Occidente, & qui hic ſunt, & qui ubique, concurrunt, ea quæ olim Divina clementia cohærebant, nunc quoque jungentur. Moleſtiam namque hanc & perturbationem ſuperflua & inutilis, magis verò & noxia generavit illa doctrina, quæ depulſa ab animabus noſtris, longèque fugata, orationibus veſtris requieſcere nos, ſicut de adjutorio Dei confidimus, & reficere poterit.

Sic enim nos diſſolutio perturbat, ut hanc &

primam cauſam eorum, quæ durè contingunt eſſe putemus: Et confidimus, quia ſecundùm Divinæ clementiæ arbitrium cuncta Imperio noſtro proficiant, ſi Eccleſiæ rectæque Fidei membra conjuncta fuerint & unita. Ad hunc effectum & optimum certato certamen, ut ſuperes Dæmonum tentamenta. Deputabitur enim tibi & hoc ad maximum bellum, fortiſſimamque victoriam: Qua obtenta eris tui ſequax, ea quæ profeſſus es agens. De quibus & confidens eſto, deprecatus, ut indeſinenter interceſſionibus conſuetis nos, noſtrumque Imperium, atque omnes qui ſub noſtro *Principatu* ſunt, Deo commendes. Quoniam nobis præcipuè, qui convenientem curam pro ejus exhibemus pace, culturæ ipſius virtute larga bona præſtantur.

## SCHOLION.

HÆc Sacra Epiſtola exſtat Græcè & Latinè. Caſſinenſis translatio eſt alia: Et licet in quibuſdam ſit obſcurior, in quibuſdam tamen eſt clarior. Hinc cenſui non prætermittendam. Docet nos & Theodoſii pietatem, & hujus Stylitæ ſanctimoniam ac authoritatem. Hæc tanta fuit, ut Romanorum Imperator ipſam imploraverit ad conciliandam pacem duobus Patriarchis, ac eorum Diœceſibus: Immò toti Eccleſiæ ac Imperio. Omnes enim fermè Epiſcopi ac Populi huic aut iſti parti adhærebant. Sacra rectè ſcribit: *Cyrillo Occidentales, & Conſtantinopolitani, & reliqui omnes terrarum Orbis Epiſcopi conſentiunt*. Notanda ſunt & hæc verba: *Nam contentio & diſcordia nos adeò conturbat, ut hanc exiſtimemus primam, præcipuamque omnium noſtrarum calamitatum eſſe cauſam, & confidamus Regni noſtri res ex voluntate benignitatis Dei eſſe proceſſuras, ſi res Eccleſiæ & Orthodoxæ fidei membra conjuncta & copulata fuerint in hoc egregio opere*. Caſſinenſis translatio ſic habet: *Sic enim nos diſſolutio perturbat, ut hanc & primam cauſam eorum, quæ durè contingunt, eſſe putemus. Et confidimus quia ſecundùm Divinæ clementiæ arbitrium cuncta imperio noſtro proficiant, ſi Eccleſiæ ac rectæ fidei membra conjuncta fuerint & unita*. Hinc videmus, quantum Romana Eccleſia, Epiſcopi omnes, ac ipſi etiam Reges & Principes ſtudere ac niti debeant ad conſervandam & retinendam Cleri pacem. Pertinaces diſcordiarum authores & fautores debent ſupprimi, immò & proſcribi. Unicum pietatis genus eſt hic eſſe crudelem.

Etiam Imperator Leo ad turbas, quas poſt Chalcedonenſem Synodum ſuſcitarat Eutychiana impietas, ſedandas non ſolos Orientalis Eccleſiæ Metropolitas ac ipſorum Synodos conſuluit ac adhibuit, ſed etiam hunc noſtrum Simeonem. Diſertè hoc teſtatur Georgius Cedrenus: *Leo inter alios etiam ſcribit ad Simeonem Stylitem, aliosque mirificos & Sanctiſſimos Patres obteſtans, ut ii de controverſis rebus judicium facerent, ut qui Deo eſſent rationem reddituri*. Evagrius Epiphanienſis conſonat & explanat: *Non diſſimiles ab Imperatore litteræ fuerunt ſcriptæ ad viros illuſtres, qui per id temporis vitam inopem, & rebus omnibus ad vitam neceſſariis deſtitutam egerunt. Ex quorum numero Symeon fuit, qui primus omnium cœpit in columna habitare, illudque domicilii genus invenit. His adnumerantur Baradatus & Jacobus, Syri*. Lib. 2. c. 9. Adjungit Simeonem & Auguſto Leoni, & Baſilio Antiochiæ Patriarchæ reſpondiſſe, & has ejus poſteriores litteras indidit ſuis Annalibus. Lib. 2. c. 10. Baradati reſponſoriæ ad eundem Principem litteræ exſtant in tertia parte Chalcedonenſis Concilii..

Quantus porrò Dei ſervus, & Chriſtianæ Juſtitiæ gigas fuerit Simeon Stylites, docet nos in religioſa hiſtoria Theodoretus. Affirmat ipſum primò fuiſſe Sanctiſſimum, & toti Mundo per miracula celebrem Cœnobitam, ac proſequitur: Cap. 26. *Quoniam autem innumerabiles erant qui adventabant, & tangere omnes conabantur, atque ex pelliceis illius veſtibus benedictionem aliquam haurire, primùm nimiam honoris magnitudinem abſurdam exiſtimans, deinde rem ut laborioſam ægrè ferens, ſtationem in columna excogitavit. Ac primò quidem ſex cubitorum cædi juſſit, poſtea duodecim, tum deinde duorum & viginti, nunc verò ſex & triginta. Evolare namque in cœlum cupit, & ab hac terrena converſatione recedere. Ego verò ſtationem hanc non abſque Divino conſilio factam credo. Quamobrem eos oro, quos reprehendere delectat, ut linguæ frænum injiciant, neque illam temerè ferri ſinant, ſed conſiderent Dominum talia perſæpè ad ſegniorum utilitatem inſtituiſſe*. Affirmat hoc vitæ genus fuiſſe tunc penitus novum, ideoque & obnoxium multorum obtrectationibus. Hinc addit ejus Apologiam, ac pergit: *Quemadmodum qui apud homines Imperium obtinent, per temporum intervalla nummorum imagines mutant, leonum interdum effigiem imprimentes, interdum ſtellarum & Angelorum, interdum novo charactere aurum pretioſius reddere conantes, ſic univerſorum Rex, tamquam characteres quoſdam, novas iſtas diverſas vitæ rationes pietati adjiciens, non fidei Alumnorum tantummodo, ſed incredulitate quoque laborantium linguas ad laudandum excitat. Quodque hæc ita ſe habeant, non verba teſtantur, ſed res ipſæ clamant. Iſmaelitarum enim millia quam plurima, quæ impietatis caligini ſervierant, ſtatio illa in columna illuminavit. Nam veluti ſupra candelabrum aliquod poſita lucidiſſima hæc lucerna radios, Solis inſtar, omnes in partes emiſit: Iberoſque, & Armenios, & Perſas accedentes, & Divinum Baptiſma accipientes videre eſt. Iſmaelitæ autem turmatim venientes, ducenti ſimul, & trecenti, ac interdum mille, patrium errorem magna voce abnegant, Simulacra quæ coluerant coram illo magno lumine conterentes, Veneriſque orgia ejurantes Divinis Myſteriis initiantur, leges ab illa ſacra lingua accipientes, & Paternis moribus valedicentes, ac aſinorum agreſtium & camelorum eſum reſpuentes*. Adducit admiranda ac adoranda hujus Divinæ gratiæ per Symeonem in Barbaros exempla, & adjungit:

*Talem*

Digitized by Google

*Talem à dicacibus irriſa columna fructum edebat, tantum Divinæ cognitionis radium Barbarorum mentibus infundebat.* Eadem Divina Providentia alio & alio tempore, ad alios & alios effectus, nobis excitavit regulares ordines Sancti Antonii, Pachomii, Baſilii, Auguſtini, Benedicti, Romoaldi, Bernardi, Norberti, Dominici, Franciſci, ac aliorum. Ita facit Eccleſiam eſſe Reginam circumamictam varietatibus.

Theodoretus poſt vatia pergit: *Ego autem ejus ante hæc omnia admiror conſtantiam. Per noctes enim & dies ſtat in omnium oculis. Foribus enim ablatis, muríque disjecta parte non minima, novum omnibus & ſtupendum ſpectaculum proponitur: Nunc quidem longo ſtans tempore, nunc ſubinde ſe inflectens, Deo adorationem offerens. Ac multi ſanè adſtantium adorationes iſtas enumerant. Semel autem quidam ex iis, qui mecum erant, cum mille ducentas quadraginta quatuor enumeraſſet, feſſus poſtea enumerare deſiit. Semper autem cum ſe inclinabat, ad pedum uſque digitos frontem admovebat.* Et poſt quædam: *In publicis autem ſolemnitatibus aliud etiam conſtantiæ ſpecimen præbet. Poſt Solis enim occaſum, quoad idem rurſus ad horizontem veniat Orientalem, manibus in cœlum extenſis ſtat tota nocte, nec ſomno capi ſe ſinens, nec labore vinci. In tantis autem laboribus ac egregiorum facinorum amplitudine & miraculorum frequentia, tanta eſt ejus animi moderatio, ac ſi omnium hominum eſſet infimus. Præter modeſtiam verò eſt & adita facilis, & affabilis, ac ſuavis, unicuique eorum reſpondens qui loquuntur, ſive opifex ſit, ſive mendicus, ſive ruſticanus. Doctrinæ quoque donum à liberali Domino accepit: Et bis quotidie exhortationes habens audientium aures irrigat, ſcitè admodum diſſerens, & Divini Spiritus documenta exhibens, jubenſque in cœlum reſpicere & evolare, atque à terra diſcedere, & regnum quod exſpectatur cogitatione verſare. Sed & judicantem quoque illum videre eſt, rectaſque & juſtas proferentem ſententias. Sanctarum etiam Eccleſiarum providentiam non negligit, nunc pugnans contra gentilium impietatem, nunc Judæorum frangens contumaciam, nunc Hæreticorum turbas profligans, atque interdum ad Imperatorem de his mittens litteras, interdum Præſides ad Divinum Zelum excitans, ipſos etiam Eccleſiarum Paſtores admonens, ut ſuorum Gregum majorem curam gerant.* Addit etiam propheriæ dono & omni gratiarum genere fuiſſe opulentiſſimum, & concludit: *Hæc porrò eò ſcripſi, ut ex gutta pluviam oſtenderem, & illis qui hæc lecturi ſunt, digito indice præferrem mellis dulcedinem.* Et quidem Theodoretus hæc ſcripſit, dum Simeon adhuc viveret, quotidie creſcens in virtutibus ac miraculis.

Ex his aliqua docemur. Primò, quod Anachoretica ſuper columnam vita ab hoc Simeone ducat exordium. Secundò, quod iſtam Anachoreſim non inchoaverit, niſi poſt expletam & acquiſitam omnem perfectionem vitæ cœnobiticæ. Ita enim de adſcenſu ad quamvis Anachoreſis ſpeciem mandant Sacri Canones, Patrum Sanctiones, & antiquæ Monachorum Regulæ. Tertio, quod iſta novitas in ſuo exordio multas & graves contradictiones ac detractiones ſuſtinuerit. Et non potuit non ſuſtinere. Nam & Sanctus Dominicus loricatus, dum ſuimet ipſius propria manu flagellationem induxit, fuit iiſdem obnoxius. Et dum Sanctus Dominicus, & Sanctus Franciſcus Religioſam mendicitatem, atque ita omnimodam monaſteriorum paupertatem inchoarunt, à malignis quorumdam linguis fuerant adeò percuſſi, ut aliqui non erubeſcerent apud Sanctum Engilbertum Colonienſem Archi-Epiſcopum effutire, quod ipſi eſſent iſti præcurſores Antichriſti, quos prædixit Sancta Hildegardis. Verùm uti Loricatus Dominicus Sanctum Petrum Damiani, ita Simeon Stylites Patronum ac Encomiaſtem accepit Theodoretum. Et hinc forſitan evenit, quod omnes ſuo miniſterio aut exemplo converſos, infideles ac fideles, baptizandos aut benedicendos ad Theodoretum mitteret. Et quandoque tanta acceſſit multitudo, ut ab ipſa undequaque compreſſus Theodoretus fuerit fermè oppreſſus ac extinctus. Quartò, quod columna pedetentim creverit. Prima erat ſex dumtaxat cubitorum: Excrevit tandem uſque ad ſex & triginta. Quintò, quod videatur fuiſſe ex trabe. Hoc ſuadent verba: *Cædi juſſit.* Sextò, quod primò murum includentem habuerit, ac in ipſo portam. Illum dejecit multitudo accedentium.

Notanda ſunt & hæc Theodoreti de neſcio quo curioſo fideli verba: *Is ad cacumen illud cum adſcendiſſet, &c.* Quod etiam Domnus Patriarcha Antiochenus eò adſcenderit, ac iſtic Sacrificium obtulerit, ſtatim audiemus ab Epiphanienſi Evagrio. Etiam Daniel Stylites fuit eò admiſſus, & iſtic benedictus in diſcipulum. Ita habent hujus Acta apud Laurentium Surium. Eadem affirmant columnæ non fuiſſe annexam ſcalam, ſed pro adſcendentibus fuiſſe admotam. Quod item Magnus Cœnobiarcha Theodoſius fuerit admiſſus, habemus in ejus vita. Attamen de neſcio quo apud petroſam Arabiam Stylita ſcribit in ſpirituali Prato Joannes Moſcus: *Fuit Stylites quidam, ad quem omnes, qui veniebant, inferius ſtantes loquebantur, eò quod non haberet ſcalam. Si* Cap. 129.
*quandò igitur dixiſſet illi frater, Volo tibi dicere cogitationem, dicebat & ipſe leni voce: Veni ad gradus columnæ. Ibatque ipſe ad aliam columnæ partem, & ita loquebantur mutuò: Stylita quidem ſuperiùs ſtante, fratre autem inferiùs.* An iſta fuerit conſueta, an ſingularis forma columnæ, ignoro. Porrò propter vitæ neceſſitates Stylita habebat famulum. Hinc in S. Lucæ Junioris Thaumaturgi & Anachoretæ Actis habemus, quod à neſcio quo apud Achajæ Patras Zemenenſi Stylita fuerit invitatus *ſub ipſo agere, ac miniſtri officium ſuſcipere;*
& quod illi miniſtraverit. Exſtant Acta apud Franciſcum Combefis. To. 2. Colum. nongenteſima ſeptuageſimanona.

Etiam noſter Simeon habuit diſcipulum, ac in columnæ ſtatione ſucceſſorem S. Danielem Stylitem: Apparens eſt, quod Simeoni uſque ad mortem miniſtraverit. Quod per quadraginta annos in columna ſteterit Simeon, & ex ipſa S. Genofevam, ſibi à Spiritu Sancto revelatam, per

Mercatores ſalutari juſſerit, ſcribunt hujus Acta. Nempe tunc tot anni ſteterat. Etenim Theodoretus videtur affirmare, quod ſtare cœperit ſub S. Meletio Patriarcha Antiocheno. At verò de ejus morte ſcribit ad Leonis primi Imperium Georgius Cedrenus: *Quarto anno Symeon Stylites moritur, primus iſtius vitæ generis inventor*. Quod ipſum habemus in vita Danielis Stylitę, ac apud S. Martyrem Theophanem. Fuit is quinti ſæculi annus ſexageſimus. At verò Meletius obiit quarti ſæculi anno octogeſimo primo, in Conſtantinopolitana Synodo, idemque Simeon per octoginta annos ſtetit in columna. Et ejus ad S. Genoferam ſalutatio fuit tranſmiſſa anno vigeſimo primo quinti ſæculi. Nec admireris hanc ſalutationem. Etenim Theodoretus affirmat ad ipſum, etiam antequam columnam incoleret, accurriſſe plena Orientalium Populorum flumina, ac adjungit: *Venerunt etiam multi ultimas Occidentis Oras incolentes, & Hiſpani, & Britanni, & Galli, qui horum media obtineat. De Italia namque ſupervacuum eſt dicere. Ferunt enim maxima in Roma celebrem adeò virum eſſe, ut in omnium officinarum veſtibulis parvas ejus imagines ſtatuant, tutelam quandam ex his & præſidium ſibi comparantes*. Addit quod ſoleret *Divinam Liturgiam exſolvere*, ideoque fuiſſe Presbyterum. De præſentibus Theodoſii Imperarotis ad ipſum litteris nullam penitus facit memoriam, ideoque videtur hæc ante has lites ſcripſiſſe.

De eodem Sanctiſſimo Simeone Evagrius Epi-
L. 1. c. 19. phanienſis ſcribit varia: *Hic primus ſtationem in columna inſtituit, domiciliumque in ea, cujus menſura vix duos continebat cubitos, conſtruxit*. Ex quo diſcimus ſupra columnam fuiſſe parvam caſulam. Pergit Evagrius: *Per idem tempus Domnus Antiochenum procuravit Epiſcopatum, qui ubi venit ad Simeonem, manſionem & rationem vivendi admiratus, ea quæ apud illum ſecretiora erant, cognoſcere valde cupiebat. Ambo igitur ſimul ingrediuntur, & puro Chriſti Corpore conſecrato, vitalem inter ſe mutuò participant communionem*. Domnus fuit Joannis nepos ac Succeſſor. Patriarchali auctoritate adſcendit columnam: Et illic cum Simeone obtulit Sacrificium. Ex quo videtur iſtic fuiſſe Altare. Obtulit ſimul cum Simeone. Et ſeſe invicem de Sacrificio communicarunt. Evagrius pergit: *Cum Simeon iſte, qui in terra Angelus, in carne cœleſtis Hieruſalem civis fuit, peregrinam hanc vivendi viam, hominibus planè incognitam inſtitueret, S. Eremi-Incolæ mittunt quemdam ad illum, jubentque ut ab eo ſciſcitaretur, quid hæc nova & inuſitata vitæ ratio vellet, & quam ob rem trita vivendi via & Sanctorum preſſa veſtigiis relicta, aliam quandam peregrinam, & hominibus omninò ignotam ſequeretur, eum hortantur per Nuntium, ut ex ſuo Domicilio deſcenderet, viamque Electorum Patrum intraret. Quod ſi alacri ac parato animo deſcendere videretur, mandarunt ut ei ſua ipſius vivendi via inſiſtendi poteſtas fieret. Ex obedientia enim ſatis conſtare poſſe dixerunt, eum Deo duce in eam viam fuiſſe ingreſſum, & tam grave certamen ad ſe affligendum in vita ſuſcepiſſe. Si verò reſiſteret, aut ſuæ inſerviret voluntati, ac non ſtatim ipſorum hortationi morem gereret, ut vi indè abſtraheretur. Nuntius, ubi acceſſit ad eum, & Patrum illi mandatum expoſuit, ac is extemplo alterum produxit pedem Patrum hortationi obſecuturus permiſit ſua ac propria vivendi via incedere, ſic eum affatus: Bono animo ſis, & ſtrenuè rem gere, ſtatio tua eſt à Deo inſtituta. Hæc res ab aliis, qui de eo ſcripſerunt, prætermiſſa, digna tamen, quæ litteris prodatur, à me hoc loco commemorata eſt*. Ejuſdem tamen rei meminit in Collectaneis Theodorus Lector: *Monachi in Ægypto, cum de S. Simeone audiſſent, quod ſupra columnam ſtaret, inſolentia rei perciti, nam primus hoc ipſe excogitarat, communionem illi negarunt. Poſteà verò cognita illius viri vita & corona, rurſus illi communicant*. Addit Simennem fuiſſe natum in vico Siſon.

Evagrius proſequitur: *Virtus Divinæ gratiæ tam penitùs reſedit in Simeonis animo, ut ad Imperatorem Theodoſium, lege jubentem, ut Judæis Antiochiam incolentibus ipſorum Synagogæ, quas Chriſtiani ab illis abſtuliſſent, redderentur, adeò liberè ſcripſit, adeòque acriter eum propterea increpavit, ut Imperator Theodoſius, quo Chriſtianorum ſatisfaceret voluntati, ſua mandata revocaret, ac Præfectum, qui ipſum de reddendis Judæorum Synagogis docuerat, abdicaret Magiſtratu, & Sanctiſſimum ac aerium oraret Martyrem, ut nominatim pro ipſo Deum obſecraret, obteſtareturque, ut ſua ipſum impartiret benedictione. Iſte Simeon hoc ſeverum vivendi genus in carne traducens, vitam ad quinquaginta ſex annos propagavit. Nam in Monaſterio, in quo primum Divinas vivendi præceptiones didicit, annos vixit novem. In Mandra autem quadraginta ſeptem. Et horum annorum decem in loco admodum anguſto confecit, in columnis arctioribus ſeptem, denique in quadraginta cubitorum columna annos triginta*. Verùm hæc omnia ſibi invicem non cohærent. Etenim lex illa, quæ exuſtam Synagogam juſſit à Chriſtianis reædificari, nnn juuioris eſt, ſed majoris Theodoſii: Emanavit quarti ſæculi anno octogeſimo octavo, circumducta ad geminam interceſſionem S. Ambroſii. Ambroſii Epiſtola exſtat. Exſtat item Theodoſii Lex in Theodoſiano Codice ſub Titulo de Judæis. An & Symeon Stylites fuerit Ambroſio conperatus, ignoro. Quidquid ſit, à quarti ſæculi octogeſimo octavo anno uſque ad ſequentis ſæculi annum, quo Simeon defunctus eſt, ſexageſimum ſunt anni ſeptuaginta duo, ideòque Evagrius manifeſtè deviat. In ſuo ad dictam legem Commentario Jacobus Gothofredus hæc ſcribit: *Similem Theodoſii Junioris conſtitutionem de reddendis Antiochiæ Synagogis Judæorum, quas Chriſtiani occupaverant, quæ Simeonis Stylitæ admonitione mox revocata fuerit, memorat Evagrius, & ex eo Nicephorus*. At nullum eſt ſimilis Facti aut Legis veſtigium, nulla memoria. Immò Junior Theodoſius tres, in ejus Codice ſub eodem Titulo exſtantes, emiſit Leges, vetantes exuri aut invadi Synagogas; at de lege, quæ invaſas aut exuſtas reddi aut reædificari jubeat, nullius reperitur teſtimonium. Quare manifeſtum eſt Evagrium aut circa Simeo-

nis

by Google

nis annos, aut circa Theodoſii perſonam labi, ac ſibi ipſi non conſonare. Sanè Theodoretus, Simeoni familiaris, videtur affirmare, quod ſub Patriarcha Meletio columnam adſcenderit. Ridiculum eſt, quod ſcribit Michael Glycas: Fol. 1463. *Martiano regnante Simeon ille magnus columnam adſcendit*. Etiam Georgius Cedrenus ſcribit ridicula. Scribit enim, quod Simeon ſub Juniore Theodoſio columnam adſcenderit. Et eò eſt inexcuſabi- Fol. 1040. lior, quod ferè ipſiſſima Theodoreti verba adducat, ideòque ipſum omninò legerit. Et ſubjungit: *Aliquantò poſt tempore Divinus Daniel in Anaplo, cum vidiſſet Magnum Simeonem, Divina æmulatione inſtigatus, ipſe quoque columnam conſcendit, multaque & maxima edidit miracula. Permanſit in columna uſque ad quartum Magni Leonis annum, atque ita ad Dominum emigravit, bonis operibus abundè præſtitis*. Errat variè. Primò, quod dicat Simeonem à Daniele fuiſſe viſum in Anaplo. Longè aliud ſcribit in Collectaneis Theodorus Lector: *Daniel præclarus è Monaſterio Simeonis profectus, columnam, quę in Anaplo eſt, adſcendit*. Etenim Simeon ſtetit propè Antiochiam, at verò Anaplum eſt propè Conſtantinopolim. Eſt propè mare, propè antiquam S. Michaelis Eccleſiam, quam Imperator Juſtinianus ampliavit ac ornavit. Daniel fuit Syrus, natus propè Euphratem, in quodam vico ſub urbe Samoſatenſi: Monaſticam profeſſionem emiſit in quodam iſtic Monaſterio. Glorioſa Simeonis fama ipſum evocavit, & fuit ipſi adeò gratus, ut ad columnam intromiſſus fuerit. Hinc zelo plenus Conſtantinopolim abiit, habitavit in Anaplo propè præfatam S. Michaelis Eccleſiam, ac tandem illic adſcendit columnam.

Secundò Cedrenus errat, quod Daniel quarto Leonis Auguſti anno obiçrit. Confundit res diſparatiſſimas: Simeonis mortem, ac Danielis. Nam & Simeonem affirmat iſto anno deceſſiſſe. De Daniele aliud longè ſcribit Theodorus Lector: *Publico Edicto Baſiliſcus*, Tyrannus, Chalcedonenſem *Synodum reprobari juſſit. Urſit autem & Acacium, ut idem & ipſe faceret, quod tamen obtinere non potuit, quod cuncta civitas unà cum viris & mulieribus contra Baſiliſcum in Eccleſia congregaretur, & Acacius ſeipſum, & Sedem, & Altare nigris amiciret. Daniel verò, magnus ille, de columna deſcendit, ac Divino zelo motus unà cum Populo & Acacio in Eccleſia comparuit*. Erat enim Presbyter, ordinatus ab Acacii Præceſſore Sancto Gennadio. Factum id fuit iſtius ſæculi anno ſeptuageſimo ſexto. Iſtud Danielis zelum, & varium Eccleſiæ ac Reipublicæ ex ipſo fructum largiùs habes in ejus Actis apud Laurentium Surium. Acta affirmant illum veniſſe Conſtantinopolim ſub Anatolio, columnam adſcendiſſe ſub Sancto Gennadio, ad Superos tranſiiſſe ſub Patriarcha Euphemio. Promotus hic fuit iſtius ſæculi anno octogeſimo nono, & ſedit uſque ad nonageſimum quintum, ideòque Daniel ad minùs triginta annis ſupervixit ſuo Magiſtro Simeoni.

L.6.c.21. Evagrius Epiphanienſis laudat nobis & alium Simeonem Stylitem, etiam propè Antiochiam, ſub Juſtino ſecundo Imperatore ac Patriarcha Gregorio. Affirmat illum à pueritia per ſexaginta annos ſtetiſſe in columna, inductum partim à facto ſibi Divino Beneficio, partim ab alio ibidem Columnicola. Eum laudat etiam ſeptima Synodus, ac adducit in aſſertorem ſuæ Definitionis: *Sancti Simeonis columnalis, qui in mirabili monte fuit, Epiſtola quinta ad Imperatorem Juſtinum Juniorem*. Actione 5. Ex quo lucet plures ab ipſo proceſſiſſe Epiſtolas. Iſta Epiſtola ſupplicat, ut Princeps dignetur Gentiles Samaritas ejicere è Monaſterio, quod ipſe propè Porphyrienſem civitatem ædificaverat. Eundem in tertia oratione pro ſacris Imaginibus laudat Sanctus Joannes Damaſcenus. Porrò Patriarcha Gregorius, ſub quo hic Simeon obiit, ſedere cœpit ſexti ſæculi anno ſeptuageſimo ſecundo, & ſedit per viginti duos annos. Joannes Moſchus in Spirituali Prato adducit nobis & tertium Simeonem Stylitem, qui ſtetit in Cilicia propè Ægenſem civitatem, & fulmine percuſſus interiit. Et quem alius ibidem Cap. 57. Stylita ac Presbyter Julianus vidit glorioſum cum exultatione in cœlos adſcendere. Laudat alium Stylitem propè Petras in Arabia. Cap. 129. Alium ſuprà audivimus laudari in Actis Sancti Lucæ Anachoretæ. Et Martyr Theophanes ad tertium Pauli Pontificis annum ſcribit de Abdela Saracenorum Principe: *Abdelas impoſita Chriſtianis Tributa auxit, adeò ut omnes, ſivè Monachi, ſive Incluſi, ſive Columnicolæ, Deo ſua vita placiti, vectigales deſcriberentur*. Palam affirmat iſtud vitæ genus tunc fuiſſe commune & obvium.

---

## CAPUT LIII. —141

*Propoſitiones, quæ directæ ſunt ab Acacio Berrhæenſi Epiſcopo per Ariſtolaum Tribunum & Notarium Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ex Concilio Epiſcoporum, Joannis Antiochiæ, Alexandri Hierapolis, Macarii Laodiceæ, Andreæ Samoſatæ, & Theodoreti Cyri, de pace facienda.*

PErmanemus in Fide ſanctorum Patrum, qui in Nicæa convenerunt, quæ Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam continet, & additamento non indiget. Manifeſtum verò ejus effecit intellectum & Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Athanaſius, Epiſcopus Alexandriæ, atque Confeſſor,

in epiſtola ad Beatiſſimum & Deo Amiciſſimum Epictetum Epiſcopum Corinthi. Permanemus igitur & in ipſa, tamquàm integram interpretationem habente prædictæ fidei. Quæ verò nuper ſuper-introducta ſunt Dogmata, vel per Epiſtolas, vel per Capitula, tamquàm quæ id quod eſt commune turbantia, excutimus, contenti antiqua Patrum Legislatione, & ſequentes eum qui dixit: *Ne transferas terminos æternos, quos poſuerunt Patres tui.* Prov. 22.

## SCHOLION.

HUjus Antiocheni Concilii, ſeu Conventus meminit Paulus Emeſenus Epiſcopus in libello, quem S. Cyrillo obtulit. Laudat Principis ab Ariſtolao allatam Sacram & pergit: *Cum Joannes & Acacius Sanctiſſimi Epiſcopi, has verè Chriſtianas litteras accepiſſent, perpendentes multa eſſe, quæ perſonalem veſtrum Conventum deſiderent, ne in hac re multum temporis conſumatur, me ad tuam Sanctitatem miſerunt.* Et ipſe Joannes Antiochenus in litteris, quas per Paulum miſit, ad S. Cyrillum: *Nos piis Principum litteris morem gerere volentes, recta ad vos Dominum meum Epiſcopum Paulum miſimus. Quod conſilium Sanctiſſimo Patri noſtro Acacio, cæteriſque qui nobiſcum erant, Epiſcopis probatum fuit. Fecimus autem hoc compendii gratia, eò quod illa, quæ à Religioſiſſimis noſtris Imperatoribus ſancita ſunt, perficere nobis ipſis in unum convenientibus non liceat.* Et Sanctus Cyrillus in litteris ad Acacium Melitinæ Epiſcopum, Metropolitam ſecundæ Armeniæ: *Poſteà quam Orientalibus Regium Decretum expoſitum eſt, & tanquam factum ex eorum Epiſcoporum ſententia, qui Conſtantinopoli aderant, conſilio neſcio quo apud Sanctiſſimum Berrhœenſem Epiſcopum Acacium congreſſi, ſcribi ad me curarunt conventionis modum, id eſt, Sanctarum Eccleſiarum pacis, niſi eo modo, quem ipſi præſcriberent, fieri non debere. Erat autem ea petitio gravis & moleſta. Volebant enim ea omnia aboleri, quę vel Epiſtolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, & ſoli fidei, quæ à SS. Patribus noſtris Nicææ edita fuerat, conſentire.* Et in litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum, Metropolitam veteris Epiri, exponit conditiones, quas ex Conſtantinopolitanæ Synodi ſuaſu Imperator Theodoſius à Joanne Patriarcha poſtulaverat, & proſequitur: *Quidam autem ex Orientalibus Epiſcopis, qui Neſtorium fortè necdum condemnarunt, aut etiam illi favent, rectam noſtram fidem offendunt, & Chriſti omnium noſtrum Salvatoris gloriam haud mediocriter oppugnant, atque ita Sanctiſſimum Acacium Berrhœenſem Epiſcopum, ut ad nos abſurda quædam ſcriberet, induxerunt, quod ipſi poſtularent oportere ut omnia, quæ adversùs Neſtorium ſcripſimus, abolerentur, & velut irrita rejicerentur, ſolumque Symbolum, à Sanctis Patribus in Nicæna civitate congregatis expoſitum, admitteretur. Meminit Sanctitas tua nuper Epheſi quoque ejuſmodi ab illis propoſitas fuiſſe conditiones.*

Joannes Patriarcha, ubi Sacras Principis litteras conſiderarat, nullatenus expedire cenſuit, ut præfixas conditiones admitteret. Etenim Neſtorii damnationem credebat iniquiſſimam, ideoque toto mentis impetu averſabatur. Et certè iſta damnatio ſecum portabat admiſſionem Capitulorum Sancti Cyrilli: Quæ Joannes non minùs oderat. Propter illa cenſuerat Cyrillum eſſe novum hæreſiarcham, ideoque Chalcedone coram Principe frequenter juraverat ipſum, etiamſi Capitula anathematizaret, nunquam à ſe recipiendum in Epiſcopalem Communionem, ſed dumtaxat in Laicam. Etiam cenſuit non expedire, ut Nicomediam accederet, & ibi ſolus cum ſolo Cyrillo diſputaret. Fuiſſet duellum inter impares. Interim iſta Sacræ juſſionis verba, quæ ipſius ſolius judicio imponebant hujus ſcabroſi operis machinam, libens admiſit, ideoque non cunctos ſuæ Diœceſis Epiſcopos, ſed ſolos paucos ac ſibi fidos adſcivit, & cum illis communicavit ſua arcana Myſteria. Nempè quod neque Neſtorii damnationem, nec Cyrilli Capitula, vellet unquam admittere. Et ei adſidentes Epiſcopi erant ejuſdem ſententiæ, Præſertim Alexander Hierapolitanus Epiſcopus, Metropolita Euphrateſiæ Provinciæ, itemque ejus Suffraganei, ac intimi fideles, Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, & Andreas Samoſatenſis. Hi enim duo adversùs Capitula mordaciſſimè ſcripſerant, & uſque ad ultimum vitæ ſpiritum non deſierunt illa conſpuere, ac damnare.

Hæc igitur Synodus ſanxit varia. Primò, nullam à Principe exactam conditionem admittere. Erant enim tres, connexæ inſeparabiliter: Damnatio Neſtorii, anathema Neſtoriani dogmatis, & admiſſio Epiſcopi Maximiani. Notanda ſunt Sancti Cyrilli ad Melitinenſem Acacium verba: *Poſteaquam Orientalibus Regium Decretum expoſitum eſt, tanquam factum ex eorum Epiſcoporum ſententia qui Conſtantinopoli aderant.* Sacras juſſiones Joanni & Acacio tradens Ariſtolaus addiderat præſcriptas conditiones nequaquam eſſe ſolius Principis Laicas cogitationes, ſed eſſe ipſi ſuggeſtas à Conſtantinopolitana Maximiani Epiſcopi Synodo, ideoque eſſe non modici ponderis. Forſitan adjecit, quod primus ipſarum fons eſſet Celeſtinus Pontifex. Et iſtud verbum adauxit conditionibus invidiam. Etenim Joannes ac ejus Epiſcopi Maximianum attendere, ac ejus Epiſcopatum, admittere non poterant, niſi damnando ſuum Neſtorium. Alterum hujus Synodi Decretum fuit, conditiones conditionibus objicere, alias tres è diametro adverſas expoſtulare. Primò ut Cyrillus ſua duodecim Capitula omniaque ſua in Epiſtolis, tomis, aut libris adversùs Neſtorium conſcripta recantaret ac aboleret. Ita enim purgatus erat Neſtorius. Deinde, ut utraque pars admitteret ſolum Nicænum Symbolum. Tertiò, ut ad ejus circa Dominicæ Incarnationis Myſterium elucidationem adjungeretur, ac ab utraque parte admitteretur S. Athanaſii Epiſtola ad Epictetum Corinthi Epiſcopum. Hæc enim Epiſtola ſcripta fuit ad lucidationem iſtius ſym-

ſymboli adverſùs tune enaſceotes, ac ſe in iſto Symbolo facinoroſè fundantes Apollinarii blaſphemias, nec non adverſùm reliquias Pauli Samoſatenſis. Exiſtimo hanc poſtremam conditionem fuiſſe adjectam quaſi in Cyrilli gratiam: Ne videretur nihil habuiſſe. Etenim Athanaſius, utpote Alexandrinus Epiſcopus non poterat illi non placere.

De iſtis, præſertim prima & ſecunda, conditionibus Sanctus Cyrillus rectè ſcripſit ad Donatom Nicopoleos Epiſcopum: *Meminit Sanctitas tua nuper Epheſi quoque ejuſmodi ab illis propoſitas fuiſſe conditiones.* Etenim dum Epheſi Joannes Patriarcha turbas ageret, Imperator Theodoſius denuò conſuluit Berrhœenſem Acacium, & ejus Judicium ſecutus, per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem ſcripſit ad Synodum: *Ut Sanctitas veſtra non modò per noſtræ Pietatis litteras incitata ad concordiam ſpectet, etiam Acacii Sancti Berrhœenſium Epiſcopi lectam à nobis Epiſtolam, qua idem ſuadet, ad vos miſimus. Hic tam propter extremam ſenectutem Sanctiſſimo veſtro Concilio adeſſe non poſſet, ea per litteras conſulit, quæ & pietatem ipſius decent, & Orthodoxæ Religioni conducunt.* Hæc verò erant, ut ceſſarent Cyrilli Capitula, omniaque utriuſque partis Scripta, & ut cuncti eſſent contenti ſolo Nicæno Symbolo. Acacius enim erat annoſa, ideoque & aſtutiſſima vulpes. Proindè & hoc ſimile præſens conſilium erat ab illo. Erat enim mens & lingua hujus Synodi. Hinc Eruditus præſentis codicis Compilator huic Synodo adſcripſit hunc Titulum: *Propoſitiones, quæ directæ ſunt ab Acacio Berrhœenſi Epiſcopo per Ariſtolaum Tribunum & Notarium Cyrillo Alexandrino ex Concilio Epiſcoporum, Joannis Antiochiæ, Alexandri Hierapolis, Macarii Laodicææ, Andreæ Samoſatæ, & Theodoreti Cyri, de pace facienda.* Affirmat has propoſitiones fuiſſe quidem Synodaliter conceptas, Sancto tamen Cyrillo tranſmiſſas per ſolùm Acacium. Scribit hæc ex laudata Sancti Cyrilli ad Donatum Nicopolitanum Epiſtola: *Orientales Epiſcopi Acacium Berrhœenſem, ut ad me abſurda quædam ſcriberet, induxerunt.* Nempè Joannes Patriarcha, Nicomediam cogi, & à Principis conſpectu perpetuùm proſcribi timens, etiam timuit ſimilia poſtulare ac ſubſcribere. Quod ipſum timuerunt & alii adſidentes Epiſcopi. Hinc ſoli Acacio, firmo in Principis gratia, impoſuerunt hanc invidiam. Acceſſit & alia ratio: Quod nempè Acacius eſſet à Principe conſtitutus inter has laceratiſſimas partes mediator, ac fibula pacis.

Hæc eſt tertia Joannis Synodus poſt reditum ab Epheſo. Partim Antiochiæ habita, partim Berrhææ. Lucidè hoc ſcribit Sanctus Cyrillus ad Melitinenſem Acacium: *Orientales Epiſcopi apud Berrhœenſem Acacium congreſſi ſcribi ad me curarunt conventionis modum, niſi eo modo, quem ipſi præſcriberent, fieri non debere.* Nempè Acacius ob nimiam ſenectutem nequibat ferre itinera, nec Patriarchales Synodos accedere: Hinc Patriarcha accedebat ad ipſum. Notanda ſunt verba: *Scribi ad me curarunt.* Denuò affirmant, quod non tota Synodus, ſed ſolus ex ejus rogatu Acacius ad Sanctum Cyrillum ſcripſerit. Exſtat Theodoreti ad Andream Samoſatenſem de Ariſtolai apud Sanctum Cyrillum Actis Epiſtola, cui Marius Mercator appoſuit hanc Notam: *Aliam quoque Epiſtolam Theodoretus ſcripſit ad Andream Samoſatenſem Epiſcopum, lectis Sancti Cyrilli Pontificis Alexandrini litteris à Berrhæa directis.* Hinc ad voces, *A Berrhæa directis*, Joannes Garnerius dedit hoc Scholion: *Non obſcurè inde conficitur Synodum, quæ à Joanne Antiocheno, dum tractaretur negotium pacis, habita ſcribitur, apud Acacium Berrhææ celebratam fuiſſe, & non Antiochiæ, quod opinantur Conciliorum Editores, aliique communiter plures. Colligitur etiam, quod aliundè certum eſt, Theodoretum non interfuiſſe hujuſmodi Synodo, ſive quod impatienter ferret de pace agi, hoc eſt, de condemnatione Neſtorii, & Cyrilli receptione, quorum alteri vehementer ſtudebat, alteri infenſus erat ſupra modum; ſive quo alio impedimento prohibitus.*

Eruditus vir labitur variè. Primò, quod Theodoretus huic pacificatoriæ Synodo non interfuerit. Præſens Synodicum Actorum compendium demonſtrat interfuiſſe. Secundò, quod Theodoretus impatienter tulerit tractari de pace. Etenim hæ Caſſinenſes Epiſtolæ oſtendunt fuiſſe illius cupientiſſimum ac ſtudioſiſſimum. Tertiò, quod pacis negotium eſſet idem, quod condemnatio Neſtorii. Etenim licèt eſſent connexa, Theodoretus tamen ſtuduit illa diſcernere ac ſeparare. Ejus cogitationes apparebunt inferius. Quartò, quod Theodoretus eſſet Cyrillo ſupra modum offenſus. Etenim erat potius Capitulis offenſus, quam perſonæ. Quintò, quod Synodus in adducta ad Samoſatenſem Andream Epiſtola ſcribatur acta apud Acacium. Nihil quippe ſimile iſtic eſt legere. Sextò, quod hæc Synodus ſit habita apud Berrhæam. Septimò, quod Conciliorum Editores ac alii plures malè affirment actam fuiſſe apud Antiochiam. Etenim ipſos recta dicere demonſtrat Alexandri Hierapolitani Metropolitæ Epiſtola ad Theodoretum: *Tunc in Antiochia inter nos locuti ſumus, dicentes: Quod ſi Cyrillus illam conditionem ſuſceperit, abjeceritque Capitula, pacem fieri convenit.* Eſt inferius adducenda. Palam agit de hac Synodo.

Nempè Patriarcha Joannes priùs cum Alexandro, Meletio, Andrea, ac Theodoreto Sacram Principis juſſionem diſcuſſit, & certam de ejus executione formam concepit, & tunc cum iſtis tranſivit Berrhæam, omnia communicaturus Acacio. Et hic probavit conceptum, atque ita perſuaſus eſt ſub ſolo ſuo nomine ſcribere Cyrillo. Hinc & Cyrillus non iſti Synodo reſcripſit, ſed ſoli Acacio: Et litteras non Antiochiam direxit, ſed Berrhæam. Litteræ adducentur inferiùs. Eas Acacius mox Joanni, Joannes communicavit aliis ſibi fidis Epiſcopis. Et de ipſis à ſe diſcuſſis Theodoretus ſcripſit Andreæ Epiſtolam, nobis cuſtoditam à Mario Mercatore, & infra ſub alia translatione adducendum. Hinc Marius dicit ipſum ſcripſiſſe *Lectis Sancti Cyrilli*

*litteris*

Digitized by Google

*litteris à Berrhæa directis*. Proindè hæc Synodus fuit & Antiochena, & Berrhæenſis. Antiochiæ cœpta, Berrhææ fuit completa. Quæ omnia ad oculum patebunt inferiùs.

Etiam ad Mercatoris verba, *Aliam Epiſtolam*, Garnerius dedit ſuum Scholion: *Epiſtola hæc in quinta Synodo dicitur ſcripta poſt pacem Eccleſiis redditam. Alia legitur Theodoreti ad eundem data Epheſi, quò non convenerat Andreas, morbo impeditus, poſt Cyrillum ac Memnonem ab Orientalibus depoſitos, & à Sacra Synodo reſtitutos, id eſt, circa finem Julii, anni quadringenteſimi trigeſimi primi*. Denuò labitur in duobus. Primò, quod hæc Epiſtola ſit ſcripta poſt redditam pacem Eccleſiis. Eſt enim ſcripta io exordio Tractatus de pace, dudum antè concluſionem. Ante conceptam Pauli Emeſeni Epiſcopi legationem ad Sanctum Cyrillum. Statim poſt Cyrilli Reſcriptum ad primam de pacis articulis propoſitionem, factam à Berrhæenſi Acacio. Secundò, quod iſtud aſſeratur ab Actis quintæ Synodi. Hujus enim Epiſtolæ nulla penitus iſtic eſt memoria. Proindè apud Marium Mercatorem voces, *Aliam ſcripſit*, non important dumtaxat ſecundam Epiſtolam: Theodoretus enim multas ſcripſit ad Andream. Senſus igitur eſt: Poſt plures Epiſtolas ſcripſit & aliam. Non eſt dubitandum, quin Marius Mercator aut omnes viderit, aut ipſarum plures.

Hierapolitanus Alexander in adductis ad Theodoretum litteris inſigniter exponit ſenſum præſentis Antiochenæ ac Berrhæenſis Synodi: *Verumtamen quæ tunc in Antiochia inter nos collocuti ſumus dicentes, Quod ſi Cyrillus illam conditionem ſuſceperit, abjeceritque Capitula, pacem fieri convenit, ſcientes videlicet illud hæc diximus, quod Hæreticorum Capitulorum ejectio ſit & rectæ fidei robur, & eorum, quæ contra illam perſonam ſunt geſta, ſubverſio, & ſcandali generalis ſolutio*. Unicum hujus Factionis ſtudium erat Epheſinam Neſtorii damnationem exſufflare, atque ita gradatim & per gyros illum revocare in Thronum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Et hæc omnia cenſebant comprehendi in abjectione Capitulorum. Hinc illam quaſi ſolam à Cyrillo poſtularunt. Etenim Nicænum Symbolum, ac S. Athanaſii ad Epictetum litteras noverant facillimè admittenda. At difficile eſt benè oculatum hominem circumſcribere. Etenim in litteris ad Melitinenſem Acacium Sanctus Cyrillus proſequitur: *Ego verò ad iſta ita reſcripſi. Expoſitioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil prorſus eorum, quæ in ipſa continentur, labefactantes. Quæ verò rectè contra Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, ea ejuſmodi eſſe, ut nulla ratione nobis perſuaderi poſſit, ut rectè ſcripta eſſe negemus. Opus proindè magis eſſe, ut ipſi juxta Piiſſimi Imperatoris Decretum, immò verò juxta Epheſinæ Synodi ſanctionem, illum qui contra Salvatoris Chriſti gloria pugnavit, ejicerent, impiaſque illius blaſphemias anathemate inſectarentur, ejuſque depoſitioni conſentirent, & Sanctiſſimi Epiſcopi Maximiani Ordinationem approbarent*. Et litteris ad Donatum Nicopolios Antiſtitem: *Egò verò ad hæc reſcripſi rem illos poſtulare, quæ fieri planè non poſſit, eò quod quæcumque ſcripſimus, rectè ſcripſerimus, utpote rectæ ac integræ fidei patrocinantes, ubique prorſus ex eis, quæ à nobis ſcripta eſſent, negare nos poſſe. Æquius multò eſſe, ut ipſi ambagibus illis ac dilationibus, quibus utebantur, miſſis, Piiſſimi Domini Imperatoris, Sacræque Synodi Placitis acquieſcerent, Neſtorii nugas & blaſphemias anathematizarent, depoſitioni illius conſentirent, atque Ordinationem Sanctiſſimi Epiſcopi Maximiani comprobarent*. Et in infra adducendis litteris ad Rabbulam Edeſſæ Epiſcopum, Metropolitam Oſrhoenæ Provinciæ: *Scripſit ad me optimus ſenex Epiſcopus Acacius incongruam quamdam propoſitionem, quaſi ab Orientis Epiſcopis, magis autem, ſi oportet dicere veritatem, ab eis, qui ea, quæ ſunt Neſtorii, ſapiunt. Nam dum eos oporteret ſequi quod congruit, & juxta intentionem piiſſimi Principis, omniumque Orthodoxorum anathematizare ſceleſta Neſtorii dogmata, è contrario petunt vacare univerſa, quæ à nobis ſcripta ſunt, ſive in Tomis, ſive in conſcriptionibus: Et ſic, inquiant, Eccleſiæ communicabunt ad invicem. Hoc autem clarè dicere eſt, quod oporteat nos rectam fidem denegare, & Neſtorii conſentire blaſphemiis. Si enim noſtra exterminamus, quæ ſe bene habent, approbavimus ea, quę ſunt Neſtorii, & erimus admirantes ejus inſaniam. Sed illorum quidem propoſitionem intelleximus*. Omnes tres Epiſtolæ affirmant, quod Cyrillus à propoſitis per Principem articulis recedere, & per Acacium propoſitos admittere conſtantiſſimè noluerit. Tertia adjungit, quod fontem, ex quo Acacius & alii Orientales poſtulabant proſcribi Capitula, uſque ad fundum introſpexerit. Item affirmat, quod iſta propoſitio non per Antiochenam Synodum fuerit facta, ſed per ſolum Acacium.

Quid porrò Sanctus Cyrillus de Magni Athanaſii ad Epictetum Epiſtola ſenſerit, lucet ex ejus litteris, quas Joanni Antiocheno poſtea reſcripſit per Paulum Emeſenum: *Quod Sanctorum Patrum, maximè Beati & celeberrimi noſtri Patris Athanaſii, ſententias ubique ſequamur, & caveamus ne vel minima in re declinemus, id quidem tua Sanctitas certò ſibi perſuadeat, neque alius quiſquam ambigat. Quia verò didicimus quoſdam Orthodoxam præclariſſimi Patris Epiſtolam, quam ad Epictetum ſcripſit, adulteratam ac depravatam edidiſſe, multoſque graviter hinc lędi, rati hoc utile ac neceſſarium Fratribus fore, ex vetuſtis exemplaribus, quę ſincera & incorrupta apud nos exſtant, exempla ad Sanctitatem tuam tranſmittimus*. Et in litteris ad Melitinenſem Acacium. *Venit ad me Paulus, Religioſiſſimus Epiſcopus Emeſenus, qui rogavit ex me, & quidem inſtanter, etſnè adſentirer, quę celebris memorię Beatiſſimus Pater noſter Athanaſius ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum quondam ſcripſerat. Ego verò reſpondi me prorſus & per omnia eis adſentiri, modo tamen ſcriptum illud apud vos exſtat incorruptum. Multa enim ab inimicis veritatis in eò depravata eſſe. Tunc ille ſe quoque Epiſtolam illam apud ſe habere ajebat; velle autem ex eis, quę apud nos erant, exemplaribus cognoſcere, an ipſorum libri corrupti ſint, an ſecus. Porrò autem cum vetu-*

ſta

Digitized by Google

*ſta ea exemplaria accepiſſet, eaque cum illis, quæ ſecum attulerat, contuliſſet, invenit illa eſſe adulterata, petiitque ex libris, qui apud nos erant, exempla deſcribere, ut ad Antiochenam Eccleſiam tranſmitteret. Quod & factum eſt.* Sanctus Cyrillus videtur in ſuo ad Acacium Reſcripto prætériiſſe hunc de Sancti Athanaſii Epiſtola articulum, & nihil penitus repoſuiſſe. Hine Joannes Patriarcha illum reſumpſit in miſſis per Panlum Emeſenum litteris. Et tunc Cyrillus iſta reſpondit.

Vitiationis ſeriem exponit in prima Epiſtola ad Succeſſum Dio-Cęſareæ in Iſauria Epiſcopum: *Neque verò illud tua Sanctitas ignoret Beatæ memoriæ Patrem noſtrum Athanaſium, quondam Alexandrinum Epiſcopum, cum per idem tempus quæſtiones nonnullæ moverentur, Epiſtolam ſcripſiſſe ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, omni rectorum dogmatum aſſertione plenam. Et quia etiam ex ea Neſtorius arguebatur, & rectæ fidei defenſores, cum eam legerent, convincebant eos, qui Neſtorii ſententiam amplectebantur, illi confutationibus ex ea prolatis victi, machinati ſunt facinus Hæretica impietate digniſſimum. Adulteratam namque Epiſtolam quibuſdam ſubtractis, nonnullis adjectis ediderunt, ut ille vir probatiſſimus conſimilia Neſtorio, ejuſque Sectatoribus ſapuiſſe videretur. Igitur neceſſarium fuit, ne qui iſtic quoque eam Epiſtolam corruptam proferrent, ex noſtris exemplaribus deſcripta tuæ Reverentiæ paria deſtinare. Nam vir quoque Religioſiſſimus, Paulus Emeſenorum Epiſcopus, Alexandriam veniens, hac de re egit: Et ejus Epiſtolę exemplar, quod habebat, deprehenſum eſt ab Hæreticis fuiſſe corruptum ac depravatum. Itaque popoſcit, ut ex noſtris exemplaribus deſcripta paria Antiochenis mitterentur.* Ejuſdem vitiationis meminit in litteris ad Fauſtum Senatorem Trifolius Presbyter Romanæ Eccleſiæ. Et in Conſtantinopolitana Collatione Hypatius Epheſinus Epiſcopus dixit ad Severianos Epiſcopos: *Qui cum Neſtorio ſapiunt, falſaverunt Epiſtolam Sancti Athanaſii ad Epictetum, ſicut Beatus Cyrillus, Beato Joanni Antiochenæ civitatis Epiſcopo ſcribens docuit nos.* Et hinc admiranda eſt Acephalorum ignorantia aut impudentia, qui Epiſtolam illa dixerunt diſplicuiſſe aut ſuiſſe improbatam à Sancto Cyrillo. Neſcierunt ant nolnerunt integram à vitiata diſcernere. Eos in ſuo adversùm illos Dialogo docuit ac revicit Ruſticus, Diaconus Romanæ Eccleſiæ. Et hinc vides rationem, ex qua Orientales Epiſcopi, licèt non perfidiæ, Neſtorianæ tamen perſonæ Fautores, Sanctum Cyrillum urſerint ad obediendum iſti Epiſtolæ. Et non ſine fructu urſerunt. Hac enim occaſione fuerunt inſtructi de hoc vitio, & acceperunt vera exemplaria. Alioquin & hodie nos forſitan hæreremus & ceſpitaremus in luto iſtius impoſturæ.

## CAPUT LIV. --142

### *Epiſtola Alexandri, Andreæ, & Theodoreti, Epiſcoporum, ad Helladium Tharſi Epiſcopum, ſicut poſuit Irenæus.*

SCientes quantam curam, ſollicitudinemque tua Sanctitas habeat, neceſſarium duximus indicare, quia intravimus Antiochiam convocati, & invenimus per Divinam gratiam non vera eſſe, quæ fuerant diffamata: Et inimicorum veritatis ſuperfluam verboſitatem, & araneis ſimilem. Habentes igitur de his, quæ ſunt agenda, Concilium, & intuentes, quia ſalva pietate etiam de pace oporteat cogitare, quaſdam propoſitiones direximus, & rerum compoſuimus modos, ut ſi quidem ſuſceperint unam earum, ſuſcipiamus eos in communionem, non conſentientes his, quæ contra ſanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium ab eis facta ſunt, ſed ipſum quidem, ſicut habuimus, habeamus. Alios verò, qui noſtras Propoſitiones ſuſceperint, ſuſcipiamus ad communionem pro Eccleſiæ pace. Direximus verò Propoſitiones ipſas, ut agnoſcat Religioſitas tua, qnia non neglεximus Dogmata noſtra, ſed curam fecimus competentem. Ut verò & hoc tuæ Religioſitati manifeſtum faciamus, ſcito Domine Deo Amiciſſime, quia nos uſque ad mortem pro pietate perſiſtimus, vindicantes eos, qui nobis commiſſi ſunt, Greges. Priùs quam ſcripta eſt Epiſtola, placuit ut una ſex Propoſitionum, quæ vivaciſſima eſt, & Dogmatum collectionem tenet, proponeretur eis cum Epiſtola Beatiſſimi & Sanctiſſimi Athanaſii, Alexandrinorum Civitatis Epiſcopi, quæ ſcripta eſt ad Sanctiſſimum Epictetum Corinthi Epiſcopum, quam putamus habere tusm quoque Religioſitatem, quam reſiſtens Apollinarii Hæreſi ſcripſit Sanctiſſimus prædictus Epiſcopus, integrè atquè ſubtiliter Apoſtolicam doctrinam exponens. Et incipit: *Ratus ea, quæ expoſita ſunt à Sanctis Patribus, qui Nicæam convenerunt.*

### SCHOLION.

IMperatoris Theodoſii circa Eccleſiarum pacem voluntas ac Decreta, Conſtantinopolitana Maximiani Synodus, Sancti Celeſtini Pontificis judicium, Ariſtolai Tribuni in Orientem adventus, Joannis Antiocheni cum pauculis Epiſcopis, partim apud Berrhæam, partim apud Antiochiam, ſecretò acta Synodus, aliaque huc ſpe-

ſpectantia, ſui famam, & quidem cum variis augmentis, ſparſerunt per omne Orientale Impeſium. Hinc Helladius Tharſenſis Epiſcopus, primæ Ciliciæ Metropolita, Neſtorianæ perſonæ & cauſæ adversùs Epheſinam Synodum, ac præſertim adversùm Sancti Cyrilli Capitula contumaciſſimus defenſor, fuit non modicè anxius, ideoque ipſum Alexander Hierapolites, Andreas Samoſatenſis, ac Theodoretus, tres fidiſſimi Collegæ duxerunt inſtruendum. An hæc Epiſtola ſit reſponſoria, non conſtat. Eſt ſcripta Antiochiæ, aut certè Berrhææ, poſt peracta omnia. Poſſit fieri quod Helladius ab illis Antiochiam abeuntibus, poſtulaverit hanc ſibi relationem fieri.

Epiſtola docet non pluta. Primo, quod Synodus fuerit convocata Antiochiam, & iſtic omninò convenerit. Secundò, quod multi ante Synodum fuerint ſparſi rumores, qui Factionem non parum concuſſerant. Tertiò, quod illorum plures fuerint falſi, utpotè Adverſariorum ſuperflua verboſitas. Quartò, quod Synodus concluſerit ineundam pacem, at ſalva pietate. Quintò, quod varios, præſertim ſex ineundæ pacis modos conceperit, quorum omnium palmaris articulus erat ut nullatenus admitteretur degradatio Neſtoſii. Sextò, quod horum ſex modorum ſinguli fuerint ſufficientes & congrui. Septimò, quod iſtorum dumtaxat unicus ſit tranſmiſſus in Ægyptum. Octavò, quod hic modus contineret, ut proſcribantur Cyrilli Capitula, & maneatur ad ſolum Nicænum Symbolum, cum Sancti Athanaſii Epiſtola ad Epictetum. Et hæc pietas, pro qua certare deberent uſque ad mortem. Alios quinque modos ignoramus.

De hac Synodo Theodoretus poſt adductas Ariſtolai ex Egypto per Magiſtrianum litteras ſcripſit ad præfatum Andream: *Nullatenus acquieſcam in damnationem Domini mei ſanctiſſimi & venerandi Neſtorii Epiſcopi conſenſum præbere, nec violare communem promiſſionem, quæ in Tharſo, & Chalcedone, & Epheſo facta eſt. Meminit enim & rerum, quæ nuper apud Antiochiam poſt noſtrum regreſſum à nobis ſæpe deprompta ſunt*. Joannes Garnerius commentatur: *Orientales ſtatuerant ſe nunquam vel in depoſitionem Neſtorii, vel in Cyrilli reſtitutionem conſenſuros. Nec id ſemel vel in uno loco, ſed Epheſi primùm, iterum Chalcedone, Tharſi poſtea, cum dimiſſi revererentur in Orientem; tandem Antiochiæ, priuſquam à ſe mutuò divellerentur, ad ſuas ſingulis civitates redeuntibus*. Errat hanc Antiochenam Synodum fuiſſe actam priuſquam à ſe mutuò divellerentur. Aliud enim clamant verba: *Quæ nuper apud Antiochiam poſt noſtrum regreſſum à nobis ſæpè deprompta ſunt*. Poſt quem regreſſum? Certè non alium, quam ex Epheſo & Chalcedone ad propria. Inſuper ante iſtum regreſſum actæ Synodi non erant nuperæ. Theodoretus igitur palam agit de præſenti Synodo. Et in ipſa Orientales manifeſtè receſſerunt à ſuis apud Epheſum, Chalcedonem, ac Tharſum conjurationibus. Iſtic enim pertinaciſſimè conjurarant Cyrillum, etiamſi pœnitens ſua anathematizaret Capitula, nunquam admittere in Epiſcopalem communionem: Quod hic ſpondent & admittunt. Nota verba: *Apud Antiochiam ſæpe à nobis deprompta ſunt*. Edicunt omnia Synodi Decreta fuiſſe agitata & concluſa apud Antiochiam, & inde, confirmanda apud Acacium, fuiſſe delata Berrhæam.

## CAPUT LV. --143

### *Epiſtola Sancti Acacii Epiſcopi Berrhææ ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum.*

REdiit ab Alexandria non Ariſtolaus, per omnia Admirandiſſimus & fidiſſimus Tribunus atque Notarius, ſed Nobiliſſimus Magiſtrianus Maximus, qui cum eo eſt. Hunc enim direxit ad nos, deferentem & ipſius litteras, & Sanctiſſimi Epiſcopi Cyrilli. Et Epiſcopus quidem qui Romæ eſt, unam ad me ſcripſit Epiſtolam, Alexandriæ verò tres vel quatuor, ex quibus unius Reſcriptum tuæ Religioſitati direxi. Si igitur poſſibile eſt, fatigationem uſque ad nos facies; ſi verò, ſicut ſcripſiſti, nunc uſque pedibus doles, inſpiciens litteras Deo Amiciſſimi Epiſcopi Cyrilli, & cognoſcens quanta uſus ſit acribia, in fidei cauſa ſcribens ad nos, acquieſce ad ea, quæ nos reſcribemus cum Concilio, Deo Amiciſſimi atque Sanctiſſimi Joannis Epiſcopi, & Pauli, ac reliquorum, qui Antiochiæ reperti fuerint Domini Epiſcopi. Ipſum verò Reſcriptum epiſtolæ cùm eis litteris deſtinavi & Domino meo, Deo Amiciſſimo Epiſcopo Theodoreto, rogans eum, ut veniat uſque ad nos. Si autem retinetur ob hoc, quod illuc advenerit Magnificentiſſimus Magiſter Militiæ, ſcribat ad nos, quia conſentit ad ea, quæ nos definiemus, & quæ ad Alexandriam reſcribemus. Profundiſſimæ autem ſenectuti noſtræ ut parcatis, quæſo: & detis manum hoc maximè agenti, ut hoc nobis auferatur opprobrium, & ad differentiam intolerabilis læſio. Scitis enim, quia in omnibus vobiſcum ſum inconductus: Et quia in Epheſo quidem Deo Amiciſſimus Paulus Epiſcopus ſubſcripſit pro me. Ego verò, ſicut allegatis, ad pium Imperatorem noſtrum retuli per Epiſtolam, ut hæreticum commemorans Deo Amiciſſimum Epiſcopum Cyrillum, qui & reprehendit nos in his, quæ ad nos ſcripſit in præſenti, quodammodò ſubmurmurans, quod de ipſo tanquam de Hæretico fecerim mentionem in his, quæ ad Imperatorem Sereniſſimum per litteras retuli. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus.

SCHO-

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola memoratas jam aliquoties, apud Marinm Mercatorem exſtantes, Theodoreti ad Andream Samoſatenſem litteras plenè explanat. Et Magiſtriannm, qui Ariſtolao Tribuno comes ac miniſter erat, docet fuiſſe nomine Maximum. Docet & alia. Primò, quod Ariſtolaus cum præfatis Berrhænſis Acacii litteris iverit in Ægyptum, tentaturus an Cyrillus præfatas Orienralium conditiones vellet admittere. Etiam detulit Sacram Juſſionem Principis, quam ſupra audivimus habuiſſe longè alios articulos. Secundò, quod Ariſtolaus poſt habitum cum Sancto Cyrillo Tractatum non ſtatim redierit, relationem facturus, in Orientem, ſed ipſam fecerit per ſuas ac Sancti Cyrilli ad Acacium litteras, tranſmiſſas per Magiſtrianum Maximum. Audi verba Theodoreti: *Magnificus Ariſtolaus ab Ægypto Magiſtrianum cum litteris Cyrilli deſtinavit, quibus anathematizat Arium, Eunomium, Apollinarium, eoſque qui Deitatem Chriſti paſſibilem dicunt, & qui confuſionem & permixtionem duarum aſſerunt naturarum. Et ſuper hoc quidem gavisi ſumus, quamvis propoſitionem noſtram ille diffugerit.* Præſens Epiſtola docet, quod Sanctus Cyrillus tres aut quatuor hac de re litteras ad Acacium ſcripſerit. Ex quo patet Ariſtolaum non pauco tempore hæſiſſe apud Alexandriam. Tertiò docet, quod etiam Sixtus tertius Pontifex Acacio ſcripſerit. Et hæ ſunt Epiſtolæ, quas ſupra laudari audivimus in encomio Acacii: *Acacio, & in ipſa diſcordia poſito, & Sedes Apoſtolica, & Beatus Cyrillus cum magna veneratione reſcripſit.* Ei igitur Sixtus ex pectore commendavit hanc pacem. Proſecutus eſt negotium, quod ejus Anteceſſor Celeſtinus inchoaverat. Credendum eſt, quod etiam ad Imperatorem Theodoſium & Sanctum Cyrillum ſcripſerit. Præſens Epiſtola quartò docet, quod Sancti Cyrilli litteræ eſſent non dumtaxat orthodoxæ, ſed etiam plenæ omni benignitate & gratia. Quod ipſum jam audivimus à Theodoreto. Quintò, quod harum litterarum cauſa Joannes Patriarcha paraverit Antiochiæ novam Synodum, cui adeſſet Paulus Emeſenus, aliique advenæ Epiſcopi. Hinc Acacius palmaris Epiſtolæ copiam tranſmiſit & ad Alexandrum Hierapolitanum, & ad ejus Suffraganeum, ac in omnibus Conſiliarium Theodoretum, rogans utrumque venire ad iſtam Synodum.

Et hæc eſt tertia Antiochena poſt reditum Joannis Patriarchæ Synodus, indicta ad maturè ac prudenter reſpondendum Sancti Cyrilli ac Pontificis Sixti litteris. Sixtus ſuas direxiſſe ad Sanctum Cyrillum, utpote Epheſini Concilii Præſidem, & omnium circa illud quæſtionum Directorem, hic videtur ipſas unà cum ſuis direxiſſe ad Acacium. Ambas enim videtur detuliſſe Maximus Magiſtrianus. Synodus nequaquam fuit totius Diœceſeos, ſed ex ſolis advenis Epiſcopis, quorum unus erat Paulus Emeſenus, ex Provincia primæ Phœniciæ. Ad eam Joannes invitavit item Alexandrum ac Theodoretum, utpote Aſſeſſores etiam prioris Synodi, ideoque omnium Actorum conſcios. Hinc utrumque rogat, ut ſi advenire nequiverint, dignentur conſentire in agenda, & Actis acquieſcere. Porrò quod Alexander pedibus doluerit, & ex hoc dolore frequenter decubuerit, etiam infra audiemus. Haud dubiè laborabat podagra. Notanda ſunt hæc verba: *Profundiſſimæ noſtræ ſenectuti parcentes.* Edicunt Acacium denuò non veniſſe Antiochiam, ideòque & hanc Synodum partim Antiochiæ, partim fuiſſe celebratam Berrhææ.

Porrò Cyrilli ſenſa & poſtulata non diſplicebant Acacio. Hinc inſtantiſſimè rogat ſibi ab Alexandro ac Theodoreto dari manus, ut tandem pax fiat, atque ita auferatur hoc probroſum Eccleſiæ ſcandalum. Et quo impetret, addit ſe eſſe ipſorum fidelem ac inconductum Miniſtrum atque Collegam. Et probat id ex duobus; Primò, quod licet cum ipſis Epheſum non iverit, tamen iſtic non defuerit: Utpotè qui iſtic fuerit, & omnibus Actis ſubſcripſerit per Vicarium, Paulum Emeſenum. Hinc enim Factio in Mandato, quod ſuis ad Principem Legatis dedit, ita ſcripſit: *Et Paulo Emeſenorum Epiſcopo, qui idem Acacii Sanctiſſimi Berrhæenſium Epiſcopi perſonam in loquendo gerit.* Ita Acacius fuit etiam quaſi unus ex iſtis Legatis. Secunda ratio eſt, quod etiam Cyrilli degradationem probarit ac ſubſcripſerit, & Principi perſuaſerit Cyrillum eſſe Hæreticum, ideòque ritè damnatum. Et re vera ad hanc Acacii relationem Imperator Theodoſius non ſolam Neſtorii, ſed etiam Cyrilli ac Memnonis degradationem confirmarat, & per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem fuerat executus apud Epheſum. Et ad majorem ſui Dicti firmitatem Acacius addit Cyrillum hac de re in ſuis litteris eſſe conqueſtum. Similes litteras Acacius ſcripſit Theodoreto. Et hinc ille omnia ſtatim communicavit Andreæ, per litteras exſtantes apud Marium Mercatorem. Acacius enim ad Andream videtur non ſcripſiſſe.

CAPUT

## CAPUT LVI. --144

*Domino meo Dilectiſſimo Fratri & Commimiſtratori Acacio Cyrillus in Domino ſalutem.*

DEcentem ſe etiam nunc curam ſuſcepit Sanctitas tua. Intentio eſt enim illi ſecundùm bonam voluntatem Salvatoris omnium noſtrum Dei, ut conjungantur Eccleſiæ, & ut de medio quædam fiat puſillanimitas; perſuadeantur verò hi, qui debent, unanimes eſſe, atque omne quod contriſtat auferatur, & ea quæ dirupta ſunt, charitatis vinculis reſtringantur. Sed ſicut videtur, nonnulli eorum, qui illic ſunt, videntur quidem putari ad ſuperficiem clarè injungere ad uſque tuæ Perfectionis intentionem: Aut ipſam verò latent, aut quaſi celare ſe ſtudentes efficiunt. Ea namque agere expetunt, quæ fieri non queunt. Quid aliud eſt, niſi rebus ipſis reclamare? Quod pacis faciendæ non habeant voluntatem. Et hæc dico Epiſtolam relegens à tua Perfectione tranſmiſſam, per quam didici ea petere illos, ut omne Conſcriptum, & omnis Epiſtola, quæ ante Synodum peracta eſt, adjudicari aut abjurari à nobis debeant, conſentiri autem rectæ fidei Symbolo, quod definitum eſt ſecundùm tempus à Sanctis Patribus, in magna Nicæna Synodo.

Ego verò quoniam Sanctum quidem illud Symbolum ſufficit ad omnem ſcientiam bonam, & de illo nihil omninò eſt, dicam utique atque conſentiam: Etiamſi aliquibus aliis hoc ſapere minimè videar aut dicere. Admiratus verò ſum illud. Neſtorio enim retortas illas & abominandiſſimas eructante voces contra omnium noſtrum Salvatorem Chriſtum, & hoc coram Eccleſia, ſcripſimus quæ ſcripſimus, contradicentes ſcilicet, & pollutis vocum novitatibus ejus producentes contrariam veritatem. Et per gratiam Dei omnes ipſis intendentes, plures quidem mirati ſunt, & recto intellectu honoraverunt, quæ à nobis dicta ſunt contra eum. Sed neſcio quid hi, qui nunc debent anathematizare polluta illius Dogmata, & ab illius impietate ſemetipſos alienos efficere, ad omne contrarium ſtudium convertentes, exterminari quærunt, quæ adversùs eum ſcripta ſunt. Quam rationem, quæſo, id habet?

Intelligit enim Sanctitas tua, quantam res habeat incongruitatem, ſi nos, quæ pro recta fide ſcripſimus, quoniam noſtra ſunt, abnegemus, immò potiùs accuſemus piam fidem. Ergò ſi ſe illa contra Neſtorium rectè non habent, ſive quæ contra perverſa ejus Dogmata ſcripta ſunt, ſine cauſa depoſitus eſt. Immò magis & ille quidem forſitan rectè ſapit. Erravimus autem nos, non ei conſentientes. Immò qui jam ſcripſimus his, quæ dixit, adverſa. Et certè Neſtorii multi feruntur Codices, omnia confundentes, & perturbantes Eccleſias. Deinde quomodò nos ea, quæ contra ipſum ſunt ſcripta, delebimus, quæ forſan aliquibus juvamen, vel breve, contigit efficere? Pervidet igitur tua, quæ omni ſapientia eſt plena, Perfectio, quia rem impoſſibilem quærunt. Et tantum longè ſunt à voluntate mitigandi interjacentem diſcordiam, ut eam reducant ad principium contentionis illius, quæ narrari non poteſt.

Cur enim non potiùs ad Epheſinam Metropolim venientes, cum Synodo unum protulerint Decretum contra eum, qui talia & tanta impiè prædicavit? Nam ſi vel modicum tardaverant, quid prohibebat, ut Commentaria inſpicientes Geſtorum ſatisfacerent eis, quæ legitimè fuerant facta, & conſentirent, ſicut dixi, recto, & quod increpari non debet, Decreto cunctorum? Sed è contra nec Dominum cogitantes, neque cauſam pro qua congregati ſunt (non enim de communi quacumque cauſa ſermo erat, ſed de fide, per quam Mundum ſalvavit Deus & Pater) omnem cruditatem, & omne fraternum odium in nobis oſtenderunt: Tam Sanctam & univerſalem Synodum excommunicatione injuriantes, & hoc abſque judicio, quam etiam velut immiti dextera gladium ſævitiæ intingentes in me, ac Reverendiſſimo Epiſcopo Memnone.

Ponamus enim quia ſecundùm veritatem & tranſiit nos aliquid, quod ad rectitudinem Dogmatum pertinet, aut circa alios modos ſubjecti aliquibus culpis eramus ſive peccatis, non oporteret dignos fieri priùs ſermone colloquii? At qui dum certè omnes ſuſtinuerimus Neſtorium, dum triennale tempus blaſphemando conſumeret, & nobiſcum verò Sanctitas tua & omne Concilium, fecimus abducere quidem illum ab eis, transformare autem potiùs ad illa Dogmata, quæ ad rectitudinem veritatemque reſpiciunt. Dum verò perſiſteret, & multò deteriora verbo laberetur adversùs gloriam Chriſti & in ipſa Epheſiorum Metropoli, de reliquo tanquam incurabili languore detentum ſancta Synodus removit à Sacerdotio. Volo autem tuam Sanctitatem, ut ille, aliquid commemorare, quod ad præſens pertinet tempus.

Quando enim in magna Conſtantinopoli ſancta veſtra Sydonus congregata eſt, tunc quando Joannes eſt accuſatus, deinde geſta ſunt ſuper eo à multis in Scripto Commentaria, cum futurum eſſet ut contra eum definitio proferretur, & eſſem ego unus adſtantium, ſcio me audiſſe Sanctitatem tuam Sanctæ Synodo ſic dicentem; *Quia ſi ſcirem quod nunc, ſi Joanni veniam largiremur, melior fieret ſemet-ipſo, & recederet à duritia & aſperitate, quæ in eo eſt, omnes vos rogaſſem pro eo.* Admirabilis ergo etiam circa hoc iterum judicata eſt Sanctitas tua. Quippe ut quæ dixerit veritatem. Quid igitur oportebat Sanctam Synodum facere, quæ impœnitentem,

Adn. Non Synodus ad Quercũ contra Jo: Chryſoſtom.

tem, & ſic pertinacem reperit illum, qui rectæ fidei repugnavit?

Quoniam verè dicit, quia oporteat ſoli Symbolo conſentire, vel certè expoſitioni fidei trecentorum decem & octo, & ego ad hæc dico, quia intentio fuit una ſanctæ & univerſali Synodo, quæ congregata eſt in Epheſina Metropoli, ut Symbolum confirmaret, quatenùs & omnes ità confiterentur, & crederent, ac docerent: Neque adjecto quolibet, neque detracto. Non enim eſt adjicere ſuper illud, nec eſt auferre ab eo. Propter hoc enim & contra Neſtorium decrevit: Sicut qui non ſuaſerit illud, quin potiùs removerit atque oblitteraverit, & ſecundùm nullum quidem modum ſecutus ſit illud, altera verò quædam & Dogmatibus Eccleſiæ peregrina inſanè auribus inſonuerit populorum.

Actum eſt igitur in Epheſo ſuper hoc proprium Commentum Geſtorum, confirmante Synodo expoſitam è trecentis decem & octo Patribus noſtris, qui circa ſuum tempus in Nicæa congregati ſunt. Et direxi hoc, ut tua Sanctitas benè cognoſcat. Quia enim rectè ſe atque irreprehenſibiliter habet, clarè ipſa lectio docet. Adjecimus verò & ſanctorum beatorumq; Patrum teſtimonia, ut ſciat Adeuntes, quomodò intellexerint illi fidei Symbolum, qui & nos ipſos Myſteriis imbuerunt. Igitur olim tam hoc ab omnibus facto, quare non magis & ipſi conſentiunt? Si enim quod omnibus placuit ab omnibus confirmetur, obtinebit omninò pax: Dum omninò à nullo ei fuerit contradictum. Igitur etſi nimis plura, & valde peſſima contra nos ab eis facta ſunt, & omnis ſpecies adverſa humanitati tentata eſt, ſed conſiderantes quia Deo, ac piiſſimo amicoque Chriſti Imperatori *placitum*, & ipſum verò quod Eccleſiis utile eſt, & tuæ Sanctitatis admonitiones omni Reverentia dignas habentes, conſequenter ut fratribus dimittimus quæ in nos commiſerunt.

Illud autem potius quærimus, quod omnibus videtur benè rectèque ſe habere. Complacet verò etiam Deo Amiciſſimo Imperatori, ut conſentiant depoſitioni Neſtorii, anathematizantes ejus blaſphemias & polluta Dogmata. Et nihil ultra reſiduum eſt, ut contentio de medio auferatur. Recipient enim ſemetipſas Eccleſiæ invicem, Chriſto eis donante præmium pacis. Nec verò ſimpliciter quidam alienantium & inconſideratorum contra nos evomant verba, ea quæ ſunt Apollinarii vel Arii, ſive Eunomii, me ſapere diffamantes, ſicut in Epheſo conſcripſerunt. Ego per gratiam Salvatoris ſemper ſui & Orthodoxus, nutritus verò ſum & inter manus Orthodoxorum Patrum, & neque illa quæ ſunt Apollinarii ſapui unquam: Abſit. Nec ea quæ alterius cujuslibet hæretici. Immò verò anathematizo illos.

Neque enim inanimatum dico Chriſti Corpus. Confiteor verò, quod animatum ſit anima rationali. Et neque confuſionem, vel confermentationem, vel refuſionem factam confirmo, ſicut aliqui dicunt; inconvertibilem verò & immutabilem ſubſiſtere ſecundùm naturam Dei Sermonem novi, & omnis paſſionis inſuſceptibilem ſecundùm propriam naturam. Impaſſibile enim eſt quod Divinum eſt, & converſionis obumbrationem minimè ſuffert. Quin potiùs requieſcit in propriis bonis. Hæc habet verò inconvertibile, in quibus eſt *ejus* exiſtentia. Unum verò eundem Chriſtum & Dominum Unigenitum Dei Filium, ipſum dico paſſum pro nobis carne ſecundùm Scripturas, ſive ſecundùm Beati Petri vocem.

Capitulorum verò virtus contra ſola Neſtorii Dogmata ſcripta eſt. Quæ enim ille non rectè dixit ac ſcripſit, ipſa ejiciunt. Qui verò anathematizant atque negant ejus veſaniam, ceſſabunt hæc, quæ à nobis ſcripta ſunt, increpare: Videbunt enim Capitulorum Senſa ſolis illius contraire blaſphemiis. Reddita verò communione, factaque inter Eccleſias pace, quando reſcribere abſque ſuſpectione licuerit, vel eis qui illic ſunt ad nos, vel nobis rursùs ad eos, tunc & ſatisfaciemus facillimè. Quæcumque omninò eorum, quæ à nobis ſcripta ſunt, rectè non intelliguntur à quibuſdam, & hæc excandidabuntur. Satisfaciemus enim, Deo favente, non jam ſicut repugnantibus, ſed ſicut Fratribus, quia omnia rectè habeant. Et eorum, quæ ſcripſimus nos, Neſtorii Dogmata impugnantes, nihil eſt omninò quod diſſonet vel Sanctis Scripturis, vel certè fidei definitioni, quæ expoſita eſt à Sanctis Patribus. Dico autem illis, qui in Nicæa ſuo tempore congregati ſunt.

Noſtra igitur intentio ad pacem ſe habet, non impetere quæ ſunt definita. Ita videlicet, ſi Neſtorii depoſitioni conſentire voluerint, & anathematizare contaminata Dogmata ejus, & communicare, & ad concordiam venire, Chriſto juvante ad idem, qui eſt pax noſtra ſecundùm Scripturas. Eis verò qui dicunt, quia oportet ejici ea, quæ contra polluta Neſtorii Dogmata ſcripſimus, nullus acquieſcet. Apertiſſimè enim elingues nos eſſe volunt illius blaſphemiis, cunctorum nundinantes taciturnitatem. Aut forſan magis & nos perſuadendos reputant, ut ea quæ ſunt illius ſapiamus, ſi quæ noſtra ſunt abnegemus, rectè ſe atque immaculatè habentia, & contra illius vocum novitates ſtantia.

Si verò illorum, qui illic ſunt, quidam ſecundùm quod eis videtur, detrahunt aliquibus, ad ea quæ nec convenit tranſvertentes ſenſus eorum, ſciant quia præter omnes, qui in toto orbe ſunt, ſoli hi perpetrantes ſapiunt. Conſenſerunt enim his quæ à nobis facta ſunt, atque conſentiunt univerſi, & rectè ſe habentibus, & dictis, qui certè ſubtiles perſcrutatores ſunt Dogmatum Divinorum. Et illud autem ſuper hæc tua Religioſitas cogitet, quia oportet ita componi pacem Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum, ut non ulli diſpliceat eorum, qui per omnem Romanorum ſunt Principatum. Et univerſalis fiat: Ne minima ſciſſura ingentes plures alias faciat. Omninò enim non conſentient, ſi tale aliquid fuerit factum, quod non ſequens videatur. Et maximè hoc cogitari oportet.

Cunctis namque inſtantibus in Epheſo, & non acquieſcentibus communicare his, qui ex Oriente ſunt, proponentibus verò, quia non erit priùs hoc, niſi ſuſceperint depoſitionem Neſtorii, & anathematizaverint nobiſcum Dogmata ejus, quomodo niſi hoc fuerit factum, ea quæ ad communionem pertinent, ſtabunt? Quis autem non clamabit contra nos, dum perdiderimus animas noſtras, & negaverimus rectam fidem, & quæ rectè dicta omnibus placuerunt, nos ejecerimus, tanquam non rectè ſint dicta? An non oportet facta pace nos Epiſtolas mittere his, qui ubique ſuper alios Religioſiſſimos Epiſcopos eminent, ut & ipſi concordes effecti reddant eis communionem? Deinde quis ſit, qui eis ſuadeat, ſi quid factum fuerit præter quod omnibus placet, & in quo omnes inſtiterant, ut oporteret depoſitum haberi Neſtorium, & anathematizare infaniſſimam ejus doctrinam, quin potiùs verboſitatem contra omnium noſtrum Salvatorem Jeſum Chriſtum?

Contriſtatos verò nimis, & intolerabiliter dolentes propter illa, quæ contra me geſta ſunt ab Orientalibus, tam ex Clero Alexandriæ, quam cunctos Ægyptiacæ Diœceſis Epiſcopos Religioſiſſimos ſic mitigavit Dominus meus admirandiſſimus Tribunus Ariſtolaus, ut mihi etiam leviſſimam pacis faciendæ redderet viam, & omnes venirent in hujuſmodi voluntatem. Et plurimùm quidem me fateor ejus Admirabilitati eſſe debitorem, quia modò mihi fit cooperans ad omnia, & competentibus rationibus, quæ contriſtabant, aboleverit. Saluta Fraternitatem quæ apud te eſt. Te quæ nobiſcum eſt, Fraternitas in Domino ſalutat.

## SCHOLION.

HAnc Epiſtolam Sanctus Cyrillus laudat in litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum. Exponit prima Orientalium Antiſtitum per Berrhæenſem Acacium Poſtulata, & adjungit: *Ego verò ad iſta reſcripſi Expoſitioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil eorum, quæ in ipſa continentur, labefactantes. Sunt enim ea omnia rectè ac inculpatè tradita, neque tutum eſt poſt illam fidei editionem quidquam adhuc curioſiùs tractare. Quæ verò rectè contra Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, ea hujuſmodi eſſe, ut nulla nobis ratione perſuaderi poſſit, ut rectè ſcripta eſſe negemus. Opus proindè magis eſſe, ut ipſi juxta Pientiſſimi Imperatoris Decretum, Sanctæque Epheſinæ Synodi ſanctionem, illum qui contra Salvatoris Chriſti gloriam pugnavit, ejicerent, ac impias illius blaſphemias anathemate inſectarentur, ejuſque depoſitioni conſentirent, ac Sanctiſſimi Epiſcopi Maximiani Ordinationem approbarent.* Et in litteris ad Theognoſtum, Carmoſinum, ac Leontium, ſuos in Regia civitate Apocriſarios: *Acacius Berrhæenſis Epiſcopus, veneranda canitie ac ſingulari pietate vir, impulſu quorumdam Religioſiſſimorum Epiſcoporum Orientalium ad me litteras miſit per Dominum meum Magnificentiſſimum Tribunum Ariſtolaum, quibus ſignificabat oblitteranda eſſe omnia, quæcumque libris & Epiſtolis noſtris continentur, & inſiſtendum eſſe uni Symbolo, quod in Sancta Nicæna Synodo eſt editum. Ego verò ad hæc longiſſimam et ſcripſi Epiſtolam, quam & ipſi utique accepiſtis.* Eſt omninò longa Epiſtola, & ſummi momenti. Eandem Sanctus Cyrillus laudat, & ſingula ejus Capita amplè exponit in litteris ad Donatum Metropolitam Nicopolios.

Inter tres aut quatuor, quas Berrhæenſi Acacio circa pacis negotium ſcripſit Sanctus Cyrillus, eſt haud dubiè palmaris ac fundamentalis. Eam probavit Acacius, ideoque ad Joannem Patriarcham, Alexandrum Hierapolitanum, Theodoretum, alioſque majores Orientis Epiſcopos tranſmiſit, ſuadens & rogans admitti, & conſentiri in pacem. Præcipua ejus Capita ſunt hæc. Primum laudat Acacii grandia in Eccleſiam merita, præſertim rectiſſimam in hac pace concilianda intentionem. Secundum notat quoſdam Orientis Epiſcopos, quod ab iſta intentione devient: Quod verbo & lingua pacem poſtulent, cujus non habent voluntatem. Tertium affirmat propoſitos pacis articulos non eſſe ab Acacio, ſed ab iſtis verſutis Epiſcopis. Ipſos per illius interventum machinari talia. Quartum affirmat *Nicænum Symbolum* eſſe apud omnes Sacroſanctum, & tale fuiſſe etiam apud Epheſinam Synodum: Fuiſſe fundamentum omnium, quæ acta ſunt adversùs Neſtorium. Et hinc Epheſina Acta Cyrillus adjunxit Epiſtolæ, & tranſmiſit ad Acacium. Quintum caput lamentatur de temerariis ac injurioſis quorumdam clamoribus, ubique magno impetu ſuadentium duodecim Capitula eſſe ſcelerata dogmata Arii, Eunomii, aut Apollinarii. Sextum graviſſimè queritur de facinoroſa Orientalium Epiſcoporum apud Epheſum audacia, qua Cyrillum & Memnonem, & quidem inauditos, degradarunt, omnem autem Orthodoxam Synodum privarunt communione. Septimum affirmat Alexandrinæ Eccleſiæ Clericos & plures Ægypti Epiſcopos propter hæc fuiſſe adeò averſos à pace, ut Ariſtolaum cenſerent nec audiendum. Octavum laudat hunc optimum Tribunum, quod ſua moderatione ac prudentia illorum animos non duntaxat compoſuerit, ſed etiam reddiderit ad pacem facillimos. Nonum affirmat Cyrillum non eſſe in fide Neophytum, ſed ab infantia Orthodoxum, utpote enutritum inter manus Sanctorum Patrum. Haud dubiè intelligit Cyrilli Avunculum & in Alexandrino Throno Anteceſſorem Theophilum.

Hanc ipſam Apologiam Sanctus Cyrillus adduxit in libello, quem quintæ Actioni Epheſini Concilii obtulit adversùs temerarium ac factioſum Joannis Antiocheni judicium: *Nos nullo unquam tempore Apollinarii, aut Arii, aut Eunomii doctrinam probavimus, ſed ab ineunte ætate Sacras litteras didicimus, & in Sanctorum ac Orthodoxorum Patrum manibus educati ſumus.* Utique Sanctorum Monachorum. Cyrillus enim fuit omnino

Mona-

Monachus. Forſitan & in præſenti Epiſtola legendum eſt: *Orthodoxorum Patrum*. At nolui Caſſinenſem textum deſerere. Decimum caput omnes bas injurias remittit ex pleno pectore. Undecimum aſſeverat Capitula fuiſſe perneceſſaria, & eſſe recta, ideoque non poſſe damnari aut projici. Attamen non mandat illa admitti in regulam. Duodecimum queritur illa à quibuſdam detorqueri in alienos ſenſus, additque Epheſi fuiſſe probata ab omnibus. Decimum tertium affirmat ac demonſtrat Neſtorium fuiſſe meritò ac ritè damnatum ab Ephesino Concilio. Fuiſſe contumacem in ſuis blaſphemiis, ac duriſſimè pertinacem. Etiam in ipſa Epheſina Metropoli. Nempe in contentioſa illa diſputatione cum Theodoto Ancyrano ac Acacio Epiſcopo Melitinenſi. Fuiſſe in ejus damnatione proceſſum à Cyrillo, quomodo ab ipſo Acacio fuit olim proceſſum in damnatione Joannis Chryſoſtomi: Cyrillum egiſſe ex imitatione iſtius exempli. Etenim in iſta ad Ruffinianos hortos Synodo Cyrillus fuerat præſens, & omnium oculatus inſpector, utpote Clericus & Miniſter ſui Avunculi Theophili. Huic Epiſtolæ debemus plurima. Nam ex ipſa diſcimus etiam hanc Cyrilli in iſta Synodo præſentiam, & doloſum Acacii ſuffragium, non pro, ſed contra Sanctum Joannem Chryſoſtomum. Quartum decimum caput ex his concludit recedi non poſſe ab articulis, quos Princeps exegerat. Eos enim eſſe ipſam ſubſtantiam, à qua recedi non poſſit, Sacro-Sancti Epheſini Concilii. Decimum quintum profitetur duas integras ac perfectas in Chriſto Domino naturas, damnat omnem earum confuſionem aut mixturam, addit Divinam naturam etiam in Chriſto Domino eſſe inconvertibilem ac immutabilem: Nec ipſam fuiſſe paſſam, ſed Chriſtum Dominum in adunata ſibi carne. Purgat ſe de impoſitis Apollinarii blaſphemiis. Et rogat ac ſuader admitti hæc omnia, & concludi pacem. Hæc Epiſtola non queritur de Acacio, quod Cyrillum de hæreſi accuſarit apud Principem, ac ejus Epheſinam degradationem confirmari fecerit. Hæc querimonia fuit in aliis litteris.

---

## CAPUT LVII. —145

### *Epiſtola Alexandri Hierapolitani ad Acacium Berrhæenſem Epiſcopum.*

Arbitror Dominum Chriſtum, præcipientem Diſcipulis ſuis, ut eſſent prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, principaliter inſtruere, ut caput omnium bonorum, quæ in nobis ſunt, rectam fidem ſinceriſſimam conſervarent. Sicut enim nulla ſalus eſt Repentibus, ſi capite conterantur, ſic neque Chriſtiano, qui ſanam fidem corruperit. Propter hanc crucifixus eſt Petrus, Paulus capite cæſus eſt, diverſis mortibus Evangeliſtæ atque Apoſtoli compleverunt pium curſum. Obſecuti ſunt Martyres. Irridebantur verò & ſubſannabantur omnes paſſionum temporibus, ab his qui multiformes eis mortes crudeliter ingerebant.

Scit Sanctitas tua, quia ſecundùm Syricam vitam quidem peccator ego ſum. Unde etiam quadrageſimum jam annum ago, quibus mea plango peccata. Fidem verò rectam à prima die, ſicut teſtatur Sanctitas tua uſquè ad mortem dilexi. Unde nec unquam ceſſavi his, qui vicini ſunt, de hac abominabili hæreſi inferre certamen, quam Cyrillus ipſa quidem virtute renovat, Apollinarium verò anathematizat, ſimile aliquid faciens, tamquam ſi & aliquis ex non exiſtentibus Dei filium dicens anathematizet Arium. Et ut ſub una dicam omnes hæreſes, ea quæ ipſorum ſunt ſapiens, hæc prædicat. Ubi enim Dei iter, nullum revereor. Cyrillus hæreticus eſt, unam naturam prædicans Chriſti, & ipſi univerſas paſſiones adjungens. Et ipſam mortem. Et lucidum eſt cuilibet legenti cum veritatis amore Capitula ejus, & Epiſtolæ ad Hebræos interpretationem, & Epiſtolas, vel Feſtivas vel alias, & univerſa ejus Conſcripta, invenire quod unam naturam Dei & Hominis dicat, & quod ſunt unum. Et circa hunc ſenſum Caro ſit factus, & mortuus fuerit Carne, & primogenitus factus fuerit Deus Verbum ex mortuis Carne. Sparſit verò Carnis nomen propter unius naturæ confeſſionem.

Quod ſi non ita eſt, minimè opus eſt multiloquio, confiteatur quia Chriſtus, qui è Sancta Virgine genitus eſt (Deus namque Homo unus Filius, unus Chriſtus, unus Dominus) paſſus ſecundùm humanitatem, crucifixus ſecundùm humanitatem, & reſuſcitatus fuerit à mortuis per Verbi Divinitatem, quæ dixit *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus reſuſcitabo illud*. Joann 2.
Si verò permanet in Capitulis ſuis hæreticis atque Conſcriptis, nulla nobis pars eſt cum illo. Certamus enim circa Tribunal Chriſti, & Apoſtolum Gentium, præcipientem bonum Depoſitum cuſtodire, per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.

Licitum verò conſiderare volenti verba ejus ad ſeductionem. Quia verbo quidem ſeducens impaſſibilem dicit Deum Verbum, inconvertibilem, immutabilem, inconcuſſibilem, habentem, ut ejus Dicto utar, in quibus eſt per ſubſtantiam; in unam verò naturam concludens duas, omnia prædicta Divinitati Unigeniti circumponit. Propter quod non recuſavit interpretationem Epiſtolæ ad Hebræos dicere: *Quia & revixit Deus Verbum, paſſus Carne*. Et hæc verò ex aliis ejus Conſcriptis, & maximè ex Epiſtolis ejus, quas tuæ nuper Sanctitati tranſmiſit, poſ-

ſibile eſt bis poſſibiliter qui diligunt diſcere, ſubtiliter pervidere. Quia dicens Dei Sermonem immutabilem ſubſiſtere, & omnis inſuſceptibilem paſſionis ſecundùm propriam naturam, paſſionem ſraudulenter cointroducit, dicens Deum Verbum Carnem factum fuiſſe, non verò Carnem aſſumpſiſſe. Hoc enim in totis ferè ponit Capitulis ſuis, Carnem Deum Verbum ubique factum dicens, tamquam ſit antè diſpenſationem quidem impaſſibilis, poſt diſpenſationem verò paſſibilis; *Per ſeipſum* namque, inquit, *impaſſibilis, Caro autem factus ut homo ſuſtinuit paſſionem*. Si verò confeſſus fuerit evidentiſſimè duas naturas, liberat ſemetipſum ab hæretico ſenſu.

Scit enim Sanctitas tua, ſicut olim mihi per Epiſtolam ſcripſit, quia & in Roma coram Sanctæ memoriæ Epiſcopo Damaſo, præſente tua Sanctitate, motum eſt de hæreſi Apollinarii: Et nobis duas naturas confitentibus, ut non Divinitati paſſionem tribuamus, dicebant hi qui erant Apollinarii, duos nos dicere Filios. Quod & iſti ſursùm ac deorſum diffamant contra nos. Dicat igitur, quia *Chriſtus mortuus eſt, Filius paſſus eſt, Unigenitus paſſus eſt*. Cur addit, quod *Verbum Carne ſit paſſum*? Homine moriente anima carne patitur mortem? Si verò blaſphemum eſt, ut hoc anima paſſa dicatur carne, ultra impietatem omnem eſt dicere Filium Dei, vel Dei Verbum, vel Unigenitum circa intellectum hæreticorum paſſum Carne. In Divinis enim Scripturis reperimus, quia *Chriſtus mortuus eſt, Filius mortuus eſt, Unigenitus mortuus eſt, Sanctus mortuus eſt, Juſtus mortuus*. Hæ namque appellationes univerſæ utraſque naturas oſtendunt. Vox autem *Dei Verbi* unam naturam ſignat. Secundùm quem ſenſum nunc & Filium dixit in Epiſtola Carne paſſum, ut ſignificaret Unigeniti paſſionem Divinitate.

Scio autem me ab Epheſo ſcribentem direxiſſe tuæ Sanctitati allegationem Melitinenſis Acacii, ubi ſequens Cyrilli Capitula & ejus intellectum, ſic in Scripto depoſuit: *Mentitus eſt*, inquit, *Divinam Scripturam Neſtorius, tanquam Nativitatem mortemque non Divinitatis, ſed humanitatis edoceat. Calumniatus eſt & Sanctiſſimum Epiſcopum Cyrillum, tanquam Deum paſſibilem dicentem*. Et habemus totum Tomum apud nos ad ſatisfactionem pro ſalubri fide bonæ hujus inſtantiæ. Nos igitur nullam communionem habemus cum his, qui talia docent. Si verò potuerit oſtendere aliquis Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium contraria Prophetis, & Apoſtolis, & Evangeliſtis aut ſapuiſſe aut ſapere, & doctrinam ejus anathematizamus, & ipſum, donec Orthodoxiam prædicat, quam multis in Codicibus ejus & habemus & legimus. Nulla neceſſitas Chriſti potentia per ipſius gratiam violenter fiet, ſed parati ſumus omnia ſuſtinere, ut neque impii neque iniqui ſimus.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt Alexandri Reſcriptum ad ſuperiores Acacii litteras, quæ præfatam Sancti Cyrilli Epiſtolam comprobarant, tranſmiſerant, & admitti poſtularant, ac fieri pacem. Et quæ Alexandrum invitaverant ad Antiochenam Synodum, reſponſuram Cyrillo. Alexander igitur omnia improbat. Affirmat Cyrillum eſſe manifeſtum Apollinariſtam, ideoque ejus communionem eſſe abominandum contagium. Nec refert, quod in litteris anathematizaret Apollinarium. Etenim imitatur quoſdam verſipelles Arianos, qui licèt credant & doceant Deum Verbum eſſe creaturam, non erubeſcunt ſuum Arium anathematizare. Alexander affirmat Cyrilli Capitula evidenter fœtere ex Apollinario, ideoque ante omnem de pace cogitatum eſſe ab ipſo anathematizanda. Etenim illa palam dogmatizant unicam in Chriſto Domino naturam, utique ſolam Divinam, quæ humanam in ſe converterit & abſumpſerit: Et ipſi aſſignant omnes paſſiones, & ipſam etiam mortem, ideoque blaſphemant illam eſſe mutabilem, vertibilem, paſſibilem, ac mortalem. Nec unam dumtaxat compoſitam naturam docuit, ſed quæ ex duabus ſit unum. Utique per converſionem & confuſionem. Addit hæc eſſe manifeſta cuilibet inſpicienti Capitula, aut quævis alia Cyrilli opera.

Quod Cyrillus unicam in Domino naturam doceat, probat ex ſecundo Capitulo: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni ſecundùm hypoſtaſim unitum, & unum tantùm una cum ſua carne eſſe Chriſtum, eundem nimirùm Deum & hominem, anathema ſit*. Et ex undecimo Capitulo: *Si quis ipſam Domini carnem vivificam, ipſiuſque Verbi propriam eſſe negaverit, anathema ſit*. Ex eo, quod Sanctus Cyrillus Deum Verbum unà cum ſua carne dixerit eſſe unum Chriſtum in genere maſculino, Alexander credidit dici unum in genere neutro. Peſſimè. Etenim quod hæ propoſitiones, *Duæ naturæ per hypoſtaticam unionem ſunt unus, Duæ naturæ per iſtam unionem ſunt unum*, toto cœlo differant, inſigniter demonſtrant Sanctus Gregorius Nazianzenus in variis locis, itemque Sanctus Auguſtinus. Vox *Unus* perſonæ, vox *Unum* importat unitatem naturæ. Aliud Alexandri argumentum erat, quod Cyrillus adſumptam carnem dixerit eſſe *Verbi propriam*. Proprietatem credidit fieri non poſſe, niſi per identitatem & converſionem. Diſplicuit & hæc Capitulis frequens propoſitio: *Deus verbum eſt caro factus*. Habetur in quinto & octavo Capitulo: Et eſt omnium aliorum quaſi fundamentum. Alexander dici voluit: *Carnem adſumpſit*. Hinc concluſit: *Cyrillus ſparſit carnis nomen propter unius naturæ confeſſionem*. Credidit Cyrillum ſtudio ita loqui, ac in doloſo ſenſu Apollinarii. Etenim Apollinario iſta Evangeliſtæ verba,

*Verbum*

Digitized by Google

*Verbum Caro factum eſt*, fuerunt fundamentale latibulum.

Quod Cyrillus Divinam in Chriſto Domino naturam docuerit paſſibilem, mutabilem, ac paſſam, Alexander credidit eſſe manifeſtum ex duodecimo Capitulo: *Si quis non confitetur Dei Verbum ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm carnem crucifixum, mortemque ſecundùm carnem guſtaſſe, & Primogenitum tandem ex mortuis factum eſſe, quatenus ſcilicet vita eſt, & vivificum ut Deus, anathema ſit*. Has propoſitiones, *Deus eſt paſſus*, *Deus eſt mortuus*, cenſuit nulla ratione ſuſtineri aut verificari poſſe, niſi paſſio tranſcriberetur in ipſam Divinitatem. Adjectum temperamentum, *Eſt carne paſſus*, duxit impertinens ac doloſum. Dicendum voluit cum S. Petro Apoſtolo: *Chriſtus eſt carne paſſus*. Item profeſſionem, qua Cyrillus in ſuis litteris profitebatur Deum verbum eſſe immutabilem ac impaſſibilem, credidit eſſe doloſam: Utpotè quæ intelligeret, quod talis quidem ante Incarnationem fuerit, per hanc verò mutaverit ſtatum. Ejuſdem ſententiæ fuit Theodoretus, Eutherius, ac plures alii Orientales Epiſcopi. Apud Photii Bibliothecam exſtat Theodoreti contra hæreticos opus continens viginti ſeptem libros, quorum decimus quartus & decimus ſextus impugnant has propoſitiones: *Deus Verbum eſt impaſſibiliter paſſus*, *Deus Verbum eſt carne paſſus*. Integrum opus exſtat inter opera Sancti Athanaſii. Non eſt Theodoreti. Eſſe Eutherii Thyanenſis Epiſcopi diſcimus à Mario Marcatore. Eaſdem tamen propoſitiones Theodoretus atrociter impugnat in ſuis Dialogis. Undè quidam volunt, quod illic per Eraniſten intelligat non Eutychetem hæreſiarcham, ſed Sanctum Cyrillum. Quod tamen ego nunquam credidero. Quidquid ſit, ſermonem, quem ſub Domno Patriarcha dixit ad Antiochenum Populum, tunc defuncto Sancto Cyrillo inſultans concluſit: *Requieſcant Theopaſchitæ*. Eaſdem propoſitiones poſtmodò averſati ſunt Fauſtus & Quintianus Epiſcopi, aliique plures. Exiſtimarunt ſcandaloſas; Præſertim coram Gentilibus. Ex hac lite emerſit alia circa hunc articulum: *Unus è Trinitate eſt paſſus*. Ex iſtis igitur impreſſionibus Alexander ſcripſit: *Si Cyrillus permanet in ſuis Capitulis nulla nobis pars cum illo*.

Romanam Damaſi Pontificis, Apollinarii Hæreſim damnantis, Synodum, quam Alexander hic laudat, laudat & ipſe Damaſus in litteris ad Orientales Epiſcopos: *Sciatis velim nos profanum illum Apollinaris Hæretici Diſcipulum, cum impio ſuo dogmate jam pridem abdicaſſe. Et ob eam cauſam credimus reliquias ejus nihil impoſterum momenti habituras*. Et infra: *Itaque quid eſt, cur abdicationem Timothei à me rurſum requiratis, qui etiam hic judicio Sedis Apoſtolicæ, Petro quoque Alexandriæ Epiſcopo præſente, abdicatus eſt unà cum Magiſtro ſuo Apollinario, qui item in die judicii debitas pœnas & ſupplicia perſolvet*. Et in ſecunda ad Cledonium Iconienſis Eccleſiæ Presbyterum epiſtola Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Ne nos hoc nomine accuſent, quod Vitalis, Viri nobis cariſſimi, fidem, quam ita poſtulante Beato Damaſo, Romæ Epiſcopo, litteris conſignatam edidit, prius quidem probaverimus, nunc autem repudiemus, de hac quoque re pauca diſſeremus*. Exponit Apollinarii dogmata, illorumque, quibus & Damaſum circumſcripſere, in ipſis obtegendis dolos & vafritiem, atque proſequitur: *Quod etiam in cauſa fuiſſe reor, cur ipſe quoque Damaſus, cum poſtea rectiùs fuiſſet edoctus, ſimulque in priſtinis eos expoſitionibus perſtare audiiſſet, eos ab Eccleſiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematiſmo deleverit, tum etiam quod fraudem illam, in quam per ſimplicitatem inciderat, permoleſtè ferret*. Laudat duas Damaſi Romanas Synodos: Unam in qua oblatum à Vitale fidei libellum judicavit Orthodoxum, & ipſum in Catholicæ Eccleſiæ communionem admiſit Pontifex; aliam, in qua ipſum revocavit ad judicium, ac ejus non dumtaxat errores damnavit, ſed etiam fraudes. Hanc Synodum laudat item Hermias Sozomenus: *Primus Damaſus, Epiſcopus urbis Romæ, & una cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes cum hanc Hæreſim latius ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverant*. Illuſtriſſimus ac Erudiſſimus Lucas Holſtenius vulgavit Romanam Damaſi Synodum, in cujus fidei Decreto habemus & hoc: *Illud ſanè miramur, quod quidam inter noſtros dicantur, qui licèt de Trinitate piam intelligentiam habere videantur de Sacramento Salutis noſtræ ignorantes virtutes, ſcripturaſque, recta non ſentiunt. Aſſeruntur enim dicere Dominum & Salvatorem noſtrum ex Maria Virgine imperfectum, id eſt, ſine ſenſu Hominem ſuſcepiſſe*. Hæc palam tendunt in Apollinarium ac Vitalem. Affirmant ipſos dici, non eſſe noſtros: Quod Nempe per dolo ac furto extortam à Damaſo communionem præ ſe tuliſſent larvam verorum fidelium. Hæc Synodalia Acta habent hunc titulum. *Exemplum Synodi, habitæ Romæ, Epiſcoporum nonaginta trium, ex Reſcripta Imperiali, qui ad audiendam cauſam Auxentii, exponendamque fidem convenerunt*. Videtur habita anno ſeptuageſimo tertio iſtius ſæculi. Tunc enim Petrus Alexandrinus Epiſcopus fuit in urbe. Sancto enim Athanaſio ſucceſſit anno ſeptuageſimo ſecundo, & ſtatim à Pſeudo-Epiſcopo Lucio, ac ejus Arianis intruſoribus ejectus, appellavit ac fugit Romam, & cum Sancto Damaſo celebravit hanc Synodum.

Præſens Epiſtola eandem Synodum illuſtrat in variis, quæ huc uſque ignoravimus. Primò, quod Berrhæenſis Acacius ipſi adfuerit. Exiſtimo à Meletio Patriarcha Antiocheno fuiſſe legatum ad componendum ſchiſma iſtius Eccleſiæ. Secundò, quid iſtic motum fuerit de Hæreſi Apollinarii. Damnatus enim iſtic eſt non ſolus Apollinarius, ſed inſuper Vitalis ac Timotheus. Generatim omnes Apollinariſtæ. Tertiò quod Apollinariſtæ illic omnem Eccleſiam accuſaverint de duobus in Chriſto Domino Filiis, atque ita per calumnias ſtuduerint fucare ſuam Hæreſim. Et hoc eſt longè veriſſimum. Et contra iſtam audaciam Sanctus Gregorius Nazianzenus compoſuit amplum illum, exſtantem in ſecunda ad Cledo-

nium Epiſtola, catalogum Anathematiſmorum, quibus non ſolas Apollinarii blaſphemias, ſed etiam præfatas ejus in Eccleſiam calumnias configit, atque ita demonſtrat veram eſſe vetuſtam parœmiam: *Superbus & contumax hæreticorum Spiritus ſemper accuſat Eccleſiam*. Præſens Hierapolitanus Alexander omnia hæc olim ab Acacio didicerat, ideoque per eadem tentat illum in ſua prava ſenſa circumſcribere. Affirmat tragœdiam iſtam revixiſſe, adeoque & eſſe denuò ſuffocandam eodem modo, ac ſepeliendam. Affirmat varia. Primò, quod ſicut tunc Apollinariſtæ, ita nunc Cyrillus tueatur hunc articulum. *Deus Verbum eſt carne paſſus*. Secundò quod dicendum ſit: *Chriſtus eſt paſſus*, *Filius eſt mortuus*, *Unigenitus eſt crucifixus*. Tertiò, quod antiqui Patres ita ſint etiam locuti adversùs Apollinarium. Quia nempe iſta Subjecta ſunt ſignificativa duarum naturarum. Quartò, quod uti tunc Apollinariſtæ dixerant, ita nunc Cyrilli Sectatores dicant à prioris articuli negatoribus induci duos filios, ideoque ipſos eſſe Neſtorianos. Alexander affirmat hæc ſpernenda, & à Cyrillo, niſi ſua anathematizet Capitula, conſtanter abſtinendum.

Et hæc omnia confirmat biſce, neſcio ubi apud Epheſum dictis, verbis Acacii Melitinenſis: *Mentitus eſt Divinam Scripturam Neſtorius, tamquam nativitatem, mortemque non Divinitatis, ſed humanitatis edoceat. Calumniatus eſt & Sanctiſſimum Epiſcopum Cyrillum, tamquam Deum paſſibilem dicentem*. Affirmat ſe hæc Epheſo ſcripſiſſe largiùs ad Berrhæenſem Acacium. Epiſtola latet aut perijt. Reperta nos lucidiùs inſtruet. Interim Melitinenſis Acacius Neſtorium accuſavit de duobus. Primò, quod garriret nativitatem è virgine, & mortem in cruce nullatenus Dominicæ Divinitati adſcribi per Sacras litteras, ſed ſoli humanitati. Et quod ex hoc principio abjiceret haſce propoſitiones: *Deus Verbum eſt natus ex Virgine*; *Deus Verbum eſt crucifixus ac mortuus*. Et certè accuſatio fuit fundatiſſima. Etenim Sacræ litteræ palam affirmant aſſumptum Hominem eſſe Deo Verbo proprium, ideoque omnia illa, quæ iſti humanitati advenerunt, Divinitati non fuiſſe aliena. Altera accuſatio fuit, quod Neſtorius garriret Deum Verbum à Sancto Cyrillo aſſeri paſſibilem. Utique in ſua Divinitate. Et Neſtorius iſta omnino garrivit, ideoque & hæc accuſatio fuit juſtiſſima. Et ex his intelligimus, quo ſenſu idem Acacius in Chalcedonenſi Principis Conſiſtorio dixerit Chriſti Divinitatem eſſe paſſibilem. Item videmus, quod hæc Alexandri allegatio ſit frivola. Evertit ſe-met-ipſam. Etenim fatetur ac profitetur, quod Cyrillus ac ejus in Epheſina Synodo Collegæ dixerint Deum Verbum non in ſua divina natura, ſed in propria dumtaxat carne paſſibilem ac paſſum. Alexander hic fuit magnus Epiſcopus! Ejus circa Neſtorium error, ac exinde nata adversùs pacem & Eccleſiam contumacia ſunt lamentanda. Pertinaciſſimè voluit duo: Neſtorii damnationem circumduci, & anathematizari Sancti Cyrilli Capitula. Aliter nec audire voluit nomen pacis.

## CAPUT LVIII. ---146

### *Epiſtola ejuſdem Alexandri ad Andream Epiſcopum Samoſatenorum.*

CRedat mihi Religioſitas tua, quia relegens ea, quæ ſcripta ſunt à Domino meo Sanctiſſimo Epiſcopo Acacio, & ea quæ ab Ægyptio illi per Epiſtolam ſcripta ſunt, quæ & tu omninò credo quod legeris, admiratus ſum propter velocem ejus nutum ad mutabilitatem. Et oravi ut mihi terra dehiſceret. Et niſi timor Dei retinuiſſet me, forſan continuò Eremum petens extremum ſpatium requiſiſſem. Meminit enim Sanctitas tua, quales Epiſtolas olim Sanctiſſimis Epiſcopis deſtinavimus ab Antiocheno perſuaſi, quando adveniente Mirandiſſimo Ariſtolao, ejus litteris convocati convenimus, & euntes ad Antiochiam Concilium fecimus, & multa millia pertractantes deliberavimus, ut propter Eccleſiarum perturbationem, mollem quandam propoſitionem, & habentem vel modicum pietatis veſtigium, proponeremus Ægyptio.

Sed & perquiſivimus, ſcrutati ſumus, invenimus vix qualem voluimus levem, & rursùs ab ipſa molliorem, & denuò ab hac marcidiorem. Sed breviter dedimus Clariſſimo Tribuno propoſitiones. Complacuit verò ei, quaſi jam quæ mollior eſſet, una, & quæ volebat Nicæna fide nos eſſe contentos, expulſis his, quæ quod commune eſt turbaverunt, ſive per Epiſtolas, ſive per Capitula. Ad quam etiam ipſam contradixit, ſicut ſcripſit, Ægyptius. Certat enim, ſicut vides, pro Capitulis ſuis, & reliquis hæreticis, ſuperbiſque Conſcriptis, confirmans ubique, quod impoſſibile ſit hæc unquam expelli, quæ ab eo ſecundùm Scripturas ſint dicta Divinas, & contra Neſtorii, ut dicit, hæreſim. Sed nos tentamus, ut video, ſic manifeſtam illius hac fiducia, & tam cruda pro hæreſi inſtantia Orthodoxiam diffamare, etiamſi non poſſimus propellere impietatis Torrentem, & in noſtra deflectere.

Ego verò in Dominum Chriſtum credo, quia oculus meus dexter, & dextera manus mea, ſi proponatur, Cyrillo neque ejiciente hæretica dogmata, neque apertè confitente Chriſtum & Deum eſſe & Hominem, & paſſum ſecundùm humanitatem, & reſuſcitatum per Dei Verbi virtutem ſecundùm ſententiam Domini dicentis, *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud*, abſcindam potiùs membra mea per virtutem Domini, quam cum iſtis impiè agam. Quando ergò volunt, veniant: Ordinent. Paratus ſum ego, coram Deo dico, diſcedere cum omni læti-

lætitia. Sicut enim in veritate credo, quia Deus eſt, ſic & ſatisfactum habeo, quod pium ſit manifeſtaturus Eccleſiæ dogma, quando novit ipſe. Et veritatem non permittet abſorberi. Verumtamen eorum, quæ ſcripta ſunt, omnium exemplaria tuæ Religioſitati direxi.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola nos docet plura. Primò, horrendam iſtius Alexandri pertinaciam. Secundò, quod Synodus, in qua tractandum erat de dando Reſponſo ad Sacram Principis, fuerit non Berrhææ acta, ſed Antiochiæ. Berrhææ tamen fuit completa. Tertiò, quod quinque præfati cum Joanne Patriarcha Epiſcopi multa illic Conciliorum millia agitaverint, inveſtigantes ſuaviorem viam pacis. Quartò, quod nullam molliorem excogitare potuerint, quam ut Cyrillus anathematizaret ſua Capitula, & omnes contenti eſſent ſolo Nycæno Symbolo. Quintò, quod Joannes Patriarcha Cyrilli litteras ad Alexandrum quidem ac Theodoretum miſerit, non tamen ad Samoſatenſem Andream. Rationem ignoro. Sextò, quod Cyrillus ſua Capitula generosè defenderit, aſſeverans eſſe conſona Sacris litteris, ac neceſſaria ad evertendam Neſtorii hæreſim. Septimò, quod Alexander maluerit truncari omnibus membris, quàm Capitula non anathematizari. Octavò, quod ob hanc pertinaciam timuerit Epiſcopatu ejici. Hine dixit: *Quando volunt, veniant. Ordinent.* Utique novum Epiſcopum.

## CAPUT LIX. ---147

*Epiſtola Andreæ Epiſcopi, per quam reſpondit ad Epiſtolam hanc Alexandri.*

RElegens ea, quæ Cyrillus per Epiſtolam ſcripſit, & quæ de his à tua Sanctitate ad Sanctiſſimum Epiſcopum Acacium ſunt reſcripta, ſine falſitate dico, non ſine Spiritu Sancto arbitratus ſum ea, quæ in tua epiſtola reſcripſiſti. Nam & qnod verum eſt, & quod ſubtilitas Dogmatis habet, in eis inveni, & obumbratum occultumque inimici dolum benè ac manifeſtè nudatum, ac fiduciam multam quæ decet Chriſti ſervum, qui pro ſana fide certat. Conſors igitur & ego tuæ Sanctitati, uniuſque ſententiæ. Et nunquam præter hæc alia ſapiam, confortante me Deo. Quomodò enim non turpe ſit, ut ille, qui notha & reproba Dogmata ſubinducit, tamen pro eis certet: nos autem pacis obtentu perdamus fidem? Admiratus verò ſum & propoſitionem, quam in ipſis litteris poſuit Sanctitas tua. Si enim veri jam dogmatis eſt, & rectam fidem ſervat, & non intellectum ſuum fraudulenter occultat, ſi & duas naturas confitetur, & impaſſibilem Chriſti Divinitatem, quid prohibet, ut & Hominem eundem confitens Chriſtum dicat, Quia paſſus eſt ſecundùm humanitatem? Et de his quidem ſuperfluum eſt multiloquio uti ad tuam Sanctitatem. Ex litteris verò Sanctiſſimi Epiſcopi Acacii videntur quodammodo hi, qui ſunt in Antiochia, ceſſiſſe, atque his quæ ſcripta ſunt conſenſiſſe. Et benè quidem facit Sanctitas tua, præcipiens nobis ut minimè perturbemur. Ego verò trepido, ne per eos circa ipſas res illud confirmetur ſomnium, quod non ante multum quidem tempus vidi, nimis autem coarctat meam animam. Videbam namque me eſſe cum tua Religioſitate, præſentibus aliis quibuſdam non paucis Epiſcopis, loquens verò ad me dicebas Apollinarium hæreticum vivere. Me autem ſæpiùs cum admiratione interrogante, ſi verè viveret, confirmabas eundem virum ſupereſſe. Verùm quodammodò, improvisè utique, in domum quandam facti ſumus, in qua Apollinarius ſenex valdè jacebat in lecto. Oportebat autem nos ad viri ipſius venire colloquium. Quod dum eſſet futurum, ipſe ad aurem mihi dixiſti, quia ille impius nunquam perſuaderetur acquieſcere his, quæ dicebantur à nobis. Ego verò alterum quendam præter ipſum ſedentem videns dicebam, quòd ipſe eſſet cauſa ut Apollinarius noſtris verbis minimè flecteretur: Dum verò venimus ad colloquendum ego & Sanctitas tua, ſedes autem ego portabam tam mihi, quam tuæ Sanctitati, juxta illius lectum ſubitò video Apollinarium quidem ſtantem, & Eulogias diſpertientem, Sanctiſſimum verò Joannem jacentem in lecto, & ſuſcipientem ab eo.

Deindè & tuam Religioſitatem ſupponentem ei manus, propter condeſcenſionem iniquè coactam. Ego autem ſtans ad me ipſum dicebam: *Qualis eſt condeſcenſio iſta? In Sanctum Spiritum peccat. In ipſam Domini inhumanationem impia eſt. Et qualis eſt iſta condeſcenſio?* Et hæc dicens evigilavi. Et oro ut phantaſia ſit ſomnium hoc, & nihil ſignificans.

## SCHOLION.

ETiam hæc Epiſtola nos quædam docet. Primò, quod Andreas circa Cyrilli Capitula fuerit ejuſdem mentis cum ſuo Metropolita. Ipſum laudat, quod venenum dolosè ac vafrè in Capitulis occultatum prudenter introſpexerit, manifeſtè denudarit, ac nervosè revicerit. Secundò, quod etiam Andreas ſingulariter oderit duodecimum Capitulum. Videlicet hanc propoſitio-

ſcionem. *Deus eſt paſſus ac mortuus*. Dici voluit. *Chriſtus eſt paſſus ſecundum humanitatem*. Tertiò, quod non crediderit à Cyrillo admitti duas in Domino naturas. Quartò, quod dum hæc Andreas ſcriberet, apud Antiochiam fuerit adunata Synodus: Nempè ſuperiùs memorata: Ex Epiſcopis advenis, quorum unus fuit Paulus Emeſenus. Quintò, quod neque Alexander, neque Andreas ipſi adfuerint. Sextò, quod iſta Synodus propoſitas à Sancto Cyrillo conditiones admiſerit, ideoque ſtatuerit admittere ejus communionem & pacem. Septimò, quod eadem Synodus conditiones non plenè probarit, cenſuerit tamen diſpenſatoriè admittendas, amore pacis. Octavò, quod Andreas cenſuerit iſtam condeſcenſionem nullatenus eſſe diſpenſatoriam, ſed penitus prævaricatoriam. Veram communionem cum Apollinariſtis. Et credidit ſe ſentire ex divina revelatione. Erat nugax ſomnium.

---

## CAPUT LX. —148

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi, ſcripta ad Acacium Berrhææ Epiſcopum, de litteris quæ ab Ægypto venerunt ad eundem Acacium.*

EGo quidem non ſolùm vocatus, ſed etiam non vocatus vellem ſemper venire juxta tuam Sanctitatem. Tantum autem ab hac intentione delinquo, ut nec tuæ poſſim Sanctitatis litteris obaudire. Rursùs enim languor mihi validè ſupervenit, & peſſimum Tercianum poſt regreſſum de montuoſis partibus incidi. Super hæc & Magnificentiſſimus atque Glorioſiſſimus Magiſter militum hic eſt, propter quod & veniam peto. Et innoteſco tuæ Sanctitati, quia in litteris, quæ ab Alexandria directæ ſunt, inveni ea quidem, quæ ab eo dogmaticè dicta ſunt, contraria his quæ olim ſunt ab eo expoſita; conſona verò magis Doctrinæ Patrum. Et valdè affectus ſum, & laudavi Dominum Chriſtum ſuper mutatione, quæ facta eſt per tuæ Sanctitatis admonitiones. Aliquas verò partes Epiſtolæ multis vidi volutionibus & multiloquiis falſis plenas. Nam dum oporteret à nobis ſex poſitas propoſitiones, cum breves eſſent, approbari ab eo, neſcio cujus rei cauſa multis verbis uſus effugit brevem pacis viam. Sic enim Propoſitionem temperavimus, ut nullis fuerat fugienda. Propoſuimus enim, ſicut Tua Sanctitas novit, permanere nos in fide, quæ in Nicæa expoſita eſt à Sanctis & Beatis Patribus, & in Epiſtola Sanctiſſimi ac Beati Athanaſii, tamquàm quæ hanc ſubtiliter interpretata fuerit. Quæ verò nuper exſurrexerunt Dogmata, ſeu per Epiſtolas ſive per Capitula, ejici, tanquam id quod commune eſt perturbantia: Hæc relinqui, quæ diſſenſionem præcipuè fecerunt. Subſcriptionem nos exigit depoſitionis illius viri, cujus Judices non ſumus effecti. Scit autem Sanctitas tua, quia ab omni carnifice duriùs nos trucidat conſcientia noſtra, ſi illa fecerimus, quæ arbitramur non debere committi. Unde & Beatus Paulus dicit. Tuæ igitur ſapientiæ ſit ſic diſpenſare cauſam, ut facienda pax complaceat univerſis, & ante omnia Chriſto omnium Deo ſuper hac obediatur.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola nos docet etiam Theodoretum præfatæ Antiochenæ Synodo non interfuiſſe. Item nobis demonſtrat, quid Theodoretus de Sancti Cyrilli Reſcripto ac Poſtulatis tunc cenſuerit. Primò cenſuit Cyrilli litteras eſſe orthodoxas, conſonas doctrinæ Patrum. Secundò cenſuit ab ipſis penitùs everti Capitula, ideoque Cyrillum, licet non verbo & lingua, tamen opere eſſe pœnitentem & converſum. Tertiò hanc inſperatam mutationem non ſoli adſcripſit divinæ gratiæ, ſed etiam factis per Berrhæenſem Acacium admonitionibus. Eas credidit fuiſſe plantationem ac rigationem, cui Divina omnipotentia dederit incrementum. Quartò addidit litteras eſſe doloſas; Plenas circumlocutionibus & aſtutis multiloquiis. Quintò graviter improbat, quod Cyrillus, qui deberet ſex & longè plures pro pace conditiones admittere, nec in unicam, eamque facillimam, ac à nullo repudiabilem, voluerit deſcendere: Nempe acceptare ſolum Nicænum Symbolum, ac Sancti Athanaſii litteras ad Epictetum. Sextò graviter item improbat, quod Cyrillus noluerit apertè valedicere ſuis Capitulis. Septimò etiam omninò improbat, quod Cyrillus velit admitti, immò & ſubſcribi damnationem Neſtorii. Conſtanter affirmat hoc apud bonam conſcientiam eſſe impoſſibile. Hinc Acacius ſupplicat, ut ex concepta pace non ſeminet nova bella, ſed faciat talem, quæ grata ſit omnibus per Orientem Epiſcopis, ac præſertim Domino Deo.

CAPUT

## CAPUT LXI. —149

### *Epiſtola ejuſdem Theodoreti ad Andream Epiſcopum de hac ipſa re.*

MIrandiſſimus Ariſtolaus direxit ab Ægypto Magiſtrianum cum litteris Cyrilli, in quibus anathematizavit & Arium, & Eunomium, & Apollinarium, & eos qui dicunt Divinitatem Chriſti eſſe paſſibilem, & eos qui confuſionem & remixtionem duarum naturarum dicunt. Et in his quidem ſumus affecti. Licet fuerit noſtra propoſitio. Exigit verò ſubſcriptionem depoſitionis, quæ ab eis facta eſt, & anathemaiſmum Dogmatis Sanctiſſimi & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii. Scit autem Sanctitas tua, quia indeterminatè anathematizare præfati Deo Amiciſſimi & Sanctiſſimi Epiſcopi Doctrinam, idem eſt anathematizare pietatem. Si verò convenit ut aliquid nos *anathematizemus*, anathematizemus hos, qui dicunt purum hominem Chriſtum, aut qui in duos Filios incidunt unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & qui ejus Divinitatem negant. Hæc enim cum omni ſatiſfactione unuſquiſque piorum anathematizat. Si verò volunt, ut indeterminatè & virum, cujus judices non ſumus facti, anathematizemus, & Dogma ipſius, quod novimus rectum, impiè faciemus, ut arbitror, ſi ei obediemus. Arbitror verò hæc etiam tuæ Sanctitati complacere, qui egregius pietatis Propugnator exiſtis, & verus atque accommodus Orthodoxiæ Magiſter.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola exſtat apud Marium Mercatorem, ſed incompleta. Exſtat uſque ad verba: *Qui ejus Divinitatem negant.* His Marius adjungit: *Et cætera.* Profitetur quædam à ſe prætermitti. Adduxit ſolummodò illa, quæ Theodoreto, cui non ſavit, poſſent obeſſe. Poſtmodò adjungit & hæc: *Exiſtimo præ omnibus maximè ſatisfactum eſſe Sanctiſſimo & veneranda Joanni Epiſcopo, quod nullatenus acquieſcam in damnationem Domini mei, Sanctiſſimi & venerandi Neſtorii Epiſcopi præbere conſenſum, nec violare communem promiſſionem, quæ in Tharſo & Chalcedone, & Epheſe facta eſt. Meminit enim & eorum, quæ nuper apud Antiochiam poſt noſtrum regreſſum à nobis ſæpè deprompta ſunt. Nullus igitur tuam decipiat Sanctitatem, quod ego acquieſcam hoc aliquando facere, Deo procul dubio mihi cooperante, & me confortante.* Joannes Garnerius exiſtimat hæc eſſe fragmenta ejuſdem Epiſtolæ. Labitur. Etenim longè aliud ſcribit in litteris ad Eliam Aquilejenſem, & alios Hiſtriæ Epiſcopos Pelagius ſecundus Pontifex. Immò ejus tunc Diaconus, poſtea ſucceſſor, Magnus Gregorius. Iſtam enim Epiſtolam eſſe ſub illius nomine ab hoc ſcriptam, teſtatur Paulus Warnefridus in tertio libro de Geſtis Longobardorum. Gregorius igitur adducit iſtud Theodoreti fragmentum, & affirmat fuiſſe in litteris ad Alexandrum Syriæ Paleſtinorum Epiſcopum. Eſt uſus mendoſo codice. Etenim nullus Paleſtinorum Epiſcopus adhæſit Neſtorio. Nec item Antiocheno Joanni. Omnes adhærebant Juvenali Hieroſolymitano, & ipſum venerabantur ut Patriarcham, ideoque etiam venerabantur Epheſinam Synodum. Proinde fragmentum eſt omninò deſumptum ex litteris ad Alexandrum Hierapolitanum, Metropolitam Euphrateſiæ Provinciæ. Theodoretus apud illum fuerat delatus, quod non ſolummodò pacem admitteret, ſed & omnes à Cyrillo poſtulatas conditiones: Etiam damnationem Neſtorii. Hinc ſe purgat, affirmans eſſe famam mendacii. Affirmat ſe de hujus conditionis refutatione ſatisfeciſſe etiam Patriarchæ Joanni.

Magnus Gregorius fragmentum adducit in hæc verba: *Exiſtimo præ omnibus maximè ſatisfactum eſſe Domino meo Sanctiſſimo ac venerando Joanni Epiſcopo, quod nullatenùs acquieſcam in damnatione Domini mei Sanctiſſimi & venerandi Neſtorii præbere conſenſum, quæ in Tharſo & in Epheſo facta eſt.* Eſt locus manifeſtè mendoſus. Etenim Neſtorii damnatio nullatenus fuit confirmata apud Tharſum. Fuit iſtis denuò circumducta & proſcripta. Prætermiſſa ſunt hæc verba: *Nec violare communem promiſſionem, quæ in Tharſo & Chalcedone, & Epheſo facta eſt.* Non eſt dubitandum, quin etiam Gregorius ita ſcripſerit. Certum eſt mendum poſtmodò irrepſiſſe in ejus Epiſtolam. Et hinc diſcimus, quod omnes hæ Theodoreti, forſitan & aliorum Epiſcoporum, de hoc negotio Epiſtolæ olim exſtiterint in Bibliotheca Romanæ Eccleſiæ. Quidquid ſit, videmus has Epiſtolas eſſe omnino authenticas. Et Mario Mercatori debemus gratias, quod iſtud Theodoreti fragmentum nobis cuſtodierit integrum, atque ita nos hodie juvet ad momentoſam Gregorii Epiſtolam liberandam à grandi mendo. Caſſinenſis tranſlatio eſt diverſa à Mariana, ideoque non fuit prætermittenda.

Theodoretus igitur, ubi omnia apud Antiochiam & Alexandriam Acta, & ultrò citroque Scripta maturè conſideraſſet, cenſuit varia. Primò, quod omninò eſſet reparanda communio, & ineunda pax, atque ita auferendum lamentabile hoc totius mundi ſcandalum. Secundò, quod illa, quæ in Cyrilli litteris erant recta ac orthodoxa, eſſent probanda ac admittenda. Tertiò, quod Neſtorii damnatio, quidquid Cyrillus expoſtularet, nullo modo eſſet ratificanda ac ſubſcribenda. Ejus ratio erat, quod damnare non poſſent Epiſcopum, qui ejus cauſam non diſcuſſiſſent. Quartò, quod nullo item

modo

modo eſſent anathematizanda Neſtorii dogmata. Utique in generali. Ratio erat, quod anathema infligi oon poſſit niſi in ſingulares articulos. Quintò, qnod Cytilli poſtulationibus eſſet aliquid impartiendum. Quod anathemarizandi eſſent hi, de qnibus ille accuſabat Neſtorium, articuli. *Chriſtas eſt purus bomo. In Chriſto ſunt duo filii. Chriſtus non eſt Deus*. Hos enim articulos anathematizat omnis Eccleſia.

## CAPUT LXII. —150

*Epiſtola Andreæ Epiſcopi, quam Theodoreto Epiſcopo ad ſuam reſcripſit.*

ALexandrini litteras legi, & à ſua quidem putredine non receſſit ullo modo, ſicut & aua utique Sapientia reperit, eaſdem litteras legens. Quia varò condeſcenſione opùs eſt, ut ſolvatur orbis terrarum ſchiſma, & oon ampliùs diſciſſam deſpiciamus Eccleſiam, ſotſan enim ad majus procedunt mala, ſi compoſitio nulla proveniat, benè tuæ placuit Sanctitati, illius quidem propoſitionem ſicut impiam ſugere; uti verò his quæ ſcripſiſti, & anatbematizate eos qui purum hominem dicunt Cbtiſtum, & qui in duos Filios unnm Deum ſecant. Arbitror verò quod & ſubſcriptionem modis omnibus exigat depoſitinnis. Aliqui verò & hoc forſitan ſacient. Et atbitror etiam Cyrillum, etſi omnes minimè ſubſcribamus, illorum ſore ſubſcriptione contentum. Scit tua Sanctitas, quia hæc & antè in locurionem venerint, quando in Antiochia coovenimus pariter. Ora igitur, quæſo, ut nullum fiat impedimentum paci, & ordinatiooi Sanctarum Eccleſiarum.

### SCHOLION.

PEr hanc Epiſtolam Samoſatenſis Andreas probat Theodoreti conſilium, & ſiogulos ejus articulos. Ad illum taman, qui Neſtorianæ damnationis ſubſcriptionem tangit, addit aliquid moderaminis. Ceoſet ipſum eſſe adiaphorum, ideoque pro neutra parte inſtantiùs urgendum. Iſtam namque ſubſcriptionem ex Otieotalibus Epiſcopis quidam admiſſuri ſunt, quidam peoitus reſutaturi: & ipſe etiam Cyrillus, licet quidam reſurent, aliqnorum ſubſcriptione contantus acquieſcet. Andreas igitur cenſet unumquemque permittendum circa hoc punctum in ſuo ſenſu abundare. Et adjungit: *Scit tua Sanctitas, qaia hæc & ante in locutionem venerint, quando in Antiochia convenimus pariter*. Affirmat duo. Primò, quod iſta ſex Epiſcoporum Synodus fuerit ſacta apud Antiochiam. Secundò, qnod iſta circa illum articulum libertas fuetit illic propoſita, agitata, probata. Ita clariùs iofra audiemus à Theodoreto. Andreas inſuper probat Cyrilli litteras, at uon totas: Cenſet ipſas ex integro non recedere à Capitulorum putredine. Et addit: *Sicut & tua Sapientia reperit*.

At verò inſcripta ad ipſum Epiſtola Alexander nullam hujus rei ſecerat memotiam: Fecit in ſcriptis litteris ad Berrhæenſem Acacium. Igitur harum copiam miſerat ad Andream.

## CAPUT LXIII. —151

*Epiſtola ejuſdem Andreæ Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum.*

EOrum quæ ad me Dominus meus Sanctiſſimus Theodoretus Epiſcopus ſcripſit, exempla tuæ Sanctitati direxi. Et quia quidem Cyrilli errorem multoties millies anarbematizet, maniſeſtum eſt bis qui pervidere ſubriliùs volunt. Quia verò rempus uon permittit, ut ſecundùm acribiam ratiocinemur propter ſchiſma generale, quod ſactum eſt, & quia majora ſuſtinentur mala de Perſiſtentia noſtra, puto quod benè ſe habeat, ut aliqua condeſcenſione otamur pro Eccleſiaſtica pace. Et illius quidem propoſitionem ſugiamus, quæ impia eſt, ſicut nec ille ooſtram ſuſcepit. Anatbemaiizemus verò eos, qui duos Filins dicunt, quod nobia objiciunt inſaniſſimè: Vel qui Homioem putum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et ſuper hia ſuſcipiamus pacis compoſitionem. Reddent autem rationem, qui impiè ſapiunt, Judici omnium. Et nobis, vel ſi diſpenſatotiè pacem ſuſcipiamus, pars nulla eſt cum his, qui impiè ſapiunt. Prævideo antem, quia de Perſiſtentia noſtra nibil evincitur ampliùs, niſi ut Orthodoxi pellantur Eccleſiis, & Dogma ex toto abſorbeatur. Quæro igitur Sanctitatem tuam, ut quantacumque poſſibile eſt condeſcenſione magis utamur. Scit enim Spiritualis Sapientia tua, quia ſicut zelus in tempore ſuo multa millia peragit, ſic & condeſcenſio in tempore apto magna bona operatur. Et mihi quidem placent iſta. Si verò meliùs aliquid pervidet Perſectio tua, quæ ſecundùm Deum eſt, notum nobis ſac. Litteras illas ad Sanctiſſimum Epiſcopum Theodoretum dirigere dignetur Sanctitas tua.

tua . Omnes , qui circa tuam Religioſitatem ſunt, ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus.

## SCHOLION.

HIerapolitanus Alexander fuit alieniſſimus à Neſtorii damnatione, & à Cyrilli Capitulis: In pacem conſentire contumaciter noluit, niſi iſta circumduceretur, & hæc percuterentur ſolemni anathemate. Porrò apud illum & Andreas & Theodoretus , utpote dilecti Suffraganei, erant potentes verbo & opere. At verò hic, quod in pacem cum varia diſpenſatione condeſcendendum cenſeret , malè apud illum olere cœpit. Hinc illum Andreas purgat , & comprobat ejus judicium , ſtudens emollire Alexandri duritiam. Et ſcribit varia. Primò, quod Theodoretus nequaquam admittat Cyrilli Capitula, ſed ipſa anathematizet multoties millies. Secundò, quod hoc manifeſtum ſit ex ejus ad Andream litteris. Tertiò, quod in qualemcumque pacem, licet cum varia diſpenſatione, daſcendere ſit penitus neceſſarium. Etenim adverſus pacem perſiſtentia ad nihil juvare poſſit, niſi ut Epheſina in multos Epiſcopos degradatoria ſententia mittatur in executionem, atque ita legitimi Epiſcopi ejiciantur, & ſuperordinentur alii . Quod ſi permittatur, orthodoxum dogma ex toto abſorbebitur. Quartò, quod has diſpenſationes & ipſe Andreas, & Theodoretus velint eſſe rationabiles. Andreas vult , ut ſicut Cyrillus Orientalium propoſitiones rejicit, ita rejiciantur & ejus Poſtulata: Nempe Neſtorii damnatio, & anathema in ejus Dogmata. Quintò, ut nihil anathematizetur , niſi illi, quos Theodoretus expreſſit, articuli: Et ſuper iſtis fiat concordia. Sextò, de Cyrilli Capitulis cenſet diſpenſativè ſilendum, & adjungit: *Et nobis , vel ſi diſpenſatoriè pacem ſuſcipiamus , pars nulla eſt cum his , qui impiè ſapiunt* . Utique cum Cyrillo, & aliis qui Capitula non dereliquerint. Andreas, quo Theodoretum plenè purgaret, tranſmiſit omnes ejus litteras.

## CAPUT LXIV. --152

*Epiſtola Alexandri Hierapolitani Epiſcopi ad Andream Epiſcopum reſcripta.*

LEgens quæ nuper à tua Religioſitate ſunt ſcripta, pervidi quia Sathanas ſecundùm veritatem petiit, ut cribraret omnes nos ſicut triticum. Ego verò fide propoſita nullo modo impietatem eſſe condeſcenſionem, neque communionem cum hæreticis pacem Chriſti appello. Abſit. Et da veniam, velocitatem permutationis adſpiciens oravi, ut terra mihi dehiſceret. Et verè, niſi timor Dei retinuiſſet me , continuò Eremum petens extremum ſpatium perquiſiſſem. Puto enim quia & tuæ Sanctitati dixi, jurejurando ſatisfaciens ei, & maledictionem contra memetipſum ſuſcipiens , ſi alienationem à Myſteriis conſcius mihi ſum , aut per contentionem, aut per odium , aut per rebellationem, aut per cujuslibet alterius gratiam facere aliquid in cauſa præſenti, ſed ponens Deum & Joannem ante oculos & affectum noſtrum. Et ſuperat timor Dei, & hæreditas Chriſti. Unde & à cunctis veniam poſtulo.

## SCHOLION.

PEr hanc Epiſtolam Alexander incipit demonſtrare ſuam pertinaciſſimam à pace averſionem. Affirmat etiam ab Andrea ac Theodoreto propoſitum modum eſſe manifeſtam impietatem, indignam condeſcenſionis , ſeu diſpenſationis nomine. Quod nempe permittat Capitula abire ſine Anathemate. Affirmat fore manifeſtam communionem cum hæreticis, præ qua eſſe potius moriendum clamant omnes Patres & Canones. Eſſe potius moriendum , quàm vel ſolis hæreticorum nominibus communicandum. Scripſit ex antiqua regula, & juſſit Sanctus Gelaſius. Et ſiniſtra iſtius regulæ applicatio ſeduxit Alexandrum. Hinc dicit: *Niſi timor Dei retinuiſſet me , continuò eremum petens extremum perquiſiſſem* . Andreæ, qui perſiſtentiam non niſi ad Canonicorum Epiſcoporum ejectionem ſcripſerat eſſe utilem, reſpondet hanc ejectionem adeò à ſe contemni, ut paratiſſimus ſit non dumtaxat ad ſuum redire Monaſterium, ſed propelli ad extremum cujuſcumque eremi ſpatium. Affirmat ſe non ex contentione, aut odio, ſed ex recta Myſteriorum conſonantia hæc ſcribere. Hæc verba, *Da veniam, velocitatem permutationis aſpiciens, oravi, ut terra mihi dehiſceret*, Theodoreto & Andreæ, ac præſertim Joanni Antiocheno improperant inſtabilitatem, qua accedebant ad Cyrillum ac ejus Capitula, quæ non ſolis verbis, ſed etiam ſolemniſſimis ſcriptis, imò & juramentis nuperrimè invaſerant. Eam affirmat ſibi fuiſſe huc uſque incredibilem, jam verò eſſe importabilem.

CA-

Digitized by Google

## CAPUT LXV. —153

*Epiſtola ejuſdem Alexandri Epiſcopi ad Theodoretum Epiſcopum,*

QUa hora ſuſcepi Sanctitatis tuæ litteras, epiſtolam ſuſceperam ſcriptam à Domino meo Religioſiſſimo Epiſcopo Andrea, quæ contraria omnibus eſt prioribus. Et paulò minùs alienus effectus ſum, videns quod nos Satanas expetierit ad cribrandum. Direxit autem mihi & ad ſe ſcriptam tuæ Religioſitatis Epiſtolam, continentem quod eos, qui dicunt Divinitatem Chriſti paſſibilem, anathematizet Ægyptius: Et eos qui confuſionem & remixtionem duarum perhibent naturarum. Et ego quidem Cyrilli Epiſtolam nullatenùs hæc continentem vidi: Quin potiùs inveni eum certantem, & in primis, & in mediis, & in ultimis, pro Capitulis ſuis, reliquiſque Conſcriptis, in quibus omnem impietatem ſuam perexemplificat. Si verò vobis & rectè ſe habere videntur quæ ſcripta ſunt, & de reliquo qui hæc per Epiſtolam ſcripſit inter Orthodoxos deputatur, indifferenter verò & alia recepiſtis, quæ ille quidem propoſuit litteris, Joannes verò traducit omnes, ut inquiunt, diſpenſativè, propter pacem condeſcenſionem amplexus, innocens ego ſum à ſanguine omnium. Unuſquiſque verò, ſicut novit, ea quæ ad ſe pertinent diſpenſet. Vivit omnium Dominus Deus meus, & Oaſim & quemlibet extremum vicum præfero communioni hæretici, & eorum qui Orthodoxiam prodiderunt.

### SCHOLION.

HAec in Epiſtola Alexander omnia, quæ ad Andream ſcripſit, confirmat. Et quædam adjungit. Primò, eſſe falſum, & Theodoretum malè vidiſſe, quod in datis ad Berrhæenſem Acacium litteris Cyrillus anathematizet eos, qui Chriſti Divinitatem dicunt paſſibilem: Aut eos qui naturarum in ipſo confuſionem vel mixtionem blaſphemè aſſerunt. Hi enim erant palmares Polemonis ac Timothei errores, quos Alexander damnabat in Capitulis. Affirmat ſe attentè legiſſe iſtas litteras, ac in ipſis nihil inveniſſe, niſi continuam ac manifeſtam pertinaciam in iſtis blaſphemiis. Hinc peſſimè indignatur Cyrillum ab Andrea ac Theodoreto deputari inter Catholicos. Præſertim deteſtatur Joannem Patriarcham, quod ſceleratam hanc pacem ſub diſpenſationis fuco ſtuderet omnibus imprimere. Et exclamat cum Propheta: *Innocens ego ſum à ſanguine omnium*. Et adjungit: *Unuſquiſque, ſicut novit, ea quæ ad ſe pertinent diſpenſet*. Hoc eſt: Sciſſum eſt rete, quiſque ſalvet ſuam animam. Proteſtatur ſe non ſolummodo ad quodvis extremum Eremi ſpatium, ſed etiam ad Oaſim, ſolemne hæreſiarcharum exilium, eſſe paratiſſimum.

## CAPUT LXVI. —154

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri, quam ſcripſit Alexandro Epiſcopo. Sicut poſuit Irenæus.*

PUto plus ab omnibus noſſe Dominum meum Sanctiſſimum, & Deo Amiciſſimum Joannem, quia depoſitioni Domini mei Sanctiſſimi, & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii conſentire non patiar. Quia memor eſt eorum, quæ in Tharſo, & in Chalcedone, & in Epheſo facta ſunt: Et nuper poſt reditum in Antiochia à nobis ſæpiùs dicta. Non igitur quiſquam Sanctitatem *tuam* inducat, quia hoc ego facere patiar aliquando, Deo utique cooperante mihi, meque firmante. Dogmata verò iſta Cyrilli, quæ nunc ad Berrhæam per Epiſtolam ſcripſit, prava mihi eſſe non viſa ſunt, ſed & valdè contraria tam Capitulis, quam aliis ejus Conſcriptis. Unde & Epiſtolam ſcribens Domino meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo Acacio hoc ipſum ſignificavi. Et verè, ſi poſſem, veniſſem utique, & contuliſſem cum tua Sanctitate. Vellem ſiquidem diſcere, quid eſſet in veritate occultatum in eis, quod ab Evangelica doctrina ſit alienum. Et hæc dico non quaſi cui ad communicandum cum eo iſta ſufficiant. Oportet enim clarè illa exponi cum fide Nicæna, & ſubſcribi ab eo, & ab omnibus, quorumcumque ſuſcipiemus communionem. Noverit enim Sanctitas tua, quia tam longè ſum ſuave aliquid exiſtimare venturum, ut Archi-Mandritæ Monaſterii mei de Cella mihi ædificanda mandaverim. Hic namque illum in his diebus contigit inveniri.

### SCHOLION.

HUjus epiſtolæ fragmentum exſtat apud Marium Mercatorem. Eſt illud ipſum, quod unà cum alio ad Samoſatenſem Andream fragmento Joannes Garnerius conflavit in unam Epiſto-

ſtolam : Et quod Pelagius ſecundus Pontifex in litteris ad Eliam Aquilejenſem ac alios Hiſtriæ Epiſcopos ſcripſit fuiſſe ſcriptum ad Alexandrum Syriæ Palæſtinorum Præſulem. Gratiam debemus Caſſinenſi codici, qui lucem dedit hiſce tenebris. Quod Papalis iſtius Epiſtolæ Dictator Magnus Gregorius ſcripſiſſet, *Syriæ Palæſtinorum*, nunquam credidero : Exiſtimo ſcripſiſſe *Syriæ Euphrateſiorum*. Error eſt ab antiquariis. Theodoretus apud Alexandrum erat delatus de variis. Primò, quod Joanni Patriarchæ promiſiſſet admittere damnationem Neſtorii. Secundò, quod Cyrilli ad Berrhæenſem Acacium litteras probaſſet, & judicaſſet orthodoxas. Tertiò, quod ob ipſas decreviſſet in pacem conſentire, & Cyrillum in communionem admittere. At verò Alexander averſabatur hæc omnia; Cyrilli litteras cenſebat doloſas, & plenas omni, obvelato tamen, Capitulorum veneno. Hinc invitavit Theodoretum, inſtruendum, ac divertendum à pace. At verò hic ſe excuſavit, & reſpondit ad ſingula. Primò, quod Neſtorii damnationem nunquam admitteret: Et quod Joannes Patriarcha optimè noſſet hanc ejus conſtantiam. Utpotè qui memor ſit eorum, quæ acta ſunt Epheſi, Chalcedone, Tharſi, ac nuper Antiochiæ. Deindè, quod litteras Cyrilli omninò judicaret Catholicas, & manifeſtè contrarias Capitulis. Et quod occultatum in eis venenum & malitiam non poſſet introſpicere. Proinde Theodoretus aſſiduè profecit in iſtis litteris. Etenim qui ad Berrhæenſem Acacium de ipſis ſcripſerat, *Aliquas verò Epiſtolæ partes multis vidi volutionibus & multiloquiis falſis plenas*, jam ſcribit nullum à ſe in illis, nequidem occultatum, inveniri venenum. Attamen adjungit has ſibi litteras ad pacem non ſufficere. Vult à Cyrillo inſuper admitti Nicænum Symbolum. De anathematizandis Capitulis penitus tacet. Diſpenſatoriè. Quod vellet contentus eſſe Symbolo ac Epiſtola, & ſic Capitula habere pro abjectis. Subnectit verò ſe quidem conſentire in pacem, de felici tamen ſucceſſu deſperare, ideoque mandaſſe ſui, in quo Monachum induerat, Cœnobii Archi-Mandritæ, ut ſibi Epiſcopatum depoſituro ac illuc redituro, novam Cellam ædificaret.

---

## CAPUT LXVII. —155

### *Epiſtola Maximini Epiſcopi Anazarbi ad Alexandrum Epiſcopum.*

LItteras ſuſcepi Domini mei Deo Amiciſſimi, & Sanctiſſimi Epiſcopi Joannis, quaſi Ægyptius anathematizaſſet Apollinarium, & Eunomium, & Arium, & eos qui dicunt remixtionem factam, duas autem naturas confeſſus fuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et ſimpliciter, ut non plura dicam, laudat eum de his, quæ nuper dogmatizavit. Alius verò aliquis, unus ex his qui diligunt nos, direxit nobis exemplar Epiſtolæ, quæ ab Ægyptio ad Dominum meum Deo Amiciſſimum Acacium Epiſcopum ſcripta eſt, confirmantem quidem priora Capitula, & fortiter inſtantem pro eis; dicentem verò non ſe communicaturum nobis, niſi anathematizaverimus Dominum meum Deo Amiciſſimum, & Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium, fidemque ipſius. Ego verò hæc legens & illa, nimium incurri torporem, & incertus ſum, utrum præfatus Sanctiſſimus Antiochenorum Civitatis Epiſcopus illa laudaverit, an alia. Dignetur igitur tua Sanctitas, quæſo Domine mi & Amiciſſime, hanc anguſtiam noſtram ſolvere, & per Epiſtolam nos docere, quid horum ſit verius. Dum verò intraverit veſtra Sanctitas Antiochiam, mox mihi dignare tua Scripta dirigere, & univerſi continuò pariter ingrediemur. Orare verò pro nobis, & pro pia pace Sanctarum Eccleſiarum inceſſanter, quæſo, dignare.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola ſcripta eſt poſt convocatam à Joanne Patriarcha Antiochenam ex advenis Epiſcopis Synodum in qua tractandum erat de formando Reſcripto ad litteras quas Cyrillus reſcripſerat Berrhæenſi Acacio. Ad eam Joannes invitarat, quidem Alexandrum ac Theodoretum, ſed nullum alium. Hinc varia apud varios ſuſpicio, varia Epiſcoporum judicia, rumores varii. Et ipſis componendis Joannes ad omnes ſuos Metropolitas ſcripſit encyclicam epiſtolam, affirmans quod Cyrillus in ſuis litteris anathematizaſſet Apollinarium, Arium, Eunomium, omneſque confuſionis aut mixtionis fabulones; & quod in Chriſto Domino eſſet profeſſus duas naturas. Quod eſſet plenè orthodoxus ideoque componenda pax eſſet in januis. At ecce Maximinus Anazarbi Epiſcopus, ſecundæ Ciliciæ Metropolita, interim à neſcio quo accepit exemplar litterarum Cyrilli, & ſibi viſus eſt in illis inveniſſe omnia contraria. Invenit enim, quod Cyrillus ſua illic confirmet Capitula, & aſſeveret nunquam deſerenda : Et inſuper addat nullam eſſe ſpem pacis, niſi Orientales Epiſcopi anathematizent Neſtorii dogmata; & admittant ejus degradationem. Hæc turbarunt Maximinum: Fecerunt ceſpitare, an forſan Joannes non laudaſſet aliam Cyrilli Epiſtolam. Et credidit Alexandrum profecturum ad iſtam Synodum. Hinc ipſum rogat duo. Primo, ut ſolvat hujus dubii anguſtiam. Deinde, ut dignetur referre ſucceſſum Synodi. Et adjungit: *Univerſi pariter ingrediemur*. Univerſi Metropolitæ, ac Epiſcopi. Indi-

Indigaabatur enim momentoſiſſimum hoc negotium clandeſtinè cum paucis à Joanne tractari.

## CAPUT LXVIII. —156

### *Epiſtola Helladii Tharſenſis Epiſcopi ad eundem Alexandrum Epiſcopum.*

PEr omnes litteras, per priores dico & per præſentes, cognoſcentes ad integrum, Sanctiſſime Amice Dei, animæ tuæ pro pietate intentionem, beatificanteſque tuam Sanctitatem de Apoſtolico Propoſito, oramus ut nos tuæ Sanctitatis veſtigia coaſequamur, quò poſſimus & boſtes adverſos Apoſtolico animo fortiter ſiſtere, & eos qui ab iacepta ſtabilitate deſiſtunt, dijudicare ſimiliter. Nibil enim iſti ab aliquo hæreticorum videntur langnore diſtare, quia dum neceſſitas nulla evenerit, coaſeſſionem rectam perdiderunt, fingentes jam Ægyptium Patrum fidem ſuiſſe complexum, & priorem ahaegaſſe errorem. De confuſione verò præſenti utatut quibus quomodolibet liberemur, atque in ſilentio convivamus. Et nos ſimilem habemns, ò Saactiſſime, volnntatem, & volebamus, ſicut conſcientia noſtra teſtatur, converſationem in Monaſterio aſſumere, niſi nos ſimilis tuæ Sanctitatis diſcretio detineret: Et non eſſe abſque periculo crederemus Gregem noſtrum abſque violentia & neceſſitate deſerere. Oramus verò ut reſolutionem vitæ potiùs impetremus. Nec enim aliam ſolutionem calamitatum præſentium ſuſtiaemus, niſi ut liberati à præſenti vita eam, quæ ſuſtinetur, recipiamus ſpem.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt ejuſdem temporis. Paulò tamen poſterior. Eſt enim ſcripta poſtqnam Alexander palàm declaraſſet ſuæ mentis pertinaciam, & ſaciendæ paci maniſeſtum indixiſſet bellum. Hæc igitur intelligens Helladius Tharſenſis Epiſcopus, illum inſlammat ad pejora, & ſe profitetur eſſe, ac ſemper fore ejuſdem ſententiæ. Et edicit fundameutum: *Quia quidam fingunt Ægyptium Patrum fidem fuiſſe complexum, & priorem abnegaſſe errorem.* Omninò reſpicit Joannem Patriarcham. Affirmat Cyrillum noa ab ipſo converſum, ſed eum ah hoc perverſum, ideoque talia pro Cyrillo mentiri. Pro hac conſtantia proteſtatur à ſe ſpernenda omuia: Ipſum etiam Epiſcopatum. Addit nihil ſibi fore gratius; quam Alexandro in Monaſterio convivere. Forſitan fuerint ad Epiſcopatum aſſumpti ex eodem Monaſterio. Adjungit tamen ſe non ceſſurum, niſi extruſum Regia violentia. Etiam in hoc ſe velle imitari Alexandrum. Et revera fuit in hoc ſchiſmate adeò durus, ut fuerit unus iſtorum quatuor, quos Sanctus Cyrillus exeluſit à pace. Poſtmodò tamen Divina gratia illi aperuit oculos.

## CAPUT LXIX. —157

### *Epiſtola Alexandri Epiſcopi Hierapolis, quam reſcripſit Helladio Archi-Epiſcopo Tharſi,*

IN præſenti confuſione ſanæ fidei, & Eccleſiarum Dei diſſenſione, quorum cauſam Cyrillus impius præbuit principaliter, nullam talem, ſi verum eſt, habemus mitigationem conſolationemque, qualem tuæ memoriam Sanctitatis, & per ſermoaem & per litteras addiſcentes & pro pietate inſtantiam tuam, & duarum Ciliciarum conſonantiam, & pro Orthodoxiæ Prædicatore coacordiam, id eſt, Sanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio. Et Beati vos, ſicut veritas habet, qui bujus eſtis Propoſiti atque conſtaatiæ. Præſtet autem Domiuus, ut etiam firmamentum totius efficiamini Orientis, & eorum qui per diverſas Provincias pro fide certaat ortbodoxa.

Pervenerunt enim, quæ ad vos pertineat, in univerſam terram: Quia verò cognovit Sanctitas veſtra ex his, quæ nobis innotuiſtis, quia hæreticam Cyrilli Epiſtolam ad Sanctiſſimum & Sacratiſſimum Acacium, in qua pro univerſis decertat hæreticis Conſcriptis ſuis, quidam ſic juſtificaverunt, ac ſi eſſet Orthodoxa, rogo Sanctitatem veſtram, ut quidquid verbo ſive Scripto de hoc ad vos fuerit demaadatum, non hoc abſque inquiſitione ac diſcuſſione ſuſcipiatis, ſed cum omni præinquiſitione perſcrutemini. Et primum quidem, ut quæ de ipſo dicant, ab ipſis quæ ab eo diriguntur litteris cogaoſcatis. Deinde non excuſetis, quatenùs & duo & tres ex vobis ad Ægyptum pergant, & ſi Ortbodoxa ſunt, quæ ab eo dicuntur, renuncient, ut ab eis certiſſimè de his, quæ nunciata ſunt, agnoſcamus. Et ſi quidem conſenſerit ſua eſſe, quæ nuaciata ſunt, ſeu præter Scriptum ſive Scripto, cum ſint Ortbodoxa & hæreticorum Capitulorum negationem habentia, & præcedentium dolorum, tenebro-

broſorumque Dogmatum ejus, & communicemus ei, & amplectamur eum, & ejus genua teneamus, & nihil eorum, quæ ad ejus honorem pertinent, omittamus. Si verò contraria ſignificata fuerint his, quæ dicuntur ab eo, habeamus qualiter cum conſcientia bona, & firmitate, ſecuritateque uſque ad ſanguinem fidem veram defendere.

Cognoſcat enim Sanctitas veſtra, quia ſi toties millies eſſe illum diffamemus Orthodoxum, non tamen corrigat de præteritis, nihil proficiemus ampliùs, niſi ut proditores rectæ fidei judicemur. Non enim patietur de cæterò, niſi ut cum majori audacia, cooperante ſibi tempore, ipſe quidem fiducialiter agat per hæreſim, nos autem ita dedititios ſuos in toto Mundo nobis detrahens aſſerat: Quippè quaſi qui hæreſim negaverimus, acquieverimus verò ejus Orthodoxiæ ſecundùm ipſum. Olim namque, olim votum eſt natum: Quia & his qui Romæ ſunt, & ubique noſtram correctionem annuncient. Quæſo igitur Sanctitatem veſtram non tranſitoriè, neque indiſcuſsè acquieſcere his, quæ nunc nunciantur ab Ægypto; ſed, ut prædixi, omnia facere, nihilque relinquere eorum, quæ ad laborem & opus, vel pertinent ad itineris fatigationem atque ſtudium, ut dignoſcentes veritatem, aut reverà pœnitentem ſuſcipiamus, aut perſiſtentem refutemus Ægyptium. Sic enim & reliqua rectæ fidei Permanentia Sacerdotium radicabitur, & nullus nos, tanquàm ſi ipſi magis quam Chriſto ſerviamus, blaſphemabit.

Si verò & oportuerit per hanc perſeverantiam & Provincia & civitate, & vita carere, arbitror Sanctitatem veſtram pronè univerſa ſuſcipere, & pati, & facere, quam à ſola ſpe noſtra, dico verò, rectæ glorificationis fide recedere, pro qua & Patriarchæ, & Prophetæ, & ipſe Salvator noſter eſt paſſus, & reliqui univerſi. Confidamus verò in Domino, quia habebimus cooperatorem & ipſum Dominum Chriſtum, qui & noſtri certaminis fautor exiſtet. Qui utique præſtaturus eſt nobis, tanquam promptè pro ſua fide certantibus, ut & pro Prædicatore Orthodoxiæ, qui injuſtitiam pertulit, ad piiſſimum Imperatorem noſtrum legatione fungamur.

## SCHOLION.

HOc Reſcriptum nos docet varia. Primò notanda ſunt hæc ejus verba: *Duarum Ciliciarum conſonantiam*. Affirmant omnes utriuſque Ciliciæ Epiſcopos fuiſſe in eadem pertinacia unitos adversùs damnationem Neſtorii. Quare ſuperiora Maximini verba: *Et univerſi continuò pariter ingrediemur*, videntur de illis ſolis intelligenda. Hæc verba, *Et eorum qui per diverſas Provincias, pro fide certant orthodoxa*, oſtendunt reliquas, aut ſanè plures Provincias fuiſſe diviſas & alios iſtic Epiſcopos adhæſiſſe paci, alios recalcitraſſe. Notanda ſunt & hæc Verba: *Et primùm quidem, ut quæ de ipſo dicunt, ab ipſis, quæ ab eo diriguntur, litteris cognoſcatis*. Affirmant quod Patriarcha Joannes Cyrilli ad Acacium litteras occultarit, & per Encyclicam epiſtolam dumtaxat vulgaverit, quod Cyrillus jam meliora ſaperet; Quod Apollinarium, omneſque confuſionis fabulones anathematizaret; Quod palam profiteretur duas naturas: Et ideò manifeſtè receſſiſſet à ſuis Capitulis.

Hoc offendit multos Epiſcopos: Præſertim & ab Alexandro, & à Maximino audientes, quod Cyrilli litterę haberent omnia contraria. Hinc Alexander Helladium rogat, ut hac in re nemini fidat, niſi propriis oculis. Et acquirere litterarum exemplar non erat difficile; iſtud enim habebat Alexander: Et plures alii Epiſcopi vel à Joanne, vel ab Acacio acceperant. Notanda ſunt & hæc Verba: *Non excuſetis, quatenus duo aut tres ex vobis in Egyptum pergant &c.* Demoſtrant epiſtolam fuiſſe ſcriptam tempore Antiochenæ ex advenis Epiſcopis Synodi aut ſtatim poſt ipſam. Dum nempe Alexander intellexerat Legationem impoſitam & Mandata data Paulo Emeſeno Epiſcopo. Dixit Legatum placere, ſed unicum non ſufficere: Ei adjungendos duos aut tres ex Epiſcopis utriuſque Ciliciæ. Et Helladium urget, ut non recedat ab hoc articulo. Et adducit rationes. Nempe, ut Cyrillus circa ſuas ad Berrhæenſem Acacium litteras, quas Joannes Patriarcha, immò etiam Andreas ac Theodoretus aſſerebant orthodoxas, & circa ejus in ipſis receſſum à ſuis Capitulis, maturè ac fidè diſcuteretur, atque ita pax non fundaretur ſuper mendaciis. Alexander enim exiſtimabat hæc omnia eſſe Joannis artes, ac ſutelas contextas ad quocumque pacis fuco evadendam indignationem Principis, & minas exilii. Malebat uſque ad extremam ſanguinis guttam certare, quàm animam ſuam exponere ventis mendacii. Voluit adeſſe tria: Ut Cyrillus rectam fidem lucidè profiteretur; Ut diſertè valediceret ſuis Capitulis; Et ut Orthodoxiæ prædicator Neſtorius repararetur. Credebat ex pace, quæ ſine his conditionibus fieret, ſecutura graviſſima Eccleſiæ vulnera: Ac præſertim majorem Cyrilli audaciam, ad firmanda ſua dogmata, & infamandos Orientales Epiſcopos, qui tamquam ipſius dediditii per pœnitentiam & correctionem veniſſent ad pacem.

## CAPUT LXX. ---158

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Helladium Epiſcopum de Himerio Epiſcopo Nicomediæ. Et hanc, ſicut poſuit Irenæus, duximus tranſferendam.*

TAciturnitatem præſenti tempore ſervare deliberans, inveni hanc noxiam nimis, ſeniemque periculum. Unde taciturnitatem ſolvens non prohibebo labia mea. Cum Prophera clamabo. Sed ea quæ mibi recta videntur & juſta, his qui ſunt à tua Sanctitate innoreſco, & à veſtra Sanctitate, omni cum voluntate ſuadebor quæcumque expediunt. Igitur manifeſtum tuæ facio Sanctitati, qnia ex Ægypto miſſam legentes Epiſtolam, invenimus doctrinæ Eccleſiaſticæ congtuentem, & contrariam duodecim Capitulis è regione: Illis, quibus hactenùs perſtitimus ut hæreticis repugnantes. Et deliberavimus pro Eccleſiæ pace eos quidem, qui ſuper bis, quæ peccaverunt, ſe correxerunt, in communionem ſuſcipere; injuſtæ verò atque iniquæ damnationi Sanctiſſimi & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii neque manu, neque lingua, neque mente acquieſcere. Iniquum namque reverà, & ultimo ſupplicio dignum eſt illi quidem, qui Mundum confudit, & terram & mare turbis complevit, & vix nunc expoſitionem noſtram ſuſcepit, impartire veniam: illum verò, qui ab ipſa pueritia hæc eſſe è doctrina docuit, injuſtæ bomicidiali huic tradere interſectioni. Nam ſimile quoque eſt iſtud, ac ſi omnes illos Deo Amiciſſimos perdamus Epiſcopos, qui nobiſcum in Epheſo, & Chalcedone, & Conſtantinopoli pro veritate certarunt, & uſque ad præſens eum ſervore certant. Et deſpiciamus leges, quæ pro omnibus impugnantur, & foris ab Eccleſiis degere compelluntur. Deliberavimus igitur non priùs vel Ægyptiis, vel Conſtantinopolitanis communicare, donec Propugnatores pietatis proprias receperint Eccleſias. Scribat igitur Sanctitas tua Deo Amiciſſimo & Sanctiſſimo Epiſcopo Himerio, & perſuadeat ejus Religioſitati, quia & pietatem non prodidimus, & curam fraterni amoris babuimus, & ſtudium votumque habemus aut eum eis traditos nobis Populos regere, aut cum illis expelli, & qnierem, quæ abſque periculo eſt, recipere. Et mihi autem intentionem dignare tuæ innoteſcere Sanctitatis, Deo Amiciſſime. Nimis enim coarctor, eò quod nihilà veſtra Amabilitate de his, quæ aguntur, ſumus edocti.

## SCHOLION.

THeodoretus erat mens & lingua totius Orientalis Eccleſiæ. Etenim de ſemet-ipſo ſcribit ad Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum: *Sex continuis annis docui ſub Sanctæ memoriæ Theodoto Antiochenſium Epiſcopo, vitæ claritate & Divinorum dogmatum ſcientia nobiliſſimo. Tredecim rurſus aliis ſub beato Joanne, qui differentibus nobis ſic afficiebatur, ut ambas ſæpe manus non teneret, & de ſua ſede conſurgeret. Ad hæc ſeptimus annus hic eſt Deo chariſſimi Archi-Epiſcopi Domni.* Igitur per viginti ſex annos fuit Patriarchalis Concionator ac Doctor Antiochenæ Eccleſiæ. Hinc ipſum Helladius timuit ſuæ Parti perdere. Porrò audierat illum in omnes à Cyrillo propoſitos Articulos conſenſiſſe, ideoque & paratum ad pacem. Etiam conſenſiſſe in perpetuam degradationem ac exturbationem Himerii Nicomedienſis Epiſcopi, Bithynorum Metropolitæ. Etenim Cyrillus hunc Himerium, ipſum Helladium, Eutherium Thyanenſem, ac Dorotheum Martianopolitanum volebat à pace excluſos, ac exturbatos Eccleſiis. Quare Helladius ſuper bis conſulit Theodoretum, & conatur ab his divertere. Proinde hæc ſcripſit, dum Paulus Emeſenus Alexandriæ tractaret cum Cyrillo, & res adhuc penderet: Dum ſama nunciaſſet hæc Orientalibus. Epiſt. 83.

Et Theodoretus reſpondet ad ſingula. Primò, quod Cyrilli ad Acacium litteras judicarit, ac etiamnum judicet orthodoxas, ac è diametro contrarias Capitulis. Uſque ad mortem non deſtitit deteſtari Capitula. Pelagius ſecundus Pontifex in datis ad Eliam Aquilejenſem, ac alios Hiſtriæ Epiſcopos, affirmans illum in Chalcedonenſi Concilio probaſſe & acceptaſſe Capitula, omnino labitur. Nec enim ſolus Theodoretus, ſed etiam Sanctus Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, poſt iſtam Synodum non deſiit illa averſari. Theodoretus ſecundò reſpondet, quod iſtam epiſtolam habeat pro ſufficienti Capitulorum anathematiſmo, ideoque conſenſerit in diſpenſatoriam pacem. Tertiò, quod nunquam conſenſerit, aut conſenſurus ſit in damnationem Neſtorii; Nec manu, nec lingua, nec mente. Et addit cauſam; *Iniquum namque reverà, & ultimo ſupplicio dignum eſt, illi quidem qui Mundum confudit, & terram ac mare turbis complevit, & vix nunc expoſitionem noſtram ſuſcepit, impartire veniam; Illum verò, qui ab ipſa pueritia hæc eſſe è doctrina docuit, injuſtæ huic homicidiali tradere interfectioni.* Pertinaciter cenſuit Cyrillum fuiſſe hæreticum, at jam eſſe converſum, ideoque diſpenſatoriè tolerari in Epiſcopali honore. Iſta pax habuit aliquid leporis. Utraque pars ſe credidit victricem, & ſuos adverſarios fuiſſe converſos à priori hæreſi.

Audi quartum Theodoreti Reſponſum: *Deliberavimus non priùs vel Ægyptiis, vel Conſtantinopolitanis communicare, donec Propugnatores pietatis*

recipe-

*receperint proprias Eccleſias*. Nempe quatuor præfati Merropolitæ. *Scribat igitur Sanctitas tua Sanctiſſimo Epiſcopo Himerio, & perſuadeat ejus Religioſitati, quia & Pietatem non prodidimus, & curam fraterni amoris habuimus, & ſtudium utrumque habemus, aut cum eis traditos nobis populos regere, aut cum illis expelli, & quietem, quæ abſque periculo eſt, recipere*. Hoc eſt, redire ad propria Monaſteria. Fuerat de ſolo Himerio rogatus, & reſpondet pro omnibus quatuor: Quod nempe ſciret Helladium etiam de ſemetipſo, licet non ſcripſiſſet, eſſe anxium. Et hujus ſui judicii, & firmiſſimæ in ipſo conſtantiæ adjungit cauſam: *Nam ſimile quoque eſt iſtud, ac ſi omnes illos Deo amantiſſimos Epiſcopos perdamus, qui nobiſcum in Epheſo & Chalcedone, & Conſtantinopoli pro veritate certarunt, & uſque ad præſens pro veritate certant*. Affirmat Neſtorium præ cæteris, qui ipſum Epheſi defenderunt, Epiſcopis nihil peccaſſe, ideoque ipſum, niſi & hos omnes damnare velimus, non poſſe damnari: Utramque damnationem eſſe pariformiter crudele homicidium. Et hinc infert ac ſpondet iſtos etiam quatuor nunquam à ſe damnandos. Nunquam ſe, aſſenſurum paci, niſi illi reveſtiantur, ac reddantur ſuis Eccleſiis. Porrò iniqua degradatio non malè appellatur homicidium. Eſt enim ſumma capitis diminutio. Eſt phraſis uſitata etiam latinis Patribus. Etenim Sanctus Optatus, Milevitanus Epiſcopus, ad iniquos orthodoxorum Epiſcoporum Degradatores Donatiſtas frequenter dicit: *Occidiſtis non homines ſed honores*.

Theodoretus laudat octo ab Epheſina Joannis Antiocheni factione ad Principem legatos Epiſcopos, quos inter & ipſe fuit, ac item memoratus hic Nicomedienſis Himerius. Et dicit ipſos tam Epheſi, quàm apud Chalcedonem ſtrenuè laboraſſe. Quæſtio eſt, Quomodo dicat laboraſſe etiam Conſtantinopoli; Etenim licet huc vocati fuerint, Regia tamen juſſione fuerunt compulſi manere Chalcedone, & Regiam Civitatem nunquam intrarunt. Eſt & alia quæſtio: Quare Theodoretus ſcribat, pacem non cum ſolis Ægyptiis ineundam, ſed etiam cum Conſtantinopolitanis? Ad primum reſpondeo hæc exponi à Theodoreto in litteris ad Domnum Antiochiæ
Epiſt.111. Patriarcham: *Synodica Epheſi multa tum ad Victorem Imperatorem, tum ad ſummos Magiſtratus de Cyrilli Capitulis ſcripta ſunt, itemque ad Populum Conſtantinopolitanum, & ad Reverendiſſimum Clerum. Quin etiam Conſtantinopolim evocati, cognitiones præſente ipſo Imperatore quinas habuimus: Et tres poſt hæc ad eundem proteſtationes miſimus*. Affirmat ſe ac alios Legatos, licet Regiam Civitatem non intraverint, eò tamen fuiſſe vocatos, & ibidem, licet non per proprias perſonas, tamen per Epiſtolas ac proteſtationes varias egiſſe. Ad ſecundum reſpondeo, Orientalium Epiſcoporum ſchiſma fuiſſe non adversùs ſolum Cyrillum ac Ægyptum, ſed inſuper contra Conſtantinopolitanam Eccleſiam: Quod nempe illa permiſiſſet ſibi conſecrari novum Epiſcopum Maximianum, adeoque plenè comprobaſſet damnationem Neſtorii. Attamen circa hunc articulum Theodoretus fuit uſus non modica diſpenſatione. Neſtorii damnationem pertinaciſſimè refutavit, Maximiani tamen diſſimulavit Ordinationem, ac ipſi communicavit ut Epiſcopo. Ex hac diſpenſatione etiam Ibas, Edeſſæ Epiſcopus ſcripſit ad Marim, Perſidis Epiſcopum: *Poſt hanc* Epheſinę diſcordiæ *confuſionem unuſquiſque in ſuam Civitatem reverſus eſt. Neſtorius verò, quoniam odio habebatur ſuæ Civitati, & Majoribus in ea conſtitutis, illuc reverti non potuit*. Orientalium Epiſcoporum plures vulgarunt hanc fabulam: Vulgarunt Neſtorium non ut degradatum ob hæreſim, ſed ut inviſum ſuo Populo fuiſſe proſcriptum, ac exulare. Hinc ipſo etiam non reſtituto, dummodò tamen haberetur Epiſcopus, Theodoretus fuit paratus ad communicandum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ.



---

## CAPUT LXXI. —159

### *Epiſtola Theodoreti Epiſcopi, ſicut idem Irenæus poſuit, ad Himmerium Nicomedienſem Epiſcopum.*

ET cui decet, ut ſuperet omnibus bonis, niſi ei, qui poſſeſſionem bonorum omnium congregavit, & hanc in ſemetipſo circumfert? Viciſti, Deo Amiciſſime Domine, ſicut in aliis omnibus, ſic in feſtinatione allocutorias litteras dirigendi. Et dum nos ſumus & inertes & ſomnolenti, & circa urgentia faſtidioſi & negligentes, tuo nos alloquio ſuſcitaſti, & pari illius, atque ſpirituali reverà, affectu ad memoriam revocaſti. Verùm ne omnes cauſas litterarum tarditatis occultans, memetipſum faſtidii culpæ ſubjiciam, modicam quandam, veramque ſatiſfactionem pro nobiſmetipſis adhibebo. Habitamus civitatem longè alicubi ſitam ab illa via, qua equi tranſcurrunt: Et ideò neque ipſos, qui ad noſtram Provinciam veniunt, cernimus. Nec cum illis verò eſſe contingit, qui hinc proficiſcuntur. Et propterea non obtinemus conſolationem dirigendi litteras ad veſtram Sanctitatem.

Ad hæc cum priùs aſſueti fuiſſemus ſæpius ire ad Antiochiam, atque illic moras habere, undè facilè erat & dirigere & ſuſcipere litteras; à multo jam tempore in domo habitare, atque illic elegimus quieſcere. In præſenti enim hoc, tamquam quod ampliùs expediret, ſumus amplexi. Hæc ſunt quæ nos uſque ad præſens prohibuerunt Sanctum tuum Caput amplecti per litteras. Sed



Digitized by Google

Sanctitas tua & hac neceſſitate ſuperior facta eſt, quæ Dominum meum honorandiſſimum, & Deo Amiciſſimum Strategium Comminiſtrum direxit ad nos, quem omni feſtivitate conſpeximus, ut Salvatoris noſtri Chriſti Diaconum, & tuæ Sanctitatis dilectione ferventem, & omnia facere ac pati eligentem pro te, qui pietatis Athleta es, & fortis pro pietate Certator. Beatificamus enim, ut benè noviſti, Domine Deo Amiciſſime, tua clara & magna certamina, & fixum firmumque fortis tuæ animæ ſenſum, & pro Apoſtolica fide ſudores & labores, atque pericula, per quæ tibi æternæ, & à corruptione ſuperiores, & ut complexè dicamus, perficientur Divinitùs datæ coronæ, & Domini charum Caput ornabunt. Nos enim circa nihil utiles Eccleſiæ Dei ſumus effecti: A piis enim, fidelibuſque omnibus, ac pleni zeli fervorem & piam Sanctorum Patrum confeſſionem ſpirantibus, circumnperti deſpicimur potiùs, quam deſpiciamus; & regimur, quam regamus.

Tua verò Sanctitas in ipſa flamma exiſtens, & circa tres illos Adoleſcentes in medio camini choros exercens, unam magnamque habuit conſolationem, Sancti Spiritus auram, quæ & flammæ impetum ſparſit, & ejus caminum permutavit in rorem. Et quidem de tuæ certaminibus Sanctitatis à nobis tanta ſint dicta. Superat enim non ſolùm menſuras Epiſtolæ, ſed & maximam conſcriptionem tuorum bona fama certaminum. Quod verò de pace fit murmur, ſignificavimus tuæ Sanctitati: Quia dum certè omninò proximi ſumus, nihil ad integrum novimus, ſed tanta ſcimus, quanta nobis nunciant hi, qui huc ad nos revertuntur ad propria. Intentionem noſtram tuæ manifeſtam facimus Sanctitati: Legentes litteras, quæ nunc ex Ægypto directæ ſunt, & crebrò eas apud noſmetipſos diſcutientes, Eccleſiaſticæ doctrinæ illas congruentes reperimus, & contrarias duodecim Capitulis, quæ uſque ad præſens permanſimus expugnantes. Et deliberavimus, ut ſi receperit Sanctitas tua Divinitùs ſibi commiſſas Eccleſias, communicemus quidem Ægyptiis & Conſtantinopolitanis, & aliis qui cum eis militaverant contra nos, quia noſtrum, magis verò Apoſtolorum, Dogma confeſſis: Ei verò, quæ dicitur, damnationi Sanctiſſimi & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii minimè aſſentiamus. Injuſtum namque ſecundùm veritatem, & clarè impium perſpicitur, etiamſi eiſdem ſubjectus eſſet criminibus, quibus & alter, illi quidem veniam impertire, huic verò claudere pœnitentiæ januam. Multò magis iniquum, & ampliùs impium, eſt, illum qui eſt inſons, interfectioni contradere. Sciat igitur Sanctitas veſtra, quia priùs eis non communicabimus, niſi veſtras receperitis Eccleſias. Hæc verò non ego ſolus, ſed omnes Sanctiſſimi hujus Regionis Epiſcopi in unum convenientes habito Concilio deliberavimus.

Jam ſupra oſtendimus, quia Neſtorius ſua Dogmata denegabat. Et Orientales Epiſcopi judicium fieri cupiebant ſe præſente atque Neſtorio. Et ſi reverà talia ſentire convinceretur, eum ſe anathematizaturos cum tali ejus Dogmate promittebant. Hoc enim Alexander in ſua ad Acacium dixit Epiſtola. Theodoretus verò ſcribit: *Quia hominem, cujus non ſumus judices facti, inauditum non poſſumus damnare*. Nemo ergò Catholicus & Deum timens poteſt Theodoretum de fide reprehendere, cum maximè audiat eum laudantem Dogmata Epiſtolæ, quæ antè Unitivam directa eſt ab Ægypto, contra quam multi Epiſcoporum Orientalium clarè dixerunt, quia Apoſtolicæ fidei eſſet adverſa. Et quod pro omnibus eſt notandum, antè Eccleſiæ pacem legitur facta. Hæc tamen diximus ſalva illa quæſtione, ſi ejus ſunt.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt ejuſdem formæ ac temporis cum præcedente. Lucet ex his verbis: *Quod verò de pace ſit murmur, ſignificamus tuæ Sanctitati*. Scripta eſt pendente pacis Tractatu: Dum Paulus Emeſenus adhuc adeſſet Sancto Cyrillo, & Himerii ac aliorum trium patronum ageret. Quod enim Paulus hunc articulum fortiter ac dudum urſetit, lucet ex Sancti Cyrilli litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum: *Sciat hoc quoque Sanctitas tua, Religioſiſſimum Epiſcopum Paulum initio plurimùm inſtitiſſe, Helladii, Eutherii, Himerii, & Dorothei, depoſitorum cauſa, obnixeque rogaſſe, ut quæ contra ipſos decreta erant, abrogarentur. Affirmabat enim pacem Eccleſiarum aliter perfici non poſſe, niſi id quoque fuiſſet adjectum. Ego verò reſpondebam ipſum rem modis omnibus impoſſibilem conari, eo quod nos illud nunquam eſſemus permiſſuri. Manſerunt itaque in eodem*

*ſchiſmate,*

*ſchiſmate, in quo etiam nunc perſeverant, neque ulla eorum in conditionibus, de Sanctarum Eccleſiarum pace propoſitis, eſt facta mentio.* Hoc igitur Tractatu pendente, & variis rumoribus ubique diſcurrentibus, anxius Himerius Strategum Diaconum ſuum legavit in Orientem, cum litteris ad Helladium ac Theodoretum. Forſitan & ad alios. Et Theodoretus reſcripſit præſentem Epiſtolam.

Et hujus meminit Pelagius ſecundus Pontifex in litteris ad Eliam Aquilejenſem, alioſque Hiſtriei ſchiſmatis Epiſcopos. Ipſam refert inter devia Theodoreti Scripta, quæ merito damnata ſint in 5. Concilio. Himerium appellat Aemerium. Exiſtimo eſſe poſterius Mendum Antiquarii. Adducit hæc Epiſtolæ verba: *Damnationi venerandi & Sanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii, quæ facta dicitur, non debemus præbere conſenſum.* Caſſinenſis Codex ſic habet: *Ei verò, quæ dicitur, damnationi Sanctiſſimi & Deo amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii minimè aſſentiamus.* Ex quibus lucet Papalis Epiſtolæ Dictatorem Magnum Gregorium fuiſſe uſum alia translatione, alioque codice. Eſt uſus translatione Marii Mercatoris. Etenim apud hunc exſtat fragmentum hujus Epiſtolæ: Et habet eadem verba. Hic damna integram Epiſtolam, & aliam ejus translationem. Ad finem tamen à Mario Mercatore adducuntur pauca verba, quæ nobis deſunt. Sunt antedictorum repetitio, ideoque videntur eſſe additamentum, quod Theodoretus pro Neſtorio ad Himerii conſolationem fecit propria manu.

Theodoretus eadem omnia, quæ Helladio, reſcripſit Himerio. Et adjunxit plura: Primò, ſummas laudes, ob hujus obſtinatiſſimam contumaciam adversùs Epheſinam Synodum. Et ideò hanc Epiſtolam, de qua hodierna quintæ Synodi Acta diſertè non meminerunt, inter damnatas retulit per Pelagium ſecundum ac Magnum Gregorium Romana Eccleſia. Secundò, addidit ſe quidem conſuetum adeſſe olim frequenter Antiochenis Synodis, ac ob alias item cauſas iſtic morari; verum à multò jam tempore domi manere, & ſolum habitare apud ſe-met-ipſum. Nempe ob natas cum Joanne Patriarcha quæſtiones circa pacis negotium; Joannes enim conſtanter volebat Neſtorii damnationem admitti, & anathematizari ejus dogmata; Theodoretus autem contumaciter nolebat. Hinc dicit ſe de iſto negotio, licet Antiochiæ, ubi fabricantur omnia, ſit proximus, nihil ex integro ſcire, ſed ſolos noſſe publicos rumores. Tandem enumerat omnes, quos ipſe probat, pacis articulos, & concludit: *Hæc verò non ego ſolus, ſed omnes Sanctiſſimi hujus Regionis Epiſcopi, in unum convenientes, habito Concilio deliberavimus.* Erat igitur non iſtius dumtaxat Provinciæ, ſed totius Regionis Synodus. Quo in loco fuerit habita, non conſtat. Certè videtur quod non apud Hierapolim. Etenim Metropolita Alexander à Theodoreti judicio, quod Cyrilli ad Acacium litteras cenſebat orthodoxas, contrarias Capitulis ac ipſorum abundè deſtructivas, erat alieniſſimus.

Circa hanc pacem erant tres Orientalium Epiſcoporum claſſes ſeu ſententiæ. Prima admittebat omnes tres à Sancto Cyrillo poſtulatos articulos: Cyrilli litteras, Neſtorii cum ejus dogmate damnationem, ac ordinationem Maximiani. Hujus claſſis Capita erant Joannes Patriarcha Antiochenus, Acacius Berrhæenſis, Paulus Emeſenus, ac plures alii. Altera claſſis erat ad aliud extremum: Refutabat omnes iſtos tres articulos, pacem nec audire volebat, niſi Cyrillus aliam fidei profeſſionem mitteret, ac diſertè anathematizaret ſua Capitula. Hujus factionis Duces erant Alexander, Himerius, Eutherius, ac aliquo tempore etiam Helladius. Tertia claſſis erat media: Probabat Cyrilli litteras, ac Neſtorianæ doctrinæ aut perſonæ damnationem nullatenus volebat admittere. Circa Maximiani Epiſcopatum claudebat oculos. Hujus Factionis Principes erant Theodoretus, ac Samoſatenſis Andreas. Horum eſt iſta Synodus. Adjuncta ſubnotatio rectè excuſat Theodoretum, affirmans non circa fidem, ſed circa ſolam erraſſe perſonam. Eſt res certa: Suo loco latiùs elucidanda.

## CAPUT LXXII. --160

*Epiſtola Theodoreti reſcripta ad Alexandrum Hierapolitanum. Ireneus dicit, ſicut apparuit, ſuſpectus.*

TUæ factus ſum Sanctitati, tamquam prodiderim pietatem. Non enim me ſcribente, quomodò intellexerim Epiſtolæ Cyrilli Dogmata, & diſcere volens ſi quid ſit in eis aliud latens, quod hæreticis ejus Capitulis conferatur, admonuerat Religioſitas tua nihil ſcribere ſuper hoc. Ego verò teſtem Deum invoco in animam meam, neque Sedis deſiderium, neque Civitatis cupido, neque perſecutionum timor ſubegit me uſque ad præſens, ſed incorrupto Decreto, & indeclinata mente illas litteras legens, convenientes noſtris eſſe duxi intellectus earum. Quid enim aliud orabam audire, ut hoc venerarentur Hæretici, niſi quia inconvertibilis eſt Dei Sermo, & impaſſibilis atque immutabilis? Et neque fermentatio, neque confuſio, neque retemperatio facta eſt in unitione Dei Verbi ad Carnem. Et hæc tamen in litteris comperiens minimè tutum putavi eſſe, ut ſuper his ſolis communio fieret, ſed ut evidentiùs fieret, & clariùs horum exponeretur intellectus: Sicut & olim litteris, quas antè has ſcripſi, mandaveram, vitans omninò damnationis ſubſcriptionem. Et hæc autem per condeſcenſionem ſuſcepi:

ſcepi: Et putans nec tuam contradicere Sanctitatem. Hæc verò & in Antiochia, & in Berrhæa, & in Hierapoli ſumus ſæpius collocuti. Hæc & Domino meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo Andreæ per Honorandiſſimum & Reverendiſſimum Diaconum fortiſſimorum tertiò Stabiliſtanorum, dum illuc adveniret, ſcripſi. Et quia non de quolibet nobis certamen eſt, ſed de ipſa ſpe noſtra, veniſſem utique, ſi mihi hoc corpus infelix concederet, ad Sanctitatem tuam, ut majori diſcuſſione & communi colloquio comprehenderetur ſententia litterarum.

Ubique notandum, quantum diſtet Theodoreti intentio ab his, qui pro ea uſque ad finem cum Neſtorio permanſerunt. Item ab Alexandro & Eutherio, vel aliis ſimilibus. Et quantum conſonet his, qui pacem Eccleſiaſticam aſſerunt. Item Joanni, & Acacio, & Andreæ, & ſimilibus.

## SCHOLION.

Metropolita Alexander, audiens Theodoretum in præfatos pacis Articulos deſcendiſſe, eum increpat & arguit de variis. Primò, quod ſine ſua Metropolitica Authoritate ac juſſione præſumpſerit Cyrilli litteras exponere & commendare. Locutus eſt ex antiqua Eccleſiæ regula, ex qua & Beronicianus, Sacri Conſiſtorii Secretarius, dixit ad Chalcedonenſem Synodum: *Singuli Epiſcopi fidem ſuam per ſuum Metropolitam conſtituant manifeſtam, ut nulla dubietas aut diſcordia relinquatur*. Alexander ſecundò Theodoretum arguit, quod ex perſecutionis metu, ac retinendi Epiſcopatus libidine mutaſſet mentem, ac deflexiſſet à communi Synodali Placito. Tertiò, quod Hierapolim ad nova conſilia evocatus non obediiſſet. Et de omnibus tribus ille ſe expurgat per præſentem Epiſtolam. Ad primum reponit: *Non enim me ſcribente, quomodo intellexerint Epiſtolæ Cyrilli dogmata & diſcere volente ſi quid ſit eis aliud latens, quod hæreticis ejus Capitulis conferatur*, ſive conſentiant, *admonuerat Religioſitas tua ſcribere ſuper hoc*. Exſtat ſuperiùs Epiſtola, qua apud Theodoretum Alexander Cyrilli ad Acacium litteras variè accuſat, præſertim de nequaquam depoſito, ſed dumtaxat occultato Capitulorum veneno, & cui Theodoretus reſpondit: *Vellem ſiquidem diſcere, quid eſſet in veritate occultatum in eis, quod ab Evangelica veritate ſit* Cap. 66.

*alienum*. Hæc nunc Alexandro reducit in memoriam, atque ita affirmat ſe in ejus Metropoliticam dignitatem, exponendo Cyrilli litteras, non exorbitaſſe. Etenim ab ipſo doceri poſtulans non fuit edoctus, nec vetitus ſe-met-ipſum aut alios docere, ideoque cenſet ſe docere omninò potuiſſe. An per varias dumtaxat litteras, an etiam per librum expoſuerit Cyrilli epiſtolam, ignoro. Ad ſecundum reſpondet ſe non eſſe firmo corpore, ideoque non potuiſſe accedere Hierapolim. Dum ſanus fuerit, ſemper eſſe ac fore promptiſſimum. Ad tertium reponit ac demonſtrat Cyrilli litteras eſſe omninò orthodoxas, & adjungit: *Et hæc tamen in litteris comperiens minimè tutum eſſe putavi, ut ſuper his ſolis communio fieret, ſed ut evidentiùs fieret, & clariùs horum exprimeretur intellectus*.

Hæc verba, *Sicut & olim litteris, quas ante has ſcripſi, mandaveram*, reſpiciunt eandem jam memoratam Theodoreti epiſtolam ad Alexandrum, in qua legimus: *Et hæc dico, non quaſi cui ad communicandum cum eo iſta ſufficiant. Oportet enim clarè illa exponi cum fide Nicæna, & ſubſcribi ab eo, & ab omnibus, quorumcumque ſuſcipimus communionem*. Hæc verba, *vitans omninò damnationis ſubſcriptionem*, affirmant ipſum non deflecti à rejicienda damnatione Neſtorii. Notanda ſunt & hæc verba: *Et putans nec tuam contradicere Sanctitatem*. Videntur reſpicere ſuperiùs adductam Andreæ Samoſatenſis epiſtolam: *Arbitror quod Cyrillus & ſubſcriptionem modis omnibus exigat depoſitionis. Aliqui verò & hoc forſitan facient. Et arbitror etiam Cyrillum, etſi omnes minimè ſubſcribamus, illorum fore ſubſcriptione contentum. Scit tua Sanctitas, quia hæc & ante in locutionem venerint, quando in Antiochia conventmus pariter*. Ob hoc Antiochenum colloquium Theodoretus omninò credere potuit, quod ſua Deliberata non diſplicerent Alexandro. Hæc verba. *Et in Antiochià & in Berrhæa, & in Hierapoli ſumus ſæpiùs collocuti*, demonſtrant Synodum illam, quam ad Ariſtolai adventum fecit Joannes Patriarcha, fuiſſe Antiochiæ cœptam, completam Berrhææ.

Stabiliſtani erant Romanæ militiæ ſpecies, quæ laudatur etiam in ſeptima collatione quinti Concilii. Milites de tertio numero Stabiliſtanorum laudantur Antiochiæ apud Geſta dediſſe teſtimonium circa quendam exceſſum Sergii Cyrenſis Epiſcopi. In Orientalis Imperii notitia habet duplex nomen. Ad titulum de Comite limitis Ægyptii appellantur Equites Stabilaſiani. Degebant Pelufii, erantque ex decem vexillationibus Comitatenſibus Magiſtri militum per Orientem. Ad titulum de ſpectabili Duce Schytiæ appellantur Equites Stableſiani, quorum unus apud Bircam, alius cuneus degebat apud Cilum, ſecundæ Mœſiæ Oppida ad Danubium. Et Guido Pancirollus de hoc poſteriori cuneo ſcribit: *Hic cuneus eſt unus è decem vexillationibus Comitatenſibus Magiſtri militum per Orientem, qui Equites ſecundi Stableſiani dicebantur, quorum pars Comiti Ægypti inſerviebat, & duo cunei Duci Schytiæ. Unde vexillationes*

Fol. 143.
Fol. 51.

*tiones in cuneos fuiſſe diviſas apparet*. Et ad priorem titulum ſcribit: *Stablaſiani à loco, unde orti, ſunt dicti*. *Fortè legendum*, Stabaliani, *qui fuerunt Galliæ Populi*. Habebant ſibi miniſtrantem Diaconum, qui aliquando in Ægypto, aliquando videtur manſiſſe in Thracia. Qua occaſione in Euphrateſiam Provinciam venerit, ignoro. Sergii Cyrenſis Epiſcopi exceſſus contigit ſub Juſtini primi Imperio: An tunc quia iſtius militiæ cuneus apud Antiochiam hæſerit, permitto diſcutiendum aliis. Juſtinianus enim, tunc Comes Orientis, multa mutavit in Imperio. Subnotatio rurſus purgat Theodoretum, & affirmat una cum Joanne Patriarcha, Acacio Berrbæenſi, Samoſatenſi Andrea, ac aliis ſtetiſſe pro pace. Miſcet non miſcenda. Etenim Theodoretus ſtetit in tertia claſſe. Pertinaciſſimus contra Joannem & Acacium. Res infra fiet clarior.

## CAPUT LXXIII. –161

*Epiſtola Eutherii Epiſcopi Metropolitani ſecundæ Cappadociæ, Thyanenſis Civitatis, ad Joannem Antiochiæ Archi-Epiſcopum de eiſdem litteris.*

MAgnos Patres atque Doctores vos dedit nobis Dominus Chriſtus ad defendendum, ad docendum, ad omnem animæ Ducatum. Neceſſe eſt igitur nos quidem & importunos eſſe, & diſcere quæ oportet, veſtram verò Sanctitatem & non graviter ferre deprecationes, & Monita paterna præſtare. Quod autem nunc me movit, hoc eſt. Legi Alexandrini Epiſtolam, multa quidem & alia incongrua continentem: Ut contra Dogma pertinaciam malam, & alias Propoſitiones non pias. De his juſtum judicavi, ut indicarem quæ meæ Humilitati placuerunt: Ut aut confirmentur, quæ benè ſe habent, tuæ Sanctitatis nutu, aut corrigantur quæ forſitan per ignorantiam fuerint viſa contraria.

Et priùs quidem de Capitulis hoc ſuſpicor, ut non priùs uniamur Expoſitori eorum, niſi omninò ea voce propria & ſubſcriptione repulerit, quæ habent præcipuè blaſphemiam. An ad hæc manebunt, ſicut ille præcepit? Sed nos qui ei concedimus id, & inſuper eum tot laudibus atque præconiis, quæ feciſtis, ab omni excuſatione nos ipſos efficiemus extraneos. Si enim tunc quidem ſic ea judicaverimus mala, ut eorum Scriptorem unanimiter dejiceremus, & excommunicatos illos, qui ea ſuſceperant, faceremus, nunc autem ſic tolerabilia, ut uniamur Scriptori eorum non corrigenti hæc, quæ tunc nobis damnatione viſa ſunt digna, quis nos à juſta increpatione liberabit, qui eum tunc quidem depoſuimus velut conſtitutum meritò ſub reatu, nunc autem rursùs excipiamus eum velut inſontem? Impugnant enim ſe invicem judicia hæc, & faciunt nos illi reatui ſubjici, quem pronunciat Apoſtolus dicens: *Si enim quæ deſtruxi, hæc iterùm reædifico, prævaricatorem memetipſum conſtituo*. Galat. 2.

Sed & Capitulorum incongruitas cui benè ſuſceptibilis apparebit? Quis carnaliter Dei Particen Sanctam Virginem ſuſcipiat? Quis unitatem naturalem, & per hoc coactivam, quia ſuper omnem naturam, virtutemque? Quis unam naturam, Dei & Hominis formam? Quis anathematizare præſumat eos, qui piè adſcribunt excelſa quidem Divinitati, humilia verò Humanitati, non ſciſſa unitione ullo modo, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ facientes ab hac legislatione anathematizati ſunt? Quis conſentiat terribili contra Epiſcopum Sanctum, Glorioſumque Baſilium ſententiæ, qui Dei-feram dixit Domini carnem, qui etiam cum his, qui præſumunt Deiferum nominare, anathematizatus eſt? Quis autem communicet ei, qui Paulum, vas electionis, anathematizavit per illa, quæ inquiens ait: *Si quis quaſi hominem vi operatum Dei Verbi Jeſum dicit, anathema ſit*? Dum Sanctus Paulus clarè dicat: *Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, qua operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans eum à mortuis*. Ephes. 1.
Quis verò incidit à Verbo carnem, & ſic fert adorationem debitam, ſicut juſſit iſte qui ait: *Si quis præſumat dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, & conglorificari, anathema ſit*?

Quis verò ab ipſo Domino audiens, quod in Spiritu Dei ejiciat ipſe Dœmonia, & diſcens à Paulo id quod eſt, *Qui manifeſtatus eſt in Carne, juſtificatus eſt in Spiritu*, glorificari à Spiritu Dominum noſtrum Chriſtum Jeſum confiteri recuſet? Immò quia eos qui hoc confitentur, & anathematizare præſumat? Quis verò pronuntiare audeat, circa hujus ineffabilem vocum novitatem, Deum Verbum Apoſtolum factum, ac Principem Sacerdotum, ut per hoc eum Facturam quoque pronunciet, ter Beato Paulo clamante: *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem Confeſſionis noſtræ Jeſum Chriſtum, qui fidelis eſt ei, qui fecit eum*? Hebr. 3.
Aut quis eſt qui Domini Carnem non ex noſtra natura ſumptam, ſed ipſius Verbi propriam, tanquam ſi aliundè ſubſtiterit, dicere eligat vel audire? Quis verò cunctus ſimul Sanctos Anathematiſmo ſupponat? Quis enim dixerit Deum Verbum paſſum Carne, & crucifixum Carne, & Primogenitum ex mortuis eum qui ſemper vivit, & eſt immortalis? De quibus convincere quidem latiùs facilè eſt, ſicut factum in Contradictionibus, quæ à multis, & quæ à nobis ipſis factæ ſunt; nunc verò, quippè ut in Epiſtola, breviter neceſſè eſt ſubſignare. Dum certè etiam ſine omni impietate manifeſta eſſent,

opor-

oportebat tamen ea ut novella reſutari, & non ſuſcipere ad injuriam præcedentium, quæ perfecta exiſtunt, horumque ad receptionem non egent.

Si dicis, bonum eſt quod nunc habeo: Facta eſt expoſitio Dogmatis ad ſuccurrendum peſtilentiæ Mundi. Languorem minimè ſiſtis, niſi materiam languoris evacuaveris effectricem. In vanum mederis extrinſecùs, qui intùs plantaſti & radicaſti perniciem. Si enim deterioribus excuſſis meliora fuerint introducta, meliora obtinebunt locum, manentibus autem blaſphemiis, quæ ſuperinducuntur, egregia injuriam ſuſtinebunt, & reprobabilia fient. Quæ enim communio lucis ad tenebras, & quæ pars fideli cum infideli? Statio enim ſecundi eſt interemptio prioris. Undè dicit Apoſtolus: *Interimit prius, ut ſtatuat ſecundum*. Qui verò ſe dicit anathematizare Apollinarium & veſaniam ejus, dum non evertantur illi conſonantia Dogmata, inductio eſt & riſus: Tanquàm ſi quis accuſans eam, quæ genuit multa venena, offerat tamen ipſa venena, & qui per potum multos extinguens idcircò ſe arbitretur demonſtrare, quoniam illos, qui crudeliter perempti ſunt, ipſe non læſerit, quia accuſat terram.

Super hæc ſubſcriptiones tanquam victor exigere gloriatur ad illius impudentem damnationem, qui neque judicatus, neque convictus, neque peregrinum aliquid fidei, quæ ab olim tradita eſt, nobis conſciis dixit. Quem vel undè culpemus, omninò non novi. An fortè quia illis novis Dogmatibus non aſſenſit, quæ nos adjudicavimus, priùs quàm novitates vocum, quas Scriptura non tradit, ipſe teſtimoniis Sacræ Scripturæ præpoſuit? Quare ea quæ ſunt Apoſtolorum, & Prophetarum, & Evangeliſtarum, & ipſius Chriſti, qui eſt omnium Dominus, abſque vitiatione prædicavit. Sed contra illos ſententiam proferemus, ſi adjudicamus hunc ea, quæ illorum ſunt, prædicantem. Quæcumque autem in mirabilibus illorum Geſtis ſive Commentis ex hujus adſcripta nomine à veritate diſſonantia inveniuntur, niſi oſtenſa fuerint audacia Falſatiorum conficta, hiſque nocentem deprehendi contigerit, modis omnibus ſuſcipiemus addictionis ſententiam. Et nullus ſic odit animam ſuam, ut non mox anathematizet ea, quæ manifeſtè fuerint prava, cum ipſo qui es dixit: *Sive ille*, vel Angelus de cœlo fuerit, qui dicere præſumpſerit incongrua.

Quis autem poterit oblivisci illa verba congrua tua, quæ memoria digna ſunt, quæ nos inſtruxerunt in Epheſo: Quia dum duo mortifera præcipitia proponuntur, hinc quidem quia dicitur Dogma fuiſſe corruptum, illinc verò quia contra ipſum iniquus exſtiterit, nihil hic intereſt utrùm ex illo præcipitio, quod minus videtur, aliquis ruat, quia æquè periclitabitur; nihil prohibet & ex illo, quod minus videtur, aliquis rurſus ſimiliter periclitetur. Et quidem quod mihi placuit, breviter indicavi, ſciens melius eſſe, quidquid illud eſt, pati. Quapropter temporalem peccati punitionem *ſatius eſt, quam* æternam ſentire tormentum. Tuæ verò eſt Sanctitatis & manifeſtare quæ certa ſunt, & tam litteris quam orationibus confirmare, & quæ meditata ſunt nunciare, ut præveniatis Adverſariorum nequitiam, & quietem beneplacitam magis eligere, ſi nihil præter pacem fiendum eſt atque concordiam. Didicimus enim, quia ſit & falſi nominis pax, ab eo qui claré dixit: *Quia zelatus ſum in peccatoribus*, Pſalm. 72.
*pacem peccatorum videns*.

## SCHOLION.

SEcunda Cappadocia ſpectabat ad Ponticam, non ad Orientalem aut Thracicam Diœceſim, ideoque quæſtio eſt, quomodo illius Metropolita Eutherius tamen pertinaciter adhæſerit Neſtorio. Item cur Firmus Cæſarienſis Epiſcopus, Metropolita primæ Cappadociæ, ac totius Diœceſeos Exarchus, conſtantiſſimè adhæſerit Sancto Cyrillo ac Epheſino Concilio. Nam & Joannis Antiocheni primas adversùm Sancti Cyrilli Capitula Encyclicas litteras Eutherius promptiſſimè admiſit, Firmus firmiſſimè projecit. Reſpondeo Firmum Conſtantinopolitanis Epiſcopis, qui jam dudum ipſius Diœceſim invadere ac ſibi violenter ſubjicere cœperant, fuiſſe conſtanter adverſatum. Nam Philoſtorgius affirmat Eugenium Nicænum Epiſcopum fuiſſe ordinatum à Conſtantinopolitano Eudoxio. Proindè Sanctus Joannes Chryſoſtomus non eſt omninò Author iſtius violentiæ. Attamen & ipſe Nicomedienſibus Gerontium, & Baſilinopolitanis ordinavit Alexandrum. Et hinc Helladius Cæſarienſis Epiſcopus eſt Joannem hoſtiliter perſecutus. Stetit intrepidus pro privilegiis ſuæ Eccleſiæ. Firmus igitur Succeſſor eſt ſecutus ejus veſtigia. Eadem forſitan ratio Epheſinum Memnonem animavit adverſus Neſtorium. In utroque adjuvit zelum orthodoxæ fidei. At verò Eutherius, uti & plures alii trium olim Autocephalarum Diœceſium Metropolitæ, ſubmiſit collum jugo, ideoque omnibus modis ſtuduit placere ſuo Patriarchæ Neſtorio. Ejus item amico ac patrono Joanni. Hinc pendente pacis negotio hunc acceſſit cum multis inſtructionibus ac deprecationibus.

Ante omnia rogat, ut Cyrillo nullatenus communicetur, niſi verbo & ſcripto anathematizet ſua Capitula: eò quod hæc præ omnibus ejus Scriptis ſint ſingulariter blaſphema. *An ad hæc*, inquit, *manebunt omnes ubique alii Epiſcopi, ſicut ille præcepit*? Hanc Cyrilli fiduciam cenſebat intolerabilem. Etenim Orientalis factio apud Epheſum anathematizarat Capitula, & propter ipſa Cyrillum ac Memnonem perpetuæ ac irreparabili Hæreſiarcharum degradationi ſubjecerat, ideoque ipſorum authorem ſine pœnitentia & abjuratoria profeſſione in communionem & gradum recipere Eutherius judicabat eſſe nimis devium, nimis paradoxum. Nec dumtaxat recipere, ſed

& lau-

Digitized by Google

& laudibus exornare. Hoc enim Joannes ſecerat. Eutherin videbatur prævaricatorium ac inexcuſabile facinus. *Quis*, inquit, *nos à juſta increpatione liberabit? Ab omni excuſatione nos conſtituemus extraneos*. Addit non in ſolis Capitulis, ſed etiam in ipſis ad Berrhæenſem Acacium litteris contineri *contra dogma pertinaciam malam, & alias propoſitiones non pias*. Adeò falſum eſſe cenſet, qund litteræ repugnent Capitulis, aut illis renuntient. Nec contentus hæc generatim dixiſſe, pergit ad ſingula ferè Capitula, & conatur ipſa de impietate convincere. Notat primum Capitulum: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum eſſe, & ob id Sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa Incarnatum Dei Verbum ſecundùm carnem, anathema ſit*. Eutberius hæc verba, *genuit ſecundùm carnem*, voluit æquivalere his, *Carnaliter genuit*, ideoque eſſe plena blaſphemia. Reſpexit & confirmavit Andreæ Samnſarenſis Epiſcnpi de iſto Capituln ſenſum ac judicium: *Ecquis carnem factum Dei Verbum, carnaliter natum ſimul confitebitur? Nam ſi carnaliter genuit, jam non eſt virgo*. Et infra: *Si abſque examine ac judicio in Cyrilli voces inciderimus, & converſionem & commutationem Verbi in carnem imaginabimur*. Accuſat Capitulum de duabus blaſphemiis, de Verbi converſione in carnem, ac de excuſſa Matris per partum virginitate. Andreas iſtud de Capitulis judicium ex totius Orientalis Eccleſiæ Mandato ediderat, & omnis iſta Synodus ipſum confirmarat, ideoque Eutherius credebat fore, ut Joannes ab illn non præſnmeret recedere. Eandem poſtmodò calumniam reſumpſit in libro adverſus Severum Eutychianiſtam Maro Edeſſenus Epiſcopus, Sectator Neſtorii; *Ægyptius Cyrillus, dum partum Virginis ſibi videtur magno honore afficere, petulanter blaſphemavit, qui aliquando quidem Virginis partum vocat naturalem, aliquando, ut in Capitulis, dicit Virginem carnaliter peperiſſe Verbum carnem factum. Cui reſpondemus virginem non carnaliter, ſed Deo convenienter peperiſſe*. Hæretici libri fragmentum exſtat apud

Cap. 12. Anaſtaſium Sinaitam. Theodoretns in iſtud Capitulnm fuit mitinr. Sacroſanctam Deiparæ virginitatem credidit ab ipſo non everti. Credidit tamen dogmatizari Dei Verbi converſionem, & confuſionem naturarum. *Si impoſſibile eſt converti inconvertibilem, non eſt factum caro Dei Verbum, ita ut ſit converſum, ſed aſſumpſit carnem, & inhabitavit in nobis, ſecundùm Evangelicam vocem*. Eadem de re Theodoretus ſcripſit ad Joannem Patriarcham: *Capitula habent carnaliter carnem factum eſſe Deum Verbum*.

At verò Sanctus Cyrillus Andreæ Samoſatenſi inſigniter reſpondet. Exponit Neſtorii blaſphemiam ac pergit: *Probare volentes nos ab hac opinione prorſus alienos eſſe, Virginem peperiſſe dicimus Dei Verbum ſecundùm Scripturas carnem factum, hoc eſt, hominem. Peperiſſe autem carnaliter, hoc eſt, ſecundùm carnem. Nam Deus & Pater ſecundùm Divinitatem genuit ex ſe Deum exiſtentem filium. Quoniam autem quod natum eſt ex carne, caro eſt, genuit virgo, ut caro exiſtens, carnaliter. Carnaliter autem dicere non eſt tollentis admirabilem nativitatem, neque evertentis Spiritus Sancti operationem, qua in utero formavit partum, ſed dicentis potius, quod ſicut Deus gignit diviné, ita & homo humanè, id eſt, caro carnaliter*. Et reverà originalis in græco textus ſic habet: γέγονεν σαρκικῶς. Unde & noſtra Caſſinenſis tranſlatio habet: *Genuit enim carnaliter carnem factum ex Deo Verbum*. Vulgata tranſlatio ſtuduit Phraſim mollire, & onn verbum ex verbo, ſed de ſenſu reddere ſenſum. Conſonat in libro contra Acephalos Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diacnnus: *Verbum ex ipſa Virginis vulva unitum dicitur Genituram carnalem ſuſcepiſſe, ut propriæ carnis Genituram ſignificans. Similiter & reliqua, quæ humana ſunt. Quoniam quod ejus proprium factum eſt corpus, iſta ſuſtinuit*. Cyrillus addit ſe loqui ex Sancto Amphilnchio Iconienſi Epiſcopo, ſummo olim totius Orientis Doctnre: *Niſi ille natus eſſet carnaliter; neque tu natus eſſes ſpiritualiter*. Et exponit: *Significat*, carnaliter, *idem, quod ſecundùm carnem; ſicut*, Diviné, *ſecundùm Divinitatem*. Affirmat qnod ineffabilis ſecundùm Hypoſtaſio Unio carnem ac totum hominem fecerit Deo Verbo proprium, ideoque uti caro ſeu homo, ita & ipſum Verbum per carnem ſit è Virgine natum carnaliter. Et hæc eſt vera expoſitin Chriſtianæ fidei, tradita à Sanctis Apnſtnlis, cunctis Eccleſiæ Patribus, ipſoque etiam Nicænn Symbolo. Hoc enim lucidè profitetur, non dumtaxat Chriſtum Dominum, ſed etiam ipſum Deum Verbum, Patri conſubſtantialem, eſſe natum de Virgine.

Eutherins etiam invadit tertium Sancti Cyrilli Capitulnm: *Quis ſuſcipiat unitatem naturalem, & per hoc coactivum, quia ſuper omnem naturam, virtutemque?* Invadit hæc Capituli verba: *Si quis in uno Chriſto poſt unionem dividit hypoſtaſes, eaque dumtaxat conjunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem & non ea potiùs, quæ eſt ſecundùm naturalem unionem, anathema ſit*. Etiam hæc calumnia eſt deſumpta ex Andrea Samoſatenſi: *Quis unquam admittat naturalem divinam unitionem in Sacramento diſpenſationis? Si enim naturalis unitio, ubi gratia? Ubi Divinum Sacramentum? Naturæ enim, ut edocti ſumus, ſemel ab ordinante Deo ordinatæ, neceſſariis conſequentiis ſerviunt. Num etiam iterum erit, ſecundum revolutionem & naturæ conſequentiam, diſpenſationis opus, juxta deliramenta, fabuloſaque mille annorum infauſti Apollinarii dogmata?* Eadem calumnia placuit Theodoreto. Etenim affirmat Cyrillum in iſtn Capituln aut ignorare quæ ſcribit, aut palam blaſphemare, & adjungit cauſam: *Natura enim eſt vis neceſſariò compellens, & abſque voluntate. Exempli gratia: Natura eſurimus, non hoc arbitrio, ſed neceſſitate patientes. Profectò enim qui in mendicitate degunt, mendicare deſtitiſſent, ſi poteſtatem liberam non eſuriendi haberent. Natura ſitimus, natura dormimus, natura reſpiramus aerem. Hæc autem omnia abſque voluntate ſunt. Si igitur naturalis fuit Dei formæ, & Servi formæ unio, à neceſſitate quadam compulſus, &*

*non*

Digitized by Google

*non miſericerdia uſus Deus Verbum formæ Servi conjunctus eſt, & omnium Legislator neceſſitatis Leges ſequi inventur*. Eadem in litteris apud quintam Synodum exſtantibus, ſcribit ad omnia ſua Monaſteria: *Cyrillus in tertio Capitulo introducit Conventum per unitatem naturalem, temperationem quamdam & confuſionem per hæc nomina factam eſſe docens Divinæ naturæ & Servi formæ. Hoc verò ab hæretica Apollinarii inſania natum eſt*. Et in exiſtente ibidem epiſtola ad Joannem Antiochiæ Patriarcham: *Capitula habent Conventum per unitatem naturalem*. Eandem calumniam infrà audiemus ab Alexandro Hieropolitano Epiſcopo urgeri in litteris ed Joannem Antiochiæ Patriarcham. Damnat enim Capitula, quoniam doceent *Conventum naturalem*.

Reſpondeo Sanctum Cyrillum optimè noviſſe, quod vox, *Naturalis*, ſit variæ ſignificationis. Hinc Theodoreto repoſuit: *Quàm inconſideratè Theodoretus loquatur, nulli, qui voluerit, difficile erit videre. Dicit enim, quod naturalia neceſſitatis legibus omninò prorſus ſubjacebunt. Et ad demonſtrationem hoc attulit, quod præter voluntatem noſtram eſuriamus ac ſitiamus, natura ad hoc vocante, etiamſi quis nolit. Atqui oportebat virum peritum, & habente in his exercitatam mentem, etiam res ſolidas videre, quæ meritò majoris Penſi erunt. Nam, ſi non eſt verum, quod homo ſecundùm naturam ſit rationalis, ergo præter voluntatem & coactè eſt rationalis. Quid autem? Dic mihi, Deus omnium, an non ſecundùm naturam eſt Deus? An non ſecundùm naturam eſt Sanctus, Juſtus, Bonus, Vita, Lux, Sapientia, & Virtus? Num igitur ipſe quoque præter voluntatem & coactè eſt quod eſt? At verò, opinor, ſic velle ſapere ſummam dementiam non obſcurè arguere poterit. Quid igitur nobis mendacium opponit tanquam murum invictum & inexpugnabilem? Et adeò infirma problemata tractat, ut audiens naturalem eſſe factam unionem, id eſt, veram, & confuſionis expertem, attentat evertere vim Dictorum, ita ut videatur non eſſe rectè facta, neque ſecundùm ſimilitudinem, quæ nobiſcum intercedit?* Demonſtrat omne naturale non eſſe violentum aut involuntarium, & affirmat ineffabilem Dominicarum naturarum unionem ob tres rationes rectè eppellari naturalem: Nempe quia eſt vera, quia eſt confuſionis expers, quia eſt ad noſtram ſimilitudinem. Ad ſimilitudinem unionis inter noſtrum corpus & enimam. Affirmat appellari neturalem ed excludendum Neſtorium, ec ejus, uti ſuprà ad Berrhæenſem Acacium ſcripſit, profana & polluta dogmata. Itemque ad excludendam Apollinarii, vel potius Polemonis ac Timothei confuſionem.

Neſtorius garriverat aſſumpti hominis ad Deum Verbum unionem non eſſe ſecundum Hypoſtaſim, ſed dumtaxat habitualem & affectualem, per Divinæ anthoritatis ac dignitetis communionem: Non qualis eſt inter enimam & corpus, ſed qualis eſt inter maritum & uxorem, inter Regem & Legatum, inter Deum ac Prophetam. Naturas eſſe Hypoſtaſi diviſas, conjunctas ſola appellationn, inhabitatione, authoritate, dignitate. *Hanc opinionem tollit anathematiſmus & adverſus tam execrandas vocum novitates ſe opponit. Aſſerit enim Verbum naturaliter, hoc eſt, non ſecundùm habitudinem, ſed verè unitum carni, rationalem habenti animam, nullo modo dividendum eſſe, ne duos imaginemur filios ac impartibilem partiamur. At Theodoretus non intelligens, quidnam ſit unio naturalis, hoc eſt vera, non confundens naturas, neque commiſcens ita ut utraque aliter eſſe oporteat, quam ut eſt, puerile quoddam & frigidum ſumit argumentum ad ea probandu, quæ bene ſe habere arbitratur*. Exiſtimo legendum: *Ad ea improbanda, quæ ſe non bene habere arbitratur*. Denuò affirmat unionem veram eſſe illam, quæ ex duabus naturis unem faciat hypoſtaſin, ideoque non permittat eſſe duos Chriſtos aut filios: Et quæ naturas conſervet integras, nullamque patiatur ipſarum mixturam aut confuſionem. Quæ Neſtorium excludat ac Polemonem. Hinc de Sancti Cyrilli Capitulis Baſilius Seleucienſis Epiſcopus, Iſauriæ Metropolita, eum ſua Synodo rectè ſcripſit ad Leonem Auguſtum: *Litteræ ad impium Neſtorium à Cyrillo conſcriptæ, in Concilio utroque florentes, in Epheſino quidem blaſphemantem Neſtorium arguerunt, in Chalcedonenſi verò Eutychis veſaniam deſtruxerunt*. Quia nempè deſtruebant Polemonem ac Timotheum, fontes Eutychianæ inſipientiæ ac blaſphemiæ. Et iſtiuſmodi unio congruentiſſimè appellatur naturalis. Quie nempè naturas unit, ac ex ipſis componit unam Hypoſteſin. Item rectè dicitur eſſe ad ſimilitudinem unionis inter noſtrum corpus & enimam. Quia nempe Dominicas naturas, licet nullatenus in unam naturam, tamen componit in unam perſonam.

Sanctus Cyrillus hoc ipſum confirmat in Apologetico libro adversùs Andream Samoſatenſem. Affirmat quod Neſtorius ſolam externam quaſi in dignitatis ordine connexionem docuerit, ac proſequitur: *Quod ſi naturalem unionem dixerimus, veram intelligimus. Habet enim & Scriptura divinitùs inſpirata hunc morem, hac dictione in hunc ſenſum uti. Scribit enim alicubi quibuſdam Divinus Paulus:* Et eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri. *Et neutiquam quis dixerit divinam iram ſecundùm naturam ſubſiſtere, ita ut peccatores ſint illius ſoboles: Alioquin prorſus & omnibus modis conſentiemus laborantibus inſania Manichæorum. Sed ibi*, Natura, *idem eſt quod*, verè. *Non igitur confundentes naturas, neque ipſas inter ſe miſcentes, naturalem dicimus factam eſſe unitionem, ſed ex duabus rebus diſſimilibus unum eſſe factum Chriſtum affirmamus*. Hoc ipſum tradit in prima ſuorum Capitulorum declaratione, quam fecit Epheſi ad juſſum Concilii. Hanc laudat in ſuo contra Acephalos libro Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Ipſe ſanctiſſimus Cyrillus in prima horum Capitulorum expoſitione ait ſe-met-ipſum dixiſſe unitionem naturalem pro veru. Et teſtimonium profere Apoſtoli ad hujus rei comprobationem, dicens:* Et eratis natura filii iræ, ſicut & cæteri. *Et addit: Quin ſicut ille naturu filios iræ pro eo ut diceret verè filios iræ, dixit, ſic ego unitionem naturalem pro veru poſui*. Non ſunt ipſa Cyrilli verba,

ba, ſed eorum paraphraſes. Capitnlnm eodem modo intellexit in ſua fidei profeſſione Joannes Maxentius. Affirmat ab ipſo noo ſolam diviſionem excludi, ſed & confuſionem.

Eutherius invadit & ſecundum Sancti Cyrilli Capitulum: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum, carni ſecundùm hypoſtaſin unitum, unum tantùm cum ſua carne eſſe Chriſtum, eundem nimirum Deum ſimul & hominem, anathema ſit.* Affirmat Dei & hominis formam per ipſum confundi in nnicam naturam. An ex Samoſatenſi Andrea loquator, omnes ignoramus: hujus enim adverſùs ſecundom Capitulum Scripta latent, aut perierunt. Haud dubiè probarit, & ſecutus ſit ſenſa ſui dilectiſſimi Theodoreti: *Unum quidem Chriſtum confitemur ſecundùm hypoſtaſin verò unionem modis omnibus ignoramus, tamquam peregrinam, & alienam à Divinis Scripturis & Patribus, qui eas interpretati ſunt. Si quis autem per unionem ſecundùm hypoſtaſin vult hoc dicere, ei, à quo hæc orta ſunt, quod temperamentum carnis & Divinitatis ſit factum, contradicemus cum omni alacritate, & redarguemus blaſphemiam. Neceſſe eſt enim ad temperamentum ſequi confuſionem: Et ingreſſa confuſio aufert uniuscujuſque naturæ proprietatem.* Et poſt varia Theodoretus concludit: *Superflua itaque ſecundùm ſubſiſtentiam unio, quam pro temperamento nobis, ſicut puto, proponunt.* Ad hæc reſpicit in libro de Sectis Leontius Scholaſticus Byzantinus: *Theodoretus Cyrilli oppugnans duodecim Capitula, ea ſic refutabat, ut Cyrillum & Arianum, & ab Eunomio ac Apollinario eſſe diceret. Quippè Cyrillus cum Neſtorio pugnans, diſpenſationem Domini dividente, præcipuam inculcandæ unionis curam ſibi ſumpſit, ideoque Theodoreto quodammodò unam naturam, Arianorum ac Apollinariſtarum more, opinari videbatur.* Sic videbatur, eò quod induceret voces: *Unio ſecundùm hypoſtaſin, aut ſubſiſtentiam.*

Uti Hoſius Cordubenſis in Hiſpania, ac Sanctus Hermogenes Cæſaræenſis in Cappadocia Epiſcopus, ac per ipſos Nicæna Synodus vocem, *Conſubſtantiale*, ita Sanctus Cyrillua, ac per ipſum Epheſina Synodus in Eccleſiam introduxit, & canonizavit voces: *Unio ſecundùm hypoſtaſin.* Erenim uri iſta Arianum, ita hæc vox Neſtorianum errorem non ſolummodò circumſcribit, ſed penitus ſuffocat ac excludit. Hinc uti iſtam Ariaoi, ita hanc omnes Neſtorianæ perfidiæ, aut perſonæ dilectores ſunt averſati pertinaciſſimè, ac hoſtiliſſimè accuſarunt de variis. Etenim Rabbulas Edeſſenus Epiſcopus io litteris ad Sanctum Cyrillum, exſtantibns in quinta Actione quinti Concilii, ſcribit de Orientalis Eccleſiæ Epiſcopis ac Populis: *Quidam unitatem ſecundùm hypoſtaſin omnibus modis abdicant.* Ex occulra libidine erga Theodorum Mopſueſtenom Epiſcopum, ac Neſtorium. Quod etiam Rabbulæ Succeſſor & hoſtis Ibas iſtas voces averſatus fuerit, ideoque à Sancto Cyrillo unicam io Domino naturam, & Apollinarii confuſionem dogmatizari crediderit, affirmat ſexta quinti Concilii Collatio, & adjungit: *Qui impietatem Theodori ac Neſtorii vindicant, diviſionem diligentes, & propter hoc duas perſonas introducentes, accuſant unitatem, quæ eſt ſecundùm ſubſiſtentiam.* Præſertim verò Theodoretus. Nam etiam in litteris, apud quintam Synodum exſtantibus, quas adverſùs Sancti Cyrilli Capitula ſcripſit ad neſcio quæ Monaſteria, ita habet: *In ſecundo & tertio Capitulo Cyrillus unitatem, quæ eſt ſecundùm ſubſiſtentiam, introducit, & Conventum per unitatem naturalem, temperationem quamdam & confuſionem per hæc nomina factam eſſe dicens Divinæ naturæ ac ſervi formæ. Hoc verò ab hæretica Apollinarii inſania natum eſt.* Ac in præfata ad Joannem Antiochenum Epiſtola: *Capitula habent unitatem ſecundùm hypoſtaſin & Conventum naturalem.* Et adjungit hæc eſſe *Hæreticorum germina zizaniorum.* Iſtas voces accuſat de variis. Primò, quod ſit vox peregrina, & uſque tunc noo audita in Eccleſiis. Secundò, quod nec in Sacris litteris reperiatur, nec in Sanctis Patribus. Tertiò, quod naturarum temperationem importet, & confuſionem. Quartò, quod ſit ſuperflua & nociva, ideoque proſcribenda ad Apollinarium.

Ad quæ omnia Sanctus Cyrillus compeodio reſpondit: *Theodoretus detrahit ſermoni*, ſecundùm hypoſtaſin. *Damnat enim novitatis, & peregrinè prolatum affirmat, non conſiderans, quia impiorum hæreticorum adinventionibus dictionum virtus veritatem opponens, deſtruere nititur quod ab eis videtur oppoſitum. Neſtorio igitur ubique perimente Dei Verbi nativitatem ſecundùm carnem, & ſolam nobis dignitatum unitatem introducente, hominemque Deo copulatum eſſe dicente, filiationis æquivocatione honoratum, neceſſariò nos Dictis illius repugnantes, ſecundùm ſubſiſtentiam unionem dicimus factam, verbo hoc*, ſecundùm ſubſiſtentiam, *nihil aliud demonſtrante, niſi ſolùm Verbi naturam, ſive ſubſiſtentiam, quod eſt ipſum Verbum, humanæ naturæ, verè unitam ſine ulla converſione atque confuſione, unum intelligi & eſſe Chriſtum, eundem Deum & hominem.* Amplè ſe exponit, & graviter queritur Theodoretum ſermonibus diſertum, ac ſpeculationibus verſatum; ſpargere in vulgus, quod *hypoſtaſis vocabulum ſit ſignificativum confuſionis ac temperamenti.* Fatetur voces iſtas eſſe novas, ſed addit eſſe bonas & utiles. Etenim in Conſtantinopolitana Collarione Hypatins Epheſinus Epiſcopus rectè dixit ad Severianos Epiſcopos: *Omnis quidem novitas peregrina eſt, ſed non omnis obnoxia.* Exſtat Laodicenſis inter Sanctum Athanaſium ac Arinm diſputatio, in qua Arins vocis, *Conſubſtantiale*, novitatem acerrimè invadit, & poſt varia Athanaſius reſpondet: *Eccleſiaſticæ ſemper moris eſt diſciplinæ, ſi quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contrà inſolentes quæſtionum novitates rebus immutabiliter permanentibus nominum vocabula immutare, & ſignificantiùs rerum naturas exprimere, quæ tamen exiſtentium cauſarum virtutibus congruant, & quæ magis eaſdem antiquitus fuiſſe demonſtrent, non ortus novitatem menſurent.* Affirmat eſſe Inſtitutùm Apoſtolicum. Et demonſtrat ex nova per Apoſtolos introducta voce, *Chriſtianus*. Loquitur ex Sancto Auguſtino, (Adn. Not. Tract. 97.)

qui in ſuis ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatibus adducit Apoſtoli Mandatum, *Profanas vocum novitates devita*, & exponit: *Apoſtolus non ait*, verborum novitates, *ſed addit*, profanas. *Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates: Sicut ipſum nomen Chriſtianorum quando dici cœperit, ſcriptum eſt*. Et iſtud confirmat per voces, *Conſubſtantiale*, *Xenodochium*, *Monaſterium*, aliaſque ſimiles, quas conſtat in Eccleſiis aliquando non fuiſſe. Et hinc non vanè colligitur iſtius diſputationis Authorem non eſſe Athanaſium, ſed hominem Afrum. Eſt enim Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, eximius Pugil non dumtaxat contra Neſtorianos ac Eutychianos, ſed etiam contra Arianos. Et iſtam regulam frequenter laudat in ſuis Scriptis etiam Theodoretus. Verùm ira viri juſtitiam Dei non operatur. Claudit, immò & eripit mentis oculos.

Quæſtio prima eſt, An Sanctus Cyrillus ſit reverà primus author harum vocum, unio ſecundùm hypoſtaſin? Partem affirmativam in libro de Sectis tenet Leontius Byzantinus. Adducit quaſdam de Dominicæ Incarnationis Sacramento loquendi formulas, & adverſum hæſitantes, di-
Cap. 8. centes, *Hæc omnia Sanctus ille Cyrillus protulit*, proſequitur: *Quia Neſtorius diceret unionem Dei Sermonis cum carne per affectionem quandam eſſe factam, adeoque per ſolam Dei Sermonis & carnis unam ratione mutuò affectas eſſe traderet, idcircò Sanctus vir Cyrillus, ei contradicens, unionem hypoſtaticam eſſe factam ait, hoc eſt, ſecundùm hypoſtaſin, aut ſubſiſtentiam*. Conſonat in Photii Bibliotheca Sanctus Eulogius Patriarcha Alexan-
Lib. 230. drinus: *Hypoſtatica unio eſt Epheſinæ Synodi definitio, quæ ab antiquis Conciliis non eſt ſtatuta*. Eſt ejus definitio per Sanctum Cyrillum. Partem tamen negativam ſuadent quædam Sanctorum Patrum, in tertio laudati Leontii adversùm Neſtorianos ac Eutychianos libro exſtantia, contra Paulum Samoſatenſem teſtimonia. Antiochena iſtic contra Paulum Synodus dicit: *Ipſa Sapientia per ſemetipſam ſubſtantialiter in corpus ex Maria venit*. Vox, *Subſtantialiter*, eſt omninò idem, quod vox *hypoſtaticè*. Et Sanctus Malchion, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, ibidem ſcribit: *Filius unigenitus unitus eſt ſecundùm ſubſtantiam*. Hoc omnino eſt, ſecundùm hypoſtaſin. Et in quarto libro Leontius adducit epiſtolam, in qua Timotheus Berytenſis Epiſcopus, fœdus Apollinarii Diſcipulus, ad ſuum Simmyſtam homoneum ſcribit: *Solam unionem nominaſti, qualis ſit hominis Sancti cum Deo, non in unam vitam & hypoſtaſin copulata*.

Reſpondeo hiſce vocibus eveniſſe iſtud ipſum, quod evenit voci, *Conſubſtantiale*. Hæc antè Nicænam Synodum omnino apparuit in Eccleſia, verum adeò modicè & rarò, ut laudata Synodus paſſim dicatur ipſam introduxiſſe. Porrò præſentes voces non ſola Epheſina Synodus admiſit & canonizavit, ſed omnis ſub cœlo Eccleſia. Quod eaſdem Chalcedonenſis Synodus probaverit, re-
Cap. 6. ctè affirmat quinta Synodus: *Sancti Patres & Doctores Eccleſiæ, quos ſecuta eſt Sancta Chalcedonenſis Synodus, differentiam Deitatis & humanitatis ſignificare volentes, duas dicentes naturas, unitatem earum ſecundùm hypoſtaſin confitentur*. Ipſas tamen voces laudata Synodus in ſua fidei definitione non poſuit. Rationem adversùm hæſitantes, ex iſto ſilentio inferentes vocum damnationem, dat in libro de Sectis præfatus Leontius: *Verùm uno verbo iſthæc omnia ſubvertimus, Synodum illa, quaſi communia & in confeſſo eſſent, omiſiſſe. Nam adverſus Eutychem diſſerebat, qui ex diametro cum Neſtorio pugnans, & iſta citrà controverſiam fatebatur. Non eſt autem neceſſarium, ut quæ confeſſa ſunt, omninò ponantur, ſed licet ea nonnunquam omittere. Deinde Synodum multis in locis unam hypoſtaſin dixiſſe deprehendimus, quod nihil eſt aliud dicere, quàm unionem Hypoſtaticam*. Quartus quintæ Synodi canon exponit Theodori ac Neſtorii, Cap. 8.
itemque Apollinarii ac Eutychetis hæreſim, & inſigniter adjungit: *Sancta Dei Eccleſia utriuſque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam*. Laudatæ igitur voces important perſonæ & unitatem & compoſitionem. Hinc excludunt confuſionem. Nempe quia eſt non in unam naturam compoſitio, ſed in unam hypoſtaſin.

Altera quæſtio eſt, Quæ ſit alia iſtarum vocum virtus ac energia? Reſpondeo ipſam amplè & frequenter exponi à Sancto Anaſtaſio Sinaita: *Unio ſecundùm hypoſtaſin eſt ſimul coexiſtens in Deiparæ utero duarum naturarum conjunctio. Neque enim corpus priùs, quam Deus Verbum ibi exſtitit. Neque anima, ſed pariter caro, & pariter Dei Verbum, pariterque caro animæ rationalis vigore informata. Quod enim in noſtra conceptione uſu venit, id meo judicio hic itidem accidit. Simul enim concurrunt corpus & anima. Nam neque corpus per ſe exiſtit, neque anima exiſtit antè corpus: Ut proinde adumbratio quædam unionis in Chriſto exiſtimari poſſit*. Et Theodorus Ruthenſis Monaſterii Presby- Cap. 2.
ter in libro de Incarnatione: *Dogmatis definitio, dum dicit naturas unione hypoſtatica eſſe conjunctas, ſignificat non priùs fuiſſe formatam humanitatem, & ſic in eam eſſe ingreſſam Divinitatem, ſed unitam eſſe divinitati tum primum ſubſiſtendo*. Et in ſuo contra tria Chalcedonenſis Synodi Capitula Edicto Imperator Juſtinianus: *Unitas ſecundùm hypoſtaſin ſignificat, quod Deus Verbum non antè plaſmato homini unitus eſt, ſed in utero Sanctiſſimæ Virginis, creavit ſibi ex ipſa in ſua ſubſiſtentia carnem animatam anima rationali, quod eſt natura humana*. Et hanc ſuam aſſertionem inſigniter demonſtrat ex Apoſtolicis litteris ad Philippenſes. Nec enim è Laico ſuo ingenio iſta ſcripſit, ſed ex Dictatu eruditiſſimorum Epiſcoporum. Eadem doctiſſi- Cap. . & 12.
mè illuſtrat in tertio libro de fide, ac in libro de natura compoſita Sanctus Joannes Damaſcenus. Cùm Juſtiniano rectè affirmat ab iſtis vocibus importari, quod Deus Verbum carnem & animam in ſua ſibi hypoſtaſi creaverit. Et hinc laudatæ voces penitus evertunt Theodorum Mopſneſtenum ac Neſtorium. Horum enim palmare dog-

ma

Digitized by Google

ma erat, quod Deus Verbum non humanam naturam, ſed hominem aſſumpſiſſet, è Virgine conceptum in propria hypoſtaſi. Quod illum aſſumpſiſſet in ſolam dignitatis, authoritatis, poteſtatis, bnnoris, ae nominis communionem.

Ex his principiis adversùm Acephalos, aſſerentes Chriſtum Dominum eſſe quidem ex, non tamen in duabus naturis unicam Hypoſtaſin, ſcribit Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaeonus: *Eeat igitur Domini caro, quod abſit, antè unitionem. Quæ ſi animata anima rationali fuiſſe credatur, præexſtitit igitur ſecundùm vos priùs purus homo, & poſt hæc unitus eſt Verbo. Ex duabus ergo perſonis, & ex duabus Chriſtus, ex duobus filiis, ex duobus Dominis unum Chriſtum blaſphematis exiſtere. Hæc verò modis omnibus abdicanda ſunt. Ex præexiſtentibus enim per ſe ſic perſonis unitio ſecundùm ſubſiſtentiam fieri non poteſt.* Conſtanter affirmat humanam naturam non niſi in primo ſuæ creationis puncto potuiſſe aſſumi. Quod ipſum in ſua contra Georgium Elidopæum, Eutychianæ Factionis apud Alexandrinna Presbyterum ae Logographum, diſputatione videtur affirmare præfatus Sinaita Anaſtaſius. Cum cunctis ille Eutychianis affirmabat hypoſtaſin ae naturam eſſe penitùs idem, ideoque Chriſtum Dominum eſſe quidem ex, non tamen in duabus hypoſtaſibus. Adversùm hæc ſcribit Anaſtaſius: *Secundum hanc igitur regulam, quando ex duabus hypoſtaſibus docetis Chriſtum eſſe compoſitum, ex duabus compoſitum perſonis aſſeveratis. Si verò ex duabus perſonis compoſitus eſt, liquet priùs formatam fuiſſe carnem, & tunc demùm Divinum Verbum, habitandi gratia in eam veniſſe. Si hæc ita ſe habent, qua de cauſa oppugnatis Neſtorium, quandoquidem cum Neſtorio ſententia veſtra concinat.* Videtur docere, quod Deus Verbum in priùs exiſtentem hominem venire non poſſit, niſi per ſolam gratiam inhabitatinnis. Nequaquam per unitionem ſecundum hypoſtaſin. Has quæſtiones permitto ſublimioribus Theologis.

Eutherius invadit etiam quartum Sancti Cyrilli Capitulum: *Si quis duabus perſonis, ſive hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & Apoſtolicis Scripturis paſſim occurrunt, & alias quidem homini ſeorſim à Deo Verbo conſiderato adſcribit, alias verò, tamquam in Divinam Majeſtatem convenientes, ſoli Verbo accommodat, anathema ſit.* Adverſus ipſum Eutherius exelamat: *Quis anathematizare præſumat eos, qui piè adſcribunt excelſa quidem Divinitati, humilia verò humanitati, non ſciſſa unitione ullo modo, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ facientes ab hac legislatione anathematizati ſunt,* Accuſat Capitulum quod invicem adverſa & contraria Chriſti Domini Idiomata velit utrique indifferenter naturæ adſcribi, ideoque palam introducat ipſarum non dumtaxat unionem, ſed unitatem & confuſionem. Præſertim averſatur duodecimum Capitulum, anathematizans negatores hujus propoſitinnis: *Deus Verbum eſt carne crucifixus ac mortuus.* Adversùs hanc præſertim ſcripſit librum illum, quem in ſua Bibliotheca Photius Theodoreto attribuit, & quem alii poſuerunt in ſecundo Tomo Sancti Athanaſii. Iſtic enim miris modis iſtam propoſitionem exagitat. Eandem propoſitionem, idemque Sancti Cyrilli Capitulum peſſimè odit, ac iſto in odio duriſſimè ac diutiſſimè perſeveravit Theodoretus. Etenim poſt Sancti Cyrilli mortem, ad omnem Antiochenam Eccleſiam, præſente Domno Patriarcha, hæc in tantum Defunctum non erubuit effutire: *Nemo neminem jam cogit blaſphemare. Ubi ſunt dicentes, quod Deus eſt qui crucifixus eſt? Non crucifigitur Deus. Homo crucifixus eſt Jeſus Chriſtus. Mortua eſt invidia, & cum eo obruta eſt contentio: Requieſcant Theopatitæ.* Hoc Theodoreti fragmentum exſtat in quinta Synodo. Et de ejus fide non eſt dubitandum: Ipſum enim adducit, ſed in alia translatione, etiam Marius Mercator. Adversùs eandem propoſitionem Theodoretus plura ſcribit in ſuis Dialogis, ac aliis libris & Epiſtolis.

Ejuſdem fermè opinionis fuit venerabilis Fauſtus, Apolloniadis Epiſcopus, in litteris ad Petrum Fullonem Pſeudo-Patriarcham Antiochenum: *Audientes infideles Deum immortalem propter nos crucifixum, dicent ſcandalum eſſe credere in Chriſtum, avertentes & dicentes; Dii noſtri, qui apud Chriſtianos Populos adulteri ſunt, immortales à nobis appellantur, & quomodò ipſorum Deus immortalis exiſtens, mortuus eſt? Manifeſtum indicium, quod falſa eſt dictio ipſa. Si enim mortuus eſt non eſt immortalis.* Affirmat propoſitionem, licet non in quovis ſenſu falſam, eſſe tamen ſcandaloſam apud Gentiles, ideoque ab omni Chriſtiana lingua proſcribendam. Idem ſcandalum urſit gentilis Hypatia Philoſophiæ Doctrix apud Alexandrinos, in adducendis infra litteris ad Sanctum Cyrillum in Dyptiehis. Ea propoſitio ipſi injecit remoras à ſuſcipienda Chriſtiana Religione. Eandem propoſitionem Sanctus Paulus Apoſtolus ſcribit eſſe non dumtaxat ſcandalum Gentilibus, ſed & ſtultitiam. Hinc ipſi, audientes Chriſtianorum Deum prædicari & immortalem & crucifixum, in publicis theatris clamabant eum eſſe iſtud monſtrum, quod in Apologetico libro deſcribit Tertullianus. Ejuſdem cum laudato Fauſto mentis fuit venerabilis Pamphilus, Abydenus Epiſcopus, in litteris ad eundem Petrum: *Quid ergo? Dicemus, ſicut Paulus, Chriſtum crucifixum, vel ſicut tu, immortalem crucifixum?* Et poſt quædam: *Si autem hæc ita ſe habent, ut quid Sacræ ſcripturæ leguntur, vel ipſi creduntur auditæ? Ubique enim Chriſtum tradunt propter nos crucifixum, & non Triſ-Agion, ſicut tu dicis. Scripturæ omnes dicunt eejiciendos, qui Deum paſſibilem dicunt.*

Attamen in ſuo adversùs tria Chalcedonenſis Synodi Capitula Edicto ſcripſit Imperator Juſtinianus: *Iſtum, qui in Bethleem de ſemine David natus eſt ſecundum carnem, & crucifixus eſt pro hominibus ſub Pontio Pilato, prædicaverunt Sancti Apoſtoli ipſum eſſe Deum, ipſum hominem; ipſum Filium Dei, ipſum Filium hominis; ipſum de cælo, ipſum de terra; ipſum impaſſibilem, ipſum paſſibilem.* Loquitur ex nupera Joannis ſecundi Ponti-

ficis deciſione, quæ ad ejus preces hunc articulum, *Deus eſt mortuus carne*, Apoſtolicæ Sedis authoritate probarat, & receperat in canonem. Etenim Joannis Maxentii ac ejus Collegarum contra quoſdam Acœmetenſis Cœnobii fratres acerba de iſto articulo, & quibuſdam ad eum ſpectantibus aliis litigia turbabant omnem Orientalem Eccleſiam. Etiam Occidentalis tentabatur ac invitabatur à partibus. Acœmetenſes Neſtorio, Joan. Maxentius putabatur adhærere Eutycheti. Hinc Juſtinianus Romam legavit Hypatium Epheſinum ac Demetrium Cæſaræenſem Epiſcopum, poſtulaturos Apoſtolicum judicium. Cap. 10. Conſtantinopolitana Catholicorum cùm Severianis Epiſcopis collatio Demetrium appellat Epiſcopum Philippinæ Civitatis. Etiam Liberatus Diaconus in Breviario ſcribit fuiſſe Epiſcopum à Philippis. Hinc plures cenſent fuiſſe Philippenſem in Macedonia Metropolitam Achajæ. At verò D. Cardinalis Cæſar Baronius affirmat fuiſſe Cæſaræenſem in Cappadocia. Omnes non rectè. Etenim quod Metropolita non fuerit, evincit præfata Collatio, ipſum inter ſex orthodoxos Collatores ponens ultimo loco. Etiam poſt Anthimum Trapezuntinum, ac alios Provinciales Epiſcopos. Fuit tamen & Cæſaræenſis Epiſcopus, & Philippenſis: Nempe apud primam Phœniciam in Cæſaræa Philippi. Porrò Joannes Pontifex firmavit præſentem articulum, aſſeverans eſſe conſtantem fidem Prophetarum, Apoſtolorum, ac Patrum. Et demonſtravit per varia ipſorum teſtimonia.

Adducit & Græcos Patres & Latinos. Etiam famoſam epiſtolam, ſeu dogmaticum Tomum magni Leonis. Hunc enim non ſola Chalcedonenſis Synodus, ſed etiam contumax & longa Eutychianiſtarum rebellio, & plurimæ variorum Apologiæ reddiderant irrefragabilem. Et in datis ad Imperatorem Leonem litteris Leo Pontifex demonſtravit ipſum nec quoad apicem receſſiſſe à Sanctorum Patrum confeſſione. Ejus verba ſunt lucida: *Propter unitatem perſonæ in utraque natura intelligendam & Filius Hominis legitur deſcendiſſe de Cœlo, cum Dei Filius carnem de ea Virgine,* Cap. 5. *de qua natus eſt, aſſumpſerit. Et rurſus Dei Filius mortuus dicitur, ac ſepultus, cum hæc non in Divinitate ipſa ſed in humanæ naturæ ſit infirmitate perpeſſus. Unde Unigenitum Dei Filium crucifixum, ac ſepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, ſecundùm illud Apoſtoli: ſi enim cognoviſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Hæc verba etiam Juſtinianus ſuo Edicto inſeruit, & ex eis concluſit præſentem articulum eſſe prædicationem Sanctorum Apoſtolorum. Eadem in quarto contra Eutychianos libro adduxit venerabilis Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, eruditè illuſtrat, atque concludit: *Hæc eſt fides & confeſſio Catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roboraverunt, & fideles nunc uſque cuſtodiunt.* Et ſanè Apoſtoli in ſuo Symbolo poſuerunt Jeſum Chriſtum eſſe unicum Dei Filium, & addiderunt: *Qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Hinc etiam Nicæna & Conſtantinopolitana Synodus in ſuo Symbolo profitentur Jeſum Chriſtum eſſe *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* Et ſtatim ſubnectunt: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & paſſus eſt.* Et hunc eſſe verum & authenticum Nicænæ Synodi ſenſum, contrà Paulianiſtas, Photinianos, ac Neſtorianos ſemper inculcarunt, ac variè demonſtrarunt omnes ſubſequentes Synodi, omnes Latini ac Græci Patres. Articulum hunc adeò probavit Romana Eccleſia, ut ipſum poſtmodò inſeruerit profeſſioni ſuorum Pontificum: *Qui cum Deus ſit conſubſtantialis Patri, atque coæternus, deſcendit de Cœlo, & incarnatus eſt carne habente animam rationalem, in qua carne & crucifixus eſt, & mortuus.* Ita apud diurnum Romanæ Eccleſiæ librum habet ſecunda Pontificis profeſſio.

Nec aliud voluerunt Fauſtus Apolloniadis, & Pamphilus Abydenus Epiſcopus. Etenim egerunt in Petrum Fullonem, Sacro-Sancto Triſ-Agii hymno, quem & Sancti primitùs Angeli, & omnes deinceps ſub Cœlo Eccleſiæ non in ſolum Chriſtum Dominum, ſed in Sanctiſſimam Trinitatem cantarunt, auſum adjicere: *Qui crucifixus eſt pro nobis.* Exinde auſum garrire Chriſtum Dominum non duntaxat in humana, ſed etiam in Divina natura fuiſſe paſſum. Paſſam fuiſſe ipſam Deitatem. Chriſti Domini paſſionem Marius Victorinus in primo contra Arianos libro rectè dixit eſſe *Dei mirabilia.* In libro de carne Chriſti Tertullianus appellat, *Dei ſtulta, Dei* Cap. 5. *erubeſcenda, neceſſarium fidei dedecus, quæ nos per ruboris contemptum probent benè impudentes, ac feliciter ſtultos.* Et hinc adverſus Marcionem, qui mortem, licet imaginariam, admittebat, è fœmina verò nativitatem, quaſi ſtultam, ideoque Deo penitùs indignam, blaſphemè averſabatur, proſequitur: *Sunt planè & alia tam ſtulta, quæ pertinent ad contumelias & paſſiones Dei. Aut prudentiam dicant Deum crucifixum. Aufer hoc quoque Marcion: Immò hoc potiùs. Quid enim indignius Deo? Quid magis erubeſcendum? Naſci, an mori? Carnem geſtare, an crucem? Circumcidi, an ſuffigi? Educari, an ſepeliri? In præſepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris, ſi nec iſta credideris. Sed non eris ſapiens, niſi ſtultus in ſæculo fueris, Dei ſtulta credendo.* Demonſtrat Domini carnem non imaginariam, ſed omninò veram, & noſtræ per omnia ſimilem fuiſſe, & pergit: *Sed jam hinc reſponde interfector veritatis, nonnè verè crucifixus eſt Deus? Nonnè verè mortuus, ut verè crucifixus? Nonnè verè reſuſcitatus, ut verè ſcilicet mortuus?* Et infrà: *Crucifixus eſt Dei filius. Non pudet, quia pudendum eſt. Et mortuus eſt Dei filius. Prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt. Et ſepultus reſurrexit. Certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Loquitur ex Apoſtolica ad Corinthios epiſtola, quæ Sacro-Sanctum Evangelium affirmat eſſe ſalvificam prædicationis ſtultitiam, & adjungit: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Et hinc ad ipſam Corinthiis firmiter imprimendam ſubnexuit. Epiſt. 1. *Chriſtus mortuus eſt, ſecundùm Scripturas.* Cap. 1. *ſepultus eſt & reſurrexit, ſecundùm Scripturas.* Cap. 15.

Ad

Ad omnes iſtos tres articulos ſtudio addidit: *Secundùm Scripturas*. Nempe ut iſta quaſi incredibilia Dei mirabilia oſtenderet non eſſe Apoſtolorum novam, ſed vetuſtam ac perpetuam prædicationem Prophetarum, & omnium Scripturarum, atque ita evinceret credibilem & credendam.

Et hinc iſta propoſitio varios ſemper habuit Adverſarios, varioſque item Defenſores, inter quos fuerunt non pauci, quos Sacer Pſalmus appellat: *Inimicos & defenſores*. Qui ea peſſimè abutebantur, ac ipſam detorquebant in fœdos errores. Talis fuit ipſe Marcion, *ideò paſſiones à Chriſto non reſcindens, quia ut phantaſma vacabat à ſenſu earum*. Talis fuit, & Arius de quo in libro contra Arianos Gregorius Illiberritanus Epiſcopus: Cap. 5. *Arius Anti Chriſtus vult ipſam Unigenitum Filiũ, qui eſt Verbum & Sapientia Dei, quà Deum, & non quà hominem, crucifixum*. Tales item fuerunt ex Apollinarii Secta Polemon ac Timotheus, aliique omnes Dominicarum naturarum confuſores, blaterantes Dominum in iſta unica, licet temperata & mixta, verè tamen Divina, natura paſſum, crucifixum, atque occiſum. Eadem blaſphemia placuit ipſi etiam Apollinario. Etenim Deum verbum dixit fuiſſe loco humanæ mentis, ideoque patiente carne fuiſſe compaſſum. Ita habes in duodecimo anathematiſmo Sancti Quintiani Epiſcopi. Quid delirus Eutyches hac in re ſenſerit, non plenè conſtat. Ejus interim Secta fuit hydra decem capitum: Et inter hæc fuit Petrus Fullo, qui ipſam in Domino Deitatem fuiſſe paſſam blaſphemavit adeò protervè, ut Sacroſancto Triſ-Agio facinoroſè addiderit, *Qui paſſus eſt pro nobis*, ſperans hoc ſcelerato cantu & Clerum & Populum compellere ad quotidianam profeſſionem iſtius blaſphemiæ, atque ita ipſam ſtabilire in omnium cordibus.

Manifeſti ac profeſſi iſtius propoſitionis hoſtes fuerunt Ebion, Artemon, Theodorus Byzantinus, Paulus Samoſatenſis, Tharſenſis Diodorus, Theodorus Mopſueſtienſis, Neſtorius, omneſque ejus non dumtaxat dogmatis, ſed etiam ſolius perſonæ defenſores. Hujus enim poſtremæ factionis fuit Theodoretus. Forſitan & Eutherius. Cuncti priores fuerunt diviſores Dominicæ hypoſtaſeos, de quibus ſcripſit Sanctus Joannes Apoſtolus: *Qui ſolvit Jeſum, hic eſt Anti-Chriſtus*. Dici voluerunt, *Chriſtus eſt mortuus*; noſtram propoſitionem hoſtiliſſimè averſati. Hinc ipſa etiam apud Catholicos Doctores variam ſortem ſubiit. Etenim non ſolus Sanctus Cyrillus, & quotquot alii Neſtorium aut Neſtorianos expugnarunt, ſed etiam Sanctus Athanaſius, & quotquot alii Patres Paulum Samoſatenſem ac alios Divinæ Perſonæ tunc diviſores invaſerunt, ſunt ipſam zeloſiſſimè tutati. Ex hoc zelo, non ex Eutychiano Spiritu Joannes Maxentius in ſuis contra Neſtorianos Capitulis ſcripſit: *Si quis dicit Chriſtum paſſum carne, Deum verò paſſum carne dicere non acquieſcit, quod ipſum intelligitur Chriſtum paſſum carne, anathema ſit*. Et in ſecunda fidei profeſſione ſcripſit: *Quamobrem fatendum eſt Deum natum ex fœmina, non ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. Deum jacuiſſe in cunis, pannoſum, ſordidum, involutum: Creviſſe & profeciſſe ætate & ſapientia, ſecundùm humanitatem, non ſecundùm Divinitatem. Deum eſuriiſſe, ſitiviſſe, laſſum ex itinere quieviſſe: Non ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. Deum comprehenſum manibus impiorum, judicatum, damnatum, crucifixum, latus lancea perforatum: Non ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. Deum mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe: Non ſecundùm Divinitatem ſed ſecundùm humanitatem.* Uti quinta Synodus contra Neſtorianos proſcripſit hunc articulum, *Sacra Virgo eſt Chriſtipara*, & iſtam Dominam noſtram voluit ſemper dici Deiparam, ita adverſùm eoſdem Joannes Maxentius ac alii plures dici voluerunt non Chriſtum paſſum, ſed dumtaxat Deum. Nempe hæc propoſitio, Chriſtus eſt paſſus, licèt Apoſtolica ac longè orthodoxiſſima ſit, iſto tamen tempore etiam ad tegendos, ac in ovis ſpeciem transfigurandos lupos erat apta lana, ideoque præfati Doctores cenſuerunt ipſam circumſcribendam, atque ita doloſis Neſtorii Sectatoribus auferendum iſtud latibulum.

At verò Eutychianiſtis ſimile latibulum, ſimiliſque lana fuit hæc propoſitio: *Deus eſt paſſus ac mortuus*. Hinc ipſam laudati Fauſtus, ac Pamphilus adverſùm iſtos graſſantes, & abutentes Errores cenſuerunt iſto tempore ſupprimendam. Non uti falſam, ſed uti periculoſam, ac ſcandaloſam: Utpotè quæ Petro Fulloni præberet occaſionem patiendæ ac faciendæ ruinæ. Ejuſdem mentis fuit Sanctus Quintianus Epiſcopus. Etenim adverſùs Fullonem poſuit hoc anathema: *Si quis confundat duas Chriſti naturas, dicens Deum paſſum carne, & non paſſum Chriſtum carne, damnetur*. Propoſitionem damnat, quod Fulloni præberet anſam confundendi Dominicas naturas. Et de hac damnatione Dioſcorus Presbyter, & Chæremon Lector, Alexandrinæ Eccleſiæ in Regia civitate Apocriſarii, diſputarunt cum Creſconio, ac Germano Epiſcopis, Anaſtaſii ſecundi Pontificis apud Anaſtaſium Imperatorem Legatis, & omne iſtud malum retulerunt in Theodoretum. Eorum ſcopum profecutus eſt Joannes Maxentius, apud Thraciæ Schytas Presbyter ac Archi-Mandrita, cum aliquot Monachis accedens Hormiſdam Pontificem. Et quoniam inſomnes Regiæ Civitatis Monachi illis adverſabantur, modica diſcordiæ ſcintilla profecit in maximum incendium. Nam & Sanctus Fulgentius, & iſtiuſmodi plures in Occidente doctiſſimi Epiſcopi favebant Maxentio. Quare tandem ad hæc omnia ſopienda Imperator Juſtinianus ad Joannem ſecundum Pontificem legavit laudatos Hypatium, ac Demetrium Epiſcopos, ſupplicans quæſtionem definiri. Et Joannes definivit propoſitionem eſſe perpetuam Romanæ Eccleſiæ fidem, Apoſtolicam prædicationem, ac articulum Nicæni Symboli. Ex quo patet falli illos, qui credunt eam aliquando fuiſſe circumſcriptam à Romana Eccleſia. Et Imperator Juſtinianus definitionem fir-

mavit ioſigni Edicto, quod in primo ſuo libro laudat, ac elucidat Facundus Hermianenſis Epiſcopus. Eandem decimo ſuo canone firmavit quinta Synodus: *Si quis non confitetur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & unum de Sancta Trinitate, talis anathema ſit.* Canon compendio comprehendit plures iſtius temporis controverſias. Hæc pauca nobis ſufficiunt. Quare de iſtius propoſitionis Veritate non eſt deinceps ambigendum, aut litigandum.

Eutherius invaſit etiam quintum Sancti Cyrilli Capitulum: *Si quis dicere audet Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed hominem tantum Deiferum, anathema ſit.* Clamavit ab illo anathematizatum eſſe magnum Baſilium, qui omninò ſcripſit Chriſtum Dominum eſſe hominem Deiferum. Hoc ipſum in ſuo contra Sancti Cyrilli Capitula libro clamavit Theodoretus: *Naturarum differentiam agnoſcimus, & Deiferum hominem, ſicut à multis Patribus dictus eſt, non devitamus. Quorum unus magnus ille Baſilius in ſermone de Spiritu Sancto ad Amphilochium hoc uſus eſt nomine, & in explanatione quinquageſimi Pſalmi. Vocamus autem Deiferum hominem, non quod particularem aliquam gratiam acceperit, ſed quod omnem unitam habeat filii Deitatem.* Ait ſe ſentire cum Apoſtolo, ad Colloſſenſes ſcribente, quod in Chriſto homine inhabitet omnis plenitudo Divinitatis. Et quidem quod Baſilius iſtam propoſitionem uſitaverit, teſtatur etiam in tertio contra Neſtorianos ac Eutychianos libro
Cap. 45. Leontius Scholaſticus Byzantinus: *Neſtoriani nobis ex Baſilio proferunt illud, Chriſtus eſt homo Deifer.* Eadem propoſitione uſus eſt magnus ille Euſtatius, quem in Sancti Philogonii apud ſe defuncti locum Nicæna Synodus ex Berrhæenſi Epiſcopo creavit Patriarcham Antiochenum. Etenim in ſuo contra Neſtorianos ac Eutychianos libro Sanctus Papa Gelaſius adducit hæc ejus verba: *Paulus Timotheo ſcribens epiſtolam, proſpiciens Deiferum hominem proclamabat.* Euſtatius ſe fundabat in his Sancti Pauli Verbis: *Memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David.* Ad Baſilii teſtimonium aſſiduè proclamavit ipſe etiam Neſtorius.

Nihilominus Sanctus Cyrillus conſtanter perſtitit in ſuo Aſſerto: Intrepidè perrexit averſari, ac damnare iſtum articulum. In Epiſtola ad ſuos
L. 3. c. 15. Monachos, in ſcholiis, in libris contra Neſto-
L. 4. c. 15. rium, ac in aliis locis. Et ejus ſenſa validè confirmavit, ac inſigniter illuſtravit in libris de fide Sanctus Joannes Damaſcenus. Hinc ipſe in ſecunda oratione de aſſumptione benedictæ Dominæ noſtræ ipſam appellat *Virginem Deiferam.* Utpote ſciens iſtum titulum pro Chriſto Domino eſſe nimis humilem. Hinc & Græci Sanctum Ignatium Martyrem paſſim inſcribunt *Deiferum.* Ita Thomas, Tyriorum Metropolita, ac Antiochenæ Sedis Vicarius, dixit ad octavam Synodum: *Petrus Antiochiæ primus eſt Sacerdotio functus, deinde Ignatius Deifer.* Cardinalis Anaſtaſius, Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, in marginali Scholio dat rationem: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominum advocatum ſtatuit in medio, iſte Ignatius fuit, & idcircò hunc Deiferum nuncupant.* Quia nempè per Dominicarum manuum impoſitionem accepit inhabitantem Dominum Deum. Sic & ſeptima Synodus Sanctos Eccleſiæ Patres aliquoties appellat *Deiferos.*

Magni Baſilii ſcopum, ac ſenſum exponit in ſecunda ad Cledonium Presbyterum epiſtola Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Apollinariſtæ non indignatione afficiantur, ſed pudore ſuffundantur, non mendaciis nos inceſſant, ſed animos deprimant, ac magnum illud & admirandum Orthodoxiæ elogium ac præconium ex ædium veſtibulis expungant, quo ingreſſuris ſtatim cum hujuſmodi quæſtione ac diſtinctione occurrunt; Adorandum videlicet eſſe, non hominem Deiferum, ſed Deum carniferum. Quo quid ſtultiùs fingi poſſit? Licet magnoperè novi illi veritatis Præcones hoc nomine glorientur. Quamvis enim ob inverſionis celeritatem habeat aliquam ſophiſticam gratiam, & velut in calculorum ſubductione ludificationem quamdam, imperitorum animos oblectantem; Nihil tamen æquè ridiculum, nihil æquè ſtultum ac ſtolidum excogitari poteſt. Nam ſi quis immutato hoc vocabulo,* homo, *atque item hac voce,* Caro, *in Deum, quorum ſcilicet alterum nobis, alterum illis placet, poſteà eximia iſta & divinitus cognita inverſione utatur, quid conficietur? Nempè adorari debere non carnem Deiferam, ſed Deum hominiferum. O ingentem abſurditatem! Abſconditam poſt Chriſtum ſapientiam nobis annuntiant. Quod ſanè lachrymis dignum eſt.* Apollinaris ac ejus Diſcipulus Vitalis Dominicarum naturarum confuſionem oderant, docebant verò humanæ naturæ truncationem: Nempe corpus ſine anima, aut mente. Hujus vicem ac functiones volebant ſuppleri à Deo verbo. Hinc hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt homo Deifer*, projiciebant, volentes dici: Chriſtus eſt Deus carnifer: utpote non plenus homo, ſed dumtaxat caro factus. Hanc profanam vocum novitatem adeò diligebant, ut ipſam ſuarum domorum veſtibulis paſſim inſcriberent, cum cunctis ingredientibus de ipſa diſputaturi. Clamabant nos Anthropolatras, non videntes quod ſemetipſos per eandem regulam facerent Sarcolatras. Iſtud ipſi Orthodoxis, hoc illis hi improperabant.

Porrò Ariani, licèt iſtas voces ignorarent, fuerunt ejuſdem ſententiæ: Dogmatizarunt in Chriſto Domino nihil eſſe, niſi verbum, & ſine anima carnem. Hujus functiones ab illo ſuppleri. Ita ambo prædicabant paſſibilem, ac paſſam Deitatem. Ita audivimus ſuprà à Gregorio Illiberritano Epiſcopo. Et ipſi in priori ad Cledonium epiſtola atteſtatur Nazianzenus Gregorius: *Si Dominus eſt homo inanimatus, hoc etiam Ariani dicunt, ut paſſionem Divinitati tribuant, tamquàm videlicet quod corpus movet, idem quoque patiatur.* Hinc igitur Sanctus Euſtatius, magnus Baſilius, Sanctus Gregorius Nazianzenus, aliique iſtorum temporum Patres, qui contra Arianos aut Apollinariſtas ſcripſerunt, dilexerunt & uſitarunt hunc articulum: *Chriſtus eſt homo Deifer.* Quia nempè vox, *homo*, non ſolam carnem, nec ſo-

ſam

Digitized by Google

lam cum carne aoimam, ſed omninò importat carnem, animam, ſimul & mentem. Hinc io eadem epiſtola pergit Nazianzenus Theologus: *Si Dominus eſt animatus quidem, verum mentis expers, quo tandem modo hominis nomen ſuſtinebit?* Præfata propoſitio, ſi rectè intelligatur, eſt palàm vera ac orthodoxa.

Vitalis Apollinariſta non carebat virtutum officiis, ideoque ipſum diligebat Gregorius. Verum erat doloſa vulpes. Sub orthodoxis vocibus peſſimum ſuæ blaſphemiæ virus, uti ſub ovinis lanis lupum obvelabat, atque ita à circumſcripto Gregorio credebatur orthodoxus. Eadem vafritie circumduxit Sanctum Papam Damaſum, omnemque Romanam Eccleſiam, ac ab ipſis extorſit commuoicatorias litteras. Quid orthodoxius Apoſtolicis ad Philippenſes de Chriſto Domino vocibus: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo?* Aſt ea Vitalis non Apoſtolicè intelligebat. Præſertim hæc: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Cenſebat illis non humanam oaturam ſignificari, ſed fallibilem quandam ſpeciem, ac opioionem. Hinc pergit Gregorius: *Quoniam igitur eædem voces, ſi rectè intelliguntur, cum pietate conjunctæ ſunt, ſi perperàm exponantur, impietate non carent, quid mirum, ſi Vitalis quoque verba nos quidem, ita ſuadente voluntate, in pium ſenſum accepimus, alii autem ad eorum, quæ ſcripta ſunt, mentem, exaſperantur ac inflammantur? Quod etiam in cauſa fuiſſe reor, cur ipſe quoque Damaſus, cum rectius poſteà edoctus fuiſſet, ſimulque eos in priſtinis expoſitionibus perſtare audiiſſet, illos ab Eccleſiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematiſmo deleverit: Tum etiam quod fraudem illam, in quam per ſimplicitatem inciderat, permoleſtè ferret*. Fidei libellum, variaſque illius propoſitiones, quas antè probarat, anathemate damnavit. Eadem eſt ratio præſentis propoſitionis: *Chriſtus eſt homo Deifer*. In laudatorum Patrum lingua, & calamo fuit orthodoxa; At verò in Neſtorii ore erat blaſphema. Eſt enim & ovibus & lupis veſtiendis idonea lana. Hinc ipſam non in quovis, ſed ſolo Neſtoriano ſenſu Cyrillus proſcripſit: *Si quis dicere audet Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed hominem tantum Deiferum, anathema ſit*. Hæ propoſitiones, *Chriſtus eſt homo Deifer*, &, *Chriſtus eſt homo tantum Deifer*, plurimùm differunt. Poſterior enim excludit unionem ſecundùm hypoſtaſim, & admittit ſolam inhabitationem, ſeu habitualis ſanctificationis gratiam, de qua Apoſtolus: *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro*. Nihilominùs etiam prior Propoſitio propter Neſtorium cœpit malè olere. Uti propter ipſum quinta Synodus proſcripſit hanc, *Domina eſt Chriſtipara*, ita Sanctus Cytillus, & poſt ipſum omnis Eccleſia cœpit abjicere: *Chriſtus eſt homo Deifer*. Non quòd eſſet falſa, ſed quoniam ſuſpecta, ac apta Neſtorianum virus abſcondere. Ex quo lucet, quod Eccleſia, noo quidem Sanctorum Patrum Senſa, ſed tamen verba poſſit ex rationibus proſcribere. Nempè Patres, hæreticis necdum litigantibus, ſecuriùs ac liberiùs loquebantur. Hæreticorum lites cogunt ad hanc Sancti Auguſtini regulam; *Tene ſententiam, ſed corrige linguam*.

Quæſtio eſt, An Eutherius ac Theodoretus in eodem, quo Neſtorius, ſenſu dixerint Chriſtum Dominum eſſe hominem Deiferum? Quidquid ſit de Eutherio, de Theodoreto reſpondeo negativè. Ejus verba ſunt lucida: *Vocamus autem Deiferum hominem, non quòd particularem quandam divinam gratiam acceperit, ſed quod omnem unitam habeat Filii Deitatem*. Addit ſe hæc profiteri ex Apoſtolica ad Colloſſenſes Epiſtola: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Quod Theodoretus, licet voces, *unio ſecundùm hypoſtaſim*, aliaſque ſimiles à Sancto Cyrillo ad conſtringendum Neſtorium legitimè inductas averſatus ſit, ſemper tamen de Divinæ Incarnationis Myſterio recta ſenſerit, eſt omnibus exploratum. Quod ipſemet Sanctus Cyrillus in ipſo ſuo Reſponſo agnovit: *Obſtupeſco, quod Theodoretus, cum ubique Deum eſſe Emmanuelem affirmet, in his deprehendatur illi Propheticam menſuram tribuere. Hominem enim Deiferum eum eſſe dicit, ut videatur ſimilis nobis, qui Deum per Spiritum Sanctum habemus in nobis habitantem. Quare igitur non ceſſat rectam fidei rationem conturbare? Aliquando enim unum dicit Chriſtum, & Filium, & Dominum, eundem Deum ſimul & hominem; Aliquando verò Propheticam menſuram ei dans, Deiferum hominem appellat, ignorans fortaſſis, quod illum nobis æqualem faciat*. Theodoretus credidit Cyrillum tenere veſtigia ſui Avunculi ac Præceſſoris Theophili, ideòque quomodò hic Sanctum Joannem Chryſoſtomum, ita illum malignè inſectari Neſtorium. Neſtorium, ſuum olim in Antiochena Eccleſia familiarem amicum, credidit plenè orthodoxum, & omnem hanc litem hærere in ſolis vocabulis. Hinc præſertim duo intendit: Controverſa Neſtorii Dicta & Scripta purgare, & maculare Cyrilli Capitula. Sic compulſus eſt Catholicæ Eccleſiæ Senſa, ac Neſtorii verba ſibi invicem commiſcere. Hoc Cyrillus obſtupuit, & opinatus eſt virum ſcribere ſibimetipſi contraria. Rectè verò dixit, quòd per iſta turbaret fidem ac pacem Matris Eccleſiæ.

Eutherius invadit etiam ſeptimum Capitulum: *Si quis Jeſum Chriſtum hominem tantùm Divini Verbi vi actum eſſe dixerit, anathema ſit*. Credidit adverſari Apoſtolicis ad Epheſios verbis: *Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans eum à mortuis*. Clamavit non ſolam tunc viventem Eccleſiam, ſed & ipſum Apoſtolum à Sancto Cyrillo anathematizari. Reſpondeo ab Eutherio, forſitan doloſè ac malignè, fuiſſe prætermiſſa hæc fundamentalia Sancti Cyrilli verba: *Hominem tantùm*. Quod igitur Chriſtus Dominus noſter in aſſumpta noſtra natura fuerit Divini Verbi virtute actus, ac tandem à mortuis reſuſcitatus, Sanctus Cyrillus

fuit

fuit conſtantiſſimè profeſſus. Dumtaxat negavit fuiſſe noſtro more actum ut purum hominem. Negavit *illuſtrem illam Unigeniti gloriam illi ipſi homini, veluti alteri cuiquam à Deo Verbo, advenisse*. Hoc enim erat blaſphemum commentum Neſtorii. Dominicæ naturæ erant aliud & aliud, ſed non alius & alius: Erant non unum, ſed unus. Hinc homo Chriſtus, cum Deo Verbo per unionem ſecundùm hypoſtaſin unus & idem, agebatur & ſuſcitatus fuit à Deo Verbo, ſed non ut homo tantùm, alter ab ipſo.

Eutherius invadit octavum item Capitulum: *Si quis hominem aſſumptum unà cum ipſo Dei Verbo adorandum, tamquam alterum cum altero exiſtentem, dicere auſus fuerit, & non una potiùs adoratione Emmanuelem honorat, quatenus Verbum factum eſt Caro, anathema ſit*. Et exclamat: *Quis verò incidit à Verbo Carnem, & ſic fert adorationem debitam?* Accuſat Cyrillum, quod de inciſa Domini perſona calumnietur Neſtorium, ideoque & ipſe hunc credens orthodoxum, & recta de Domino ſentiens, videtur non dogma, ſed ſolam hæreſiarchæ perſonam dilexiſſe. Etenim Neſtoriana Dei Verbi & aſſumpti hominis coadoratio manifeſtè fundatur in gemina Hypoſtaſi. Avitam Eccleſiæ fidem inſigniter exponit neſcio quis eruditus Anonymus in litteris, exſtantibus in præſenti codice, ad neſcio quem Illuſtrem,

Cap. 225. cupientem noſſe in quo deviaſſet Eutyches: *Si quis noſtrum purpuram aut diadema Regale jacentia inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Mox verò ut ea Rex indutus fuerit, periculum mortis incurrit, ſi quis ea ſimul cum Rege adorare contempſerit. Ita Chriſti Domini noſtri perfectam humanitatem, non ſolam & nudam, ſed Divinitati ſuæ unitam, unum ac eundem Dei Filium, Deum verum & hominem verum, ſi quis adorare contempſerit, æternam mortem patietur*. Neſtorius hypoſtaſi diviſum à Deo Verbo hominem co-adorari voluit, ideoque Sanctus Cyrillus illum rectiſſimè arguit de Anthropo-latria.

Eutherius invadit nonum quoque Capitulum: *Si quis unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à Spiritu Sancto tamquam virtute à ſe aliena glorificatum dixerit, efficaciamque, qua contra immundos Spiritus uteretur, & Divina inter homines miracula operaretur, ab ipſo eodem accepiſſe prædicaverit, & non proprium ac naturalem illius eſſe Spiritum, per quem Divina ſigna edidit, anathema ſit*. Denuò vociferatur anathematizari non Paulum ſolummodò Apoſtolum, qui Dominum ſcripſit à Spiritu Sancto juſtificatum, ſed ipſum etiam Dominum, qui in ſua prædicatione profeſſus eſt Dæmonia à ſe ejici in Digito Dei, hoc eſt, in Spiritu Sancto. Et malè iterum fundat calumniam. Etenim Capitulum nullatenus inficiatur Dominum per Spiritus Sancti virtutem fuiſſe operatum, aut in ipſo ſanctificatum: Dumtaxat inficiatur illum à Domino fuiſſe alienum. Affirmat illum fuiſſe ei naturalem ac proprium. Ex ipſo, aut per ipſum ex Patre proceſſiſſe. Propter unitatem hypoſtaſis. Ex hoc Capitulo Theodoretus accepit anſam blaterandi Spiritum Sanctum nec ex Filio, nec per Filium, ſed ex ſolo Patre procedere. Errorem iſtum, licet non initiaverit, tamen propagavit. Qui illum opinantur eſſe erroris authorem, falluntur. Eum hauſit à ſuo Magiſtro Theodoro Mopſueſtienſi. Patet ex hujus ſcelerato Symbolo, damnato per Epheſinam Synodum. An ipſe Theodorus ſit primus author, non eſt planè certum. Traduxiſſe ipſum poſſit ex ſuo Magiſtro Diodoro Tharſenſium Epiſcopo. Hic enim, quia in Conſtantinopolitana Synodo fuit potens opere ac ſermone, poſſit Patres per artem induxiſſe, ut Symbolo infererent: *Ex Patre procedit*. Eſt alterius loci.

Eutherius invadit & decimum Capitulum: *Si quis dixerit Pontificem & Apoſtolum noſtrum non eſſe ipſum Dei Verbum, poſtquam caro factum eſt, ſed hominem illum, qui ex muliere natus eſt, quaſi alterum quempiam ab illo diverſum, anathema ſit*. Affirmat repugnare Apoſtolo, qui ad Hebræos ſcripſit non Deum Verbum, ſed Jeſum Chriſtum eſſe noſtræ confeſſionis Apoſtolum atque Pontificem. Affirmat Cyrilli articulum, *Deus Verbum eſt noſter Apoſtolus, ac Pontifex*, eſſe intolerabilem vocum novitatem. Videtur potiùs phraſim, ſeu loquendi modum, quàm ſententiæ ſubſtantiam invadere. Perſiſtit in ſuo principio, quo omnia infirmitatis idiomata vult adſcribi non voci, *Deus*, ſed voci, *Chriſtus*. Hoc enim principio innititur omnis ille Liber, qui inter Magni Athanaſii Opera exſtans habet hunc titulum: *Diſceptatio adverſùm eos, qui in veritate dijudicanda ferantur judicio ſolius multitudinis*. Eſt liber hujus Eutherii.

Porrò hæc diſputatio à Sancto Proclo duxit originem. Dum Neſtorius in Regia Civitate cœpit ad Populum vomere ſuas blaſphemias, Presbyterorum plures, licet Orthodoxi, verebantur declamare in ſuum Epiſcopum. At verò Sanctus Proclus erat à Neſtorii Anteceſſore Siſinnio Cyzicenis ordinatus, at ab ipſis rejectus Epiſcopus, ideoque manebat Conſtantinopoli, neminem metuens. Hinc ſtatim fœda Neſtorii dogmata inſectatus eſt ad Populum, ac in prima concione dixit de Chriſto Domino: *O templum, in quo Deus factus eſt Sacerdos*. Et Neſtorius ſtatim in primo ſermone repoſuit: *Quia Deus Pontifex factus eſt, ferre non poſſum. Si enim Deus Opifex eſt & Pontifex, cujus à Pontificibus legatio exhibenda eſt*. Ea propoſitio ipſum adeò momordit, ut ſuper Apoſtolicis de Chriſti Domini Pontificatu ad Hebræos verbis habuerit ſingularem Tractatum, & dixerit: *Si Deus Pontifex eſt, quis erit qui officio ejus debeat coli?* Dixit plura iſtiuſmodi ſophiſmata. Pluries iſtam propoſitionem & verbo & Scripto eſt perſecutus. Voluit dici: *Chriſtus eſt Pontifex*. Hinc tandem ad ipſum compeſcendum Sanctus Cyrillus emiſit præſens Capitulum: Notanda ſunt Eutherii verba: *Ut per hoc eum Facturam quoque pronuntiet*. Exiſtimat Apoſtolatus ac Pontificatus Attributum eſſe creaturæ adeò affixum, ut Deo Verbo nec per idiomatum communionem queat adſcribi: ut cenſeat talem prædicationem eſſe Arianam. Et

hoc

hoc firmat ex Apoſtolicis ad Hebræos verbis, quæ Chriſtum Pontificem laudant eſſe fidelem ſuo Factori. Ejuſdem ſenſus fuerunt Andreas Samoſatenſis ac Theodoretus, inſuper accuſantes Cyrillum, quod Apoſtolatum ac Pontificatum adſcribat Divinæ naturæ, ideoque incidat in confuſionis blaſphemiam. At lucidum eſt, quod ipſa adſcribat ſoli Divinæ hypoſtaſi, quæ uti utramque naturam, ita utriuſque habet idiomata.

Eutherius invadit etiam undecimum Capitulum: *Si quis Domini carnem ipſius Verbi propriam eſſe negaverit, anathema ſit.* Exiſtimat ab ipſo dogmatizari, quod Dominus carnem non ex noſtra maſſa, ſed aliunde acceperit, ideoque habuerit ſibi propriam; Singularem, & nobis non communem, aut conſubſtantialem. Iſtam carnis ac animæ, ac ex ipſis conſequentium Attributorum ad Verbum proprietatem peſſimè odit etiam Neſtorius. Scripſit enim ad Sanctum Cyrillum: *Rectum ac Evangelicæ traditioni conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus eſſe Divinitatis templum confiteamur, illudque nexu uſque adeò ſublimi, Divinoque & admirabili, ipſi conjunctum, ut dicamus Divinam naturam ſibi ea vindicare, quæ corporis alioquin ſunt propria. Verum propter hanc appropriationem Divino Verbo adſcribere nativitatem, paſſionem, mortem, cæteraſque carnis proprietates, id demum mentis eſt aut Ethnicorum more verè errantis, aut certè inſani Apollinarii, & Arii, aliorumque Hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis. Neceſſe eſt enim iſtos per appropriationis vocabulum eò trahi, ut Deum Verbum lactationis participem & ſuccedani incrementi capacem, & ob fortitudinem tempore paſſionis declaratam, Angelici præſidii indigum faciant.* Aliquam appropriationem non præſumit inficiari. At talem ac tantam, quæ has propoſitiones, *Deus eſt natus ex Virgine, paſſus, mortuus*, aliaſque ſimiles verificet, pertinaciter aſſeverat eſſe gentilem, Apollinariſticam, Arianam. Utpote quæ ipſam Deitatem blaſphemet paſſam ac mortuam. Etenim iſta appropriatio eſt unio ſecundum Hypoſtaſim Neſtorio penitus exoſa; Utpote plena ejus everſio. Præfata, alterius tamen translationis, Neſtorii verba adducit in ſua contra Acephalos diſputatione Ruſticus Diaconus, ac eruditè refutat.

Eutherius ſingulariter ac hoſtiliſſimè invadit duodecimum Capitulum: *Si quis non confitetur Deum Verbum carne mortuum, carne crucifixum, carne mortem guſtaſſe, & Primogenitum tandem ex mortuis factum eſſe, anathema ſit.* Peſſimè inter omnia ſemper odit iſtud Capitulum, ideoque clamat in præſenti epiſtola: *Quis cunctos ſimul Sanctos anathematiſmo ſupponat? Quis enim dixerit Deum Verbum paſſum carne, & crucifixum carne & Primogenitum ex mortuis eum qui ſemper vivit, ac eſt immortalis?* Et adjungit: *De quibus convincere quidem latius eſt facile, ſicut factum eſt in contradictionibus, quæ à multis, & quæ à nobis ipſis factæ ſunt; Nunc verò, quippe ut in epiſtola, breviter neceſſe eſt ſubſignare. Dum certè etiam ſine omni impietate manifeſta eſſent, oportebat tamen ea ut novella refutari, & non ſuſcipere ad injuriam præcedentium, quæ perfecta exiſtunt, horumque ad receptionem non egent.* Hæc manifeſtè dirigit in omnia Capitula. Affirmat ipſa, licet aliquo modo, ac in ſenſu per authorem intento eſſent vera, eſſe tamen abolenda ac damnanda: Quia nova, inſueta, ſuperflua, ſuſpecta, ſcandaloſa. Ex quo vides hanc damnandarum propoſitionum formam non eſſe novam in Eccleſia.

Contradictiones, quas adversùm Capitula affirmat factas, à multis, ſunt omninò Scripta Theodoreti, ac præſertim Andreæ Samoſatenſis Epiſcopi. Hic enim ſcripſit non ex ſuo dumtaxat, ſed ex omnium, reverà multorum, Orientalium Epiſcoporum nomine. Quod etiam alii plures ſcripſerint, teſtatur Theodoretus in litteris ad Domnum Antiochiæ Patriarcham: *Extant Synodica pluſquam quinquaginta, quæ duode-* Epiſt.112. *cim Capitum accuſationem demonſtrant. Nam & priuſquam Epheſum iremus, Beatus Joannes ad Deo chariſſimos Epiſcopos ſcripſit, Eutherium Thyanorum, Firmum Cæſareæ, & Theodotum Ancyræ, Apollinaris doctrinam appellans hæc Capita. Et apud Epheſum Alexandrini ac Epheſini Depoſitionis, quam fecimus, cauſa fuit iſtorum Capitum expoſitio & confirmatio. Synodica porrò Epheſi multa, tum ad Victorem Imperatorem, tum ad ſummos Magiſtratus, de eiſdem ſcripta ſunt: Itemque ad Populum Conſtantinopolitanum, & ad Reverendiſſimum Clerum. Quin etiam Conſtantinopolim evocati, cognitiones præſente ipſo Imperatore quinas habuimus: Et tres poſt hæc ad eundem proteſtationes miſimus. De his etiam ad Dei amantiſſimos Epiſcopos Occidentis, Mediolani, Aquilejæ, & Ravennæ ſcripſimus Apollinariſque novitatis plena eſſe docuimus.* Tot motus atque inſultus ſunt facti contra iſta Capitula. Et eos omnes Eutherius Joanni Patriarchæ reducit in memoriam.

Addit & ſuas contradictiones, & quidem longas. Haud dubiè eſt iſtud opus, quod exſtat inter opera Sancti Athanaſii. Ipſum enim habet & caput cum hoc titulo: *Adversùm eos qui dicunt, Deus Verbum eſt paſſus Carne.* Affirmat iſtam propoſitionem eſſe novum dogma, vocum novitates abſurdum ac ad circumveniendos Simpliciores petulanter excogitatum commentum, & proſequitur: *Qua ex ſententia rurſus tum multa rationi non conſentanea, tum abſurda multò plura conſequuntur. Cum ratione diſſentit, quod alterum altero dicant pati. Quod in tegumentis evolutum proferre non audent, id carnis occultarunt involucris, ſententiæ abſurditatem, perinde ac turpem faciens, doloſa larva velantes. Si Deus Verbum paſſus eſt, in ſemetipſo eſt paſſus. Sin quid aliud paſſum eſt, nihil id ad verbum: Niſi quod injuria ſola patienti corpori illata relativè ad unitum Carni Verbum recidit. Modus autem iſte loquendi,* Deus Verbum eſt paſſus Carne, *præterquam quod ſcripturæ ignotus ac peregrinus ſit ſeipſum etiam evertit minimeque cohæret. Sed quia nullum ſibi blaſphemandi finem præſcripſerunt: & verò phraſim hanc* Deus Verbum eſt paſſus, *pias aures nullo modo recepturas norunt verborum vulneribus adjecto vocabulo,* Carne *me-*

*dendum*

*dendum cenſuerunt. Sed neque morbus invehendus fuerat, neque de fallacibus iſtis remediis cogitandum. Nam abſurdorum commentorum ne unum quidem reperire eſt, quod veritati ſit congruum, ſed idem illud multis ſibi ipſi modis adverſatur: Nec habet apud rectè ſentientes ubi conſiſtat. Nec Deus Verbum Carne paſſibilis eſt, nec caro impaſſibilis verbo, ſed ut caro ſecundùm propriam naturam admittit paſſionem ita inſeparabilis eſſentiæ verbi proprietas eſt impaſſibilitas. Verbum igitur ſi carne paſſum de carne quidnam dixerimus? Nimirum Verbo aut patitur, aut non patitur: Si non patitur impaſſibilis facta eſt; ſi patitur, utriuſque paſſionem comprobant, quando, ut ajunt, & Verbum carne & Caro patitur Verbo in propria natura. Sed fortè dicunt: Quomodo igitur Apoſtolus inquit*, Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem? *Dic Chriſtum paſſum, & eodem recurret nomen carnis. Qui dicit Deum Verbum eſſentiam ſimplicem deſignat, qui verò dicit Chriſtum, is duarum naturarum conjunctionem declarat. Atque hoc nomine dextrè explicari hæc loquendi formula poteſt*, Chriſtus eſt paſſus: *Quia prædicatio hæc utrumque ſimul ſignificat, & impaſſibile Verbum, & paſſibilem carnem, quæ & mortem guſtavit.*

Largiter oſtendit, quod Prophetæ, Apoſtoli, ac Evangeliſtæ, paſſionem & mortem, aliaque omnia aſſumptæ infirmitatis idiomata nunquam vocibus *Deus Verbum*, ſed voci, *Chriſtus*, ſemper adſcripſerint, & concludit omnem ab iſta phraſi receſſum eſſe damnabilem ac prævaricatorium. Addit nec Nicænam Synodum, nec ullum Eccleſiæ Patrem ab Apoſtolica phraſi unquam receſſiſſe,& proſequitur: *Hac ratione & Deitatis impaſſibilitas,& paſſionis veritas,& communis hominum utilitas demonſtratur. Atque hic ſermo eſt veritas perſpicua, fundamentum doctrinæ inconcuſſum, magnitudo Myſterii illuſtris, admiratio antiquitatis fide digna, decus Orthodoxiæ incorruptum, conſentiens denique omnium Sanctorum prædicatio. At novam & inauditam phraſim proferre, Diriſque devovere eos, qui Deum carne negent paſſum,id verò eſt non noſtræ duntaxat ætatis homines petulanter impetere, ſed omnes omnium ætatum Doctores evidenter condemnare. Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & beaberis. In hoc nomine pulchrum eſt ſalutis ſpem defigere. Neque enim eſt aliud ſub Cælo nomen apud homines datum, per quod ſervandi ſumus.*

' Hæc adduci placuit ut Capituli & mentem & impugnationem plenè intelligas, & ut videas Eutherium fuiſſe, licet devium, virum eximiè eruditum. Affirmat plura. Primò, quod Cyrillus, Deo Verbo paſſibilitatem ac paſſionem omninò adſcribat, ideoque labatur in deteſtabilem blaſphemiam. Quod iſta adſcribat ipſi Divinæ naturæ. Secundò quod iſta apertis verbis tradere formidarit, metuens fidelis Populi pias aures offendere. Tertiò, quod ad velandam blaſphemiam, ac iſtas aures circumſcribendas addiderit vocem *Carne*. Et ad iſtud additamentum varia arguatur. Agit verum Cappadocem. Singulariter averſatur, quod Sanctus Cyrillus ſui Capituli Adverſariis inflixerit Anathema. Porrò quod dicat paſſionem à Sacris litteris numquàm adſcribi vocibus, *Deus Verbum*, graviter hallucinatur.

Dorotheus Martianopolitanus Epiſcopus, Eutherii firmiſſimus adversùm Sancti Cyrilli Capitula ſocius, in ſolemni Synaxi eorùm, & ſub Patriarcha Neſtorio ad omnem Clerum & Populum dixerat: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit*. Et in iſtam blaſphemam audaciam Sanctus Cyrillus frequenter declaravit & ſcripſit, quod Dorotheus omnes, & vivos & defunctos, Sanctos Patres, imò & omnem ſub Cælo Eccleſiam anathematizaſſet, ideoque indignus eſſet Chriſtiano nomine. Et omnis Eccleſia Sancto Cyrillo credidit. Hoc hærebat in Eutherii memoria, ideoque jam Dorotheum vindicat, & reddit Cyrillo talionem: *Novam & inauditam phraſim proferre, Diriſque devovere eos, qui Deum carne negant paſſum, id verò eſt non noſtræ duntaxàt ætatis homines petulanter impetere, ſed omnes omnium ætatum Doctores audacter condemnare.* Verùm Sanctus Cyrillus phraſim iſtam, nullatenùs novam ac inauditam, didicit à ſuis glorioſis in Alexandrina Cathedra Anteceſſoribus, Dionyſio ac Athanaſio, refutantibus Paulum Samoſatenſem. Cyrillus ipſam extendit in Pauli Sectatorem Neſtorium.

Probanda tamen & laudanda ſunt hæc Eutherii verba: *Injuria ſola patienti corpori illata relativè in unitum carni Verbum recidit*. Etenim licet non carnis paſſio, ejus tamen injuria omninò tranſivit in Deum Verbum. Semetipſum latiùs exponit in alio ſui operis capite, cui hic titulus: *Adverſùm eos, qui quærunt qualem pœnam Judæi daturi ſint, ſi non occiderunt Deum*. Demonſtrat omnes materialibus Baſilicis erogatas injurias redundare in Divinam Majeſtatem. Addit Chriſti Domini humanitatem fuiſſe verum ac vivum illius templum, & concludit: *Quod idem quidem injuſtè paſſum eſt, ſed ita ut in templi habitatorem Deum, qui templo unitus, injuria recidat*. Hinc affirmat Judæos, licet Divinitas ab eis nihil ſit paſſa, fuiſſe inexcuſabiles. Quod ipſum ſcribit laudatus ac eruditus Anonymus in litteris ad neſcio quem Illuſtrem, cupientem ſcire Articulos, in quibus deviaſſet Eutyches: *Impaſſibilis Deus in ſuſcepto homine, quamvis paſſionem non ſuſtinuerit, tamen injuriam paſſus eſt: Nam ſicut qui indumentum conſcindit, induto facit injuriam, ità & qui carnem ejus crucifixerunt, Divinitati ejus injuriam intulerunt*. Deſumpta ſunt iſta ex oratione, qua Apollinarii Gregalibus rogantibus, *Qui igitur Dominum gloriæ crucifixerunt, ut non unà Verbum crucifixerint*, reſpondit Magnus Athanaſius: *Aufer mihi iſta. Verbum quidem ignominia affecerunt, dum Verbi corpus palo affigunt: Si quidem Deus, qui afficiebatur ignominia. Ex aſſe tamen & ex ſolido paſſio illa carnis & animæ fuit*. Et ex Sancto Joanne Chryſoſtomo, in variis locis. Et ex Magno Leone in ſermonibus de Dominica paſſione: *Quod Verbum carne patiebatur, non Verbi pœna erat, ſed carnis, cujus injuriæ, atque ſupplicia etiam ad impaſſibilem redundabant, ut meritò ei dicantur illata, quæ in ipſius ſunt corpus admiſſa*. Et

ex

ex hoc etiam principio & S. homiois paſſione fnerunt infiniti meriti.

Ex bis item intelligis ſcopum Ætii Arcbi-Diaconi Conſtantinopolitani, & duram Theodoreti de ejus facto querimoniam, ſcriptam ad Joannem Œconomum: *Multi, ut quidam affirmant, in urbe jactant, quod Presbyteris orantibus, & orationi ſolitum finem apponentibus.* Apponentibus, Quia te decet gloria, & Chriſtum tuom, & Sanctum tuom Spiritum, *aliis verò*, Gratia & benignitate Chriſti tui, cum quo te decet Glotia, cum Sancto tuo Spiritu, *mandarit ſapientiſſimus Arcbi-Diaconus non oportere* Chriſtum *dicere*, *ſed* Unigenitum *glorificare*. *Quod quidem, ſi verum eſt, omnem ſuperat modum impietatis*. Quo tempote id factum ſit, doceot ſequentia verba: *Aut enim in duos filios dividit unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aut inſoleſcentem nunc bæreſim ſtabilire conatur. Et quidem ſi dira tempeſtas incumberet, ſuſpicaretur fortaſſe quiſpiam illum bæreſis Anthorum potentia deterritum, blaſpbemiam indulgere tempori. Poſtquàm autem is, qui blaſpbematur, increpavit ventos & mare, jactatiſque Eccleſiis tranquillitatem dedit, & terra marique Apoſtolorum ubique promulgatur prædicatio, ecquem locum babet blaſpbemia? Etenim nec iſti, qui unam carnis ac Deitatis naturam perversè nunc Eccleſiaſticis dogmatibus inſerunt, Chriſtum Dominum laudari vetant.* Palàm agit io Entychianos. Proindè epiſtola ſcripta eſt poſt damnatum ab Imperatore Marciano Epheſioum latrocinium, redditamqne Orthodoxis plenam libertatem prædicandi recti dogmatis contrà ſuppreſſam Eutycbetis potentiam. Ex iſta occaſione Neſtoriani, qui noo pauci erant apud Cooſtantioopolim, dennò erexerunt eriſtas, ſacratiſſima voce, *Chriſtus*, abuti pergentes ad velamen ſuæ nequitiæ. Laudata glorificatio etat gratiarum actio pro Dei Verhi paſſione, morte, aliiſque bumilibus Myſteriis. Hæc enim ſunt, quæ memorantur, ac prædicantut in liturgiis. Proiodè ut ad ipſa non ſoli voci, *Chriſtus*, ſed etiam voci, *Deus*, adſcribenda, & ad iſtam qnotidiè in ipſo Sacroſancto Sacrificio profeſſionem doloſos Neſtorianos adſtringeret Ætius, pro vnce, *Chriſtus*, poni juſſit vocem, *Unigenitus*. Hinc eum Theodoretns quaſi ſnſpectnm habuit de ſomento Eutychianæ blaſphemiæ. Theodoreti adversùs hanc mutationem certè ooo ſunt invalida: Interim nihil obtiouerunt. Etenim S. Joannis Chryſoſtomi, qna tune omniò utehatur Conſtaotinopolitaoa Eccleſia, liturgia etiamnom hodie habet iſtam mutatiooem. Omoinò viderut eſſe à laudato Ætio.

Hæc erant Eutherii argumeota adversùs Saocti Cyrilli Capitula, & adversùs initam ſine illorum anathemati ſmo pacem & communionem. Clamabat eſſe non pacem, non concordiam, noo communionem; Sed confuſionem, majorem lacerationem, acerbiorem diſcordiam. Porrò pacis aothor Joannes Patriarcha reponebat: *Facta eſt expoſitio dogmatis ad ſuccurrendum peſtilentiæ Mundi*. Hoc eſt, licet Cyrillus ooo anathematizet ſua Capitula, ipſa tamen in orthodoxum ſenſum expoſuit: Et boc omniò ſatìs eſt ad abolendam omnem diſcordiam. Ubi oota, quod Joaones Patriarcha Eccleſiaſticarum perſooarum lites appellet mundi peſtilentiam. Rectiſſimè. Nec ſine rationibus. Porrò Eutherius ei reponit, pacem nec fore veram, nec firmam, oiſi anathematizentur Capitula. Hæc enim eſſe radieem totius languoris.

Adjungit & aliam diſcordiæ cauſam: Quod Cyrillus ſe glorietur victorem, & rectè actitaſſe omnia, ideoque à cunctis pacem intraturis Epiſcopis exigat ſubſcribi in damnationem Neſtorii, ac in plenam Epbeſinæ Synodi firmitatem. Etenim Imperatot Tbeodoſius iſtam ſubſcriptionem juſſerat eſſe unnm è pacis artienlis, & ab ipſo Cyrillus oolebat retrocedere. At verò Eutberius cenſebat impoſſibilem. Ex variis cauſis. Primò, quod Neſtorius nunquàm fuiſſet convictus de hæreſi, immò nec auditos: Utpotè qui noo comparuiſſet in Synodo, ſnlemniter adversùs ipſam proteſtatus. Secundò, quod Neſtorius eſſet maoifeſtè innocens: Utpote qui nihil unqoàm docoiſſet peregrinum jo fide. Immò qui Propheticom, Evangelicum, ae Apoſtnlicum de Chriſtn Domino dogma citrà vitiationem prædicaſſet. Ajebat unicum ejns peccatum eſſe, quod oovis Capitulorum dogmatibos adverſaretur, quæ ipſe Joannes ot propbanas vocum novitates etiam damnaverat. Quod enim ſuperiùs adducta, adversùm Capitula à Joanne Patriarcha ad Firmum Cæſaræenſem ſcripta, Epiſtola fuerit etiam ad Eutberium directa, Theodoretus affirmat in litteris ad Domnum Joaonis Succeſſorem. Ex iſta Epiſtola Eutherios affirmat Capitula & à ſe, & à Joanoe priùs eſſe damnata, qoàm à Neſtorio. Tertiò, dicit Neſtorium damnari noo poſſe, niſi damnetur & ipſe Cyrillus: Utpotè qui eadem ſeoſerit, ae docuerit. Hioc conclodit Neſtoriaoæ damnatioois ſubſcriptionem fore plenam everſionem pacis. Quartò addit omnia illa blaſphemiæ teſtimooia, qoæ Synodalia Acta affirmant deſumpta ex Neſtorii Scriptis, eſſe falſiſſima figmenta, conſotas calumnias. Adeò rectam & firmam opinionem iſti Epiſcopi habnerunt de Neſtorio.

Notanda ſunt hæc Eutberii verba: *Si Neſtorium bis nocentem deprebendi contigerit, modis omnibus ſuſcipiamus addictionis ſententiam. Et nullus ſic odit animam ſuam, ut non mox anathematizet ea, quæ manifeſtè fuerint prava, cum ipſo qui ea dixit. Sive ille*, utique Neſtorius, *vel Angelus de Cælo fuerit, qui dicere præſumpſerit incongrua.* Auguſtus enim Theodoſins oon ſolam Neſtorianæ perſonæ, ſed etiam doctrinæ damnationem juſſerat admitti, ac ſubſcribi. Hæc interim verba ſuadent Eutherium fuiſſe orthodoxom, & iſtic doctrinæ neqnaquàm addictum, ſed ſoli, quod Innocentem crederet, perſonæ. Et hoc ipſum ſuadet Eutbetiani, apud Sanctum Athanaſium exſtantis operis caput, habens hunc titulum: *Adversùm eos, qui dicunt bumanæ in Chriſto Domino naturæ Confeſſores defigere ſuam ſpem in bomine*. Eſt res incerta.

Interim

Digitized by Google

Interim tam pertinax in Sancti Cyrilli perſonam, & Capitula odium fuit non leve peccatum.

## CAPUT LXXIV. ---162

*Epiſtola ejuſdem Eutherii Thyanenſis Archi-Epiſcopi, quam ſcripſit Helladio Tharſenſi Archi-Epiſcopo, lectis litteris ab Alexandria, & Joannis Archi-Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum, & Alexandri ad Joannem.*

QUantùm nos vulneraverunt litteræ aliorum, quorum quidam rectam fidem impudenter expugnant, alii verò Dogma ex parte maxima prodiderunt, tantùm me tuæ Sanctitatis lætificavit Epiſtola: Et niſi hanc pro omni medicamine habuiſſem, quæ operaretur contra univerſam paſſionem, ſubitò tanta me triſtitia velut tranſitoriè irruens peremiſſet. Lætificaverunt autem me & aliorum Orthodoxorum litteræ, oſtendentium dignum zelum de contradictione & reſiſtentia pro pietate. Hæc verò dico oſtendens, quam habebam Deo cooperante, intentionem, ſequi feſtinans in his, quæ propoſita ſunt, non errantia tuæ veſtigia Sanctitatis, cujus ad bonum nutibus oro ſervire, & omnia, quæ piè ab eo deliberantur atque judicantur, rata habere atque ſervare, & ad effectum, quanta mihi eſt virtus, adducere, & per ipſa æternum lucrum in memetipſum acquirere. Omnem Fraternitatem, quæ cum tua eſt Fraternitate, plurimùm ſalutamus.

### Scholion.

THarſenſis Helladius in reprobanda pace, damnandis Capitulis, ac defendenda Neſtorii perſona fidiſſimus ſocius. Porrò hic ſedebat in Pontica Diœceſi, longè diſtans ab Orientali, in qua tractabatur pacis negotium. Quarè plures hujus Epiſcopi ad illum, quem anxium & conſtantem noverant, mox tranſcribebant omnia ex Ægypto venientia, & apud Antiochiam admiſſa, atque concluſa. Horum aliqui plenè probabant pacem; & ab his ille affirmat rectam fidem impudenter expugnari; Quod nempe & Neſtorii damnationem admitterent, & permitterent tranſire Capitula. Alii pacem admittebant diſpenſatoriè, & quidem ità ut non exigerent anathematiſmum Capitulorum: Et ab his Eutherius ſcribit dogma ex maxima parte prodi. At verò Helladius damnabat omnia, pacis nomen nec audire ſuſtinens. Et hæ litteræ plurimùm lætificaverunt Eutherium. Neuter tamen tunc ſciebat ſe excluſum à pace.

## CAPUT LXXV. --163

*Poſt hanc Epiſtolam ſua verba poſuit Irenæus, dicens ita.*

HÆc quidem de litteris ex Ægypto tam ad Antiochenorum Præſulem, quàm ad alios Sacerdotum, hic qui Thyanenſem regebat Eccleſiam ſcripſit. Joannes verò omne, quidquid poterat, agens perſiſtebat, & ſcribens ut ad ſententiam propriam tranſduceret univerſos. Propter quod & ad Servum Dei Alexandrinum mox de his ipſis ſimilia ſcripſit. Et hæc dum de prioribus litteris hæſitaret.

Hìc priùs notandum de Epiſtola Eutherii, quia Orientis Epiſcopi non credebant Neſtorii illas Epiſtolas vel ſententias, quas ex ejus nomine Synodus Epheſina damnabat. Quod ſi ejus eſſe probarentur, parati erant & ipſi, & hujuſmodi ejus Scriptis anathema dicere, ſicut & Theodoreti atteſtantur Epiſtolæ. Demùm qui cum Neſtorio perſtiterunt, Joannem & Theodoretum inter fidei proditores & ante pacem notare nitebantur Eccleſiæ: Quia Theodoretus fidem Cyrilli Epiſtolæ ad Acacium valdè laudabat, quam cuncti iſti & Irenæus apertiſſimè Hæreticam ſcribunt. Conſtat igitur, quæ ſit Theodoreti fides, quia litteris in melioribus conſonans à deterioribus valdè diſſentit.

## SCHOLION.

QUis fuerit hic ab Irenæo laudatus, apud Alexandriam Dei ſervus, ignoro. Exiſtimo fuiſſe pium Monachum, apud Sancti Cyrilli aures & oculos potentem ſermone & opere. Verùm hæc eſt unica illius apud Antiquitatem memoria. Adjuvabat Joannem in pacis negotio. Ejus ad ipſum Epiſtola' dum forſitan apparuerit, poterit nos plura docere. Interim Irenæus docet, quod duæ præcedentes Epiſtolæ ſint ab Eutherio ſcriptæ ante completam pacem. Sunt ſcriptæ ad primam notitiam, quam de primis Cyrilli circà pacem litteris Eutherius habuit ex Helladio, aliiſque Orientalibus Epiſcopis. Irenæus nos item docet, quod ab initio plures Orientales Epiſcopi non dilexerint pacem. Hinc enim etiam ante pacis complementum Joannes perſiſtebat variè laborans, ut univerſos traduceret in ſuam ſententiam. Pacis Tractatum non cum omnibus, ſed cum pauculis Epiſcopis inchoarat: Item cum pauculis decreverat Paulum Emeſenum legare in Ægyptum. Hinc iſtud negotium erat multis ſuſpectum.

Antiquus harum litterarum Scholiaſtes confirmavit meam ſpem de Eutherio, ac ejus Collegis in defendendo Neſtorio: Quod nempè non doctrinam dilexerint, ſed ſolam ex humano errore perſonam. Item confirmat meam aſſertionem de Eutherii circà Theodoretum judicio: Quod nempè illum, quia Cyrilli fidem, ideoque & initam, aut ineundam pacem probaret, habuerit pro proditore fidei. Theodoreti circà pacem ſenſa quidam non intellexerunt. Etenim Sanctus Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus in libro contra Felicem Urgellenſem Epiſcopum ſcribit:
Cap. 4. *Cum & Neſtorium & Eutychem veritas fidei abjiciat, quæ medium inter eos tenet locum, beatus Cyrillus, ejuſdem veritatis Defenſor, dum vellet corrigere pravitatem Neſtorii, propter obſcuritatem verborum, utpotè ſubtiliſſimæ rei, offendit Beatum Joannem, Præſulem Antiochenæ Eccleſiæ, & eos qui cum illo erant, factaque eſt diviſio inter Antiochenam, & Alexandrinam Eccleſiam. Rogatus eſt autem ab Antiochenis Theodoretus, ut ageret adverſùm Beatum Cyrillum. Et mirum in modum, dum utrique eſſent Catholici, id eſt, Antiocheni & Alexandrini, Beatus Cyrillus, dum putatur eſſe Hæreticus, quod non erat, inventus eſt à Theodoreto inter Neſtorium Hæreticum & Cyrillum Catholicum medius locus, unde idem Theodoretus, pugnans pro veritate, ageret contra veritatem, qui dum iſtis Catholicis placeret, illis diſpliceret. Quod tamen, Deo auxiliante, Joannis & Cyrilli induſtria correctum eſt.* Rectè dicit, quod Theodoretus pro veritate pugnans egerit contra veritatem. Etenim Sancti Cyrilli Capitula impugnans & pro veritate egit, & contrà ipſam. Errat tamen, quod inter Cyrillum ac Neſtorium invenerit medium locum. Hunc enim non inter Neſtorium & Cyrillum, ſed invenit inter Neſtorium ac Apollinarium, cujus Cyrillum cenſebat eſſe Sectatorem. Item errat, quod Joannis & Cyrilli induſtria correxerit omnia. Etenim Theodoretus uſque ad extremum vitæ Spiritum non deſiit impugnare Capitula. Nihilominùs pacificatoriam Cyrilli epiſtolam cenſuit Catholicam, ac plenè recedere à Capitulis. Eſſe lucidam eorum palinodiam. Hoc improbavit Eutherius, & propter iſtud cenſuit Theodoretum eſſe fidei in maxima parte proditorem.

Liberatus Diaconus in Breviario exponit hanc pacem, laudat pacificatorias utrinſque partis litteras, & adjungit: *Et hæc ſunt, quæ Cyrillus ſcripſit in defenſionem Orientalium Epiſcoporum pro duabus unius Chriſti naturis. Quæ quicumque tunc minimè receperunt, hos eſſe puto Authores Acephalorum, qui neque Cyrillum habent Caput, neque quem ſequantur, oſtendunt.* Acephalos hue uſque non novimus, niſi inter Eutychianiſtas. Hinc aliqui Liberatum putant memoria lapſum, quod ipſos ponat etiam inter Neſtorianos. Sine cauſa. Etenim Alexander Hierapolitanus, Eutherius Thyanenſis, ac alii ipſorum Simmyſtæ, qui nec Sanctum Cyrillum, nec Joannem Antiochenum attendere, ac in caput admittere voluerunt, revera fuerunt Neſtorianorum Acephali. Et quia hos omnes uſque huc ignoravimus, etiam iſtos neſcivimus Acephalos. Sed inter ipſos nequaquam fuit Theodoretus. Licet Capitula probare, & Neſtorii damnationem admittere pertinaciter recuſarit, admiſit tamen pacem, & tam in Cyrilli, quàm Joannis communione firmus, permanſit. Et ad iſtos Acephalos inflectendos laboravit plurimum. Nihilominùs permanſit etiam in communione Neſtorii. Et ipſam abdicare noluit, niſi in manibus Sancti Leonis Papæ, ac in Synodo Chalcedonenſi. Egit iſta ex ſecreto conſenſu Patriarchæ Joannis. Patebit inferiùs.

---

## CAPUT LXXVI. —164

*Epiſtola Joannis Archi-Epiſcopi Antiocheni ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum, quam reſcripſit de litteris ex Ægypto, propter eas perculpatus ab Andrea Samoſateno Epiſcopo.*

LItteras tuæ Religioſitatis accepi, & hoc ipſo quod ſuſceperim, lætificatus ſum. Solent enim litteræ piorum, qualeſcumque ſint, gaudium ſuſcipientibus exhibere. Legi verò & il-

lss, quas ad Dominum meum, perque omnia Sanctiſſimum communem Patrem Acacium Epiſcopum direxiſti: Et vidi ſubtilitatem, magis aurem minutiarum Dialecticæ minutiſſimas, quæ in Epiſtola ferebantur. Non tamen hanc ſubtilitatem video præſenti tempori utilem. Dum enim vos oporteat delectari, eò quod de comedenti exierit cibus, & ex amaro dulcedo, & ab eo, qui non ſapit ea quæ noſtra ſunt, illa quæ noſtra ſunt, illa quæ ſapimus nos, patimini illud, quod in Proverbiorum libro dictum eſt: *Is qui vincit, negavit ſe eſſe victorem.* Homo Dei commemora temetipſum, quoniam totietas hæreſis Apollinarii in naturarum mixtione & confuſione omnem conſiſtentiam habet. Ipſe verò id latiùs repulit, anathematizans mixtionem, quæ apud eum jacet in multis ejus, ſicut & ipſe noſti, Conſcriptis, & confuſionem naturarum. Et alterum dicens eſſe Divinitatem, alterum corpus. Sic enim ſuperſignans adjecit: *Quia impaſſibilis eſt Divinitas, quia duæ naturæ.* Quod nullus hactenùs eorum, qui nunc ſunt in Ponto habitantes, aut dixit aut ſapuit.

Et ſunt hæc manifeſtiſſimè convictio contra eos. Et utinam contingat eum, qui eſt ex vicinis tuis, occurrere in hanc confeſſionem, & alios qui ultra Taurum ſunt: Et omnia ipſis quoque ſoluta ſunt. Vides enim quia omninò his quæ illi dicunt, & his quæ ipſe in Capitulis poſuit, ſunt iſta contraria. Verùm ne ſermonem producam, ad aliud eorum, quæ nobis viſa ſunt, venio. Fui in Berrhæa, & dum multa nobis hic exercitatio facta fuiſſet, & communis Pater, Dominus meus, Acacius Sanctiſſimus Epiſcopus omne bonum moveret, ut Eccleſiarum ſtatus in ſemetipſum redeat, placuit ut rogatus à nobis Dominus meus Religioſiſſimus, & communis Frater Dominus meus Epiſcopus Paulus ad Ægyptum iter aſſumat pro pace univerſali, ut ibi conflictu habito per vivam vocem, quæ dicuntur ad majorem manifeſtationem clarioremque perveniant. Ut illud fiat, quod ab his, qui foris ſunt, Sapientibus dicitur: *Ea quæ de Deo dicuntur, & ſæpius audiuntur, vix tandem ſicut aurum purgantur.*

Noli ergò eſſe puſillanimis, quæſo. Sufficiens eſt enim Deus inchoatam ſuavitatem & clariorem reddere & firmiorem, dum facta fuerit iſta profectio ad bonum, ſicut arbitror, Eccleſiæ Dei. Et verè magnum eſt, ut adſumat animum Dominus meus Paulus, deſpiciens & infirmitatem corporis, & ſenectam, & multa millia fluctuationes, quas dinumerare facilè non eſt, ac ſemetipſum committat & Provinciæ peregrinæ, & viro qui non parum eſt exaſperatus à nobis, licet non ex nobis. Si verò dicis, quia crucifixus ſis Mundo, & Mundus crucifixus ſit tibi, ad te quod benè ſe habet, ad Mundum verò id nihil eſt. Nec enim Philoſophiæ nunc, nec Martyrii tempus eſt, ſed correptionis totius Orbis terrarum, & perturbationis Eccleſiaſticæ.

Significo Deo Amabilitati tuæ, quod Piſcator demiſſus ſit, magis verò ſublatus, & quieverit turpiter. Adfert verò id non modicam conſolationem. Valdè enim eum & ipſa Ægyptus execratur, ſicut cognovimus à Magiſtriano, qui venit, ipſi plus perturbationis adſcribens. Hæc per Epiſtolam ſcripſimus ſtudioſè, ut undè luctus noſtros mitigemus, habeamus. Hæc quidem ſic ſe habent. Deo Amiciſſimus verò Epiſcopus Archelaus, & ſi pro Dogmate nihil eſt paſſus, verumtamen per orationes tuas multatus eſt ad octo millia Solidorum ab Auguſtino Seleuciæ. Et placuit ut deſcriberent univerſi. Para igitur quantum devotio tua ſuggeſſerit. Quod ſi non habeas, vel legitime ei proſpice. Peremptoriè enim addictus es.

## SCHOLION.

ALexander Hierapolios Metropolita ſemper fuit unus ex intimis Joannis Antiocheni amicis & Conſiliariis. Hinc poſt auditas & viſas Sancti Cyrilli pacificatorias ad Berrhæenſem Acacium litteras, ſtatim ſcripſit ad Patriarcham, & ad eundem Acacium, Directorem, ac arbitrum omnis hujus negotii. Et in Cyrilli litteris plura reprehendit, affirmans doloſas, & nequaquàm recedentes à Capitulis. Et evincere id conatus eſt per minutiſſimas ſubtilitates Dialecticæ. Ex quo vides iſtum nævum nunquàm defuiſſe Eccleſiæ. Et melioribus Eccleſiæ Doctoribus ſemper diſplicuit. Hinc Joannes Alexandro reponit varia. Primò, manet in ſuo errore, quo Sanctum Cyrillum cenſuit per Capitula fuiſſe Hæreticum. Secundò, dicit jam eſſe veraciter converſum, ideoque omnibus eſſe gaudendum. Ea enim converſio eſt quaſi novum miraculum, quo de comedente cibus, & de amaro exiit dulcedo; Nempè ea, quæ noſtra ſunt, quæ nos ſapimus, ab illo, qui ea non ſapiebat, exierunt. Hinc Alexandrum rogat, ut juxta Sapientis Monitum contentus ſit ſola victoriæ ſubſtantia, nec quærat externam ejus gloriam. Immò ut etiam neget ſe eſſe victorem. Hoc enim in litigio utraque pars ſe victricem voluit & credidit; Cyrillus credidit ſua Capitula ab Orientalibus admiſſa, hi crediderunt ea ab illo recantata. Tertiò, Joannes Alexandro ſecuritatem facit, quod Cyrillus jam ſit expurgatus ab omni lepra Apollinarii. Etenim Dominicarum naturarum mixtionem, & confuſionem, quam cum Apollinario in multis ſuorum Scriptorum locis docuit, jam palàm anathematizat.

Et probat hæc omnia ex Cyrilli ad Berrhæenſem Acacium litteris, in quibus non dumtaxat Apollinario inflixit anathema, ſed inſuper ſolemniter profeſſus fuit hæc verba: *Quia impaſſibilis eſt Divinitas, Quia ſunt duæ naturæ.* Hi namque duo articuli evertunt totum Apollinarium, omneſque maculas, de quibus Capitula accuſabantur. Sunt duæ condiſtinctæ propoſitiones, nequaquam unica cauſalis: Nec enim ex naturarum dualitate ſequitur Divinitatis impaſſibilitas,

Per eos, qui in Ponto habitant, Joannes Patriarcha videtur intelligere Firmum Cæſarænſem, Acacium Melitinenſem, alioſque iſtius Diœceſis Cyrillo adhærentes Epiſcopos. Et de ipſis affirmat duo. Primò, quod & illi ſtuduerint moderari lites, ac pacem inducere. Secundò, quod illorum nullus uſque huc ad tam lucidam veritatis profeſſionem devenerit, ideoque quod ex iſta Cyrilli profeſſione manifeſtiſſimè convincantur. Præſertim Melitinenſis Acacius, qui Chalcedone coram ipſo Principe dixerat *Deitatem paſſibilem*. Quis verò ſit ille ex Alexandri vicinis, quem Joannes optat in iſtam confeſſionem occurrere, ignoro. Interim hinc diſcimus, quod Sanctus Cyrillus etiam in Orientali Diœceſi ſuos fautores habuerit, etiam in Eccleſiis ultrà Taurum.

Porrò poſt has Cyrilli redditas Berrhænſi Acacio litteras, Joannes Patriarcha indixit novam Synodum, idque apud Berrhæam. In gratiam Senis Acacii, ab illa Paulus Emeſenus Epiſcopus, Acacii ad Epheſinam Synodum nuper Vicarius ac Legatus, eſt totius Diœceſeos creatus Legatus ad Sanctum Cyrillum, omnemque ejus Diœceſim, & una cum Ariſtolai Tribuni Magiſtriano tranſmiſſus in Ægyptum. Hujus rei S. Cyrillus meminit in litteris ad Theognoſtum Charmoſinum, ac Leontium, ſuos in Regia civitate Apocriſarios: *Ego certè ſcio me ſcripſiſſe, Acacium Berrhænſem Epiſcopum, veneranda canitie & ſingulari pietate virum, impulſu quorumdam Religioſiſſimorum Epiſcoporum Orientalium ad me litteras miſiſſe per Dominum meum magnificentiſſimum Ariſtolaum, quibus ſignificabat obliteranda eſſe omnia, quæcumque libris & epiſtolis noſtris continentur, & inſiſtendum uni Symbolo, quod in Sancta Nicæna Synodo eſt editum. Ego verò ad hæc longiſſimam ei epiſtolam ſcripſi, quam & ipſi utique accepiſtis. Nunc autem adventu Religioſiſſimi Pauli Emeſeni in hanc urbem, omnia rectè, tranquillè, & ſecurè, atque ut par erat confirmata ſunt.* Etiam in litteris ad Acacium Melitinenſem exponit prima Orientalium Epiſcoporum per Berrhænſem Acacium Poſtulata, addit ſe reſcripſiſſe Acacio, & longè alia poſtulaſſe: atque pergit: *His itaque litteris ſibi redditis, Alexandriam miſerunt Religioſiſſimum Epiſcopum Paulum Emeſenum.* Et ipſe Joannes in Reſcripto ad Sanctum Cyrillum: *Nos piis* Auguſti Principis Theodoſii *litteris morem gerere volentes rectè mox Dominum meum, Deo per omnia dilectiſſimum, Paulum Epiſcopum miſimus. Quod conſilium Sanctiſſimo Patri noſtro Acacio, cæteriſque, qui nobiſcum erant, Deo dilectiſſimis Epiſcopis probatum fuit. Fecimus autem hoc majoris compendii cauſa, eòquod quæ à Religioſiſſimis Imperatoribus noſtris ſancita ſunt, perficere nobis ipſis in unum convenientibus non liceat.* Conventum hunc, quem Princeps exegerat, ait ex rationibus non poſſe fieri: Hinc Paulum eſſe à ſe legatum. Qui, quot, quales Epiſcopi huic Synodo adfuerint, ignoro: fuerunt pauci. Statim igitur poſt ablegatum Paulum Joannes ſcripſit præſentem epiſtolam. Et Alexandro ſpondet ex iſta legatione plenam ſatisfactionem omnium Dubiorum, veram ac legitimam Eccleſiæ pacem.



Quem Epiſcopum, aut quem alium hominem per piſcatorem, ipſi etiam Ægypto eſſe execrabilem, intelligat hæc epiſtola, ignoro. Videtur fuiſſe aliquis faciendæ pacis apud Sancti Cyrilli aures adverſarius, abjectus turpiter, ac juſſus requieſcere. Hunc Magiſtrianus, qui Sancti Cyrilli ad Berrhænſem Acacium litteras detulerat, Joanni Patriarchæ expoſuit, & attulit non modicam conſolationem. Archelaus videtur fuiſſe quiſpiam in Euphrateſia Provincia Epiſcopus: ex qua cauſa fuerit mulctatus ad octo Solidorum millia, & quis fuerit ille Seleuciæ Auguſtinus, etiam ignoro. Hinc interim videmus Italiæ Clerum ac Francorum Legatos, proficiſcentes Conſtantinopolim ad Imperatorem Juſtinianum, rectè olim ſcripſiſſe, *Græci Epiſcopi habent divites & opulentas Eccleſias*. Quod etiam Hæreticorum Epiſcopi iſtic haberent magnos proventus, & amplam Sacrorum vaſorum diverſitatem, teſtatur in litteris ad Childebertum Regem Francorum Epiſt. 10.
primus Pelagius. Item diſcimus magnam iſtorum Epiſcoporum charitatem. Etenim ut unus ſuam Mulctam commodiùs ſolveret, cuncti ſemet-ipſos deſcripſerunt ad contribuendum.

---

## CAPUT LXXVII. —165

### *Epiſtola Joannis Archi-Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum de Paulo Epiſcopo.*

ARbitratus ſum me aliquid utile incepiſſe: Quia verò Religioſitas tua neceſſaria quidem meæ Epiſtolæ reprehendit ut prava, reliqua verò velut inſana projecit, melius eſt me acquieſcere tuis, quàm te illa, quæ mea ſunt, durè ſuſcipere. Tamen vel hoc unum tibi ut placeat, quæſo: Quia iter Domini mei Religioſiſſimi & communis noſtri Fratris Pauli Epiſcopi non ſit ſuperfluum, ſed utile ac neceſſarium. Veriſimile eſt enim euntem ipſum obtinere aliquid, quod non diſcrepet à noſtra ſententia. Propoſitiones enim meas illas decem, quas communiter compoſuimus, portans receſſit. Et veriſimile eſt, quod vir ille velut majorem quandam ſatisfactionem perficere ſuper eas impetrabit. Amat quippè colloquium multas difficultates adimere. Si igitur aliquid votivum per gratiam Dei obtinens remeaverit, benè ſe habet: Aliàs communiter nobis deliberandum eſt, quid agi oporteat.



Digitized by Google

### Scholion.

PRæcedens Joannis Patriarchæ epiſtola Alexandro per omnia diſplicuit. Reprehendit ut pravam, projecit ut inſanam. Pauli Emeſeni iter addidit eſſe inutile, ac ſuperfluum. Et hæc omnia cum pleno ſtomachi impetu reſcripſit ad Joannem. Quia nempe Joannes ſcripſerat Cyrilli ad Acacium *litteras* eſſe orthodoxas, recedere à *Capitulis*, ac proinde ſufficere ad pacem. Alexander verò pertinaciter volebat Capitula diſertè ac palam anathematizari: Alioquin pacem eſſe impoſſibilem. Hinc Joannes, utpote, licet Patriarcha, tamen juvenis in Epiſcopatu, cenſuit ſenem ac magnæ authoritatis Metropolitam præſenti Epiſtola denuò leniendum, ac præparandum ad pacem.

---

## CAPUT LXXVIII. --166

*Epiſtola Dorothei Metropolitani Mæſiæ, & ejuſdem Provinciæ Epiſcoporum, ad Joannem Antiochenum Patriarcham de ipſa Legatione Pauli ad Alexandriam pergentis.*

BEnedictus Deus, qui & olim ſub Apoſtolorum temporibus novum & benedictum nomen quaſi aroma quoddam, id eſt, à veſtra Metropoli in omnem orbem terrarum diffudit, ut Chriſtiani vocentur. Et nunc autem feſtinante Adverſario evertere Orthodoxiæ confeſſionem, mox vos armavit zelo Divino, & oppoſuit contra omnia machinamenta nequiſſimi, ut noſtra, quæ à Patribus ad aures noſtras miſſa eſt, hæreditas fidei inconcuſſa ſervetur, pro qua & multum ſtudium exercentes minimè fatigamini, omnia propter Dominum ſuſtinentes, ita ut debili corpore ad Deo Amiciſſimum iter aſſumeretis Acacium, & per eum Deo Amiciſſimum Comminiſtrum noſtrum, Emeſenorum civitatis Epiſcopum Paulum dirigeretis: Et eum ſic tranſmitteretis Ægyptio, ſicut Medicum ad languentem. Quin potiùs, ut arbitror, putridum, ut in ipſo providentiam facientes Eccleſiaſticæ totius Orbis tranquillitatis. Hæc namque univerſa per litteras veſtræ proſpici agnovimus Sanctitatis: Et valdè nobis, quæ à vobis proviſa ſunt, placuerunt.

Præcipuè verò circa hanc partem, qua cum pia cautela & recta noſtra confeſſione curare Anguem feſtinatis, ut duæ naturæ Domini Chriſti inconfuſæ per confeſſionem dicantur, rationabiles occaſiones ab ipſis, qui reciderant à pietate, ſumentes. Dignetur verò Amatrix Chriſti Sanctitas veſtra, ſicut & cœpit, ante omnia, ut illa pars piæ confeſſionis noſtræ muniatur, neque aliqui duas inconfuſas Chriſti naturas negent, neque hi, qui eas Orthodoxè prædicant, abjurentur ab eis, neque manus aliter his, qui lubricati ſunt, porrigatur, niſi ſcandala in Scripto peremerint, anathematizantes Capitula, quæ impiè ab eis expoſita ſunt; & omnia, quæcumque Orthodoxæ piæ noſtræ Religioni & ipſi ſubintroducere abſque probatione tentarunt, & quæ introducta ab aliis receperunt: Subſcriptionibus ea roborantes, quæ aliena ſunt ab Orthodoxa fide. Hæc non tamquam præcipientes ſcribimus, Deo Amiciſſime, ſed ſicut filii Patribus damus conſilium ſuggerentes.

### Scholion.

JOannes Patriarcha quorumdam ſuorum Epiſcoporum pro Neſtorii perſona pertinaciam noverat, ideoque omnibus communicandas duxit Cyrilli ad Acacium litteras, ac etiam *Pauli* Emeſeni legationem, ſperans ita diſponendos ad pacem. Quis porrò fuerit hic Dorotheus, abundè dictum eſt in ſuperioribus. Erat non ſolius Neſtorianæ perſonæ, ſed etiam blaſphemiæ Sectator contumaciſſimus. Hinc Sanctum Cyrillum in præſenti Epiſtola appellat non dumtaxàt languentem, ſed & putridum. Et anguem. Et rogat non fieri pacem, niſi ille & cuncti Ægyptii diſertè, & quidem Scripto, profiteantur duas naturas, eodemque modo ſolemniter anathematizent Capitula. Etenim Neſtoriani omnes ſequebantur hanc, à Vigilii Pontificis Conſtituto juſtiſſimè damnatam, Theodori Mopſueſtienſis regulam: *Quando naturas diſcernimus, perfectam naturam Dei Verbi dicimus, & perfectam perſonam. Nec enim ſine perſona eſt ſubſiſtentiam dicere perfectam. Perfectam autem & hominis naturam & perſonam ſimiliter.* Hinc Dorotheus noluit admitti Cyrillum, niſi duas profiteretur naturas, adeoque & duas perſonas. Hoc eſt, integram blaſphemiam Neſtorii.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT LXXIX. —167

*Ad manifeſtandam diviſionem eorum, qui cum Joanne Antiochenorum Archi-Epiſcopo ſentiebant, & eorum qui Neſtorium cum ejus Dogmatibus, quæ & ipſe negaverat, poſt iſtam Epiſtolam Proœmium Irenæi, de quo ſæpè diximus, tranſcribamus. Quod ita ſe habet.*

TErtia, inquit, pars hujus Codicis continet illa, quæ acta ſunt in Alexandria, quando inter ſe conſenſerunt. Et Cyrilli circa ea malas artes. Et Pauli ad eum impias pactiones. Et ut in Summa dicatur, ea quæ antè ſunt geſta, quam Paulus & Ariſtolaus ad Antiochiam remearint. Poſt quam Codicis partem ea, quæ de ipſa Antiochenorum *Epiſcopus* primùm per litteras ubique ſcripſit, nihil corum, quæ eum Ægyptio eis compoſita ſunt, faciens manifeſtum Sacerdotibus Orientis.

### SCHOLION.

EX hac Comitis Irenæi præfatione diſcimus, quod Ariſtolaus Tribunus cunctis inter Sanctum Cyrillum ac Paulum Emeſenum Tractatibus adſuerit ac intervenerit: Et quod Paulum reduxerit Antiochiam, Joannique Patriarchæ reddiderit. Item diſcimus, quod Irenæus fuerit profeſſus Neſtorianæ blaſphemiæ fautor, ac hoſtis pacis. Etenim in hac conciliaoda Cyrillum de malis artibus, Paulum de impiis pactionibus, Joannem accuſat de occulta utrimque conniventia.



## CAPUT LXXX. —168

*Epiſtola prima poſt Eccleſiæ ſciſſionem, quam Joannes Antiochenus Epiſcopus per Paulum Emeſenum Epiſcopum Cyrillo Alexandrino Epiſcopo pro pace facienda direxit.*

IPſe Salvator & Dominus noſter Jeſus Chriſtus & alia quidem multa millia ſalutarium Præceptorum tradidit Diſcipulis ſuis, & duo iſta, quæ quidem videntur eſſe ad invicem quaſi è regione contraria, omnem verò inter ſe conſonantiam ſervant. Dico verò pacem & bellum. Bellum quidem pro ſemetipſo, & pro pia, quæ de ipſo eſt, confeſſione. Pacem verò, quæ ab eo eſt ad eoſdem, ſecundùm quam cunctorum conſtans conjunctio ubique fidelium una intelligatur Eccleſia. Eorum, qui inter gentes ac Barbaros ubique per totum Mundum intellectum pium conſervant. Ipſis verò potiùs æquivocibus eſt utendum, per omnia ſanctia, in quibus bellum initur, & ſuam nobis tribuit pacem: *Non veni mittere pacem in terram, ſed gladium. Et pacem meam do vobis.* Hanc tunc quidem, quando diſcerpſerit pia in Chriſto confeſſio, hoc melius bellum eſt: Et eos qui conteruntur, ſalvos facere novit, dum non defendunt illa, quæ ſua ſunt, ſed illa quæ Domini. Quando verò pia *Confeſſio intrò* miſſa eſt, tunc idem ſapientium pax totius Eccleſiaſtici corporis ſaluseſt.

Hæc à me ſic ſimpliciter dicta ſunt, neque honoris amore. Longè enim hoc à conſuetudine mea eſt, ſed ut oſtendam, quia diviſio quidem, quæ contra te, Deo Amiciſſime Frater, in tempore facta, eſt pro veritate magis, non pro re aliqua corporali, nec inimicitiis vel puſillanimitate proveniens. Erat enim quædam nobis ad invicem, ampliùs quam aliis ſcilicet, circa nos dilectio & affectus, quem licet ſecundùm faciei adſpectum non plantaverat collocutio, ſed unitio rerum, valdè optimè, atque firmiſſime, ſufficienterque contigerat. Sed accepi diſcordiæ cauſam illorum Capitulorum tranſmiſſionem, quæ utinam nunquam fuiſſet, effectam. Credere enim mihi tua à Deo Amabilitas debeat, quia in tantum nos obſtuporem miſerunt, ut nec putaremus tua hæc eſſe inter ipſa principia (& utique forſitan cognovit id Sanctitas tua ex Epiſtolis noſtris, quæ ad aliquos ſcriptæ eſſent) ſed alicujus eorum, qui non illa, quæ noſtra ſunt, id eſt, Eccleſiæ, ſapiunt. Et hoc, inquam, ſuſpicati ſumus, ſuper eis valdè turbati. Quorum Capitulorum non modica ſalvatio facta eſt.

Et ſpem verò adhuc nobis præſtant perfectæ ſanatio-

nationis ea, quæ nuper à te, Deo Colendiſſime, ſcripta ſunt. Quæ directa quidem ſunt ad Dominum meum Deo Amiciſſimum, communem Patrem Acacium. Lætificaverunt autem cunctos, qui ſunt pacis Eccleſiaſticæ Amatores. Super quibus & nos nimis ſumus ſuper modum affecti. Licet conjuncta eſſent multis quidem, quod attinet, fraternis accuſationibus, præſtabant enim nobis ſatisfactionem quandam non modicam. Et indigent non multò additamento, quod ipſe te peracturum eſſe promiſiſti, illud dicens: Quoniam cum pax fuerit facta, adhuc ampliùs excandificabitur, quod ad ſatisfactionem pertinet. Plus autem nos illud lætificavit, quia Beati & communis Patris Athanaſii Epiſtolam gratiſſimè ſuſcepiſti, quæ ſufficiens eſt omnes diſcordias ſolvere, eò quod non ſolùm rectè contineat, ſed & ob hoc, quod ille, dum fide ſit dignus, auferat conflictus earum. Sit enim nobis hic interpres, cui merito debeat credi illius fidei, quæ in Nicæa à Patribus Sanctis expoſita eſt.

Eò quod ſint quidam vel eorum qui intra Eccleſiam ſunt, vel illorum qui foris Eccleſiæ, qui proferunt eam tanquam quoddam magnum juvamen ferat hominibus, divertat verò eorum, quæ impia ſunt quorundam, ad proprium ſenſum: Et ad id, quod ſimpliciter unicuique placuerit, ſufficit hoc tantummodò dicere. His igitur benè inchoatis, illa, per quæ inter nos ad invicem fuerat facta diverſitas, de reliquo jam quieſcant, illa verò quæ ad pacem pertinent, maneant. Occurramus laborantibus per univerſum Mundum Populis per diverſas opiniones, quibus huc atque illuc diſtrahuntur, dum multi eos diſtrahentium neſciant neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant. Exundant enim ubique Anathematiſmorum nimbi ingenti numero, & contumeliæ, quas fratres adversùs fratres, & Sacerdotes adversùs Sacerdotes exquirunt, & in Populos Populi.

Nam alii quidem Judæos nominant Chriſtianos. Eſt Apollinarii iſta contumelia, contra univerſalem Eccleſiam, quem cum ſenſu ejus plurimi ſuſceperunt. Ille enim impius & Adverſarius Dei oppugnantes errores ſuos, dico autem Patres Eccleſiæ, Judæos nominare minimè reveretur. Alii verò iſtos Paganos, Gentilibuſque deteriores appellant, qui forſan ſæpiùs unà ſecum communionem ſumpſerunt ineffabilium Myſteriorum. Et nihil eſt aliud videre fieri per omnem terram, niſi perturbationem, bellumque infandum, & iram irrevocabilem, & crudelitatem, quæ omnem ſuperat inhumanitatem Barbaricam. Et non eſt qui condoleat ſuper contritione Joſeph, invicem voluptatem præſtantes hoſtibus pietatis.

Et hæc dico non velut illos quidem inculpans, hos verò à culpa excipiens, ſed omnia deputans confuſioni, quæ facta eſt propter peccata communia. Proficient namque Evangelio. Et Paganis atque hæreticis imminentibus neceſſariò contra nos, pietatis inimici deſæviunt, qui præſentis perturbationis tempus amplexi impudenter omnia corruperunt. Undè ipſiuſmet Chriſtianitatis reverentia conculcata eſt, inimici verò Dei ſubitò ſonnerunt, levaverunt caput ſuper Populo Dei, & adversùm te cogitaverunt conſilium.

Propter hæc omnia meum Fratrem, tuæ verò Deo Amabilitatis Dilectorem, Dominum meum Sanctiſſimum Epiſcopum Paulum ego & Dominus meus Sanctiſſimus Epiſcopus Acacius invitavimus, ipſe verò libenter arripuit, ut ad veſtram perveniret Sanctitatem. Ut qui ſemper inter Eccleſiaſticos exſtitit clarus, & ſciens rebus competere & verbis, & habens ad Dominum reverentiam, qua utens præclarè ſæpiùs in commune profuit, regente ſe Deo. Magis verò prodeſt propter eam, quæ ſibi inſerta eſt, devotionem. Hunc adſpicere dignare ſuaviter, confidenter te committens, tanquam mihi: Et tanquam ſi ego, ita fiducialiter ſe tibi ipſe committet. Et unà conſideretis illa, quæ Mundum recolligere valeant. Non enim tantùm vel me vel te conſiderare *debet* Deo Amabilitas tua, quantùm, quomodò ablatis ſcandalis in ſemetipſam revertente parte, ad Eccleſiam Chriſti: Ut his factis, & ea, quæ placuerunt piiſſimo Amatori Chriſti Imperatori, de Eccleſiaſtica pace proveniant.

## S C H O L I O N.

HAnc Epiſtolam Sanctus Cyrillus memorat, ac ejus capita exponit in litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum, Metropolitam veteris Epiri: *Cum itaque hat ad illos*, Orientales Epiſcopos, *litteras miſiſſem*, utique ſupra adductas litteras ad Berrhæenſem Acacium, *animadvertentes ſe communionem recipere non poſſe, niſi ea, quæ facere debebant, primò perfeciſſent, Alexandriam miſerunt Paulum Reverendiſſimum Emeſenum Epiſcopum, qui ad me litteras adferret, communionis quidem inſtaurationem concernentes, parum tamen rectè dictatas. Præ-ſeferebant enim quaſdam querelas adversùm nos habere, quaſi quædam in Sacro Concilio neque rectè dicta, neque rectè facta eſſent. Verùm hujuſmodi quidem Epiſtolas non admiſi, ſed reſpondi: Cum de prioribus veniam ſuppliciter petere deberent, quomodò novas iterùm contumelias inferre audeat? Cum autem memoratus piiſſimus Epiſcopus factum excuſaret, ac juramento affirmaret non eſſe hoc illorum propoſitum, ſed ex mera animi ſimplicitate ad id ſcribendum progreſſos eſſe, charitatis cauſa purgationem admiſi.* Et in litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *His itaque litteris ſibi redditis, Orientales Epiſcopi Alexandriam miſerunt religioſiſſimum Epiſcopum Paulum Emeſenum, cum quo diu multumque de illis rebus diſſerui, quæ Epheſi præter jus & officium dictæ & factæ fuerant. Quia verò iſtis poſthabitis, oblivionique traditis, iis potiùs curis inſiſtendum videbatur, quæ majoris momenti ac ponderis erant, interrogavi num quid litterarum à piiſſimo Joanne*

Epi-

Digitized by Google

*Epiſcopo attuliſſet. Mon ille Epiſtolam reddidit, non ea quæ debebat habentem, ſed potiùs quo non conveniebat modo dictatam. Complectebatur enim irritationis potius vim, quàm exhortationis. Haac itaque non acceptavi. Nam cum meam animi ægritudinem, qua fueram affectus en iis quæ præceſſerant, & quæ ab ipſis Epheſi facta fuerant, encuſatione aliqua demulcere debuiſſent, tantùm abeſt ut id facerent, ut ſe quoque propter ſacrorum dogmatum Zelum jure optimo mihi ſuccenſuiſſe dicerent. At en me audiebant, nec divinum Zelum ipſos moviſſe, nec quod pro veritatis dogmatibus pugnarent, aciem adverſus me componero, ſed quod hominum aſſentationibus locum darent, ac eorum, qui nunc potentes videbaatur, amicitias ſibi conciliarent.* Et io litteris ad Theognoſtum Charmoſynom, ac Leontium, ſuos in Regia civitate Apocriſarios: *Quoniam verò Paulas chartam non attulit, qua Joannes anathematizaret Neſtorii dogmata, ſed omninò nihil ad rem ejas litteræ continebant, duxi me ei communionem reddere non poſſe, priuſquam hæc feciſſent.* Præſens itaque Epiſtola eſt non modicum Eccleſiaſticæ antiquitatis monimentum.

Porrò habet varia capita, quæ Sancto Cyrillo ac ejus Epiſcopis meritò diſplicuerunt. Peimum eſt io his verbis: *Diviſio, quæ contra te in tempore facta eſt, pro veritate magis, non pro re corporali aliqua, nec inimicitiis, vel puſillanimitate proveniens.* Secuodum eſt io his verbis: *Accepi diſcordiæ cauſam illorum Capitulorum traaſmiſſionem, quæ utinam numquam fuiſſet, effectam.* Tertium eſt io his verbis: *In tantum nos obſtuporem miſerunt, ut nec putaremus hæc tua eſſe inter ipſa principia, ſed alicujus eorum, qui noa illa, quæ ſunt Eccleſiæ, ſapiaat.* Quartum in his: *Quorum Capitulorum non modica ſalvatio facta eſt.* Quintum in his: *Spem verò adhuc nobis præſtant perfectæ ſanationis ea, quæ nuper à te ſcripta ſunt adcommunem Patrem Acacium.* Sextum io his: *Licet conjuncta eſſent multis fraternis accuſationibus.* Septimum in his: *Indigent multo additamento, quod ipſe te peracturum eſſe promiſiſti.*

Affirmantur plura; Primò, quod Capitula ſint hæretica. Secundò, quod eorum ſcabies ſit adeò manifeſta, ut Joannes in exordio crederet ipſa non ah authore Catholico, ſed ab hæretico proceſſiſſe. Tertiò, quod omnis contra Cyrillum Epheſina diviſio fuerit facta propter Capitula ideoque fuerit & juſta, videlicet non ex inimicitia aut puſillaoimitate procedens, ſed ex zelo defendendæ veritatis. Porrò per diviſionem Joanoes omninò iotellexit iofliſtam Cyrillo ac Memnoni degradationem, atque excommunicationem totius Synodi. Et vox, *Puſillanimitas*, palam alludit ad quintum Nicænom canonem, ac ita per gyrum affirmat vinculum fuiſſe validum, ideoque ſine pœnitentia non relaxandum. Et hinc quartò affirmat, quod Cyrillus non modicam Capitulorum ſalvationem, id eſt, recantationem fecerit, & adhoc majorem promiſerit, atque ita ſe reddiderit dignum communiooe & pace. Quare hac omnia Sanctum Cyrillum jure merito momorderunt ac offenderunt. Hioc ad ejus componendum animum Paulus Emeſenus repoſuit ea ex aoimi ſimplicitate, noo ex redarguendi Propoſito proceſſiſſe. Et affirmavit cum juramento. Quod nempe videret ſuom Epiſcopale, quod omni juramento Sanctius ducunt, ideòque Epiſcopum à jurandi neceſſitate abſolvunt Sacri canones, verhum ad iſtam rem perſuadendam ooo ſufficere.

Hæc Epiſtolæ verba, *forſitan cognovit Sanctitas tua ex Epiſtolis noſtris, quæ ad aliquos ſcriptæ eſſent*, exponit Theodoretus io litteris ad Domnum Antiochiæ Patriarcham, proximum Joannis Succeſſorem: *Eaſtant Synodica pluſquam quinquaginta, quæ duodecim Capitum accuſationem demoſtrant. Nam & priuſquam Epheſum iremus, B. Joannes ad Deo chariſſimos Epiſcopos ſcripſit, Eutherium Tyanorum, Firmum Cæſareæ, & Theodotum Aacyræ, Apollinaris doctrinam appellans hæc Capita.* Data ad Firmum Epiſtola exſtat ſuperiùs, & habet hanc ſubnotationem: *Idem verò Joaanes multis Archi Epiſcopis legitur ſcripſiſſe ſimilia.* Videtur fuiſſe Epiſtola à patribus. Erat acerbiſſima. Et ipſam Joannes palam hic laudat & confirmat. Quapropter & iſta verba non poſſunt Sanctum Cyrillum non graviter offendiſſe. Epiſt. 132. Cap. 5.

Notanda ſunt & hæc verba: *Plus nos illud lætificavit, quia Beati & communis Patris Athanaſii gratiſſimè ſuſcepiſti, &c.* Nempè Epiſtolam ad Epictetum, Corinthi Epiſcopum. Et præſertim hæc: *Eò quod ſint quidam vel eorum, qui ſunt intra Eccleſiam, vel illorum, qui foris Eccleſiæ, qui proferunt eam, tamquam magnum quoddam juvamen ferat hominibus, divertat verò eoram, quæ impia ſant quorumdam, ad proprium ſenſum.* Etenim de hiſce litteris Sanctus Cyrillus in ſuo ad Berrhæenſem Acacium Reſcripto nullam penitus fecit memoriam. Quare Joannes iſtud ſilentium accepit pro approbatione, & laudavit. Et hoc Sancto Cyrillo non diſplicuit. Hioc enim io extrema pacis Epiſtola reſcripſit Joanni: *Quod verò Sanctorum Patrum, maximè autem Beati & celeberrimi Patris noſtri Athanaſii, ſententias ubique ſequamur, & caveamus ae vel minima in re ab ea declinemus, id tua quidem Sanctitas certò ſibi perſuadeat, neque alius quiſquam ambigat.* Rei ſeriem largiùs exponit io litteris ad Acacium Melitinenſem: *Arbitror & illud quoque jam Dicto addendum. Venit ad me Paulus, religioſiſſimus Emeſenus Epiſcopus, qui poſtquam de recta & inculpata fide aliquamdiu ſermonem contuliſſemus, rogavit ex me, & quidem inſtanter, an illis aſſentirer, quæ celebris memoriæ Beatiſſimus Pater noſter Athanaſius ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum quondam ſcripſerat. Ego verò reſpondi, prorſus & per omnia me iis adſentiri, modò tamen ſcriptum illud apad vos eaſſet incorruptum. Multa enim in ipſo ab inimicis veritatis eſſe depravata. Tum ille ſe quoque Epiſtolam illam apad ſe habere ajebat, velle autem en iis, quæ apud nos erant, exemplaribus cognoſcere, an ipſorum libri eſſent corrupti, an ſecus: Porrò autem cum vetuſta exemplaria accepiſſet, eaque cum illis, quæ ſecum attulerat, contuliſſet, invenit illa*

*eſſe*

*eſſe adulterata: Petiitque ex libris, qui apud nos erant, exempla deſcribere. Quod & factum eſt.* Quod ipſum eiſdem penè verbis reſcripſit in ſecunda Epiſtola ad Succeſſum, Dio-Cæſareæ in Iſauria Epiſcopum.

Lucianus Presbyter, Diodorus Tharſenſis, ac Theodorus Mopſueſtienſis fuerunt eminentes Clerici Antiocheaæ Eccleſiæ, ideòque ad ejus Bibliothecam habuerunt fiducialem acceſſum. Eorum quiſpiam, aut neſcio quis alius Pauli Samoſateni, cujus venenum numquam plenè exivit ab iſta Eccleſia, Sectator vitiavit laudatam Sancti Athanaſii Epiſtolam, atque ita reddidit Samoſatenam, proindeqne & Neſtorianam. Vitiationis capita & verba diſtinctè ignoramus, manifeſtum tamen eſt fuiſſe vitiatam. Hinc Patriarcha Joannes tanto ſtudio Sanctum Cyrillum urſit ad ejus profeſſionem. Hinc item illi, licèt in ſuis ad Berrhæenſem Acacium litteris plenè de ipſa ſiluiſſet, reſcripſit ſe plurimum gaudere de ipſa probata atque admiſſa. Hinc præterea ejus exemplar Paulo Emeſeno tradidit, utique exacturo ipſum à Sancto Cyrillo ſubſcribi. Ita Cyrillum à ſuis Capitulis per artes & gyros deducere. Verum omnia abierunt in fumos. Et hinc Sanctus Cyrillus rectè cenſuit laudatam Sancti Athanaſii Epiſtolam eſſe exprimendam ac prædicandam in pacificationis litteris.

Ex præſenti epiſtola diſcimus & quædam alia: Primò, quod Joannes Antiochenus ſuo in Sancti Cyrilli Capitula odio ac peſſimis ſuſpicionibus plenè renuntiarit. Lucet ex his verbis: *Illa per quæ inter nos; ad invicem facta diverſitas, de reliquo jam quæſierant*. Etenim omnis illa diverſitas fundabatur præſertim in Capitulis. Secundò, quod iſta Epiſcoporum diſſenſio fuerit miſerandiſſima totius Orientalis Eccleſiæ calamitas. Etenim ubique ingenti numero exundabant Epiſcoporum, Cleri, ac item Populi in invicem contumeliæ: Immò & nimbi anathematiſmorum. Inſtar nimborum denſi anathematiſmi. Alter Epiſcopus alterum clamabat Judæum aut Paganum: Immò & deteriorem. Interim Judæi & Gentiles ad iſta exultabant, atque ita conculcabatur cuncta Chriſtianitatis reverentia. Eadem de re Ibas Edeſſenus Epiſcopus ſcripſit ad Marim Perſidis Epiſcopum: *Remanſit*, poſt Ephesinam Synodum, *Orientale Concilium non communicans Epiſcopis, qui communicaverunt Cyrillo. Et ob hæc multa triſtitia inter eos facta eſt. Et in contentione erant Epiſcopi adverſùm Epiſcopos, & Populi adverſùm Populos. Ex hoc detractiones multæ adverſùm nos factæ ſunt Paganorum & Hæreticorum. Non enim audebat aliquis de civitatem ad civitatem, aut ad provinciam de provincia proficiſci, ſed tamquam inimicum ſuum unusquiſque proximum ſuum perſequebatur.* Hæc igitur mala Joannem meritò permoverunt ad quavis via ineundam pacem. Et ad quædam diſpenſatoriè diſſimulanda. Tertiò diſcimus, quod Pauli Emeſeni Legatio non ab aliqua grandi Synodo fuerit decreta, ſed à ſolo Joanne cum Berrhæenſi Acacio, & pauciſſimis melioribus, ac pacis amatoribus Epiſcopis. Quod ipſum pacis Oſores Joanni frequenter improperarunt.

---

## CAPUT LXXXI. ---169

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi ad Alexandrum Euphrateſiæ Provinciæ Metropolitanum, Irenæus dixit.*

MUrmurando nos aliqui pulſant propter opiniones, quæ veniunt ex Ægypto, revereri nos arbitrantes, ſi liberemur à cunctis, & neſciunt quia quies à nobis valdè diligitur. Dulcior eſt cunctis, quæ in hac vita delectant. Uſque adeò enim deſideramus eam, ut abſque alicujus impulſione ad hanc currere cupiſſemus, niſi terror nos illius Judicis prohiberet. Quia verò id ità fieri minimè tutum eſt, ſuſtinet neceſſitatem voluntas, ut deſiderio cùm venia perfruatur. Quia igitur quæ diffamat rumor, multa ſunt atque diſtantia à veritate, & *nata* animam perturbare, tuam Sanctitatem quæſo, ut quæ vera ſunt, nos per litteras doceas: Quatenus ad hoc ipſum nos præparantes aptemus. Nam & cum pietate deſideramus pacem, & cum iniquitate ac impietate refugimus.

### SCHOLION.

QUia Joannes Patriarcha adductas Sancti Cyrilli ad Berrhæenſem Acacium, quas multi improbant, literas probarat, & ex iſta approbatione Paulum Emeſenum Epiſcopum, & quidem quaſi clandeſtinè ex pauculorum Collegarum ſcitu & conſilio in Ægyptum legarat, nati ſunt diverſi ac adverſi rumores. Et turbarunt variorum animos. Præſertim Theodoretum. Etenim ipſe & Joannis & totius Antiochenæ Eccleſiæ ſemper fuerat intimus Conſiliarius, ideoque ſtupebat tanta jam negotia, in quibus ſemper Alpha, & Omega fuerat, jam expleri ſine ejus conſcientia. Ejus item Metropolita Alexander fuerat ſemper Joanni intimus, ideoque ipſum ex ſpe percipiendi aliquid ex his Arcanis, cenſuit conſulendum. Interim præſens epiſtola oſtendit ipſum fuiſſe ineundæ pacis amantiſſimum. Hæc verba, *Niſi terror nos illius Judicis prohiberet*, reſpiciunt Sancti Cyrilli Capitula. Theodoretus pertinaciter cenſuit, niſi ipſis damnatis, non poſſe pacem fieri.

CA-

Digitized by Google

## CAPUT LXXXII. --170

*Epiſtola Andreæ Epiſcopi Samoſateni ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolis.*

PRæcolligit quidem Sanctitas tua rectè ab ipſis initiis finem Eccleſiaſticæ cauſæ. Ego verò ex litteris, quss modo accepi, non eundem præcolligam, ſed unum ſciam: Msnifeſtas canſss habeo. Et quæ quidem ſint, neceſſarium non eſt in litteris ponere. Sciat antem Ssnctitas tua, quia ſuave ſit nihil, ſed Alexandrinus quidem, ſicut apparet, neque permutare aliquid vult eorum, quæ ſemel malè conſcripta ſunt, neque tranſire à proprio ſenſu. Et ideò nihil ab Ægypto in tanto tempore ſcripſerunt per Epiſtolam, qui profecti ſunt. Nos verò, etſi multoties millies perſiſtat in impio Dogmate, contenti ſumus his, quæ olim per Epiſtolam ſcripta ſunt, quæ integrè Orthodoxiam prædicant. Talia quidem præſentia ſunt, qualem verò habeant finem, & uſque ad quid ſit ſtatuta perditio, noverit Deus omnipotens. *Dum* verò indignè mortalem nunc prædicant cum, clarè pro ſua impietate fiduciam gerunt: Dum qui eos paſcere videntur, ſtudiosè illos incitsntes exerceant non ad blsſphemism ſolùm, ſed ad omnes impudentias atque malitias. Et qui non conſenſerit, impius & Dominum negans ubique prædicatur, & multarum millium mortium dignus.

Et hi verò, qui olim quidem nec ferebant hujus impietstis auditum, incongrui nunc & ſegnes facti penè ubique ad reprimenda hæc quodammodò ceſſerunt, atque ipſi quoque curvati ſunt, ne fortè & illa, quæ Adverſarii proferunt, benè ſe hsbeant requirentes: Et illos maximè, qui vsldè Primores inter nos videbantur pro Orthodoxia certsre, videntes ad aliud declinstos, & pacem ad illos smplexos. Et ſuper his quidem Eccleſiæ cslamitatem gemimus, & nos ipſos nocte ac die & aliis verò multis triſtitiis vulneramus, eò quod præſens ſit omnium temporum peſſimum tempus. Et frequenter deſideravi ob hoc in ſolitario loco alicubi devacanti tuæ colloqui Ssnctitati, & quidem nihil aliud sgere, flere verò ac lamentari tantummodò, tam pro his quæ dicta ſunt, quam pro aliis quæ penè jam duci perdidici.

Hæc dum geruntur in Oriente, pax in Alexandria facta eſt, Paulo ad ad Cyrillum Epiſcopum Alexandriæ dante Epiſtolam Pacis, & Cyrillo per eundem Epiſcopum ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum Pacificam Epiſtolam tranſmittente per Clericos ſuos. Quia verò culpantur aliqui Orientalium, quod de hac pace quaſi aliter, quam debuerant, ſuſpicati ſint ſive conſcripſerint, videamus & Cyrilli Archi-Epiſcopi poſt pacem diverſis directas Epiſtolas. Sic tamen etiam Synodales Codices debitè & ſincerè cum Dei timore quæramus, & videbimus puto, quia nemo poſſit unam partem, eorum dumtaxat, qui Theodoreto idem ſenſerant, de Neſtoriani Dogmatis ſuſpicione culpare, qui tamen & alteram de Eutychiani Dogmatis favore, ſi tamen non eſt ex ejus parte, pulſaverunt.

### SCHOLION.

ETiam Andreas Ssmoſatenſis Epiſcopus Joanni Pstriarchæ ſemper fuerat ab intimis ſecretis conſiliis. Præſertim in hac cauſs. Etenim uti Theodoreto, ita & huic Joannes juſſerat ſcribere contra Cyrilli Capitula. Et ipſa cum tanta ſstisfactione ſcripſerat, ut tota Orientalis Synodus illi Scripto dederit, ac præfixerit anthoritatem ſui nominis. Quare & ille admirabatur hos clandeſtinos Tractatus. Præſens tamen epiſtola Alexandrum Metropolitam non interrogat, ſed inſtruit de variis rumoribus. Eſt ſcripta non modico tempore poſt Theodoreti epiſtolam. Lucet ex his verbis: *Nihil ab Ægypto in tanto tempore ſcripſerunt, qui profecti ſunt.* Hinc Andreas nihil ſsncti ab ipſis exſpectat, ſed omnia infeliciſſima. Addit hujus conjecturæ cauſas eſſe ſibi manifeſtas, ſed quas non expediat ſcribere.

Hæc verba, *Nos verò etſi multoties millies perſiſtat in impio dogmate, contenti ſumus his quæ olim per epiſtolam ſcripſi, ſicut quæ integrè Orthodoxiam*

*præ-*

*prædicant*, reſpiciunt Sanctum Cyrillum, affirmant plura. Primò quod nupera ejus ad Berrhœenſem Acacium Epiſtola ſit integrè orthodoxa. Secundò, quod Capitulorum impietas, licet Cyrillus multoties millies proteſtetur ſe nolle ab ipſis diſcedere, non poſſit præfatam Orthodoxiam evertere. Tertiò, quod hæc ipſa Orthodoxia quibuſcumque aliis non obſtantibus, omninò ſufficiat ad ineundam communionem & pacem. Ex quibus videmus Andream non fuiſſe malignum hominem.

Notanda ſunt & hæc verba: *Dum indignè mortalem nunc prædicant eum*, &c. Reſpiciunt duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum, & in ipſo fundatam litem de hac propoſitione: *Deus eſt paſſus, mortuus, ſepultus*. Eam Epheſinæ Synodi Patres Acceptatores profitebantur tanto zelo, ut omnem ſibi non conſentientem aſſeverarent impium Dominicæ Incarnationis negatorem, dignum multis millibus mortium: Manifeſtum ac profeſſum Neſtorianum. Et Epiſcopi, ac alii Doctores eandem propoſitionem, eundemque zelum imprimebant ſuis Populis. Hinc ab Andrea Samoſatenſi dicuntur ipſos incitaſſe, ac exercuiſſe non ſolummodò ad blaſphemiam, ſed inſuper ad omnem impudentiam atque malitiam. Nempè Andreas, uti & cum multis aliis Theodoretus, ſemper cenſuit propoſitionem illam eſſe omninò blaſphemam. Nec ullo modo poſſe verificari, niſi per ipſius Divinæ naturæ paſſibilitatem ac paſſionem. Et in errore perſiſtebat duriſſimus. Hinc lamentatur plures ſuæ opinionis ac factionis ſocios, qui iſtam propoſitionem nec audire ſuſtinebant, Incondito pacis & quietis amore jam declinaſſe, factos eſſe ſegnes & incongruos, atque curvatos, licèt non ad ipſam comprobandam, tamen ad ceſſandum ab ejus anathemate.

## CAPUT LXXXIII. —172

*Epiſtola Acacii Epiſcopi Melitinenſis ad Cyrillum Archi-Epiſcopum Alexandriæ de pace, quæ inter ipſum & Orientales Epiſcopos facta eſt.*

Hanc verò pro Dogmatibus ſuis proferunt Sectatores Dioſcori & Eutychis contra Catholicos: Ubi & addunt aliquod nomen Theodori Epiſcopi Mopſueſtiæ.

QUoniam didici, quod per gratiam Dei prævalueris orationibus etiam præter præſentiam corporalem, ut in Eccleſiis ſtatueretur, quod in ſtudio fuit, & litteræ Deo Amiciſſimi & Amatoris Chriſti Imperatoris venerint ad Clariſſimum, & per omnia habentem virtutem mentis Tribunum Ariſtolaum, jubentes ut unumquemque Epiſcoporum compelleret in ſua Eccleſia anathematizare polluta Neſtorii atque Theodori Dogmata impietatis, gratias agens Honorabili Dominatori Deo, & multùm pro veſtro ſtudio orans, ſcribo pro omnibus quidem ſalutans Reverentiam tuam, & rogo zelum tuum, qui ſecundùm Deum eſt, ut pro cunctis quidem æqualiter Eccleſiis cogites, & nec quamlibet Eccleſiam deſpicias, ſed aut per veſtram ipſorum præſentiam, aut directis aliquibus cum Admirandiſſimo & Clariſſimo Tribuno, fidelibus atque zelantibus viris ex tuis ſodalibus, cogatur unuſquiſque publicè anathematizare Neſtorii & Theodori Dogmata. Præcipuè hos, qui dicunt duas naturas poſt unitionem, propriè unamquamque operantem. Eorum namque, qui in Germanicia ſunt, aliquos experimentatus inveni quidem duos filios dicere recuſantes, at verò duas naturas dicere non abnuentes. Undè ſi concedatur, ut dicatur atque doceatur ab eis, quia unaquæque natura per ſemetipſam operatur, & hæc quidem paſſa eſt, impaſſibilis verò illa permanſit, nihil eſt aliud, niſi duos iterùm filios confiteri, & partes induci. Rogo igitur incomparabilem tuam & devotam Deo animam, pervigila in cauſa, à Domino Chriſto tempus accipiens, & perfice Eccleſiarum ſine ſcandalo, ac ſine cicatrice, vel macula unionem.

Ad hanc Cyrillus Epiſcopus illam de Eccleſiæ pace dicitur Epiſtolam reſcripſiſſe, quæ nota eſt, quamque infra invenies loco & numero ſuo. Id eſt,

### SCHOLION.

HÆc epiſtola ſcripta eſt poſt initam, immò & publicatam non dumtaxàt in Oriente, ſed etiam in Armenia pacem, ideoque anno trigeſimo tertio iſtius ſæculi. Sub anni exordium. Pax enim Alexandriæ concluſa fuit circà finem præcedentis Decembris. Patet ex homiliis quas ſtatim poſt concluſam pacem Paulus Emeſenus dixit ad Alexandrinum Clerum ac Populum. Primam namque in feſto Dominicæ nativitatis, ſecundam dixit in feſto Dominicæ Circumciſionis. Inter pacis articulos, unus erat, quod omnes Orientales cum ſuis aliarum Provinciarum Aſſeclis Epiſcopi deberent admittere Epheſinam Neſtorii degradationem, & ſolemne anathema dicere pollutis ac impiis ejus dogmatibus. De hujus igitur præſertim articuli obtentu Acacius Sancto Cyrillo gratulatur, & agit gratias. Et jure

Digitized by Google

jure merito. Hic enim articulus erat totius contentionis fundamentum; Et ad ipſum Acacius Epheſi inſtantiſſimè ac zeloſiſſimè contulerat omnes ſuas vires atque auxilia.

Epiſtola nos docet aliquid ſingulare. Nempè, quod Imperator Theodoſius pacem ſtatim fuerit executus, ideoque reverſo ad ſe Tribuno Ariſtolao dederit in mandatis, ut cunctos Orientales Epiſcopos compelleret ad ipſam in ſuis Eccleſiis publicandam, & ſolemniter anathematizanda Neſtorii dogmata. Ariſtolaus verò videtur ceſpitaſſe, aut tardaſſe. Quin immò videtur quaſdam Eccleſias præteriiſſe. Hoc palam edicunt hæc verba: *Rogo zelum tuum ut pro cunctis æqualiter Eccleſiis cogites, & nec quamlibet Eccleſiam deſpicias*. Nec iſtud ſit mirum. Ariſtolaus enim quibuſdam in Eccleſiis prævidebat, ac haud dubiè fuerat expertus pertinaces ac validos obices. Et ipſo ſuo loco videbimus ac exponemus. Hinc igitur Acacius Sancti Cyrilli zelum obteſtatur, ut hanc rem non negligat aut diſſimulet; Nempè ut Ariſtolao adjungat quoſdam è ſuis Clericis, qui ipſum animent & adjuvent, deducant per omnes Orientis Eccleſias, atque ità cunctos earum Epiſcopos conſtringant ad publicam prædicationem præfati anathematis.

Quæſtio eſt, Quomodò Acacius dicat, Sanctum Cyrillum inter pacis articulos poſtulaſſe atque obtinuiſſe, ut omnes Orientales Epiſcopi ſolemniter anathematizarent nomen & dogmata, non ſolius Neſtorii, ſed etiam Mopſueſtienſis Theodori? Quomodò dicat horum omnium executionem fuiſſe Ariſtolao demandatam à Principe? Etenim certum eſt, quod in pacis Tractatu nulla ſit facta Theodori mentio. Sanctus Cyrillus in Epheſina Synodo fuit adeò alienus à damnando Theodori nomine, ut quidem ejus ſceleratum Symbolum damnaverit, at de ejus nomine nullam permiſerit fieri memoriam. Et ab hac diſpenſatoria Epikeja etiam poſtmodò dum præſens Acacius ac Edeſſenus Rabbulas ſolemniſſimè anathematizarant Theodorum, diu cenſuit nulla ratione recedendum. Dici poſſet, quod Acacius Theodori anathema ex tunc in mente haberet, ideoque ad præparandam illi viam ſit uſus arte: Quod ſimulaverit ſe ità audiviſſe, & hanc famam Sancto Cyrillo retulerit: Reſpondeo Acacium fuiſſe virum longè Sanctiſſimum, ideoque remotum ab iſtiuſmodi artibus. Proinde credo veram eſſe hanc neſcio cujus ſubnotationem, quæ affirmat Theodori nomen fuiſſe poſtmodò adjectum à Sectatoribus Eutychis ac Dioſcori. Aut etiam ab aliis, multis ac variis, Theodori Oſoribus.

Alia quæſtio eſt, Quomodò Acacius damnari, & compeſci poſtulet eos, qui in Chriſto Domino poſt unitionem prædicabant duas naturas. Præſertim Germanicienſes, cum duabus naturis prædicantes unicum filium? Ea enim eſt orthodoxa ac lucida veritas. Reſpondeo hanc Epiſtolam omninò eſſe illam ipſam, ad quam Sanctus Cyrillus reſcripſit longas iſtas ac eruditas litteras, exſtantes in tertia parte Epheſini Concilii, ac refutantes omnia argumenta, omniaque convitia, adversùs pacem ſparſa ab ejus Oſoribus. Unum convitium erat, quod Joannes Patriarcha, ac ipſi obedientes Orientales Epiſcopi in ſuo fidei libello, non minùs quàm Neſtorius in Domino profiterentur duas poſt adunationem naturas, ideoque Sanctus Cyrillus pacis amore deſcendiſſet in Neſtorianam blaſphemiam. Eadem fama pervaſit omnem Conſtantinopolim. Hinc ipſa offenſus Eulogius, Sancti Cyrilli Presbyter ac Apocriſarius, ad illum ſcripſit: *Expoſitionem, quam Orientales fecerunt, reprehendunt nonnulli, ac dicunt, Quamobrem Alexandrinus Epiſcopus toleravit illos, ac laudavit etiam, eum duas naturas nominarunt? Qui autem Neſtorium ſectantur, eadem & ipſum ſentire contradunt, eaque ratione illos, qui minùs accuratè rem percipiunt, abripiunt in ſuam ſententiam*. Clamitabant Neſtorii dogma jam ab ipſo Cyrillo eſſe admiſſum & purgatum. Porrò Acacii Epiſtola eſt ſcripta ante hos rumores. Etenim ſi ſciviſſet vel audiiſſet iſtas voces eſſe probatas in pacis Tractatu, nequaquàm poſtularet ipſas anathematizari per omnes Eccleſias. Sanctus tamen Cyrillus dum illi reſcripſit, iſtos rumores omninò noverat, ideoque eum plenè inſtruit. Demonſtrat quod Neſtorius hypoſtaticam unionem negaret, duaſque hypoſtaſes ac filios apertè dogmatizaret, & adjungit: *Etſi duarum naturarum unionem factam prædicemus, unum tamen Chriſtum, & unum Filium, & unum Dominum propriè profitemur*. Exponit unionis ſublimitatem, & concludit: *Quapropter ea, ex quibus eſt unus ac ſolus Filius ac Dominus Jeſus Chriſtus, cogitationibus complexi, duas quidem naturas unitas eſſe dicimus, verùm poſt adunationem, velut ſublata jam in duas ſectione, unam eſſe credimus filii naturam, tamquam unius verùm incarnati, ac inhumanati*.

Affirmat plura. Primò, quod Dominicæ naturæ nequaquam re, ſed ſolis poſſint ſeparari cogitationibus. Etenim earum unio eſt ſecundum hypoſtaſim, ideoque facta eſt in primo puncto Dominicæ conceptionis: ac proinde aſſumpta natura ipſam non prævenit, niſi in noſtro intellectu. Secundò, quod hypoſtatica adunatio ex duabus naturis quodammodò fecerit unicam: Nequaquam ſimpliciter, ſed unam Divinam incarnatam ac inhumanatam. Hæc Cyrilli locutio multos offendit, & fuit obnoxia magnis & multis contentionibus, ideoque ſuo loco erit accuratè exponenda. Tertiò affirmat, quod unica Dei Verbi incarnata natura involvat duas, ideoque rectè admitti potuerit hæc Orientalium Epiſcoporum profeſſio: *Chriſtus Dominus eſt unus filius, unaque hypoſtaſis, & duæ naturæ*.

Attamen per hæc nequaquàm purgavit, aut probavit errorem & phraſin, de quibus Germanicienſes ac alios Orientales accuſavit Acacius: Eos omninò damnavit. Etenim non ſimpliciter duas naturas affirmabant, ſed addebant unamquamque propriè operantem: Quia nempè unaquæque per ſemetipſam operaretur. Cenſebant unamquamque per ſemetipſam operari propriè,

hoc

hoc eſt, in propria hypoſtaſi. Ita palàm *inducebant partes, & profitebantur duos filios*. Nec refert, quod unicum Dominum conſtantiſſimè clamarent, & nullatenùs ſuſtinerent duos admittere. Etenim loquebantur in dolo. Et cum Neſtorio. Intelligebant unum, non ex naturali ſecundùm hypoſtaſim unione, ſed pet conjunctionem ejuſdem honoris, dignitatis, authoritatis, ac nominis.

---

## CAPUT LXXXIV. --173

*Teſtimonium ex Epiſtola Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ ad Succeſſum Dio-Cæſarеenſis Civitatis, Provinciæ Iſauriæ, Epiſcopum ſecunda.*

*ETſi unus dicatur à nobis Unigenitus Filius Dei incarnatus & inhumanatus, non tamen fermentatus eſt ab his, ſicut illis videtur. Neque verò Incarnatura mutaſſet Verbi naturam, ſed nec carnis in Verbi; ſed in proprietate, quæ ſecundùm naturam, utroque manente atque intelligendo ſecundum modum, quem modò reddimus, ineffabiliter, & inenarrabiliter unitus, unam nobis oſtendit Filii naturam. Verumtamen, ut dixi, incarnatam.* Hæc falsè intelligunt, qui putant unam incarnatam naturam *ita* dictam, quaſi ex duabus unam per unitionis compoſitionem factam. Hoc enim & continuè ſequentia verba, & adjectum de natura hominis compoſita monſtrant exemplum. Nullis enim mediis adjicit & hæc: *Non enim de ſolis ſimplicibus ſecundùm naturam verè dicitur unum, ſed & de illis, quæ per compoſitionem conſcripta ſunt, ſive in idem conducta: Qualis quidem res eſt homo ex anima & corpore. Aliena enim ſpecie ſunt alia, & ad invicem non conſubſtantialia; unita verò unam perfecerunt hominis naturam. Licet in rationibus compoſitionis differentia inſtet ſecundùm naturam eorum, quæ ad unitatem conducta ſunt.* Audiamus jam nunc, quomodò dicat eſſe contrarium dicere duas naturas Chriſti poſt unitionem, & dicere unam incarnatam. Et quia hæc, ut dicit, impugnent ſe invicem, undè ampliùs conſtet, quia unam naturam poſt unitionem vult dici compoſitam ad negationem duarum. Nam poſt paucillum ipſius Epiſtolæ ſic ait: *Addiſco autem, quod ſuper hoc & aliud ſit, quod in quæſtionem venit. Qui enim dicit carne pati Dominum nuda, irrationalem facit, & non ſpontaneam paſſionem. Si verò quis dicat cum anima intellectuali pati eum, ut ſit ſpontanea paſſio, nihil probibet dicere natura humanitatis eum paſſum. Si igitur hoc verum eſt, quomodò non dabimus duas naturas ſubſiſtere per unitionem indiviſibiliter? Ergo quiſquis dicit*, Chriſto igitur paſſo pro nobis carne, *nihil aliud dicit, niſi, Chriſto pro nobis paſſo natura noſtra*. Hæc verba, quæ ſunt omninò catholica, hic Sacerdos ſibi pro quæſtione magis opponens, & quaſi deſtruens quæ fuerat per Epiſtolam Pacificam paulò antè confeſſus, mox contra hoc indiviſè hujuſmodi verba produxit: *Repugnat iterùm nihilominùs hæc Propoſitio his, qui dicunt unam naturam Filii eſſe incarnatam, & quaſi vanum id volentes oſtendere contendunt utique duas naturas ſubſiſtentes oſtendere. Sed ignoraverunt quoniam quæcumque non ſecundùm ſpeculationem dici amant, hæc omninò in alteritatem, quæ in parte ſemota eſt, & ſepoſita eſt, modis omnibus abſcedunt ab invicem. Sit autem nobis rursùs ad exemplum ſecundùm nos homo. Duas etenim etiam ſuper eo naturas intelligimus, unam quidem animæ, alteram verò corporis, ſed puris dividentes intuitibus, & tanquam in ſpeculationibus ſubtiliſſimis, ſeu mentis phantaſiis ſuſcipientes differentiam, non per partes ponimus naturas, neque verò abruptæ per utraſque inciſionis permittimus ire virtutem, ſed unius videlicet eſſe intelligimus: Ita ut duæ jam non ſint duæ, videlicet utrumque apud ſemetipſum, per ambas verò unum perficiatur animal.*

Ubique Deum hic comparans animæ, & humanitatem carni, uſque ad hoc venit, ut unum ex Deo & homine factum diceret animal. Unum verò animal unum genus eſt, una ſubſtantia, una natura, una etiam ſpecies. Nos verò non ſecundùm ſolam ſpeculationem duas naturas intelligi dicimus, ut ex utriſque dici poſſit & una. Abſit. Nec rurſùs, ut ait, omninò in alteritatem, quæ in parte ſemota eſt & ſepoſita, modis omnibus abſcedere ab invicem. Abſit. Nec verò dicimus, quia in ſolis ſubtiliſſimis mentis phantaſiis ſuſcipimus differentiam. Nec iterùm, quia per partes ſint ponendæ naturæ. Neque abruptæ per utramque inciſionis permittimus ire virtutem. Sed illa utimur ratione, qua Beatus Gregorius Nazianzenus Epiſcopus ſcripſit, quamque ipſe Cyrillus Alexandriæ Patriarcha in Epheſina ſynodo inter teſtimonia Patrum cum reliquis approbavit Epiſcopis, dicens: *Quia in Chriſto, qui ſecundùm Deitatem ſuam coadimplet cum Patre & Sancto Spiritu Trinitatem, è converſo ſe habeat quam in ipſa verè Sanctiſſima Trinitate*. Sicut enim in Trinitate Divinitatis humanitas non præjudicat numero Perſonarum, & ſicut ibi rurſus trium numerus ſubſiſtentium Perſonarum Divinitatis ſingularitatem minimè ſecat, ſic hìc naturarum ſubſiſtentium numerus ſingularitatem ſubſiſtentis perſonæ incidere non poteſt. Ac per hoc ſicùt ibi una trium ſubſiſtentiarum non eſt perſona, ſed natura; ſic hìc una duarum naturarum non natura eſt, ſed perſona ſubſiſtens. Subſiſtere verò dico, quod nec accidens ſit, ſicut dicitur pars civitatis & Populi, nec translatitia, ſicut vicem ſuſcipiens alterius alter agit utilitates & cauſam alterius. Nam quia unam naturam Chriſti ex duabus factam fuiſſe permixtionem, uſque adeò non licet dicere, ut

inter

inter Apollinarii Dogmata ab Eccleſis Chriſti antè damnatum ſit, quam naſcerentur hi, de quibus nunc ſermo ſit. Beati Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi enim digniſſima Scripta teſtantur, viri apud Eccleſiam Dei ultra cæteros Epiſcopos famoſi, & quem pro meritis ſuis non ſolùm Catholici, ſed cæteri Principes ejus temporis ultra omnes ſunt veriti Sacerdotes: Cujus etiam teſtimoniis Epheſina Synodus uſa eſt. Dicit ergò Ambroſius in libro contra Dogmata Apollinarii ſcripto inter multa ſimilia & hoc: *Et hos igitur, qui in phantaſmate veniſſe Dominum Jeſum Chriſtum prædicant, & illos condemnare debemus, qui diverſa erroris linea non unum eundemque Filium dicunt, ſed alium eſſe qui ex Deo Patre natus ſit, alium qui ſit generatus ex Virgine. Cum Evangeliſta dicat, quia* Verbum Caro factum eſt, *ut unum Dominum Jeſum Chriſtum, non duos crederes. Nonnulli etiam aliud Dei Verbum, aliud Dei Filium crediderunt, cum ipſum, qui in principio erat Verbum apud Patrem, in ſua propria veniſſe Evangeliſta teſtetur. Sunt autem qui tanquam ad unum Prophetarum, ita ad Chriſtum factum eſſe verbum arbitrati ſunt, non ipſum eſſe Dei Verbum. Sed de nullo Prophetarum dictum eſt, quia* Verbum Caro factum eſt. *Nullus Prophetarum abſtulit peccata Mundi. De nullo alio dictum eſt:* Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *De nullo Prophetarum legimus, quod ſit Dominus Majeſtatis: Quod de Chriſto Apoſtolus dixit. Quia Judæi* Dominum Majeſtatis crucifixerunt. *Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui Carnem Domini dicunt & Divinitatem unius eſſe naturæ. Quæ tantum ſacrilegium Inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores ſunt Ariani, quorum per iſtos perfidiæ robur adoleſcit, ut majore contentione aſſerant Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius non eſſe ſubſtantiæ: Quia iſti Divinitatem Domini & Carnem unius ſubſtantiæ dicere tentaverunt. Deindè cum iſti dicant, quia Verbum in carnem, capillos, ſanguinem, & oſſa converſum eſt, & à natura propria mutatum eſt, datur illis locus, ut infirmitatem Carnis ad firmitatem Divinitatis quadam facta Divinæ naturæ mutatione detorqueant. Sunt etiam qui in tantùm impietatis prodierint, ut putent quia Divinitas Domini circumciſa eſt, & imperfecta de perfecta facta eſt, & in ligno non caro, ſed illa operatrix omnium ſubſtantia Divina in carnis ſpecie coagulata pendebat. Quis autem non horreſcat, quis audiat, quia non ex Maria Virgine, ſed ex Divina ſubſtantia paſſibilem ſibi Carnem fecerit Dei Verbum? Quod aſſerendo eò prolabuntur, ut non ex tempore Corpus Domini eſſe ſuſceptum, ſed coæternum Deo Verbo ſemper fuiſſe contendant. Horum omnium Authores ſunt, qui Divinitatem & Carnem Domini unius naturæ fuiſſe dixerunt. Legi enim, quod non crederem, niſi ipſe legiſſem: Legi, inquam, in quibuſdam libris ſic poſitum, & Organum, & eum à quo movebatur Organum, unius in Chriſto fuiſſe naturæ. Quod ideò poſui, ut ex Scriptis nomen deprehendatur Authoris: Et advertant, quamvis exquiſitiſſimis argumentis, & phaleratis ſermonibus non poſſe vim veritatis obduci. Et hic mihi frequenter Nicæni Concilii Tractatum ſe tenere commemorat. Sed in illo Tractatu Patres noſtri, non Carnem, ſed Dei Verbum unius ſubſtantiæ cum Patre eſſe dixerunt: Et Verbum quidem ex Paterna proceſſiſſe ſubſtantia, carnem autem ex Virgine eſſe confeſſi ſunt. Quomodò igitur Nicæni Concilii nomen obtenditur, & nova inducuntur, quæ nunquam noſtri ſenſere Majores? Cum utique Scripturæ dicant, quia Chriſtus ſecundùm Carnem paſſus eſt, non ſecundùm Divinitatem: Scripturæ dicant, quia* Virgo in utero accipiet, & pariet Filium. *Accepit enim virtutem, & peperit Filium, quem & ipſa ſuſcepit. Denique hoc etiam Gabriel proprio ſermone declarat, dicens:* Et quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Dei Filius. *Ex te, inquit, ut ſecundùm hominem quod ex ipſa naſceretur adverteres. Ex ſe enim generavit Maria, ut quod generaretur ex ipſa, in eo, ſalva generationis Dominicæ Prærogativa, corporis eſſet vera natura. Sed & Paulus dicit* ſe prædeſtinatum eſſe in Evangelium Dei, quod antè, *inquit*, promiſerat per Prophetas de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm Carnem. *Et ad Galatas:* Poſtquàm autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. *Et ad Timotheum dixit:* Memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David. *Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex noſtro: Et quod noſtrum non erat, ex ſuo nobis Divina ſua largitate conferret. Secundùm naturam igitur ſe obtulit noſtram, ut ultra noſtram operaretur naturam. De noſtro Sacrificium, de ſuo præmium eſt. Multaque in eodem & ſecundùm naturam invenies, & ultra naturam. Secundùm conditionem corporis in utero fuit, natus eſt, lactatus eſt, in præſepi eſt collocatus. Sed ſupra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit, ut crederes quia Deus erat qui novabat naturam, & homo erat qui ſecundùm naturam naſcebatur ex homine. Ergo ſi Caro omnium & in Chriſto ſubjacuit injuriæ, quomodo unius illa cum Divinitate dicitur eſſe ſubſtantiæ? Verbum & Caro, quæ de terra habet naturam? Et unius ſubſtantiæ Verbum atque anima, quà perfectam naturam ſuſcepit humanam? Unius autem ſubſtantiæ Verbum cum Deo, ſecundùm Paternam profeſſionem, & ipſius Domini aſſertionem, qui ait:* Ego & Pater unum ſumus. *Unius ergo ſubſtantiæ Pater cum terreno corpore prædicatur? Et adhuc indignamini Arianis, qui dicunt Filium Dei Creaturam eſſe, cum ipſi dicatis Patrem cum Creaturis unius eſſe ſubſtantiæ? Quid autem dicitis aliud dicendo iſta, niſi ut aut limum Adæ, terramque noſtram Divinæ ſubſtantiæ comparetis, aut certè Divinitatem in terrenæ corruptelæ injuriam transferatis? Dicendo enim, quia* Verbum Caro factum eſt, *in terram dicitis utique eſſe converſum: Quia Caro & oſſa de terra ſunt. Scriptum eſt, inquiunt, quia* Verbum Caro factum eſt. *Scriptum eſſe non nego, ſed conſidera quid ſequatur. Sequitur enim:* Et habitavit in nobis. *Hoc eſt, illud Verbum, quod Carnem ſuſcepit, hoc habitavit in nobis. Hoc eſt, in Carne habitavit humana. Et ideò Emmanuel dictus eſt, hoc eſt, nobiſcum Deus. Hoc ergo eſt,* Verbum Caro fa-

ctum eſt, *pro eo quod eſt, Homo factum eſt. Sicut etiam Johel dixit*: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem Carnem. *Non enim ſuper irrationabilem carnem, ſed in homines futura promittitur Spiritus effuſio. Et ſi ſecundùm litteram vos tenetis, ut putetis en eo quod ſcriptum eſt, quia* Verbum Caro factum eſt, *Verbum Dei in Carnem eſſe converſum, nunquid negatis ſcriptam eſſe de Domino, quia non peccatum fecit, ſed* Peccatum factus eſt? *Ergo in peccatum converſus eſt Dominus? Non ita: Sed quia noſtra peccata ſuſcepit, peccatum dictus eſt. Nam & Maledictum dictus eſt Dominus. Non quia in Maledictum converſus eſt Dominus, ſed quia noſtrum ſuſcepit in ſe Maledictum*: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. *Miraris ergo, quia ſcriptum eſt*, Verbum Caro factum eſt, *cum Caro aſſumpta ſit à Dei Verbo, quando de peccato, quod non habuit, ſcriptum eſt, quia* Peccatum factus eſt? *Hoc eſt, non naturam operationemque peccati, utpote in ſimilitudinem Carnis peccati factus, ſed ut peccatum noſtrum in ſua Carne crucifigeret, ſuſceptionem pro nobis infirmitati obnoxiam corporis peccati carnalis aſſumpſit. Deſinant ergo dicere naturam Verbi in corporis naturam eſſe mutatam. Ne pari temperatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati. Aliud enim eſt quod aſſumpſit, aliud eſt quod aſſumptum eſt. Virtus venit in Virginem, ſicut & angelus ad eam dixit*: Quia virtus Altiſſimi abumbrabit te. *Sic natum eſt corpus ex Virgine. Et ideò Cœleſtis quidem deſcenſio, ſed humana conceptio eſt. Non ergo eadem Carnis potuit eſſe Divinitatiſque natura.*

Licet hæc lectio tota ſufficienter notet hæreſim, quæ unam ex duabus dicit in Chriſto factam naturam, finis tamen ejus quaſi è contrario eſt hanc tenentibus nunc uſque dementiam. Non minus verò & præfatas denotant lectiones, quæ non ſolùm in Epiſtola ad Succeſſum ſecunda, ſed & in Epiſtola ad Acacium Melitinenſem, & Eulogium jacent. Et in aliis verò pluribus ante pacem Scriptis ſimilia continentur. Sed hoc plus eſt hìc, quia & poſt pacem contra univerſæ Eccleſiæ fidem illa denuò renovare reperiuntur, propter quorum ſuſpectionem mota ſunt univer-

Adn. Nor. Defendit tria Capitula.

ſa litigia. Ergo qui Theodoretum culpant de Epiſtolis, quas bona intentione ſcriptas, ſi tamen ejus ſint, per gratiam Dei oſtendere poterimus, aut contra Ambroſium dicant non eſſe hæreſim dicere unam naturam Chriſti poſt unitionem tantummodò, & ſequacibus Eutychis atque Dioſcori apertè jungantur, ac ſecernantur à cæteris, aut certè non reprehendant quæ neſciunt, quomodò Theodoretus dixerit, ne alterius, quem venerantur, quæ ſcimus quomodò dicta ſint, damnare omni rationis conſequentia compellantur. Si enim de utriſque non tacere partibus præ timore Dei, ſed utraſque voluerimus humana præſumptione diſcutere, ad utriuslibet impietatis omni neceſſitate rationis præcipitamur abrupta, & quod eſt deterius, ſi unam naturam ex duabus poſt unitionem benè poſſe dici putemus in Chriſto, pariter quoque audeamus de mortuis judicare. Quomodò non horremus dicere, quod excludemus Ambroſium, quaſi pietatem pro graviſſima impietate damnet, ſicut & alii plurimi Patres. Sed jam ex ipſius Cyrilli Alexandriæ Archi-Epiſcopi dictis probemus, quod hæc ipſa ante pacem prædicaverit, quæ poſt pacem.

## SCHOLION.

QUis hæc Sancti Cyrilli ex poſterioribus ad Succeſſum Dio-Cæſaræenſem Antiſtitem litteris fragmenta impugnet, ac ex ipſis ſuadet illum in Chriſto Domino docuiſſe unicam naturam, ignoro. Poſſit eſſe Comes, immò tunc adhuc Epiſcopus Irenæus. Eſt incertum. Quiſquis ſit, eſt zeloſus Theodoreti Apologus, & hæc ſcripſit aliquot annis poſt initam pacem. Etenim prima ad Succeſſum epiſtola non ſolius Mopſueſtienſis Theodori, ſed etiam Tharſenſis Diodori damnationem laudat, ideoque ſcripta eſt, dum Sanctus Cyrillus à ſua diſpenſatoria in Theodori perſonam ac nomen gratia jam receſſerat: Et dum non ſolius hujus, ſed etiam iſtius plenam damnationem admiſerat. Et hæc præſens ejus criminatio eſt iſtis omnibus non parùm poſterior. Nam præſertim invadit poſteriores ad Succeſſum literas. Affirmat Cyrillum, ubicumque duas in Domino naturas profitetur, profiteri per dolum, ideoque ab ipſo inventam eſſe hanc doloſam propoſitionem: *Chriſtus eſt una Dei Verbi natura incarnata*. Eſſe inventam ad velamen blaſphemiæ.

Porrò criminator iſte non fuit ſolus in illa ſententia. Etenim in libro de Sectis ſcribit Leontius Byzantinus: *Sciendum autem primum inter Orthodoxos Cyrillum protuliſſe verbum iſtud*, unam naturam Dei Sermonis Incarnatam. *Inter orthodoxos dicimus, quoniam ſæpiùs hoc Apollinaris proferebat. Unde factum eſt, ut Sanctus Cyrillus Apollinariſta ſit habitus ab Orientalibus, cum talis non eſſet.* Et profectò ſi Sanctus Cyrillus iſtas, ab Apollinario acceptas, voces primus introduxerat in Eccleſiam, ſuſpicio non caruit fundamento, & hinc iſtam Neſtorianorum ſuſpicionem Hæreſiarcha Eutyches vertit in aſſertionem: Pertinaciſſimè aſſeruit eſſe authenticum propoſitionis ſenſum, ipſumque omninò fuiſſe intentum à Sancto Cyrillo. Aſſeruit, & hunc ſenſum, & iſtam propoſitionem eſſe duarum naturarum everſionem, ac profeſſionem unicæ. Hinc etiam in Conſtantinopolitana Sancti Patriarchæ Flaviani Synodo intrepidè proclamavit ad iſta duo, tamquam ad Anchoras & columnas ſui dogmatis. Etiam de tota Eutychiana Factione proſequitur præfatus Leontius: *Ad faciendam fidem dogmati ſuo plures authoritates producunt, quarum prima eſt, quod Sanctus Cyrillus unam Dei Sermonis incarnatam naturam apertè dixerit.* Eutyches erat non parvæ authoritatis Archi-Mandrita, ideoque parva ejus impreſſio in Regia Civitate invenit tot ac tantos Adſtipulatores, ut Sanctus Flavianus ſuo Apologetico ad Imperatorem Theodoſium

doſium

doſium libello debuerit ſimul cum duarum naturarum profeſſione inſerere hunc articulum: *Et unam quidem Dei Verbi naturam incarnatam tamen ac inhumanatam, dicere non negamus*. Conteſtatus eſt propoſitionem cum duarum naturarum profeſſione optimè conſiſtere, immò eam eſſe hanc ipſam profeſſionem, & eadem omnia eſſe exploratum Sancti Cyrilli ſenſum, ideoque Eutychem non dumtaxàt in orthodoxam veritatem, ſed etiam in Sanctum Cyrillum ignoranter & calumniosè impingere.

Ex eodem Eutychetis ſenſu procedens Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus laudatum Flavianum, quod & duas in Chriſto Domino naturas, & unam Dei Verbi incarnatam naturam profiteretur, & ambas voces profiteri nolentem Eutychem damnaſſet in Epheſino Latrocinio degradavit. Et ad Chalcedonenſem Synodum, quæ Flavianum cenſuit rectè docuiſſe, pertinaciter clamavit: *Manifeſtè ideò damnatus eſt Flavianus, quoniam poſt adunationem duas dixit naturas. Ego autem teſtimonia habeo Sanctorum Patrum, Athanaſii, Gregorii, Cyrilli, in multis locis, quia non oportet dicere poſt adunationem duas naturas, ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus ejicior. Ego defendendo Patrum Dogmata. Nec tranſgredior in aliquo. Et horum teſtimonia non ſimpliciter, neque tranſitoriè, ſed in libris habeo.* Videtur ipſos totos Patrum libros retuliſſe ad Synodum.

Et has contentiones omninò reſpiciunt Joannes Maxentius ac ejus Collegæ in litteris ad Sanctum Fulgentium ac alios Africanos Epiſcopos: *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus naturis, in una perſona confitemur. Nec illis acquieſcentes qui unicam Dei Verbi naturam prædicantes, Venerabilis Chalcedonenſis Concilii fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronunciantes unam Dei Verbi naturam incarnatam minimè confitentur, arbitrantes hoc duarum naturarum profeſſioni contrarium: Quaſi aliquid aliud, quàm duas naturas ineffabiliter unitas una Dei Verbi natura incarnata ſignificet.* Et probant hoc ex ſecunda Sancti Cyrilli epiſtola ad Succeſſum. Proinde & Neſtoriani & Eutychiani conſtanter cenſuerunt ab iſta propoſitione everti duas naturas, & ipſarum induci confuſionem, mixtionem, aut qualemcumque compoſitionem in naturam unicam. Hinc iſti eam averſabantur hoſtiliſſimè, hi autem pleno mentis impetu diligebant. Hi nolebant, iſti volebant prædicari duas naturas. Catholici cum Sancto Cyrillo & Chalcedonenſi Synodo profitebantur utramque phraſim, aſſeverantes eſſe diverſas dumtaxat voces, rem eandem.

Similem circà Sancti Auguſtini de efficacibus Divinæ Gratiæ auxiliis Senſa litem nos Latini olim vidimus, ac etiamnum hodie videmus: Circa illos articulos, quos impugnandos ſuſceperunt neſcio quis Vincentius, quidam Genuenſes, & quidam è Clero Gallicanæ Eccleſiæ. Uti Neſtoriani adductam Sancti Cyrilli propoſitionem de Dominicarum naturarum confuſione, ita iſti præfatos Sancti Auguſtini articulos in malam formam fabricarunt, infamarunt, & accuſarunt de horrendis in Divinam Majeſtatem blaſphemiis. Præſertim quod Dominum Deum facerent authorem peccati. Item uti Eutyches & Eutychiani Neſtorianas calumnias probarunt, ac in dogma aſſumpſerunt, ita cum ſuis Sectatoribus Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus Vincentianas, Genuenſes, & Gallicanas in Sanctum Auguſtinum contumelias prædicant hodie ſuis Populis, & blaterant ipſum ità omninò ſenſiſſe. Et hi ſunt veri ac unici Prædeſtinatiani Hæretici. Olim enim nullos vidit Eccleſia. Præfatæ Calumniæ quibuſdam Auguſtinianæ doctrinæ Oſoribus dederunt anſam fingendi Prædeſtinatianam fabulam. Immò omnis hæc fabula eſt nova à præfati Vincentii Succeſſoribus in veros Sancti Auguſtini diſcipulos calumnia.

Porrò Joannes Maxentius, licet vir Græcus, fuit Latinæ Linguæ inſigniter peritus, & in ipſa omninò ſcripſit ad Africanos Epiſcopos, & ipſa datæ ad illos epiſtolæ phraſis altè clamat ſe non tranſlatam eſſe, ſed originalem. At verò verborum, quæ ex Sancti Cyrilli epiſtola adducit, tranſlatio differt plurimùm à vulgata. Etiam à noſtra Caſſinenſi, quæ infrà exhibebitur. Ex quo diſcimus iſtas, aliaſque Sancti Cyrilli nec non & aliorum ſpectantes ad præſentem materiam epiſtolas, ac alia Scripta, fuiſſe à variis variè tranſlatas. Nam & quaſdam tranſtulit Marius Mercator. Interim hiſce Græcorum Propoſitionibus, & quæſtionibus Latina Eccleſia nunquam ſe voluit miſcere. Cuncti ejus Patres ſtudio ab illis abſtinuerunt. Etenim licet Joannes Maxentius in præfatis litteris adductam Sancti Cyrilli propoſitionem inſeruiſſet, ac operosè inculcaſſet, Sanctus tamen Fulgentius eam plenè neglexit: ut iſtis Monachis ſatisfaceret, eruditiſſimum de Divina incarnatione librum compoſuit, ac expreſſam in eorum litteris fidem nervosè confirmavit, verùm de iſta propoſitione ne vel verbum dixit. Etiam apud alios Latinos Patres vix ulla eſt ejus memoria, nulla defenſio, nulla impugnatio.

Ejus tamen in litteris ad Petrum Fullonem, Eutychianum, ac intruſum Antiochiæ Patriarcham meminit Felix tertius Pontifex. Affirmat ipſum apud ſe non ſolummodò de diverſis, ſed etiam de adverſis hæreſibus eſſe accuſatum, & adjungit: *Dicere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum perfectum non eſſe in Deitate, atque in humanitate perfectum, nec ipſum ſubiiſſe paſſionem crucis, ſed unam Dei Verbi naturam incarnatum, corpuſque Domini ſine anima & mente fuiſſe, Apollinaris hæreſim roborat.* Iſtam ſibi delatam & accuſatam propoſitionem ſolummodò memorat, non diſcutit, nihil de ipſa definit: Eandem tamen memorat, laudat, atque exponit Gelaſius in Opuſculo contrà Neſtorianos ac Eutychianos. Et plures affirmant eſſe Opuſculum Sancti Gelaſii, Romani Pontificis. At certum eſt labi. Plura evincunt eſſe opus Græci hominis. Eſt Gelaſii Epiſcopi Cyziceni. Proindè unicus è Lati-

Adn. Nor. Eſt certe Gelaſii; nã citatur ut Gelaſii à S. Fulgentio cap. 18. de V. quæſtionibus, & à Jo. II. Ep. ad Acienũ & Senatorem.

Latinis Patribus iſtam propoſitionem agitavit, ac probavit Sanctus Martinus Pontifex, in quinto ſuæ Lateranenſis Synodi Secretario ſanciens hunc canonem: *Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem,* Can. 5. *unam naturam Dei Verbi incarnatam, per quod incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfectè in Chriſto Deo, & indiminutè, abſque tantummodò peccato ſignificata, condemnatus ſit.* Nempe Sanctus Martinus non pro Latina, ſed pro ſola Græca Eccleſia emiſit iſtum canonem: Contra Monothelitas, qui ſuos Progenitores Eutychianiſtas imitati, ex laudata Sancti Cyrilli propoſitione venabantur ſuo errori patrocinium. Quod Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Monothelitarum non infimus Dux, Anthimum Trapezuntinum Epiſcopum, ac Agnoetam Themiſtium æmulatus, iſtam venationem fecerit, habemus in Actis ſexti Concilii. Poſterioribus ſæculis Act. 10. Gilbertus Porretanus, Pictavienſis Epiſcopus, unus è primis Scholaſticarum ſubtilitatum authoribus, litigavit de hac propoſitione: *Natura Divina eſt incarnata.* Et voluit falſam. Voluit dici: *Divina Filii perſona eſt incarnata.* Et Sanctus Bernardus, ac per ipſum directus Eugenius tertius Pontifex, ipſi oppoſuerunt hunc articulum: *Natura Divina eſt incarnata in Filio.* Eſt quæſtio plurimum diverſa à præſenti.

Adductam Sancti Cyrilli propoſitionem non ſoli Neſtoriani, ſed aliqui etiam Græcorum orthodoxi Patres penitùs improbarunt. Etenim Epiſcopis Severianis, ipſam ex pectore laudantibus, & non ſolius Cyrilli, ſed etiam Magni Athanaſii, Sancti Dionyſii Areopagitæ, Sancti Gregorii Thaumaturgi, ac Sanctorum Julii & Felicis, Romanorum Pontificum, eſſe clamantibus, in Conſtantinopolitana collatione orthodoxus Hypatius Epheſiorum Epiſcopus reſpondit, adduci conſueta iſtorum Patrum teſtimonia eſſe ſpuria & ficta, ideoque & nunquam adducta per Sanctum Cyrillum, atque adjunxit. *Neque Arius aliquando, vel Apollinarius duas naturas confeſſi ſunt, ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam, ipſi magìs noviter protulerunt, ut creatam & paſſibilem ipſam Divinam Verbi naturam introducerent.* Conſtanter affirmat iſtam propoſitionem non eſſe Sancti Athanaſii, aut alterius antiqui Patris, ſed Arii atque Apollinarii commentum, ideoque cenſet ab illa, licet Sancto Cyrillo placuerit, eſſe penitùs abſtinendum. Etiam de Sancto Eulogio, Patriarcha Alexandrino, frequenti & conſtanti iſtius propoſitionis uſurpatore & laudatore, ac de Domitiano Melitinenſi Epiſcopo, ſecundæ Armeniæ Metropolita, Imperatoris Mauritii Conſanguineo, & Magni Papæ Gregorii firmo amico, ſcribit in Biblio- Lib. 230. theca Photius: *Eulogius vindicat ſemet-ipſum à non ſincera opinione, quam illi Domitianus ſuſpicioſè objecerat, quod exiſtimaret vocem talem non ſincerè ex animo ab eo uſurpari & proponi, ſed diſpenſatione quadam, ut per eam Auditores nullo negotio ad unitatem revocaret, cauſaſque diſſenſionum ab Eccleſia Catholica præcideret.* Domitianus igitur voces averſabatur: Et opinabatur Sanctum Eulogium ipſis non niſi diſpenſatoriè uti, quò numeroſos in Ægypto Eutychianos ſuaviter reduceret ad Eccleſiam.

Et certè voces iſtæ ſunt admodùm æquivocæ, tam ſiniſtro quam dextro pedi ideò cothurnus. Earum quippe Inventores, aut certè pertinaces Aſſertores, Arius, Apollinarius, ac Polemon, per eas prædicabant errores peſſimos. Alius & alios. Arius & Apollinarius in Chriſto Domino non eſſe noſtram animam aut mentem, ſed ipſam ſuppleri per Deum Verbum, ideoque in illo non eſſe, niſi unicam, ſed incarnatam Dei Verbi intellectualem naturam; Polemon verò ac ejus Aſſecla Timotheus prædicabant confuſionem & mixturam naturarum, ideoque & unicam conflatam ex utraque. Eorum ſenſum exponit in libro de Dominica Incarnatione Venerabilis Theodorus, Presbyter Raithenſis Monaſterii: *Cum dicitur una natura Verbi incarnata,* Incarnata *poteſt adjungi uni naturæ & alteram quidem naturam inducere, mutationem verò quamdam, ſeu converſionem ejus ſignificare, ſicut glaciem dicimus eſſe naturam aquæ congelatam. Etenim ſcientes unam naturam aquæ eſſe, & adjungentes huic* congelatam, *alteram naturam per hanc ſignificationem non apponimus, ſolam autem congelationem in ea factam intelleximus ex hac voce:* Affirmat hanc inſaniam placuiſſe quibuſdam Eutychianis. Quod ipſum in hypotheticis dubitationibus contrà eos, qui in Chriſto Domino poſt unionem negant duas naturas, affirmat Leontius Byzantinus. Affirmat ab illis Sancti Cyrilli propoſitionem dici ſimilem huic: *Eſt una natura aquæ lapi-* Cap. 17. *deſcens.* Demonſtrat propoſitioni eſſe tres ſenſus: Duos Apollinariſtarum aut Eutychianorum, tertiam orthodoxum. Quod ipſum in ſuo contrà tria Capitula Edicto Imperator Juſtinianus, & in octavo ſuo Canone demonſtravit quinta Synodus. Affirmavit & ipſe S. Cyrillus Frequenter enim ſcribit ab iſtius ſuæ propoſitionis voce, *Incarnata*, non ſolam importari carnem, ſed carnem rationali anima ac mentem formatam, hoc eſt, integrum ac perfectum hominem. Utique ad excludendum Arium ac Apollinarium, quorum unus totam animam, alter garriebat Chriſto Domino defuiſſe mentem. Item ad excludendos Polemonem ac Timotheum, blaſphemantes aſſumptum hominem per confuſionem & mixturam tranſiiſſe in Divinam naturam, ideoque exinde non fuiſſe, niſi naturam unicam. Et hinc ſequentes Græcorum Patres, dum propoſitionem probant aut laudant, paſſim adjungunt à ſe laudari ac probari in ſenſu Sancti Cyrilli.

Sunt aliquot quæſtiones. Prima eſt, An iſta Cap. 4. propoſitio fuerit aliquando probata ac uſitata à Sancto Athanaſio? Leontius Byzantinus in libro de Sectis conſtanter negat. Adversùm illius buccinatores Eutychianos profitetur propoſitionem à ſe omninò admitti, addit tamen non à Sancto Athanaſio, ſed ab hæreſiarcha Apollinario inductam in Mundum, & primum ejus ortbodo-

thodoxum comprobatorem fuiſſe Sanctum Cyrillum. Ab hoc eſſe inductam in Eccleſias. Et demonſtrat: *Eutychiani, dum à nobis interrogantur, ubi Dictum hoc eſſet in Sancto Athanaſio, nec ejus oſtendendi copiam habent in arctum coacti, puſillam quamdam orationem proferunt, quaſi duorum foliorum, in qua Dictum hoc legitur. At notum eſt univerſis, omnia Sancti Athanaſii opera valdè magna eſſe. Quid autem ad hoc reſpondebimus, quod Beatum Cyrillum producunt, citantem hoc Dictum in libro adverſùs Theodorum, quaſi profectum ab Athanaſio? Nimirum dicimus reapsè illud quidem in Beati Cyrilli contrà Theodorum Invectivis legi ſed mendum eſſe priſcum. Dioſcorus enim, Succeſſor Beati Cyrilli factus, cum ejus opera reperiſſet: fortè non veritus eſt inſerere nonnulla, quæ ipſi libitum fuit. Neque verò conjecturis nos niti, quod beatus Cyrillus illud contrà Theodorum non produxerit, ex eo quoque manifeſtum eſt. Nam Theodoretus, qui Theodorum defendebat, univerſas Authoritates refutans, quaſcumque Sanctus Cyrillus contra Theodorum de Sanctis Patribus protulerat, nuſquam hujus Dicti meminit. At enim iſti referunt à Theodoreto callidè omiſſum. Quod enim adverſis oculis eam authoritatem adſpicere non poſſet, ut admodùm planam & apertam, idcircò ſponte ab ipſo prætermiſſam. Reſpondemus tantùm abeſſe, ut eam ibi poſitam Theodoretus præterire voluerit, ut cum Beatus ille Cyrillus alibi dixiſſet unam naturam Dei ſermonis incarnatam, ſi quidem ſciviſſet Theodoretus id verbum, quod apud Cyrillum extat, ex Sancto Athanaſio citatum, nequaquam adeò temerè dicturus fuerat:* Quis tibi Patrum dixit unam naturam Dei Sermonis incarnatam? *Viciſſim ingerunt, tam eſſe certum, ſciviſſe ſic locutum Athanaſium, ut etiam dixerit:* Quemadmodum Patres locuti ſunt. *Nos contrà quemque dicimus enim, ut oſtendat ea à Patribus prolata, quæ ipſe tradit, ſi non eiſdem verbis, ſaltem vi verborum eadem.* Hypatii Epheſini Epiſcopi, idem cum Leontio ſentientis, verba ſuprà audivimus. Et tunc non ex ſui ſolius, ſed ex omnium Collegarum eſt locutus ſententia. Etiam Sanctus Martyr & Abbas Maximus, licet ſit conſtans iſtius propoſitionis defenſor, nullibi dicit eſſe Sancti Athanaſii.

Reſpondeo tamen eſſe. Etenim Sanctus Cyrillus non in ſolis contrà Theodorum Mopſueſtienſem libris iſtud affirmat, ſed etiam in ſuo contrà Neſtorium libro ad Reginas. Inter varia iſtic Sanctorum Patrum teſtimonia adducit & Sancti Athanaſii de Verbi incarnatione librum, in quo hæc habentur: *Agnoſcimus unam Divini Verbi incarnatam naturam.* Exſtat ſub alia Latina translatione in ſecundo Tomo Sancti Athanaſii. Eſt omninò illud Opuſculum quaſi duorum foliorum, quod Leontius prætendit eſſe Spurium. Sanctus Cyrillus conſtanter affirmat eſſe legitimum. In eodem ſecundo Tomo exſtat brevis ad Imperatorem Jovinianum Epiſtola, in qua Sanctus Athanaſius denuò profitetur *unam Sermonis naturam, naturamque ac perſonam incarnatam.* Sancti Cyrilli contrà Theodorum libros amiſimus, ideoque ex ipſis, aut de ipſis proferre non poſſumus firmum judicium. Interim Leontius non aſſeverat, ſed ſolummodò dicit eſſe forſitan vitiatos à Dioſcoro. Certè aliud ipſe Dioſcorus dixit ad Chalcedonenſem Synodum: *Ego teſtimonia habeo Sanctorum Patrum, Athanaſii, Gregorii, Cyrilli, in multis locis. Et horum teſtimonia non ſimpliter neque tranſitoriè, ſed in libris habeo.* Non in ſolis Sancti Cyrilli contrà Theodorum libris, ſed etiam in ipſis Scriptis Sancti Athanaſii. Et nemo ipſum arguit de illato libris vitio. Et ipſe Leontius non Athanaſii, ſed ſolos iſtos Cyrilli libros ſcribit ab ipſo vitiatos.

Nullum interveniſſe vitium etiam lucet ex Synodalibus interlocutionibus Euſtatii Beritenſis Epiſcopi. Hic enim in Epheſino Latrocinio, ut Hæreſiarcham Eutychetem ablueret, adduxit iſtam Sancti Cyrilli propoſitionem, & adjunxit: *Sanctus Cyrillus hanc ſuam vocem teſtimonio Beatiſſimi viri Athanaſii confirmavit.* At verò in Chalcedonenſi Concilio iſta ejus interlocutio fuit vocata in reatum, ideoque ipſe in medium tranſiens, & librum manu geſtans, conſtanter dixit: *Si malè dixi, ecce codex. Liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizer.* Nequaquam omne ſuum pro Eutychete ſuffragium, ſed iſtam dumtaxat propoſitionem ſuſtinuit. Hinc Ægyptii, & alii cum ipſis Epiſcopi acclamaverunt: *Euſtatius Epiſcopus benè dixit. Orthodoxus benè dixit.* Agebatur iſtic contradictorium judicium, eratque tempus ac opportunitas, immò & neceſſitas demonſtrandi ac damnandi vitii per Dioſcorum illati in libros Sancti Cyrilli. Et ex tot Epiſcopis nullus fecit vel minimam iſtius rei memoriam, ideoque clarum eſt Leontium falli. Iſtas voces eſſe omninò Sancti Athanaſii apud Photii Bibliothecam conſtanter affirmant Sanctus Ephremius Antiochenus & Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus. Lib. 229. & 230. Quod ipſum in variis locis ſcribit Sanctus Joannes Damaſcenus. Laudatus Eulogius Sancti Cyrilli, Gregorii Thaumaturgi, aliaque Patrum loca, quæ Chalcedone Dioſcorus, ac in Conſtantinopolitana Collatione Severiani Epiſcopi pro ſe adduxerant, maturè diſcutit, & omnia fatetur ſpuria, præter teſtimonia Sancti Cyrilli. Hæc aſſeverat eſſe omninò authentica.

Quæſtio ſecunda eſt, An iſta propoſitio ſit approbata per Epheſinam aut Chalcedonenſem Synodum? Negat Sanctus Martyr & Abbas Maximus. Etenim Pyrrho Patriarchæ Conſtantinopolitano, ingerenti duas Chriſti Domini voluntates ac operationes per nullam Synodum adſtrui, in erudita contrà illum diſputatione repoſuit: *Si ea tantùm confiteri oportet, quæ à Synodis dicta ſunt, nec una Dei Verbi natura incarnata dicenda eſt, quæ omnem Myſterii pietatem complectitur, cum nullo Synodi Decreto edita ſit.* At verò laudatus Eulogius aſſerit oppoſitum. Etenim Photius demonſtrat, quod iſtas voces ſtrenuè tueatur, ac rectè exponat, & adjungit: *Poſtquam Eulogius hæc & ſimilia pro propoſitæ vocis defenſione dixit, oſtendit eadem à Synodo Chalcedonenſi judicata & prædicata, tum per alia, tum ex iis, quibus Synodus profeſſionem fidei Flaviani, propria ipſius manu ſcriptam, confirma-*

*vit*. Reſpondeo inter hoſce Patres nullam eſſe diſſonantiam. Etenim Sanctus Maximus de Synodali per plenum examen ac omnium Epiſcoporum ſubſcriptionem canonizatione, Sanctus Eulogius agit de ſimplici comprobatione per aliquam laudabilem memoriam. Quod ipſum in ſua fidei profeſſione tradit Joannes Maxentius. Eos, qui propoſitionem volebant à Chalcedonenſi Synodo damnatam aut improbatam, revincit ex eo, quod iſta plena Synodus Sancti Flaviani profeſſionem, quæ iſtam propoſitionem disertè profitetur, juſſerit ac audiverit ſibi legi, & approbaverit.

Quæſtio tertia eſt, Qua de cauſa Sanctus Cyrillus iſtam æquivocam, Apollinariſtis ac Arianis familiarem, & multis Catholicis inviſam propoſitionem induxerit, aut certè reduxerit in Eccleſiam? Reſpondeo cum laudato Eulogio, de quo præfatus Photius: *Prima Sancti Cyrilli ad ſucceſſum epiſtola proponit Hæreticorum opinionem, quæ ait, quòd dicere duas naturas indiviſas poſt unionem, ſit contrarium eis, qui colunt unam Dei Verbi naturam incarnatam. Contrà quos veritatis Patronus differit, quod qui unam Verbi naturam incarnatam docent, clarè velint voce demonſtrare unionem illam, quæ eſt ſecundùm Hypoſtaſia. Et quo Verbum hominem præexiſtentem non aſſumpſerit, ſed reverà factum ſit caro*. Quod hæ voces, *In Chriſto Domino ſunt duæ naturæ indiviſæ*, & *Chriſtus Dominus eſt una natura Dei Verbi incarnata*, ſibi invicem adverſentur, ſuprà clamantes audivimus & Neſtorianos & Eutychianos. Ambo duas naturas, licèt indiviſas, cenſuerunt admitti non poſſe ſine duabus hypoſtaſibus. Neſtorius enim non qualemcumque, ſed dogmatizavit naturarum indiviſionem, ſeu conjunctionem ſecundùm parem authoritatem & gloriam. Inſuper an iſta talis qualis unio ſtatim à primo conceptionis puncto fuerit Domino donata, omninò ceſpitavit Neſtorius. Ad iſtas igitur blaſphemias firmiſſimè proſcribendas Sanctus Cyrillus, induxit aut reduxit præfatas voces: Uti Nicæna Synodus ad proſcribendam doloſam Arii blaſphemiam, induxit vocem, *Conſubſtantiale*. Et Sanctus Eulogius affirmat rectè feciſſe: Eò quod iſtæ voces importent unionem ſecundùm hypoſtaſim, hoc eſt, illam unionem, quæ humanam naturam à primo creationis ac exiſtentiæ puncto poſuit in Divina Dei Verbi hypoſtaſi. Quod ipſum in libro de Divina Incarnatione tradit venerabilis Theodorus, Presbyter Raithenſis Monaſterii: *Eccleſia Catholica media inter Neſtorianos ac Eutychianos via Regia incedit. Non enim ſimpliciter unam naturam profitetur in Chriſto, ſed potius unam naturam Dei Verbi Incarnatam. Adjungendo enim*, Incarnatam, *declarat naturam humanitatis, quàm natura Dei Verbi aſſumpſit. Non per unionem ſecundùm affectum, aut aliam habitudinis motionem, ſed ſecundùm hypoſtaſim*. Et adjungit: *Secundùm hypoſtaſin unio ſignificat non priùs fuiſſe formatam humanitatem, & ſic in eam eſſe ingreſſam Divinitatem, ſed unitam eſſe Divinitati tum primùm ſubſiſtendo*.

Sanctus Eulogius de iſta propoſitione adjungit: *Hæc autem vox non ſatìs demonſtrat Myſterii perfectionem. Ubi enim licet accipere per vocem, fueritne animata aſſumpta caro, nec ne? Et an ſolum carne indutum ſit Dei Verbum, vel reverà natum ſit caro? Undè porrò quod perfecta & inconfuſa concurrentia naturarum permanſerit? Nihil enim horum ex ea clarum reperies*. Propter hanc non plenam myſterii ſignificationem, affirmat iſtas voces placuiſſe Apollinario ac Eutycheti. Similem imperfectionem affirmat reperiri etiam in his vocibus: *In Chriſto Domino ſunt duæ naturæ indiviſæ*. Et demonſtrat: *Qui verò duas inconfuſas aſſerunt naturas, inconfuſa quidem concurrentia conſervant, ſed unionem Hypoſtaticam per eaſdem voces non prædicant. Fieri enim poteſt, ut contrà improbè capiant, quod unitum eſt: Ut Neſtorius, honore, & gloria, & aliis Hæreticorum inventis*. Ad hos dolos excludendos aſſerit à Sancto Cyrillo inductam vocem de unica Dei Verbi incarnata naturà. Et concludit: *Imperfecta ergo eſt utraque vox, ut ex prioribus patet, non alteram arripiendo. Itaque intelligo eam vocem, quæ dicit unam Verbi naturam incarnatam, & illam quæ dicit duas naturas inconfuſas utramque perficere, inter ſe copulatam. Verbi enim natura incarnata unionem Hypoſtaticam ſimpliciter profert, qui verò duas indiviſas aſſerit naturas, immixtum & inconfuſum eorum, quæ conjunguntur, ſignificat. Igitur altera vox diviſa ab altera, & captiosè adducta, juſtiſſimam reprehenſionem meretur*. Quidam olim, etiam Orthodoxi, vocem, *Deipara*, de Apollinario, vocem, *Hominipara*, cenſebant ſuſpectam de Neſtorio: Hinc neutram volebant ſolitariè proferendam, ſed ad omnem evitandam ſuſpicionem ambas ſemper in ſermone conjungendas: Hoc ipſum Sanctus Eulogius obtinere vult in præſentibus propoſitionibus. Singulas ſolitariè ſumptas affirmat imperfectas, ideoque & ſuſpectas. Et iſtam per omnia ſententiam amplexus fuit etiam Theodorus Raithenſis. Etiam Sanctus Martyr & Abbas Maximus in epiſtola, quam de rectis Eccleſiæ Decretis ad Joannem Cubicularium ſcripſit adversùm impias nugas Severi Hæreſiarchæ. Et non caruerunt fundamentis. Alii tamen Patres cenſent iſtas, etiam ſolitariè prolatas, voces eſſe Sanctas & utiles. Præſertim poſt plenam mortem ac ſepulturam Eutychianæ blaſphemiæ. Videatur variis in locis Sanctus Joannes Damaſcenus. In libro de natura compoſita rectè affirmat propoſitionem, *Chriſtus Dominus eſt una Dei Verbi natura incarnata*, eſſe ſimilem huic: *Chriſtus Dominus eſt una Carnis, ſeu hominis natura Deificata*. Quod ipſum ſcribit Sanctus Anaſtaſius Sinaita.

Quarta quæſtio eſt, An Sanctus Cyrillus, dum unam Dei Verbi naturam incarnatam dixit, vocem, *Natura*, acceperit pro eſſentia, an pro perſona aut Hypoſtaſi? Laudatus Anaſtaſius conſtanter affirmat accepiſſe pro perſona; *Sapientiſſimus Pater nomine naturæ unius incarnatæ aliud non intellexit, quam unam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis incarnatam eſſe*. Verbum enim Caro factum eſt: *Ut Evangeliſta dicit*. Idem in ſua fidei profeſſione cenſuit Joannes Maxentius: *Unam duarum naturarum*

*ſubſi-*

*ſubſiſtentiam ſeu perſonam, quam nobis veneranda Chalcedonenſis Synodus tradidit, nullius alterius, niſi Dei Verbi incarnati confitemur. Propter quod nec illam ſententiam, quam quaſi contrariam Synodo quidam exiſtimant, id eſt, unam naturam Dei Verbi incarnatam, avertimus: Quia nihil aliud, niſi unicam ſubſiſtentiam, ſive perſonam in duabus naturalis docet unitas.* Conſonat Imperator Juſtinianus in ſuo Edicto contra tria Capitula: *Super alias Sancti Cyrilli doctrinas, & hoc ab ipſo dictum ſuſcipimus, unam naturam Dei verbi incarnatam. Quoties ipſe pater iſtud dixit, naturæ nomine uſus eſt pro ſubſiſtentia.* Edictum iſtud, licet ſub Juſtiniani nomine prodierit, nequaquam tamen ipſe eſt ejus author, ſed authores habet eruditiſſimos Græcorum iſto tempore Epiſcopos, ideoque eſt non modicæ authoritatis.

Reſpondeo Sanctum Cyrillum vocem, *Natura*, aliquando accepiſſe pro hypoſtaſi aut ſubſiſtentia. In tertio de fide libro Sanctus Joannes Damaſcenus iſtud demonſtrat ex his ejus verbis, in ſecundi Capituli adversùs Theodoretum Apologia: *Verbum hoc* ſecundùm ſubſiſtentiam, *Nihil aliud demonſtrat, niſi ſolùm Verbi naturam, ſivè ſubſiſtentiam, quod eſt ipſum Verbum.* Idem Cyrillus, uti unam Dei Verbi naturam, ita quandoque dixit unam Dei Verbi incarnatam hypoſtaſin: Ita ſcripſit in ipſa duodecim Capitulorum ad Neſtorium epiſtola: *Voces, quæ in Evangelio leguntur, uni Dei Verbi incarnati hypoſtaſi tribuamus.* Quæ phraſis placuit etiam Sancto Proclo. In ſuo enim ad Armenios Tomo ſcripſit: *Unam incarnati Dei Verbi confiteor hypoſtaſin.* Eadem utitur Sanctus Abbas & Martyr Maximus in oratione adversùm Severi dogmata ſcripta ad illuſtrem virum Petrum. In litteris ad Jovinianum Imperatorem Sanctus Athanaſius utramque phraſim conjungit: Scribit unam naturam ac hypoſtaſim Dei Sermonis incarnatam. Attamen in libello de Dei Verbi incarnatione omittit vocem, *hypoſtaſis*, & adducit ſolam vocem, *Natura*. Et hinc Sanctus Joannes Damaſcenus in præfato libro rectè affirmat Sanctum Cyrillum hac in re fuiſſe apertè locutum, & vocem, *Natura*, palam accepiſſe pro eſſentia non pro hypoſtaſi. Eſſe manifeſtum ex ejus litteris ad Succeſſum Epiſcopum. Adducit earum verba & concludit: *Sanctus igitur Cyrillus hic Verbi naturam in natura collocavit. Nam ſi pro perſona naturam accepiſſet, haud abſurdum fuiſſet etiam citra hoc vocabulum,* Incarnatam, *id dicere unam. Unam enim Dei Verbi perſonam abſolutè dicentes haudquaquam aberramus. Conſimilem etiam in modum Leontius Byzantinus de natura hunc locum intellexit, non de perſona.* Quæ omnia adversùm Eutychianos confirmat in libro de natura compoſita.

Quæſtio quinta eſt, An nullus poſt magnum Athanaſium, ac antè Sanctum Cyrillum nullus Eccleſiæ Pater fuerit uſus iſtis vocibus? An toto medio tempore voces iſtæ dormierint? Reſpondeo non dormiiſſe. Etenim de iſtius propoſitionis Patronis, ipſam Sancto Cyrillo vetuſtiorem aſſerentibus, pergit in ſuperiùs adducto loco Leontius Byzantinus: *Producunt & aliam*, præter Athanaſianam, *authoritatem ex Erecthio, cujus inter Patres nec auditum eſt unquam nomen. Adeò quidem, ut cum Timotheus Elurus contra Chalcedonenſem Synodum ſcripſiſſet & Erecthii authoritatem citaſſet, Cyrus qui apud ipſum Presbyteri loco erat, his ad eum verbis perſcripſerit: Mallem hoc te corrigere. Nam Erecthii nomen inter Patres numquam fuit auditum. Hæc conſideranda veniebant.* Adn. Not. In fine Act. VIII. Honorificentiùs de Erecthio loquitur in Photii Bibliotheca Sanctus Ephremius Patriarcha Antiochenus: *Gregorius Neo-Cæſaræenſis, Athanaſius, Julius, Cyrillus, Erecthius unam Dei naturam incarnatam ſentiunt.* Erecthius, licet inter Patres paſſim non cenſeatur, fuit tamen non obſcuri nominis Epiſcopus. Etenim memoratus ac ſceleratus Timothei Eluri liber habuit & hunc titulum: *Authoritate Sanctorum Patrum contra eos, qui dividunt in duas naturas unum Dominum Jeſum Chriſtum poſt unionem.* Et hæc fuit prima authoritas: *Beati Erecthii Epiſcopi Antiochiæ in Piſidia, ex homilia recitata in Sancta Epiphania, in Eccleſia Conſtantinopolitana, ſedente Beato Proclo Epiſcopo.* Iſtud & Timotheani libri, & Erecthianæ homiliæ fragmentum nobis cuſtodivit ipſe Leontius in Appendice librorum contrà Neſtorianos ac Eutychianos. Et ex his omnibus diſcimus plura. Primò, quod Erecthius fuerit Metropolita Piſidiæ, Anteceſſor Candidiani, qui adfuit Epheſino Latrocinio. Secundò, quod Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuam rapinam aſſiduè continuaverint, & quod plures Aſiatici Epiſcopi iſtum Patriarchatum contra ſui Epheſini Exarchi mentem & jus agnoverint. Hinc enim Erecthius ſub Sancto Proclo, uti ſubditus, eſt concionatus ad Regiæ civitatis Clerum & Populum. Tertiò, quod Erecthius fuerit, & quidem inſigniter, orthodoxus. Hinc enim nequaquam Neſtorio adhæſit, ſed validiſſimo ejus Adverſario, Sancto Proclo. Haud dubiè etiam hujus Anteceſſori Maximiano. Quartò, quod Sancto Cyrillo nequaquam anterior fuerit, ſed coætaneus. Interim iſtas voces nequaquam ab ipſo accepit. Etenim de illis moveri non cœpit quæſtio, niſi poſt initam pacem inter Ægyptii ac Orientis Eccleſias: & tunc nequaquam erat tempus, in quo alienæ Diœceſis Epiſcopus inciperet uti ſuſpectis, ac in litem vocatis vocibus. Proindè Erecthius illis uti antea cœperat: videlicet propter authoritatem Sancti Athanaſii, aut aliorum iſtiuſmodi Patrum. Proinde ille uſus nunquam plenè dormiverat.

CAPUT

## . CAPUT LXXXV. –173

*Cyrillus Theognoſto, & Charmoſyno, Presbyteris, & Leontio Diacono in Domino ſalutem,*

DE omnibus rebus ſcribimus vobis. Deinde tanquam nihil agnoveritis, ſic ſcribitis, turbis nos replentes. Scio igitur ſcripſiſſe me vobis, quia benè Seniſſimus & Dei Colentiſſimus Acacius Berrbææ per adhortationem aliquorum de Oriente Reverendiſſimorum Epiſcoporum ſcripſit ad me per Dominum meum Magnificentiſſimum Ariſtolaum, quia oportet omnia oblitterari, quæ in Codicibus vel Epiſtolis ſcripta ſunt, & ſolo Symbolo eſſe contentos, quod in ſancta Nicæna Synodo expoſitum eſt. Ego verò ad hæc multorum verſuum Epiſtolam reſcripſi ad eum, quam & utique modis omnibus accepiſtis. Hoc enim edocuit Dilectiſſimus Eulogius Presbyter. Et nunc verò veniente Reverendiſſimo Emeſenæ civitatis Epiſcopo Paulo ad Alexandriam, omnia ſunt formata, ſuaviter quidem atque pacificè, cautè verò: Sed ſicut oportuit. Nec enim depoſitionem Dei Colentiſſimi Epiſcopi Maximiani recepimus aut Communicatores habere, aut abſolvere *à ſententia*, quæ prolata eſt ſuper eis. Neque ſimpliciter præfato Paulo communionem dedimus pro ſua perſona tantummodò, niſi obtuliſſet priùs chartam, confitens quia Dei Genetrix eſt Sancta Maria. Et quia anathematizat Neſtorii Dogmata. Sumens verò dicendi in Eccleſia locum magna voce dixit: *Quia Dei Partitem ſanctam Virginem confitemur, & quia anathematizamus eos, qui non dicunt hoc. Et quia unus Filius Chriſtus, & Dominus, non duo.*

Quia verò non venit chartam habens, quod anathematizaret Joannes Neſtorii Dogmata, & confiteretur, quod & depoſitum haberet, ſed erant ſimpliciter Epiſtolæ, quæ ab eo directæ ſunt, nihil neceſſarium habentes, dixi quia non ei poſſumus communionem reddere, antequàm faciat hæc. Dum verò vidiſſem faſtidientes eos ob hoc, & ipſum Reverendiſſimum Epiſcopum Paolum nimiùm coarctatum, & Dominum Magnificentiſſimum Tribunum & Notarium Ariſtolaum, ſolutionem dans cauſæ, & ne pacem refutare putaremur, dum cauſa per dilationes adhuc longas traheretur, ſcripſimus communicatorias litteras. Dictata eſt verò charta cum conſilio Reverendiſſimi Epiſcopi Pauli, in qua debeat ſubſcribere & Antiochenus. Et miſi cum Admirandiſſimo Ariſtolao duos Clericos, ita ut ſi ſubſcriberet Joannes dejectioni vel damnationi Neſtorii, & anathematizaret Dogmata ejus, daret ei communicatorias litteras, alioquin detineret eas, ſuſcipiente cum juramento Admirandiſſimo Ariſtolao, quia charta ipſa minimè perderetur. Dixit autem, quia ſi noluerit ſubſcribere, recto curſu Conſtantinopolim petam, & edocebo ipſum Piiſſimum Principem noſtrum, quia nihil paci obeſt Alexandrina Eccleſia, ſed Antiochenus eſt qui non diligit pacem. Nullum igitur æſtuare ſinatis. Non enim ſic delitamus, ut anathematizemus quæ noſtra ſunt. Et in his, quæ conſcripſimus, permanemus, & eadem ſapiemus. Recta enim ſunt, & quæ accuſari non debeant, & Scripturis Divinis conſona, & Fidei quæ à Sanctis Patribus noſtris expoſita eſt.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola exſtat inter alias Sancti Cyrilli Epiſtolas: Verùm Caſſinenſis translatio eſt multum diverſa, ideoque fuit non prætermittenda. Hi tres ejuſdem Patris in Regia Civitate Apocriſarii videntur præceſſiſſe Eulogium Presbyterum, & ipſum habuiſſe in officio ſucceſſorem. Etenim hi tempore tractatæ & concluſæ pacis, ille autem poſt ipſius expletionem geſſit iſtud officium. Hinc Epiſtola dicit: *Hoc edocuit dilectiſſimus Eulogius Presbyter*. Nempe Sanctus Cyrillus, dum iſtos tres revocavit Alexandriam, & in eorum locum tranſmiſit Eulogium, plenam totius rei ſeriem addidit, illis communicandam. Et non eſt ambigendum, quin Eulogius communicaverit. Hinc iſtos Cyrillus durè increpat: *De omnibus rebus ſcribimus vobis. Deinde tamquam nihil agnoveritis, ſic ſcribitis, turbis nos repleates.* Statim poſt factam pacem conſtans fama replevit omnem Regiam Civitatem, quod Sanctus Cyrillus damnaſſet, aut ſaltem abjeciſſet ſua Capitula, quod admiſiſſet Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi depoſitionem, & quod ſpopondiſſet eſſe contentus ſolo Nicæno Symbolo. Hæc fama apud præſentes Apocriſarios ſuperavit omnem Eulogii relationem, ideoque ipſum ſuum Patriarcham voluerunt conſulere. Et ipſe reſpondit hæc omnia à Joanne Antiochiæ Patriarcha fuiſſe quidem per Acacium Berthæenſem poſtulata, at nequaquam conceſſa. Omnia eſſe per Pauli Emeſeni Epiſcopi interventum firmata, ſuaviter quidem ac pacificè, attamen cautè. Et concludit de ſuis Capitulis: *Non ſic deliramus, ut anathematizemus quæ noſtra ſunt. Et in his, quæ ſcripſimus, permanemus, & eadem ſapiemus. Recta enim ſunt, & quæ accuſari non debeant, & Scripturis Divinis conſona, & fidei quæ à Sanctis Patribus noſtris expoſita eſt.* Et adjungit: *Nullum igitur*, utique circa horum veritatem, *æſtuare ſinatis*.

Obſcura ſunt hæc verba: *Nec enim depoſitionem Epiſcopi Maximiani recepimus, aut communicatores habere, aut abſolvere à ſententia, quæ prolata eſt ſuper eis*. Vulgata translatio eſt clarior: *Neque enim eos; qui à Piiſſimo Epiſcopo Maximiano abdicati fuerunt, ſuſcepimus, aut paſſi ſumus eis dari de communione litteras, aut à ſententia in ſe lata abſolvi*. Proinde Caſſinenſis translatio per Maximiani

miani

miani depoſitionem videtur non paſſivam intelligere, ſed activam. Dicit quod Sanctus Cyrillus ipſam noluerit communicatores. Vocem, *Depoſitio*, accipit pro perſonis Synodaliter à Maximiano depoſitis. Et ſic, *Depoſitionem habere communicatores*, eſt non mala Syntaxis. Venerabilis Maximianus in ipſo ſuæ Epiſcopalis conſecrationis Feſto fecit cum ſuis Conſecratoribus ac aliis advenis Epiſcopis Synodum, diſcuſſit illic Epheſi factam plurium Orientalium Epiſcoporum degradationem, & ipſam confirmavit. Præſertim in quatuor, Dorotheum Martianopolitanum, Himerium Nicomedienſem, Helladium Tharſenſem, ac Eutherium Thyanenſem. Fama vulgabat ipſos in pacis Tractatu eſſe à Sancto Cyrillo admiſſos in gradum ac fraternam communionem, ideoque magnam admirationem ingerebat iſtis Apocriſariis. Eadem fama eandem admirationem injecit Donato Nicopolitano Epiſcopo, veteris Epiri Metropolitæ, & ſimilibus hujus litteris Sanctus Cyrillus reſpondit: *Sciat & hoc quoque tua Sanctitas pientiſſimum Epiſcopum Paulum initio plurimùm inſtitiſſe Helladii, Eutherii, Himerii, & Dorothei, depoſitorum cauſa, ac obnixè rogaſſe, ut quæ contra ipſos decreta erant, abrogarentur. Affirmabat enim pacem Eccleſiarum aliter perfici non poſſe, niſi id quoque fuiſſet adjectum. Ego verò reſpondebam ipſum rem omnibus modis impoſſibilem conari, eo quod nos iſtud numquam eſſemus permiſſuri. Manſerunt itaque in eodem ſchiſmate, in quo etiam nunc perſeverant, neque ulla eorum in conditionibus de pace Sanctarum Eccleſiarum propoſitis facta eſt mentio.* Valida Pauli Emeſeni inſtantia dederat famæ occaſionem nunciandi, quod iſti quatuor eſſent admiſſi.

Pacis conditiones, & quas Joannes Antiochenus per Acacium Berrhæenſem poſtulavit, & quas juxta Principis & Conſtantinopolitanæ Syndi Decretum Sanctus Cyrillus admiſit, habemus in ejus litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Poſteaquam Orientalibus Regium Decretum expoſitum eſt, & tamquam factum ex eorum Epiſcoporum ſententia, qui Conſtantinopoli aderant, conſilio, neſcio quo apud piiſſimum Berrhæenſem Epiſcopum Acacium congreſſi, ſcribi ad me curarunt conventionis modum, id eſt, Sanctarum Eccleſiarum pacis, niſi eo modo, quem ipſi præſcriberent, fieri non debere. Erat autem ea petitio gravis ac moleſta. Volebant enim ea omnia aboleri, quæ vel Epiſtolis, vel Tomis, vel libris evulgaverant, & ſoli fidei, quæ à Sanctis Patribus noſtris Nicææ edita fuerat, conſentire. Ego verò ad iſta ita reſcripſi: Expoſitioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, quæ verò contra Neſtorium ſcripſimus, ea ejuſmodi eſſe, ut nulla nobis ratione perſuaderi poſſit, ut rectè ſcripta eſſe negemus. Opus proinde magis eſſe, ut ipſi juxta piiſſimi Imperatoris Decretum, Sanctæque Epheſinæ Synodi ſanctionem, illum ejicerent qui contra Chriſti Salvatoris gloriam pugnavit, ac impias illius blaſphemias anathemate inſectarentur, ejuſque depoſitioni conſentirent, & Sanctiſſimi Epiſcopi Maximiani Ordinationem approbarent.* Et has tres conditiones omninò tunc admiſerunt.

Sua, quæ in hac Epiſtola laudat, cum Paulo Emeſeno Acta Sanctus Cyrillus amplè exponit in litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum: *Paulum Emeſenum Epiſcopum non prius ad Synaxim recepi, quam dato libello Neſtorii dogmata ſuo Scripto anathematizaſſet, ſeque illum pro depoſito habere confeſſus eſſet, & Ordinationi religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani aſſenſiſſet. Petiit autem, ut iſtis à ſe omnium Religioſiſſimorum Orientalium Epiſcoporum nomine oblatis libellis nihil amplius exigerem: Quod nulla ratione fieri ſum paſſus, ſed unà cum Domino meo præclariſſimo Tribuno ac Notario Ariſtolao duos è noſtris Clericis miſi Antiochiam, chartamque tradidi, mandans ut, ſi Joannes reverendiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſerit, & illam acceperit, tunc demum litteras de communione redderet. Ægrè enim moras ferebat memoratus clariſſimus Tribunus Ariſtolaus. Cum igitur piiſſimus Joannes ſubſcripſiſſet, & cæteri qui cum ipſo erant illuſtriores, cumque Neſtorii doctrinam anathematizaſſent, & quo ipſum pro depoſito haberent, profeſſi eſſent, ac Maximiani Religioſiſſimi Epiſcopi Ordinationem approbaſſent, communionem illis reſtituimus. Hæc enim ſola etiam Epheſi Sancta Synodus ab ipſis exigebat.* Docet nos plura. Primò, quod Sanctus Cyrillus Paulum Emeſenum in communionem admittere noluerit, niſi ſolemniter exhibito libello, in quo & orthodoxam de Dominica Incarnatione fidem, & tres iſtos articulos profiteretur. Et profeſſum non ut Orientalis Eccleſiæ Legatum admiſit, ſed ut ſingularem Epiſcopum. Et iſte libellus exſtat in Actis Synodalibus ſub hoc titulo: *Libellus, quem Paulus Epiſcopus Emeſenus Cyrillo Archi-Epiſcopo Alexandriæ obtulit, à Joanne Antiocheno Epiſcopo miſſus.* Eſt non Antiochiæ, ſed Alexandriæ ex tempore compoſitus, & conceptus in ſolum nomen Pauli: *Domino meo per omnia Sanctiſſimo, & ſacratiſſimo Archi-Epiſcopo Cyrillo Paulus Epiſcopus in Domino ſalutem.* Secundò docemur, quod Cyrillus ſimilem Libellum exegerit à Joanne Patriarcha ac ejus Epiſcopis: Et ante illius profeſſionem & ſubſcriptionem communicare ipſis noluerit. Tertiò, quod iſtum libellum ipſe compoſuerit, & ipſum à Joanne ac ejus Epiſcopis ſubſcribendum tranſmiſerit Antiochiam per Ariſtolaum Tribunum, ac duos ſuos Clericos. Subſcribendum in horum trium præſentia. Et hic libellus, juxta morem omninò breviſſimus, latet aut periit. Quartò diſcimus, quod Joannes ac plures ejus Epiſcopi libellum ſubſcripſerint, ſubſcriptum Cyrillo tranſmiſerint per eoſdem Clericos, atque ita compleverint integram Chriſtianæ communionis pacem. An tamen idem libellus fuerit, non plenè conſtat, Joannes poſſit formaſſe alium ſimilem. Hic enim videtur eſſe illa, in Synodalibus Actis exſtans, Joannis Epiſtola, in qua omnia Cyrilli poſtulata adimplentur, Joannes videtur ipſam cum ſolo Berrhæenſi Acacio dictaſſe & ſubſcripſiſſe: Sperans poſtmodò probandam & ſubſcribendam ab omnibus.

At

At quam ſpes illum feſellerit circa multos, infra patebit.

## CAPUT LXXXVI. —174

*Epiſtola Joannis Epiſcopi Antiochiæ ad Theodoretum Cyri Epiſcopum de Pace inter Eccleſias facta.*

QUis loquetur potentias Domini, auditas faciat omnes laudes ejus? Pervenerunt ab Alexandria ſuavia & bona Nuntia, quæ ſperari non poterant, uno ſenſu conjungentia pietatis, quæ ubique ſunt terra marique, Eccleſias Chriſti. Et per Dei gratiam futurum eſt poſt paululùm, ut ipſa quæ nobis fuerint ſcripta, tuæ Religioſitati vel Dei-Colentiæ deſtinemus. In quibus Dominus meus Religioſiſſimus Epiſcopus Cyrillus uſque ad ſatietatem uſus dogmatis acribia, ſuſcipiens atque approbans ea quæ à nobis ſunt deſtinata, magis verò per hymnos laudans, quippè ut bona, & benè compoſita, & Patrum Confeſſioni conſonantia, componens verò & ipſe ſimilia, & omni ſatisfactione pleniſſima: Unde juſtum duximus eſſe, hoc ſuavium rerum Nuntio te ut peculiariter perlætificarem. Ut ex parte etiam unuſquiſque ſuſcipere gaudium queat. Arbitror enim quod omnes, qui Deum diligunt, feſtivitatem celebrarunt. Quoniam ſuſcipimus auditum, quod omnium ſenſus fidelium reſtauret & erigat. Periclitantem namque & ſciſſam in multas & varias opiniones piam Patrum Confeſſionem ex inſperato Deus in ſemetipſam reduxit, gaudium donans his, qui in Cœlo ſunt, & qui in terra.

Expulſus eſt enim clarè ab Epiſtola ille adulterinus ſenſus unius naturæ, immò potiùs languor: Et confeſſa quidem eſt differentiam naturarum. Porrò verò unius ſingularitas & ſumma conjunctio expulſa eſt, etiam ſubintroducta illa conſubſtantiatio: Et unitio prædicatur. Et dividimus voces ut naturas, non ſolùm nos, quibus à principio & à Patribus vocum eſt ſuper Salvatore amica diviſio, ſed hi qui ſunt in Ægypto ſicut & nos qui ſumus in Oriente. Totum verò id Dei opus eſt per exercitationem collationis, quæ cum charitate eſt habita. Scit enim affectus ſæpiùs majora neceſſitate prævalere: Et ſæpè quod contentio revocare non potuit, hoc gratia ſua perſuaſione reſtituit. Et ut non in prolixum ducam ſermonem, ipſa in Scriptis ad vos poſt paululùm veniet rectæ fidei confeſſio, cum ſecundæ litteræ eas fuerint ſubſecutæ, per quas manifeſtè omnia ſcitura eſt Deo Amabilitas tua. Exivit enim ab Ægyptò, & in via eſt, annuente Deo, Dominus meus Sanctiſſimus Epiſcopus Paulus, qui illa potuit pro generalitate peragere. Quæ nos quidem orabamus, Deo autem complacuerunt. Et hujus præſentiam ſuſtinentes, ne lateret aliquid de Dei colentia, hæc interim ſcripſimus, volentes communi corpori ſatisfacere Sanctæ Dei Eccleſiæ. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem ſalutamus.

### SCHOLION.

TTeodoretus erat doctiſſimus totius Orientalis Diœceſis Epiſcopus. Et omnia pro Neſtorio adversùs Sanctum Cyrillum ac Epheſinum Concilium Attentata proceſſerant ab ejus manu & conſilio. Quare Patriarcha Joannes ipſum in hoc, quod ei non plenè communicaverat, pacis negotio ſtuduit habere non Adverſarium. Hinc illi etiam antè Pauli reditum communicavit omnia. Theodoretus ex Joannis Mandato invaſerat Sancti Cyrilli Capitula, & ipſa accuſaverat præſertim de ſequentibus: Quod duarum in Chriſto Domino naturarum differentiam auferrent, quod ſub ſummæ unionis ſuco inducerent ſingularitatem naturæ. Quod non unionem, ſed naturarum conſubſtantiationem dogmatizarent. Et Joannes illum noverat alieniſſimum à Capitulis, & non niſi illis abjectis inducendum ad amplexum pacis. Hinc illa omnia affirmat à Cyrillo eſſe correcta & abdicata, ideoque nullumupereſſe pacis obicem. Sic illum fortiter ac ſuaviter ſtudet deducere in ſua Senſa. Iſtum Cyrilli à ſuis Capitulis receſſum Joannes omnibus ſuis Epiſcopis impreſſit, hi imprimere conati ſunt ſuis Eccleſiis. Hinc tot rumores per omnem ubique populum. Hinc item tot Sancti Cyrilli ad varios Apologiæ, quibus proteſtatus eſt ſe nec receſſiſſe, nec unquam receſſurum à ſuis Capitulis. Et ex hoc fonte plures Orientalium Epiſcopi, etiam Theodoretus, non ceſſarunt peſſimè de ipſis loqui & ſcribere.

Porrò Epiſtola, in qua Joannes affirmat iſta omnia per Cyrillum correcta, eſt omninò famoſa pacis Epiſtola, quæ incipit: *Lætentur cæli & exultet terra*. Lucet ex his verbis, *Dominus meus Religioſiſſimus Epiſcopus Cyrillus uſque ad ſatietatem uſus eſt dogmatis acribia, ſuſcipiens atque approbans ea, quæ à nobis ſunt deſtinata, magis verò per hymnos laudans, &c.* Hæc enim omnia Sanctus Cyrillus palam facit in præfata Epiſtola. Et ejus exordium eſt omninò Divinus ob completam pacem hymnus. Et iſtas litteras Paulus Emeſenus ſecùm detulit. Et Joannes tunc omninò habebat earum copiam. At nulli communicare poterat. Hinc Theodoretum circumduxit his verbis: *Ipſa in Scriptis ad vos poſt paululum veniet rectæ fidei confeſſio, cùm ſecundæ litteræ eas fuerint ſubſecutæ, per quas manifeſtè omnia ſcitura eſt Deo Amabilitas tua.* Nempè poſt Pauli reditum

Joannes

Joannes debebat formatum à Sancto Cyrillo libellum de Ariſtolai manibus accipere, & ipſum coram duobus Alexandrinæ Eccleſiæ Clericis profiteri ac ſubſcribere: Et ante hæc expleta nemini poterat, aut certè nolebat, pacis myſterium ex integro pandere,

## CAPUT LXXXVII. --175

*Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri ad Joannem Antiochiæ Epiſcopum reſcripta, & ſuprà appoſitæ reſpondens nunciæ pacis.*

OPtima Magiſtrorum militia & contra hoſtes in totum cunei cornu ſtant, & pro his, qui laborant, fortiter pugnant. Et cum pacem celebraverunt, non præſentes tantum, ſed & abſentes præliantium in pace facienda connumerant ſecum. Et magnus David, dum progreſſus aliquando ad prælium victor exiſteret, & *ſpolia ad* civitatem retuliſſet, non ſolis his qui bellati fuerant, ſed & his qui vaſa cuſtodire præcepti ſunt, æquam diſtribuit portionem. Et lex facta eſt ex illo, præcipiens ut hi, qui ferunt bellica inſtrumenta, cum bellantibus partem prædæ ſimiliter ſortiantur.

Quomodò igitur non ſit incongruum, ut dum lex præcipiat, ut *cum* illi, qui longè à prælio ſedent in cuſtodia vaſorum, facti fuerint utiles, aliis participent æqualia, nos perdamus eos qui nobiſcum decertarunt pariter, ac deſpiciamus, dum ab his, qui priùs communes inimici fuerant, expugnentur viri, qui in Epheſo, & in Chalcedone fortiter pro pietate præliati ſunt, & uſque ad præſens ſteterunt unà nobiſcum, & laudabiliter agere minimè quieverunt? Si igitur pax, quæ diffamatur, firma ſubſiſtit, & vera eſt, oportet ut omnes ea fruantur, & nemo à noſtro cuneo ſotis ſit. Si verò res pacis inanis, & nudum nomen hujus fœderatores dederunt, Deo odibilem, & omni pio indignam pacem, quia talem, eſſe arbitramur.

Nec enim ſanctum eſt, nec ſalubre, ut nos quidem depoſitiones ſive damnationes juſtas ſolvamus, & Ordines illicitos ſucipiamus, & his qui omnia ſursùm ac deorſum ſecerunt, impertiamus veniam; ab illis verò, & in ipſo pacis tempore, quæ ſunt hoſtium perpetrentur: Et egregios noſtri cunei pellant ab Eccleſiis. Scribat igitur Sanctitas tua & Amatori Chriſti Imperatori, & magnis judicibus, & eis faciat manifeſtum, quia minimè patiemur hanc ſuſcipere pacem, communionemque illorum amplecti, niſi priùs hi, qui certaminum tempore nobiſcum fuerunt, ſuas receperint Eccleſias. Tuam enim Sanctitatem decet talem pacem Eccleſiis providere, quæ ab omni macula ſit libera, & quæ pios non ampliùs, quàm ipſum prælium vulneret.

Hæc ad præſens ſcribere ſum coactus, litteras iterùm ſuſcipiens Sanctiſſimi & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Himerii, culpantis nos tanquam communis certaminis proditores. Ergò & ipſum refoveat Sanctitas tua, & Imperatoribus ſignificet, quia nos deteriorem prælio arbitremur hanc pacem. Nam pugna quidem illa nos & apud Deum coronat, & apud eos, qui Divina ſapiunt, ornatos efficit; pax autem talis & hic nos confuſione replet, & apud juſtum judicem dignos efficiet ſupremo ſupplicio,

## SCHOLION.

HAc reſponſoria ad præcedentem epiſtola Theodoretus & Joannis perſonam & initam ab ipſo pacem, culpat de variis. Primò, quod iſta pax ſit clandeſtinum ſolius Joannis cum paucis aliis opus: Quod ſit facta à neſcio quibus fœderatoribus. Secundò quod ſit res pacis vacua, nudum pacis nomen, pax indigna omni pio homine. Et hoc ex variis capitibus. Primò, quia cogit ad ſolvendas juſtas depoſitiones ſeu damnationes: Nempè depoſitionem Cyrilli ac Memnonis. Secundò, quia cogit ad ſuſcipiendos illicitos Ordines: Nempe Ordinationem Maximiani. Tertiò, quia cogit ad illis, qui totum Mundum turbaverunt, dandam indulgentiam ſuorum criminum. Nempè Epiſcopis Sancto Cyrillo cooperatis ad acta Epheſina. Quartò, quod egregios Orientalis cunei bellatores pellat à propriis Eccleſiis. Nempè Helladium, Eutherium, Dorotheum, ac Himerium & præſertim Himerium. Quod enim ipſum Theodoretus ſingulariter dilexerit, docent plures epiſtolæ hujus Codicis. Et ex his concludit hanc pacem longè recedere à bellica Regis ac Prophetæ Davidis lege, quæ non ſolos bellatores, ſed etiam vaſorum cuſtodes vetat excludi à ſpoliorum aut pacis fructibus: Quæ omnes facit æquales. Hæc enim pax excludit quatuor iſtos nobiliores milites. Hinc Theodoretus proteſtatur pacem non fore admittendam, niſi iſti quatuor recipiant ſuas Eccleſias. Et rogat hæc omnia per Joannem referri ad Principem. Et ex his videmus cunctas pacis conditiones, licet Joannes Patriarcha ſedulò celaſſet, fuiſſe Theodoreto notiſſimas.

## CAPUT LXXXVIII. —176

*Epiſtola ejuſdem ad Theoſebium Epiſcopum. Ambas Ireneus ponit.*

EX quo quidem mali nominis reliquimus Epheſum, neque ſcripſi tuæ Sanctitati, nec frui me contigit tuis litteris. Et ut communem ſatisfactionem faciam, arbitror cauſam fuiſſe non itineris longitudinem, ſed ex eo, quod ab illa via, qua currunt equi, longiùs & nos & tua Religioſitas habitet. Veruntamen etſi litteras non accepimus, tuis continuè deliciamur in laudibus. Audivimus enim zelum tuum pro pietate, & fortitudinem contra iniquitatem, & multùm miramur animi perſeverantiam. Nam nos quidem longè ab hoſtibus exiſtentes, & extra ſagittarum, ſicut dici ſolet, caſum ſedentes, nihil *valemus* arduum, *niſi* bonorum virorum virtutem ſermonibus elevare, ab ipſis operibus abſtinentes. Tua verò Deo Amabilitas in medio hoſtium conſtituta, & ab eis undique circumdata, cum circumfuſi ſint inimici, fortior exſtat à malis, & quaſi vir fortiſſimus aliquis armis amictus, galea quidem emiſſarum nubem repercutit ſagittarum, lancea verò fugat inſtantes: Sic Sanctitas tua omnimodis ſpiritualibus armis amicta, ſcuto quidem fidei ignitas iniquorum ſagittas extinguit, gladio autem Spiritus & Divinorum doctrina ſermonum falſitatem convincit, fortitudinem verò veritatis oſtendit.

Propter quod beatificamus te, Sanctiſſime, & Dominum deprecamur: Simile aliquid facientes his, qui ſedentes in terra pro eis, qui pugnant inter pelagi fluctus, ferventer exorent, ut ſi placet ipſi, tempeſtates Cælicus ſolvat. Si verò adhuc oportet eos, qui nobis ſunt ſimiles, corripi, & eos nobis oſtendi, hoc vobis robur donet uſque in finem certaminum. Communis namque confidentia erit, & virilitatis Principalitas omnibus, qui in hoc ſtadium deſcendere eligunt. Quod quidem Malignus aperuit, noſtræ naturæ ſuperbiens, utile verò fecit, bonorumque procurationi accommodum Deus ille, qui Maligni machinationibus utitur ad ſalutem. Denique & nunc illos, qui contraria Doctrinæ Apoſtolicæ adſtruebant, & qui unam naturam factam docebant Chriſti naturas, & temperationem ſuper inconfuſa unitione dogmatizabant, & illas paſſiones, quæ pro noſtra ſalute Carni Domini ſunt illatæ, inconvertibili & incommutabili Divinitati adſcribere tentaverunt, in alteram doctrinam, quæ his eſt è regione contraria manifeſtè, reduxit, & Evangelicam redoceri regulam compulit.

Undè duas confiteri naturas præſenti tempore perſuaſi ſunt, & vertibilitatem confuſionemque ab Eccleſiaſticis exilientes dogmatibus, naturarum *differentiam* clara prædicant voce, & paſſiones Carni coaptantes, impaſſibilem Divinam confirmant eſſe naturam. Tantum & ipſis Adverſariis hoc ſtudium profuit: Non propter Diaboli nequitiam, ſed propter Dei noſtri miſericordiam & ſapientiam. Credimus quod & iniquitatem convincat, ſicut impietatem nudavit; & juſtitiæ proſpiciat, ſicut pietatem oſtendit. Et omnibus perſuadeat, quia nihil eſt, quod non regatur ab eo. Neque quid negligat, ſed omnia ſapienter gubernans permittat ad modicum contra navem ſævire procellas, ut virtutem propriam navigantibus innoteſcat. Viriliter igitur age, Domine, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Et me autem ſuffulcias tuis orationibus, quæſo, qui valdè tali præſidio egeo, tam propter animæ infirmitatem, quàm propter corporis quoque languorem.

### SCHOLION.

INter Epheſinos Joannis Antiocheni aſſeclas fuit Theoſebius Cii Epiſcopus, cujus ſedem quidam Codices dicunt fuiſſe in Bithynia. Eſt item alia Cius in Phrygia. Alia ſimiliter in provincia Rhodopes. Hic præſens videtur fuiſſe ille Bithynus. Scribitur enim fuiſſe zeloſiſſimus pro pietate, hoc eſt, pro Orientali factione: Et fuiſſe conſtitutus in medio hoſtium, ab *ipſis* undique circumdatus & circumfuſus: Fuiſſe vir fortiſſimus, id eſt, pertinaciſſimus contra Sanctum Cyrillum, ac ejus Capitula. Pertinacem zelum didicerat à ſuo Metropolita Himerio. Erat autem in hoſtium medio, quod omnis illa præter Metropolitam, ac paucos Epiſcopos provincia adhæreret Sancto Cyrillo, ac decretis Epheſini Concilii. Nam & Chalcedonenſis Epiſcopus, per Chalcedonenſem Synodum necdum exaltatus, erat tunc ſuffraganeus iſtius provinciæ: Et ejus contra factioſos Legatos, quorum unus erat proprius Metropolita, conſtantiam ſupra audivimus.

Porrò quis hanc epiſtolam ſcripſerit, eſt incertum & vagum. Fuit quis ex Joannis Antiocheni, ac initæ per ipſum pacis ſectatoribus Epiſcopis: Et ejuſdem pacis acceptationem ſtudet perſuadere Theoſebio. Hinc ſcribit Cyrillum eſſe converſum, ac receſſiſſe à ſuis Capitulis. Affirmat ab illo, qui antea unicam Domini ex duarum temperatione & confuſione factam naturam, nec non Divinæ naturæ paſſibilitatem ac mutabilitatem prædicabat, jam prædicari duas ſine confuſione naturas, admitti ipſarum differentiam, paſſiones nequaquam Divinitati, ſed ſoli carni adſcribi, ideoque nullam eſſe remoram pacis. Affirmat has lites tantopere profuiſſe Cyrillo: Non per Diaboli nequitiam, ſed per miſericordem Divinæ bonitatis providentiam. Metropolita Hime-

Himerius erat à pace excluſus, ac firmatus in Epheſina & Conſtantinopolitana degradatione: Hine quis amicus inter Orientales Epiſcopus Theoſebio ſuadet, ut ipſum deſerat, accedat ad pacem ac ſalvet ſemetipſum. Erat quis Epiſcopus longè diſſitus à Theoſebio, longè diſtans ab hoſtibus, ac ſedens extra ictos ſagittarum. Nempè erat propè Antiochiam, ubi propter Joannis Patriarchæ vigilantiam ac reverentiam erant pacata omnia.

## CAPUT LXXXIX. —177

*Verba Irenæi, quæ poſt Joannis Epiſtolam ſupra ſcriptam contra Theodoreti dixit.*

His credeas, immò verò indoctus iſte Amator Dei, & Eccleſiæ quondam Doctor, qui regebat currum, eſt valdè quidem obdoctus de bonis paci nonciis. Quomodò enim poſſet aliter evenire? Nondum verò ſciens hujus modum famoſiſſimæ paſſionis, ſed neque omninò in animo pro nimietate impietatis accipiens, quæ molimina eſſent, non ad ipſum ſolum, ſed inſuper ad alios multos ſimilibus uſus eſt litteris.

### Scholion.

Hoc Irenæi Scholion in præcedentem Theodoreti epiſtolam affirmat varia. Primò, quod Theodoretus fuerit amator Dei, Eccleſiæ quondam Doctor, & rector currus, hoc eſt totius Orientalis Diœceſios. Et vera dicit. Etenim de ſuo in Deum amore Theodoretus inſignem ſcribit profeſſionem in vita Anachoretæ Macedonii. Affirmat ſe matri Divinitus datum ad ejus preces, & priùs Deo promiſſum, quam natum. De ſua doctrina ad Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham ſcribit ſe ſub Theodoto ſex, ſub Joanne Patriarcha tredecim annis docuiſſe Antiochenam Eccleſiam. Et poſtea aliis novem ſub Domno. Hoc poſt præſentes lites. Etiam ſe frequenter apud Berrhæam coram Magno Epiſcopo Acacio fuiſſe concionatum teſtatur in litteris ad Berthæenſes Clericos. Erat item rector currus, utpotè mens, os, & lingua omnium iſthic Synodorum. Fuit reverà ſummus Epiſcopus. At incidit in diſtorta tempora.

Epiſt. 83.

Irenæus ſecundò affirmat ipſum fuiſſe valdè obductum de bonis pacis nunciis. Etenim Theodoretus dudum credere non potuit Neſtorium eſſe hæreticum, ideoque nec ejus damnationem voluit admittere. Epheſinum Latrocinium ei aperuit oculos: Iſta vexatio dedit intellectum. Quod iſtam damnationem tunc admittere cœperit, docet Magni Leonis Pontificis Reſcriptum ad ejus Romanam appellationem. Et iſtam damnationem eſt tandem in Chalcedonenſi Concilio ſolemniter profeſſus. Etiam quatuor memoratorum Epiſcoporum à pace excluſio illi graviſſimè diſplicuit. Tertiò, Irenæus iſtam pacem appellat famoſiſſimam paſſionem. Eiſdem de cauſis. Ejus nuncia appellat bona per Ironiam.



## CAPUT XC. —177

*Epiſtola Andreæ Samoſateni Epiſcopi ad Alexandrum Hierapolitanum.*

Multi & per litteras, & per ſemetipſos pacem nobis annonciant: Et hi videntur nobis condelectari de hoc bono nuncio. Ego verò ea, quæ ſunt in medio, cernens, ſicut & tua Sanctitas novit, videor quidem cum faſtidio ſuſcipere nuncios, ingemiſco verò apud memetipſum cogitans, quaſi non aliquid novius nunc nobis ab Alexandria deferatur: *Pax cum corruptione fiet fidei*. Nam litteras quidem, quæ ab Alexandria directæ ſunt, legens, quas & olim tuæ Sanctitati tranſmiſi, clariorem vidi impietatem divulgari. Video autem multos eorum, qui videbantur pro fide certare, particulariter ſubdeponentes, & ſatisfacientes pro his, qui nos ad jurgia concitaverunt, tanquam perducti ſint, & ſapiant rectè. Et quem exitum cauſa ſuſcipiat, videre non poſſum. Vereor autem, ne circa Anthoninum meum inveniam ut Eulogias ab Apollinario accipientes. Tua verò Sanctitas, Domine, ſufficienter pro pietate decertans, & nos confirmat atque corroborat, & Deus cunctis te foventibus columna, & firmamentum veræ fidei exiſtet.

### Scholion.

Hæc Epiſtola eſt ejuſdem temporis ac formæ. Nam & Andreas Epiſcopus ab iſta pace, ſibi per famam ac per litteras nunciata, timebat omnia infelicia: præſertim ne fieret cum injuria & corruptione Chriſtianæ fidei. Primum timoris fundamentum eſt in his verbis: *Litte-*

*ras, quæ ab Alexandria directæ ſunt, legens, clariorem vidi impietatem divulgari*. Reſpicit litteras, quas Acacio Berrhœnſi Sanctus Cyrillus reſcripſerat, & quas varii Orientales Epiſcopi affirmabant rectas, ideoque dignas pace. Andreas affirmat ipſas eſſe nequiores Capitulis. Alterum fundamentum eſt in his verbis: *Tanquam perducti ſint, ut ſapiant rectè*. Plures Orientalium Epiſcopi affirmabant Cyrillum à ſuis, licet anathematizare nollet, receſſiſſe Capitulis, ac eſſe correctum, ideoque pacem cùm ipſo amplectendam: Andreas affirmat ipſos decipi & circumſcribi. Hinc concludit iſtam pacem fore non Orthodoxorum communionem, ſed ipſorum cum Apollinariſtis confuſionem, juxta ſupra memoratum ſomnium.

---

## CAPUT XCI. --179

### Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi ad Imperatorem Theodoſium de pace Eccleſiæ.

*Deo Amiciſſimis & Piiſſimis Imperatoribus noſtris, qui dignè ſunt honorati à Deo vel ordinati, Theodoſio & Valentiniano, Auguſtis, Joannes Epiſcopus Antiochiæ veſtræ, devexæ Syriæ, in Domino gaudium.*

OPportunum nunc illo eloquio Prophetæ dicere: *Quia erunt prava in directa*. Quando enim Deus aliquid facit, conſequitur in his, quæ fiunt, facilitas nominis, & nullus Divinæ reſiſtit voluntati. Voluit nunc, & complacuit ei, ut per intentionem veſtram piam, & has beatas curas, quas pro Eccleſia Chriſti veſtrum ſuſcepit Imperium, ad pacem conjungere orbem terrarum, & dare unitionem, in qua non alius aliud quid ſapit de Eccleſiaſticis Dogmatibus, ſed unus ſenſus ſalvatur & idem de Humanatione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Idem ſapimus igitur univerſi. Et communis nobis eſt facta confeſſio, convenientia complectens his, quæ olim & à principio expoſuerunt Patres, ſatisfacientibus nobis ad invicem in his, de quibus nos ambigebamus, decertando contra Dominum meum, Dei Colentiſſimum Epiſcopum Cyrillum: Ipſe verò nunc ea, quæ à nobis ſunt directa, ſuſcipiens, & quæ componentes Pietati tuæ in Chalcedonenſi civitate tradidimus, bis acquieſcens, & approbans ea, ſimilibus intellectibus contexuit nobis idem confitentem fidei Apoſtolicæ traditionem. Expulſa eſt igitur univerſa hæreſis atque contentio, Pietate veſtra incolumi Orbi terræ, cujus Sceptra cum pia confeſſione nutrita ſunt: Et certè obtinuerunt, & obtinebunt in perpetuum, Divina dextera continente.

Et ut veſtrum noſſe poſſit Imperium vel ea, quæ à nobis ad eum ſcripta ſunt, vel ab eo ad nos, in quibus unum eundemque ſenſum Paternum in miniſtrando ſervamus, ipſas ad invicem noſtras Epiſtolas his litteris noſtris ſubdentes direximus, tradentes Epiſtolam Clariſſimo Tribuno & Notario veſtro Ariſtolao, quo Miniſtro eſt uſus in cauſa, ut voluntas veſtra proveniret, cum pia & ſancta ſit. His igitur ita ſe habentibus, & fide indubitabilitatem ſuſcipiente, ſecuti ſumus omnia, quæ præcepiſtis, Piiſſimi Imperatores, per Dei Colentiſſimum, ſive Religioſiſſimum Epiſcopum Paulum, Virum, quem noſtis & vos, ut arbitror, pace gaudentem, & ſcientiam non modicam poſſidentem in Eccleſiaſticis rebus. Suſcipimus igitur & Ordinationem Sanctiſſimi & Religioſiſſimi, ſive Dei Colentiſſimi Epiſcopi Maximiani, Viri, cujus virtutem converſationemque ab olim novimus. Et depoſitum ſive damnatum habemus Neſtorium, qui olim fuit *apud* magni nominis Conſtantinopolim Epiſcopus, Anathematiſmo ſubjicientes quæcumque ab eo alienè ac peregrinè dicta ſunt contra Apoſtolicam Doctrinam.

Supplicamus autem Pietati veſtræ, ut perfectam feſtivitatem præſtetis Mundo, quatenùs nulla civitas ab hac celebritate communis feſtivitatis extorris ſit: Et jubeatis, ut Deo Amiciſſimi Epiſcopi, qui inter præcedentes turbas expelli Eccleſiis viſi ſunt, ad priorem habitum reducantur, & ab omni importunitate ſint liberi, ut nullæ puſillanimitatis Reliquiæ Eccleſiis reſideant. Facilè verò eſt, ut id à veſtro Imperio fiat, eò quod hujuſmodi correctionum vetera quoque habeatis exempla, quæ antiquos quidem Deo Amiciſſimos Epiſcopos propriis Sedibus reddiderunt, eos verò, qui inter turbationem fuerant ordinati, vacare fecerunt, & ſuſtinere illorum de vita præſenti receſſum.

His enim, ſicut diximus, Deo favente, benè ac rectè provenientibus, orationes ac deprecationes pro Imperio veſtro fient à cunctis hominibus. Per vos enim, & per veſtram Pietatem Eccleſiis quidem prior eſt reſtituta tranquillitas, Chriſtianæ verò ſalvatæ ſunt res. In pace de reliquo degunt civitates, & Populi, atque Provinciæ. Superdecet etenim veſtro Imperio, ut ſine turba ſit. Et quales vos eſtis, tranquilli & manſueti, talem convenit eſſe etiam rerum ſtatum, dum debeant & in commune omnes, & propriè unuſquiſque complecti hanc unitionem, quæ præter omnem ſpem facta eſt ſpem. Laudabilis enim, & apud Deum quiſque beatus eſt, qui etiam per ſingulas partes, quæ fuerant confuſa, reſtituit.

Et

Matth. 5. Et ſecundùm Domini vocem, quæ inquit: *Beati Pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur*. Cujus inexpugnabilem virtutem novimus nunc etiam cooperaturam huic veſtræ Deo Amabilitatis intentioni. Fons namque omnis boni vos eſtis. Et diffunduntur à Veſtris Regnis in omnem Mundum beneficiorum rivi. Et fruuntur de reliquo Dei Sacerdotes anteriori quiete, qua ad hoc præcipuè indigent, ut ſinceras & ſtudioſas pro veſtro faciant orationes Imperio.

## SCHOLION.

HÆc relatio facta eſt poſt reditum Pauli Emeſeni Epiſcopi, & miſſa per Ariſtolaum Tribunum, qui cum Paulo iverat ac rediverat, & affirmat Sacris Principis circa pacem juſſionibus eſſe per omnia obeditum: Eſſe anathematizata Neſtorii dogmata, degradationem ejus admiſſam, admiſſam item Ordinationem Maximiani. Eſſe jam plenam ubique pacem. Eſſe ubique gaudendum, celebrandas feſtivitates, & ſolemnes gratias agendas Principi, cujus hæc omnia ſunt beneficium. Adjungit eſſe unum, quod hujus feſtivitatis perfectionem impediat, & quod aliquas civitates faciat eſſe extorres à communi gaudio. Audi rationem: *Jubeatis, ut Deo amiciſſimi Epiſcopi, qui inter præcedentes turmas expelli Eccleſiis viſi ſunt, ad priorem habitum reducantur, & ab omni importunitate ſint liberi*, &c. Agit pro quatuor Epiſcopis, quos in ſua Synodo Maximianus ſingulariter degradarat, ac in eorum Sedes ordinaverat, aut juſſerat ordinari alios: & quos hac de cauſa Sanctus Cyrillus excluſerat à pace. Notanda ſunt verba: *Expelli Eccleſiis viſi ſunt*. Item verba: *Ab omni importunitate ſint liberi*. Etenim facta ſuperordinatio non habuit effectum. Marcianopolitani Saturninum, itemque Thyanenſes ſuum ſuperordinatum violenter ejecerunt. Nihilominùs Dorotheus ac Eutherius non fuere ſecuri. Meritò timebant Populi vim everti per majorem virtutem offenſi Principis. Hinc Joannes ſupplicat, ut ab omni importunitate ſint liberi. An etiam Nicomediæ fuerit ſic factum, ignoro. Infra videbimus teſtimonia, quæ ſuadeant Himerium fuiſſe re ipſa ejectum. Quidquid ſit, Joannes Patriarcha Principem expoſtulat, ut & iſtos quatuor faciat admitti in pacem, atque ita reddi quietem omnibus per Orientem Eccleſiis.

Et adjungit: *Facilè verò eſt, ut id à veſtro Imperio fiat, eo quod hujuſmodi correctionum vetera quoque habeatis exempla, quæ antiquos quidem Deo amiciſſimos Epiſcopos propriis Sedibus reddiderunt, eos verò, qui inter turbationes fuerant ordinati, vacare fecerunt, & ſuſtinere illorum de vita præſenti receſſum*. Poſtulatæ gratiæ duplex præſertim obſiſtebat obex. Primò, quod Nicæna Synodus uni civitati non pateretur eſſe duos ſimul Epiſcopos. Deindè, quod ſuperordinatio eſſet facta ex judicio ac mandato non ſolius Conſtantinopolitanæ, ſed etiam Epheſinæ Synodi, ideoque ejus circumductio eſſet difficilis. Hinc igitur Joannes reſpondet rem hanc non eſſe ſine exemplis, quæ tales ejectos reddiderunt ſuis honoribus ac Thronis, & ſuperordinatos juſſerunt uſque ad illorum mortem eſſe vacativos. Antiquorum geſtorum deperditio creat nobis iſtam miſeriam. Novimus quidem varia exempla, ubi ejectus iniquè Epiſcopus ſuperordinatum excluſit per Romanam Appellationem ac reſtitutionem, attamen ignoramus adjunctam conditionem quæ hunc uſque ad iſtius mortem juberet vacare. Nonnum Ibæ Edeſſeno ſuperordinatum Chalcedonenſis Synodus juſſit cedere, & ille defuncto Ibæ omninò ſucceſſit: attamen Synodus iſtam conditionem non adjecit ſuo judicio.

Eodem tempore Joannes hæc omnia retulit ad Xixtum tertium Pontificem. Relatio periit aut latet, extat tamen Pontificis ad ipſam Reſcriptum: Et quin Joannes eandem pro quatuor iſtis Epiſcopis gratiam poſtulaverit, non eſt dubitandum. Eam enim Laicus Princeps dare non poterat, ideoque Joannes ab ipſo non ſupplicavit, niſi conſenſum & adjutorium in ſperatam ac poſtulatam, aut certè poſtulandam ab Apoſtolica Sede gratiam. Verùm Pontifex limites pacis excedere noluit. Firmavit ejus palmares articulos. Interim de iſtis quatuor Epiſcopis aliquid reſcripſit ad relationem Sancti Cyrilli: *Expectamus fratris noſtri Joannis Clericos, & optamus venire. Scimus ei & pro honore, & pro labore tuo dare Reſponſum. Non eſt, ſicut fratri & Coepiſcopo noſtro Maximiano ſæpè jam ſcripſimus, etiam ipſe redeuntibus difficilis aperire januam, ut verè, niſi perditionis filius, nemo ſit perditus: Et ſit ei major cauſa lugendi, quod meruit ſolus excludi*. Hinc diſcimus plura. Primò, quod Sanctus Cyrillus de Joanne Antiocheno fuerit in ſua relatione apud Pontificem queſtus varia: præſertim de facta per Joannem degradatione ſui, ac Memnonis. Hinc Pontifex ipſum paternè conſolatur ſuper iſta injuria, & ſpondet ad Joannis legatos, quando cum relationibus advenerint, plura dicere: Non ſolùm de honore, ſed inſuper de labore Cyrilli. Secundò diſcimus, quod Sanctus Cyrillus etiam iſtorum quatuor Epiſcoporum excluſionem retulerit, rogans ſingulariter confirmari: Et adjiciens illos reparari non poſſe ſine gravi injuria Maximiani, qui illos in ſua Synodo non ſolummodò damnaverat, ſed inſuper illis curaverat ſuperordinari. Tertiò, quod Pontifex fuerit alienus ab hac duritia: Quod optaverit nullum per degradationem perdi, ac perpetuò à pace excludi, niſi ſolum perditionis filium hæreſiarcham Neſtorium. Quartò diſcimus, quod etiam Maximianus frequenter de his rebus Romam retulerit. Pontifex in hanc clementiam deſcendit propter Romanam Helladii ac Eutherii, ac plurium illis adhærentium Epiſcoporum appellationem. Hæc infra adducetur, & elucidabitur.

Hujus relationis tempus cognoſcimus ex Pontificis reſcripto ad relationem Sancti Cyrilli, affirmante hanc fuiſſe ſolemniter lectam ad Sanctam

ac Venerabilem Synodum, quam Natalis ejus dies congregaverat. Nempe anniverſarius dies Papalis Conſecrationis. Porrò Xixtus tertius eſt ſexto calendas Majas conſecratus in Pontificem, iſtius ſæculi anno trigeſimo ſecundo, adeoque Cyrilli Relatio fuit lecta iſto eodem die anni trigeſimi tertii. Proindè videtur ſcripta menſe Martio, aut ſub exordium Aprilis. Quare Cyrillus omninò videtur Romam retuliſſe ante reditum Clericorum, qui Ariſtolaum Tribunum fuerant comitati ad excipiendam profeſſionem ſeu ſubſcriptionem Joannis Antiocheni, ac aliorum iſtic Epiſcoporum. Et hinc ejus Relatio prævenit. Quod enim Joannis Relatio ad iſtud feſtum necdum advenerit, ſed tunc avidè exſpectaretur, disertè affirmat ipſe Pontifex in reſcripto ad Sanctum Cyrillum. Nempè Cyrillus ſtatim à concluſa pace retulit, Joannes referre non potuit, niſi poſt reditum Emeſeni Pauli. Poſſit tamen Cyrillus etiam non niſi poſt ſuorum Clericorum reditum retuliſſe. Hi enim poſt concluſam in Januarii exordio pacem ſtatim cum Ariſtolao abierunt Antiochiam, & intra menſem Martium poſſint fuiſſe reduces. Quidquid ſit, notanda ſunt hæc Xixti ad Cyrillum verba: *Non ſe exuli veſtro Sanctus frater noſter Joannes addixerat, non ejus blaſphema prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit.* Sanctus Cyrillus, paſſus, licet non ſine fundamento, humanum diem, Joannem Antiochenum frequenter accuſaverat de conſortio Neſtoriani erroris: & videtur idem feciſſe in relationibus ad Romanam Eccleſiam. Hinc Xixtus ſtudet illum purgare: hac via ſperans ſtabilire pacem.

Notanda ſunt & hæc Pontificis verba: *Neſtorium ſibi ignis Æternus, Orientales Epiſcopos Poſſeſſores æterni vinea vindicavit, in tantum ut Antiochenæ Eccleſiæ Sacerdotem vocari à Sanctitate tua jam nunc venerabilem virum ac domnum gaudeamus. Et meritò vocatur domnus, qui communem dominum recognovit, qui incarnationis ejus myſterium voce Catholica nobiſcum confitetur.* Sanctus Cyrillus Joannem Antiochenum in ſua ad Papam Relatione appellaverat venerabilem Domnum, & Papa gratulatur. Appellaverat non Dominum, ſed Domnum. Ex quo addiſcimus tria. Primò, quod differentia inter Dominum ac Domnum, ſit antiquiſſima. Nam & Caſtor Epiſcopus Joan-
Epiſt. 5. nem Caſſianum inſcripſit Domnum. Felix tertius Pontifex in litteris ad Flavitam Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ac in litteris ad Vetranionem Epiſcopum ita appellat etiam Imperatorem Æonem. Quin imò ſecunda Sancti Gelaſii Papæ Synodus ita appellat Sanctum Apoſtolum Petrum. Secundò, diſcimus, quod iſtorum nominum differentiam rectè exponat antiquus hic verſus: *Cœleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum.* Tertiò, diſcimus, quod degradati Epiſcopi non amplius vocarentur Domni, nec ullum acciperent honoris titulum. Hinc Xixtus gaudet Joannem à Cyrillo jam ſcribi venerabilem Domnum. Exindè certò colligit haberi pro plenè reparato. Hinc etiam in ſua Lateranenſi Synodo Sanctus Papa Martinus laudat Victorem Carthaginenſem Epiſcopum, quod in ſuis Synodicis Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, licèt manifeſtè hæreticum, adhuc appellaſſet Sacerdotem & Epiſcopum. Et adjungit cauſam: quod ab Apoſtolica Sede necdum eſſet degradatus.

## CAPUT XCII. —180

*Epiſtola Meletii Epiſcopi reſcripta ad Alexandrum Epiſcopum Hierapolitanum contra Paulum Epiſcopum Emeſenum.*

NOn delectabamur quidem nec anteà Divina hac, quæ vituperatur, condeſcenſione, dum certè obumbrantes eam plurimi eſſent. Nunc autem poſt incontradicibilem, claramque demonſtrationem modis omnibus per gratiam Dei firmabimus, quam priùs quoque de ipſis ſententiam tenebamus. Meliùs eſt enim, utquis illa ſtabilitus in fide Apoſtolorum Dogmatum, & nullo modo in quocumque remiſſus ab illa acribia, quam circa ea, quæ Divina ſunt, oportet oſtendere, ipſe Doctor ſit veritatis ex ipſis operibus, his qui piè vivere volunt, quàm condeſcenſionis occaſione ab optima pietatis altitudine decidat lubricando. Illud namque omni modò conſequetur, ut ipſe ſaltem periclitetur in nullo, etiamſi nullus fuerit cui proſit. Licet volentibus, licet abſque terrore in adamantinam turrim veritatis adſcendere. Et via enim jacta eſt, & nemo qui vetet. E contra verò & plures omninò ſunt qui hortentur; Si tamen aliquis Sanctorum, qui dormierunt, multitudinem computet aut etiam turmas Angelicorum exercituum, qui gratanter utique complectentur, atque ad adſcenſum perducent, quoſcumque deſiderare adſpexerint veritatem, ut petant eam. Quia & multi ſunt, quibus bona Perſiſtentia prodeſt. Undè & meliùs puto ad hanc deſcenſionem non eſſe debere feſtinos; Nec alteros tali ſalute præponere ex hoc. Undè ne ab alio quidem erit quicumque protectus; Utrumque verò ſimiliter perditionis retibus capi neceſſe eſt. Nec rem quidem humilitatis per gratiam Dei iſte propoſuit.

Direximus verò & Ægyptii Epiſtolæ Reſcriptum, quod nobis nuper allatum eſt, quam fecit ad aliquos Conſtantinopolim Clericos ſuos, qui eum culpaverunt, quaſi anathematizaſſet quidem propria dogmata, præparaſſet verò univerſos ab eis abſiſtere, eaque conſpuere. Unde

clarè

clarè conſpicere poteris, & qualia pax Eccleſiaſtica facta ſit, & quæ ſint à Diviniſſimis Legatis noſtris acta; Et quia potiùs ſit receptus, Deo Amiciſſime Domine mihi. Dignare autem, quæſo, conſuetè pro mea Humilitate intercedere.

Et ex iſtis Scriptis ſatis oſtenditur, quod ubique notandum eſt, quia omnes illi Orientales, qui nolebant damnare Neſtorium, non Cyrillum, ſed Joannem ceſſiſſe dicebant. Et qui habebant contrariam voluntatem, contraria opinione de utroque tenebantur.

## SCHOLION.

HIc Miletius fuit Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus, proximus ſucceſſor ſcelerati Theodori. Ipſum infra audiemus dantem de ſemetipſo iſtud teſtimonium. Et hinc fuit pertinaciſſimus hoſtis Epheſinæ Synodi, & orthodoxæ veritatis. Hujus pacis fuit Adverſarius adeò contumax, ut è ſuo Epiſcopatu ejici, & exulatum abire maluerit, quàm ipſam admittere. Et tunc unà cum Theodoro ejectus fuit è ſacris tabulis Mopſueſtienſis Eccleſiæ, ac in eorum locum ſuffectus fuit Sanctus Cyrillus. Nequaquam ſolus Theodorus fuit ejectus, ſed etiam hic Miletius. Ille è defunctorum, hic è tabulis viventium. Porrò Imperator Juſtinianus Mopſueſtenam Synodum de ſolo Theodoro rogaverat, ideoque & ipſa de hoc ſolo reſpondit. Proindè hic Miletius fuit uſque huc per aliquot ſæcula ignotus mundo: Eum, & plura ejus Acta jam diſcimus ex Caſſinenſi Codice. Porrò ille rectè ſcripſit ad hunc Hierapolitanum Alexandrum. Hic enim fuit duriſſimum caput contumaciſſimæ adversùs initam Eccleſiarum pacem factionis. Etiam hic ob iſtam contumaciam fuit deportatus in remotum ac perpetuum exilium.

Miletius ſcribit varia. Primò, quod à facienda hac pace fuerit ſemper alienus, & quod jam circa factam perſeveret in eadem ſententia. Quoniam hæc pax non eſt diſpenſatoria, uti jactatur condeſcenſio, ſed manifeſta prævaricatio. Secundò, affirmat ſe in hac re eſſe turrim Adamantinam, nullo conſilii vel authoritatis pondere mobilem. Tertiò affirmat Cyrillum nequaquam receſſiſſe à ſuis Capitulis ac aliis ſcriptis, ideoque permanere Hæreticum. Ipſum eſſe ſic receptum à Joanne Patriarcha, ac propterea hanc pacem nequaquam eſſe Orthodoxorum communionem, ſed manifeſtam ipſorum confuſionem cum Hæreticis. Quartò, hoc probat ex ipſius Cyrilli litteris Conſtantinopolim ſcriptis ad quoſdam ſuos Clericos, lamentantes graſſari illic publicam famam, quod omnia ſua contra Neſtorium ſcripta anathematizaſſet, & cunctos præparaſſet ad ipſa projicienda & conſpuenda. Eſt epiſtola, non ad Eulogium Preſbyterum, ſed ad Theognoſtum, Charmoſinum, ac Leontium, ejus in Regia civitate Apocriſarios, cujus hic eſt finis: *Quapropter neminem deſpondere animum ſinatis. Non enim ſic deſipuimus, ut noſtra abnegaverimus. Quin imò manemus in eis, quæ ſcripſimus & ſentimus. Recta enim & inculpata ſunt, & Scripturis Sacris, ac fidei, quæ à Sanctis Patribus noſtris edita eſt conſentiunt.* Et harum litterarum copiam Miletius tranſmiſit Alexandro, ut clarè videret Cyrillum eſſe pertinacem, ac malè receptum.

Subnexum ſcholion rectè advertit iſtorum Epiſcoporum quoſdam laboraſſe appetitu vanæ gloriæ. Utraque enim pars voluit videri victrix adversùs aliam. Hinc Cyrillum renuntiaſſe ſuis Capitulis, ceſſiſſe Joanni & quaſi veniam ſupplicaſſe, affirmabant ac ſpargebant; Alii ſpargebant omnia contraria: Affirmabant ceſſiſſe Joannem. Et rectè. Hic enim omnia Cyrilli poſtulata admiſit, ac debuit admittere.



---

## CAPUT XCIII. —181

*Item Epiſtola Alexandri Epiſcopi ad Andream Epiſcopum, hoc ipſum probans.*

VEnit finis, & communio reverè facta eſt ad impium Cyrillum, non Cyrillo hæreſim relinquente, ſed nobis ipſis per unum verbum, quod eſt in Epiſtola poſitum, inferentibus hæreſim. Verùm qualem de illa Epiſtola ſententiam teneam, tua Religioſitas non ignorat. Quoniam verò nulla mihi pars, neque ſors eſt cum eis, ſed ſive exilium, ſive mors mihi, ſive præcipitium, ſive ignis, ſive beſtiæ proponantur, Deo me roborante, univerſa ſuſtineam potiùs, quam communicem talibus. Firmè teneat Sanctitas ſua. Scripſit autem mihi & Antiochenus Epiſtolam. Orthodoxum diffamavit, univerſos tentans conſuetè decipere. Sic & nunc, quaſi nullus neque aures, neque oculos, neque cor habeat, correctionem fidei, mutationemque Ægyptii diffamavit: Non erubeſcens & illa, quæ in ipſa ipſius Ægyptii leguntur Epiſtola. Et continuò dictavi Hypomnyſticum: Nec enim eum Epiſcopum ſcribo, de reliquo incidens memetipſum à communione Cyrilli, & eorum qui eis additi. Et ipſum Hypomnyſticum interim

retineo. Non quod alind quid cogitem, ſed ut & tuæ Sanctitati mitterem, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo Theodoreto. Hæc ipſa igitur neceſſarium duxi tuæ notæ facere Sanctitati, ne circa nos contriſtaretur, quaſi nihil ſuper hoc indicaſſem.

## SCHOLION.

HAnc epiſtolam Alexander ſcripſit, dum fuit certioratus de concluſa pace ac Pauli Emeſeni reditu. Et ipſa palam profitetur ſuam pertinaciam. Totum pertinaciæ fundamentum eſt, & quod Cyrillus permaneat in ſuis Capitulis, ideoque ſit notoriè Hæreticus, ac ineptus ad communionem & pacem. Addit quod inſuper Orientales Epiſcopos moliatur traducere in hæreſim, idque aſtutè ac doloſè per unicum ſuæ Epiſtolæ verbum. Verùm cujus epiſtolæ? An illius, quam ad Berrhæenſem Acacium, an illius quam ſcripſit ad Joannem Patriarcham? Exiſtimo Alexandrum agere de ſcripta ad Acacium epiſtola, iſtud verò verbum eſt omninò *Unio ſecundùm hypoſtaſim*. Erat enim nova, ac per Cyrillum excogitata vox, ideoque ab iſtis credebatur importare naturarum confuſionem, aut quid aliud Apollinarii.

Alexander ſuum odium extendit etiam in Joannem Patriarcham. Et de ipſo ſcribit plura. Primò, quod ſit doloſus, ex more confuetus circumſcribere. Secundò, quod etiam ipſum circumvenire tentaverit, ideoque & ſcripſerit epiſtolam utique denunciatoriam ac ſuaſoriam factæ pacis. Tertiò, quod in iſta epiſtola affirmat Cyrillum eſſe correctum, ac jam verè Orthodoxum. Quartò, quod ſit vir imprudens, ideoque credat ſe loqui, aut ſcribere ad ligna aut lapides. Quintò, quod non Cyrillus, ſed ipſe ſit mutatus: utpotè qui contrariam in Cyrilli epiſtola hæreſim ſine pudore admiſerit. Sextò affirmat, quod Joanni ſit dedignatus reſpondere per epiſtolam, ideoque tranſmiſerit ſimplex Commonitorium, compendio exprobans dolum & hæreſim. Septimò, quod ſemetipſum penitus ſepararit à Joannis communione, ideoque ipſum in iſto Commonitorio ne quidem inſcribat Epiſcopum. Octavò, quod omnes Cyrilli pacem & communionem admittentes habeat pro hæreticis, ideoque non à ſolius Joannis, ſed etiam ab omnium iſtorum communione ſe ſeparet. Nonò, quod iſtud Commonitorium Joanni necdum tranſmiſerit: Non quia aliquid mutare, ſed quia velit ipſum anteà communicare Theodoreto ac Andreæ. Ex his concludit: *Nulla mihi pars, neque ſors eſt cum eis, ſed ſive exilium, ſive mors mihi, ſive præcipitium, ſive ignis, ſive beſtiæ proponantur; Deo me roborante omnia ſuſtinuerim potiùs, quàm communicem talibus.*

Sic omne Joannis Patriarchæ de inita pace gaudium eſt verſum in majorem luctum. Etenim ſurrexit novum ac domeſticum ſchiſma. Et hæc Orientalis Eccleſiæ poſteriora mala ſunt facta pejora prioribus. Ejus Epiſcopi cœperunt acerbiori odio inſectari Sanctum Cyrillum, ac Ægyptios ejus Epiſcopos. Et de hoc novo ſchiſmate Sanctus Iſidorus Peluſiotes omninò ſcripſit ad Leontium Epiſcopum: *Quod lectio Sacrarum Litterarum deſtructa eſt & corrupta, & quod unuſquiſque ſuos affectus Divinis Oraculis præfert, ea res tantarum tragœdiarum & calamitatum cauſa extitit.* Lib. 4. Epiſt. 133. *Nam bellum irreconciliabile, & non indictum legitimè incidit inter eos, qui pacis Conciliatores eſſe debuerunt. Qui aviditſſimè, ſi quidem poſſint, ſeſe mutuò vorent. Et antiquiſſimum hoc ducunt, & omnibus rebus anteponunt, vivos quidem occidere, ſepultos autem refodere, & domos evertere, & monumentum omne abolere. Ita in ſe invicem armantur, & fallacias texunt: cum quidem didicerint Chriſtum non ſignis & miraculis, ſed dilectione & Charitate ſuos notaſſe diſcipulos.* Ex hac Epiſcoporum diſcordia affirmat, nata eſſe graviſſima Chriſtianæ pacis vulnera etiam in fidelibus populis, & concludit: *Quid igitur faciendum? ſi quidem id fieri poſſit, malum hoc corrigendum eſt; ſin minùs, quieſcendum.* Adeò malum induruerat. Quidam cenſent ipſum lamentari de nata inter S. Cyrillum & Antiochenum Joannem diſcordia: At clarum eſt ipſum loqui de præſenti ſciſſura Orientalium Antiſtitum.

Eodem tempore idem Iſidorus videtur ſcripſiſſe has ad S. Cyrillum literas: *Oportet te firmum atque conſtantem ſemper manere; ſic nempe, ut nec* Lib. 1. Epiſt. 324. *metu Cœleſtia prodas, nec tecum ipſe pugnare videaris. Nam ſi ea, quæ nunc abs te ſcripta ſunt, cum ſuperioribus perpendas, aut adulationi obnoxius eſſe videberis, aut levitatis miniſter: ut qui inani gloriæ ſuccumbas, non autem Magnorum ac Sanctorum Pugilum certamina imiteris, qui per omnem vitæ ſuæ curſum premi ac venari potiùs ferendum duxerunt, quàm ut perverſam ac falſam ſententiam, vel auribus tenus, excipere.* S. Cyrillus licet ſua Capitula anathematizare, aut ſolemniter recantare noluerit, ea tamen & in datis ad Acacium Berrhæenſem, ac item ad Joannem Antiochenum litteris, & in ſuis cum Paulo Emeſeno Actis eſt ſuaviter moderatus. Hinc in publicum tunc ſparſus fuit rumor de Cyrilli Pœnitentia. Item ſub nomine Philippi Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, & Apoſtolici apud Epheſum Legati, ſparſa fuit epiſtola, aſſeverans Xixtum Pontificem quidem confirmaſſe pacem, expunxiſſe tamen damnationem Neſtorii. Ita ipſe Cyrillus queritur in litteris ad Acacium Melitinenſem, & in litteris ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum. Hæc igitur omnia videns & conſiderans Magnus ille Monachus Iſidorus Sancti Cyrilli Magiſter & quaſi Pater, Paterno jure illum admonuit, ut eſſet prudens & conſtans, ut ſermones ſuos diſpenſaret in judicio, ut non videretur docere contraria, ut iſtis rumoribus non daret anſas aut fomenta.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT XCIV. —182

### *Ejuſdem Alexandri Epiſcopi ad Theodoretum Epiſcopum ſimilis Epiſtola.*

VIx tandem quæ parturiebant, & ſculpebant mox poſt dejectionem Ægyptii, qui circa honorandiſſimum Paulum cum Domino Joanne parere nunc, & ad locem deducere valuerunt. Memor eſt autem Sanctitas tua, quia nec ullo pertuli eis communicare conſilio. De Epiſtola illa, quæ apud Epheſum facta eſt, in ſuperficie quidem quaſi ex occaſione Joannis Comitis ſcripta eſt, tanquam dixiſſet Imperator, ut ei aliquid indicaremus de voce, qua dicitur *Theotocos*, id eſt, *Enixa Deum*, in veritate autem vox hæc, ut quærebatur à nobis, ad proditionem & calumniam illius, qui rectam fidem docebat, inſerta eſt.

Ut igitur nihil eorum, quæ ſentio, tuam lateat Sanctitatem, indico quia chartas, quæ factæ ſunt Epheſi, per quas & Orthodoxorum conſtantiam, & hæreticorum receſſionem Scriptis teneo, & Cyrilli Hæretici Codices ad præſentiam unanimini cuidam commendavi. Volo enim ad animæ meæ ſatisfactionem in his, præcipuè à curis remotus, iterando meditari. Nec enim ſatis ad me attinet de chartis & vilibus libris, ſive dentur mihi, dum exiero à loco meo, ſive non dentur. Hæc ut in brevi à me ad tuam Religioſitatem ſcripta ſunt, non volente quidem contra quemlibet quodcumque movere de eis quæ aguntur, nec ſuſtinente verò communionem eorum, qui eis adjiciuntur, ut ſi qui remanſerint conſoni nobis, & placuerit eis permanere in Parœciis nos, hoc fiat. Alioquin continuò de medio nos tollamus, & ſegregans animam meam ſalvem. His enim quæ à Paulo oblata, & ab Ægyptio recepta ſunt, conſentire non patiar, confirmante me Deo, neque ſi mihi præcipiantur multa millia mortium. Sed nec ſi Orbis conſenſerit univerſus.

Quod quidem conditionaliter dico. Quia & metuo eum, qui ait uſque ad mortem pro veritate certare. Et inſuper novi, quod præmeditata à multo tempore nunc venerit ad effectum proditio Catholicæ vocis. Et quidem ut in feſtivitatibus, ſive præconiis atque Doctrinis incircumſpectè *Dei Genitrix*, ſive *Deum enixa*, ab Orthodoxis tantummodò ſine adjectione diceretur, vel *Dei-Cidæ Judæi*, vel quia Verbum *incraſſatum eſt*, & quæcumque ſunt talis, quæ magis inſuſpectè dicta ob Orthodoxis invenimus, ſanè nulla accuſatione ſunt digna, eò quod nec dogmaticè ſint poſita iſta, & ut dixi, non malignè ſint dicta. Quippe non à ſordida voluntate, ſed nec tali tunc quæſtione propoſita. At verò poſt corruptionem totius Orbis, & ex quo prædicari nunc cœpit paſſibilis Deus ab impiis Cyrilli Capitulis, dogmaticè poni ſolam vocem, quæ enixam pronuntiat Deum, id eſt, *Theotocon*, abſque illa, quæ pronuntiat hominis Genitricem, id eſt, *Antropotochon*, nihil eſt aliud, niſi ea quæ Cyrilli ſunt prædicari. Univerſas ſiquidem paſſiones ac mortem hoc unum Dictum pariter introducit, licet multoties millies altera vox per quoslibet circuitus apponatur, & ſubtiliter legenti Epiſtolam totam perſpicere licet ab ejus hæreſi nullo modo liberam.

Verùm ſi ſana conſcientia & hi, qui offerebant, obtulerunt, & ille, qui ſuſcepit, ſuſcepit, quid vetuit ut Sanctam Virginem dicerent *Chriſtocon*, id eſt, *Chriſtum enixam*, hi qui clarè Deum hominemque perfectum conſubſtantialem nobis prædicabant Dominum Chriſtum? Si verò & voce hac compoſita delectantur, cur reſpuerunt ad vocem, quæ eſt *Theotocos*, & *Anthropotocos* adjungere? Abſit enim ut unquàm quemlibet piorum *Dei Genitricis* nomen pigeat confiteri, ſi unà ponat & *Hominis Genitricem*? Nam ſicut eſt impium reſutare vocem *Anthropotocos* cum *Theotocos*, ita & *Theotocos* cum *Anthropotocos*. Quando verò utræque voces ponuntur, & eorum, qui Deum paſſum prædicant, hæreſim, & illorum qui purum dicunt Hominem Chriſtum, ſimul abjurant. Manifeſtati autem ſunt Patres hæreſius utriuſque, ſicut & magni Doctores Eccleſiæ, qui pro ſana fide certarunt contra hæreſim Apollinarii Dogmatum reſiſtentes, utriuſque uſi vocibus: Per quas & omnes hæreſes perſpicuè notaverunt, & Orthodoxiam irreprehenſibiliter prædicaverunt.

Et hæ Epiſtolæ, & quæ ſequuntur Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, ab Irenæo ſunt in ea, quæ ejus dicitur, Tragœdia per ordinem poſitæ. Declarant autem ſufficienter differentias utrorumque, & qui Catholica, qui autem videantur altera voluntate moveri. Si verè tamen ſunt.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola explet Promiſſum, quod Alexander ad Andream fecerat de omnibus communicandis Theodoreto. Etiam poſſit communicaſſe præfatum Commonitorium, quod parabat Patriarchæ Joanni tranſmittere. Affirmat primò,

primò, quod Joannes Patriarcba, Paulus Emeſenus, & quidam cum ipſis alii Orientales Epiſcopi illa, quæ cum Cyrillo & ejus Epiſcopis explenda dudum parturiverant ac ſculpſerant, jam tandem perduxerint ad partum, & publicam lucem. Secundò, quod iſtam faciendam pacem fuerit ſemper averſatus, nec ullum Joanni ad ipſam promovendam voluerit dare conſilium, imò nec ejus conſiliis communicare. Tertiò, quod eandem jam factam pacem nullatenùs velit admittere, quod deſerere malit Epiſcopatum. Quartò, quod etiam Epiſcopis, ac populis, pacem iſtam admittentibus, nunquam ſit communicaturus. Quintò, quod litigare tamen cum illis nolit: Paratus ferre unumquemque in proprio ſenſu abundare. Hoc tamen adjungit ſub hac conditione: Dummodo illis communicare ipſe non cogatur, ſed permittatur ſolitarius ſedere in ſua eccleſia. Sextò affirmat, quod niſi hæc obſerventur, ſit mox relicturus ſuam dignitatem & Civitatem, ſalvaturus ſuam animam. Septimò, quod iſta addicat cum grandi ſcrupulo. Eo quod Dominus Epiſcopis præſertim mandet, ut veritatem conſtanter defendant uſque ad ſanguinem.

Adjungit rationes, ob quas nolit pacem admittere. Palmaris eſt, quod nullatenus probare, ac præſertim populis in Eccleſia prædicare poſſit has propoſitiones: *Sacra Virgo eſt Dei Genitrix*, *Judæi ſunt Deicidæ*, *Deus Verbum eſt incraſſatum*. Nempe per craſſam quam induit, carnem. Præſertim averſatur primam. Et dat cauſam: *Dogmaticè poni ſolam illam vocem, nihil eſt aliud, niſi illa, quæ Cyrilli ſunt, prædicare. Univerſas enim paſſiones & mortem hoc unum Dictum introducit, licèt multoties millies altera vox per quoslibet circuitus apponatur.* Aſſeverat iſtam propoſitionem eſſe omnium aliarum baſim, radicem, fundamentum. Et rectè aſſeverat. Etenim quicumque admiſerit Deum Verbum eſſe de Virgine natum, & ipſam eſſe ejus matrem, etiam admittere cogitur ipſum fuiſſe occiſum, ac mortuum, & Judæos reverà fuiſſe Deicidas. Et hinc Dorotheus Martianopolitanus Epiſcopus, Anaſtaſius Presbyter, aliique Neſtorii adjutores iſtam ſolam anathematizarunt. Sciebant in ipſa recondi omnes iſtiuſmodi alias. Notanda ſunt hæc verba: *Licet multoties millies altera vox per quoslibet circuitus apponatur*. Reſpiciunt duodecimum Sancti Cyrilli Capitulum, quod non ſimpliciter, ſed cùm addita voce, *Carne*, dicit Deum Verbum eſſe paſſum & mortuum. Alexander affirmat ſimiles appoſitiones eſſe artificioſos circuitus, & non purgare à lepra Apollinarii.

Alexander ſibi ipſi objicit omnes iſtas propoſitiones, etiam hanc, *Sacra Virgo eſt Deipara*, fuiſſe olim uſitatas, imò & frequentatas à Sanctis Patribus: Fuiſſe in ipſis citrà omnem ſuſpicionem irreprehenſibiles, ac nulla accuſatione dignas, ideoque multis videri, quod etiamnum hodiè ſint ejuſmodi. Et reſpondet. *Eo quod non dogmaticè ſint poſita iſta, & non malignè ſint dicta. Quippe non à ſordida voluntate, ſed nec tali tunc quæſtione propoſita. At verò poſt corruptionem totius Orbis, & ex quo prædicari nunc cœpit paſſibilis Deus ab impiis Cyrilli Capitulis, dogmaticè poni ſolam vocem*, Theotocon, *abſque illa*, Anthropotocon, *nihil eſt aliud, niſi ea, quæ Cyrilli ſunt, prædicari*. Affirmat vocem, *Deipara*, eſſe æquivocam & ambidextram, aptam continendis & occultandis variis ſenſibus. Et reverà aliud Apollinariſta, aut Eutychianus, aliud Pauliniſta, aut Neſtorianus, aliud per ipſam, ac ſub ipſa intendit, & occultat Catholicus. Imò Catholicus non occultat, ſed profitetur.

Eadem eſt ratio de voce, *Deicida*, de propoſitione, *Deus eſt mortuus*, aliiſque id genus. Alexander addit, quod Patres iſtam vocem non dogmaticè, ſed encomiaſticè, & concionatoriè uſitarint; quod rectà intentione, rectoque ſenſu; quod tempore libero, & ſecuro ab omni erroris aut impietatis ſuſpicione. Etenim Apollinariſtis needum litigantibus, & præſertim Cyrilli Capitulis needum corrumpentibus totum Mundum, Patres liberè & ſecurè loquebantur. Affirmat iſtas voces nunc eſſe demutatas in ſcorpionum & venenatorum anguium latibula, ideoque aut cavendas eſſe & ab omni Orthodoxo ore proſcribendas, aut certè purgandas ac muniendas. Et vocem *Dei-para*, purgari ac muniri non poſſe, niſi proferatur nunquam ſola, ſed ſemper cum adjuncta voce, *Homini-para*. Hujus dogmatis, imò iniquitatis Myſterium eſt ſupra abundè expoſitum.

Adducta Alexandri Regula non eſt mala.
Nam & ipſa Sanctus Auguſtinus eſt uſus contra
Pelagianos. Juliano Eclanenſi Epiſcopo, quæ-
dam obſcuriora Patrum de originali peccato te-
ſtimonia adducenti, repoſuit: *Verbis needum*
*litigantibus Patres liberiùs loquebantur*. Idem Au- Cap. 30
guſtinus in ipſo ſuo ad Laurentium Romanæ Ec-
cleſiæ Primicerium Enchiridio ſcribit: *Libero*
*arbitrio malè utens homo & ſe perdidit, & ipſum*.
At verò nos, poſtquam Martinus Lutherus &
Joannes Calvinus de iſtis rebus litigare, & iſtis
vocibus peſſimè abuti cœperunt, ita loqui non
poſſumus. Interim Regula indiget moderamine.
Ea enim nequiſſimè abuſus fuit Eutychianorum
barbarus Dux Severus, cujus verba ſuo contra
Neſtorianos ac Eutychiano operi inſeruit, &
nobis cuſtodivit Sanctus Anaſtaſius Sinaita.
*Oportet morbis & hæreſibus immergentibus idonea*
*medicamenta præparare. Poſt tempora Neſtorii non*
*ampliùs tutæ, ſed periculi plenæ cenſentur veterum*
*Patrum voces, licet ſint ipſius Cyrilli. Uſque ad*
*Neſtorium duæ in Chriſto naturæ à Sanctis Patribus*
*fuerunt prædicatæ, poſt Neſtorium verò Chriſtus in*
*unam conflatus eſt naturam. Atqui cum reliquis Pa-*
*tribus etiam Cyrilli doctrinam repudiavi, utpotè poſt*
*Neſtorium minimè recipi aut approbari dignam.*
*Una in Divino Verbo natura incarnata eſt. Non re-*
*jeci iſtam Aſſertionem, ſed aliam, qua duas natu-*
*ras in Chriſto Cyrillus ſtatuit*. Fatetur & Sanctum
Cyrillum, & omnes olim Patres uſitaſſe hanc
propoſitionem, *in Chriſto Domino ſunt duæ natu-*
*ræ*. Et addit tunc fuiſſe rectam & ſanctam. At
verò poſtac per Neſtorium deveniſſe periculo-

ſam,

ſam, ſcandaloſam, pravam, ab omni fideli ore proſcribendam. Eo quod videatur profiteri Neſtorium. Exindè fuiſſe uſitandas has voces: *Chriſtus eſt una natura incarnata*. Et ex iſtis Principiis concludit etiam Chalcedonenſem Synodum, quæ duas Domini naturas in ipſo ſuo fidei Decreto prædicat, eſſe lapſam, ideoque & anathematizandam. Scelerati hominis audacem blaſphemiam egregiè revicit laudatus Anaſtaſius. Quod ipſum in Lateranenſi Sancti Martini Pontificis Synodo fecit venerabilis Maximus, Archi-Epiſcopus Aquilejenſis, oſtendens Monothelitas incidiſſe in idem facinus, oſtendens Severum iſta eructaſſe in Epiſtola ad Nephalium.

Act. 4. In iſtud ipſum facinus omninò labitur præſens Alexander. Ob pravam ſuam de Sancti Cyrilli Capitulis opinionem, vult vocem, *Deipara*, quam fatetur eſſe Sanctorum Patrum, proſcribi & aboleri. Ejus loco vult ſubſtitui vocem, *Chriſti-para*. Aut ſanè ipſam nunquam proferri ſolam, ſed ſemper cum adjuncta voce, *Homini-para*. Ejus ex Patrum loquendi modo deſumptum argumentum, poſtmodo reſumpſerunt præfati Monothelitæ, de quibus & contra quos dixit laudata Sancti Martini Synodus: *Patres dixiſſe noſcuntur duas in Domino voluntates. Neque hæc tranſitoriè, aut poſt poſitivè, neque in hoc ipſum ſpecialiter minimè habentes omne ſtudium ſermonis eorum, ſicut Adverſarii garriunt, & in hoc propter ſuam Hæreſim detrahentes Venerabilibus Patribus, dum dicunt nihil eos de voluntatibus vel operationibus Salvatoris noſtri definitivè expoſuiſſe. Ecce etenim non ſolum definitivè, ſed & dogmaticè, & ſyllogiſticè, & naturaliter demonſtrativè, & ſecundum Scripturas Agoniſticè, & per exempla, & compendioſè, ſed per omnem modum & verbum, voluntates profeſſi ſunt, & ſe profiteri prædicaverunt*. Et iſta omnia Synodus inſigniter demonſtrat. Iſtud ipſum ego dico de voce, *Dei-para*. Et poſſit facilè demonſtrari. Etiam hodiè quidam, ut Sancti Auguſtini de divinorum Auxiliorum ac Decretorum efficacia orthodoxam ſententiam evadant, utuntur iſto eodem Alexandri argumento. Sed caſſo ſucceſſu.

Proindè Alexander fuit ex illis Orientalibus Epiſcopis, de quibus varia cum Joanne Sacrarum Largitionum Comite tractantibus, Sanctus Cyrillus è vinculis ſcripſit ad Regiæ Civitatis Clerum ac Populum: *Sed & illud quoque ſciatis, nempe cum fidei expoſitionem componerent, inter ſe contendiſſe, & in ea altercatione etiam nunc verſari. Nam alii ex illis Sanctæ Virgini concedunt appellationem* Dei-paræ, *ita tamen, ut ſimul quoque* Hominis genitrix *dicatur; Alii verò prorſus negant, adduntque paratiores ſe eſſe, ut manus ſuas amputandas præbeant, quam ut hujuſmodi voci ſubſcribant*. Alexander fuit ex prima claſſe. Et ab iſto ſenſu nunquam voluit recedere. Et hæc fidei compoſitio eſt omninò illa epiſtola, de qua hic ſcribit Alexander: *De epiſtola illa, quæ apud Epheſum facta eſt, in ſuperficie quidem quaſi ex occaſione Joannis Comitis ſcripta eſt, tamquam dixiſſet Imperator ut ei aliquid indicaremus de voce; qua dicitur* Theotocos, *in veritate autem vox hæc, ut quærebatur à nobis, ad proditionem & calumniam illius, qui rectam fidem docebat, inſerta eſt*.

Affirmat varia. Primò, quod Joannes Comes rogaverit iſtam vocem inſeri epiſtolæ, ſeu Relationi ad Principem. Secundò, quod idem Joannes dixerit ſe iſtud urgere ex Mandato Principis. Tertiò, quod iſta arte inſertionem vocis impetraverit. Quartò, quod iſti fidei, ſeu Relationi quidam ſubſcripſerint, quidam Epiſcopi ſubſcribere penitus recuſarint, aſſeverantes ſe malle utramque manum perdere. Quintò, quod ipſe ſubſcripſerit. Sextò, quod fuerit circumventus. Quoniam iſta vox non ad ſatisfaciendum Principi, ſed quæſita ac inſerta fuit ad calumniam & proditionem illius, qui rectam fidem docebat. Hoc eſt, Neſtorii. Ad immobiliter ſtabiliendam ejus degradationem. Etenim Sacra, per Joannem Comitem allata, confirmabat damnationem trium. Et horum primus erat Neſtorius. Hinc etiam diſcimus rationem, cur quibuſdam omnes, quibuſdam Relationibus non omnes factionis Epiſcopi ſubſcripſerint: Quia nempe circa quoſdam Articulos erant Cadmæi fratres.

Iſtam Relationem, epiſtolam, ſeu fidei expoſitionem Sanctus Cyrillus elucidat in laudata ad Conſtantinopolitanum Clerum ac Populum epiſtola: *Magnificentiſſimus ille vir aliud rurſum excogitavit & à Sancto Synodo petiit, ut fidei expoſitionem Scripto ſibi exhiberet, ut cum Orientales quoque ipſi adſenſiſſent, ac ſubſcripſiſſent, reverſus diceret? Redegi illos in concordiam, qui humanis offenſis inter ſe diſſidebant. Hoc intelligens Sancta Synodus, iterum ſurrexit, diſertè dicens. Nolumus nobis ipſis eam contumeliam erogare. Non enim tamquam hæretici huc vocati ſumus, ſed venimus ut fidem labantem & exagitatam ſtabiliamus, & ſtabilivimus. Nec opus eſt Imperatori, ut fidem nunc diſcat, cum hanc ſciat, & in ea baptizatus ſit*. Notanda ſunt verba; *Nec opus eſt Imperatori*, &c. confirmant præſens Alexandri Dictum; Quod Joannes Comes iſtam profeſſionem ex Imperatoris nomine non exegerit. Notanda item ſunt ſequentia Sancti Cyrilli Verba: *Quare nec id quidem Orientalibus ſucceſſit*. Demonſtrant lamentabilem humanæ naturæ ex temerariis ſuſpicionibus miſeriam. Etenim Cyrillus ex Orientalium ſuggeſtione, at verò Orientalium unus Alexander opinatus eſt iſtam fidei expoſitionem fuiſſe poſtulatam ad firmandam damnationem Neſtorii. Interim Orientales obedierunt. Et in iſta expoſitione profeſſi ſunt vocem, *Dei-para*. Aliqui, non omnes. Hæc expoſitio periit, aut latet. Alexander memorat hic & aliam Epiſtolam. *Et ſubtiliter legenti epiſtolam totam perſpicere licet, ab ejus hæreſi nullo modo liberam*. Eſt Sancti Cyrilli ad Berrhæenſem Acacium epiſtola. Aut fortè pacis epiſtola ad Patriarcham Joannem.

CA-

## CAPUT XCV. —183

*Incipit Epiſtola, ut ajunt, Theodoreti Epiſcopi ad Joannem Antiochiæ.*

DEus, qui ſapienter omnia indagans, & noſtræ unanimitati proſpiciens, & ſaluti Populorum parcens præparavit, ut conveniremus in unum, is & conſonas ad invicem cunctorum voluntates oſtendit. In communi enim legentes Ægyptias litteras, & earum mentem diſcutientes ſubtiliter, conſona noſtris ea, quæ quidem ſunt per Epiſtulam ſcripta, cognovimus, & duodecim Capitulis quaſi è regione, contra quæ uſque ad præſens perſtitimus dimicantes. Illa namque habent *Carnaliter carnem factum ex Deo Verbum*, & *Unitionem ſecundùm ſubſtantiam*, & *Conventum circa unitionem naturalem*, & *Deum Verbum Primogenitum factum ex mortuis*. Interdicunt verò & vocum, quæ de Chriſto ſunt, diviſionem. Et alia autem præter hæc habebant ab Apoſtolicis quidem dogmatibus aliana, ex hæreticis verò zizaniis germinantia.

Quæ autem nunc in Epiſtola continentur, clarè nobilitate Evangelica decorantur. Prædicatur namque in eis Deus & homo perfectus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & duæ naturæ, earumque differentia, & unitio inconfuſa: Non quaſi per liquidorum invicem mixtionem, coagulatumve fermenti, ſed ineffabiliter, & Deo decenter effecta, & quæ naturarum proprietates integras conſervavit. Et impaſſibilis quidem Deus Verbum, atque inconvertibilis; templum verò paſſibile, ac morti ad modicum traditum, & reſuſcitatum rursùs unita Dei virtute. Spiritus quoque Sanctus non ex Filio, aut per Filium habens ſubſiſtentiam, ſed prodiens quidem à Patre: Proprius verò, quia & ei conſubſtantialis ſit, nominatus. Hanc rectitudinem conſpicientes in litteris ipſis, & quaſi è regione contrarium reperientes eis, quæ antè conſcripta ſunt, conlaudavimus Deum, qui bleſorum linguas ſolvere dignatus eſt, & incertum ſonum in articulatam vocem ſuavemque traduxit. De his igitur hanc habuimus ſententiam. Altera verò diffamata ſunt quædam, quæ nos nimiùm turbaverunt. Dicunt enim quod is, qui hic pœnitudine uſus ſit, non ſolùm dejectionis ſive damnationis ſubſcriptionem à veſtra Sanctitate nitatur exigere, ſed anathematiſmum quoque doctrinæ Sanctiſſimi & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii.

Quod ſi id verum eſt, quod hæc velut ex arce præcipit civitatis, ſimile aliquid facit, tanquam ſi quis vix tandem perductus ad conſubſtantialem Deo & Patri Filium confitendum, mox iterùm anathemate feriat eos, qui hoc à principio ſapuerunt atque docuerunt. Et iſte ſiquidem poſtquam vix tandem noſtris dogmatibus eſt adjunctus, mox eorum anathematiſmum conatur exigere, quaſi pro ipſa rerum rectitudine pœnitens. Quia igitur hoc omne noſtros valdè perturbat, quæſo Sanctitatem tuam, & iterùm quæſo, ut doceas nos, utrum vera ſit, quæ omnes nos perturbavit, opinio. Nam de ſubſcriptione tuæ ſcribere Sanctitati, arbitror eſſe ſuperfluum, quæ ſæpè promiſit nullum ſe contra voluntatem ad iſta compellere. Hæc in communi ſcribere cuncti voluimus, ſed deliberavimus, potiùs ego & Sanctiſſimus & Deo Amiciſſimus Andreas Epiſcopus, non Synecliticis litteris, ſed amicabilibus hæc tuæ innoteſcere Sanctitati, & ſapientibus medicaminibus tuis eam, quæ ex opinione nata eſt, perturbationem reſtituere ſanitati. De meo autem Domino Sanctiſſimo & Deo Amiciſſimo Epiſcopo Alexandro rogamus tuum Sanctum Caput, ut tua utens conſueta ſapientia ſuſtineas patienter. Credimus enim, quia & ipſe unà nobiſcum voluntate conſentiet: Etſi nunc ambigit, ſubtilitatem nominum quærens, ac minimè intellecta confeſſione contentus.

Hanc quoque Scripturam ex nomine Theodoreti Epiſcopi interſerit Irenæus. Quæ utrum ſit vera, neſcimus. Quippe quam viventi ei nullus legitur objeciſſe, vel docuiſſe quod ejus ſit. Nec tamen mihi, ſi ejus eſt, inexcuſabilis, fateor, videtur Epiſtola. Nam quod pro omnibus potuerit rectæ fidei intentione conſcribi, illud oſtendit, quod laudet fidem unitivæ epiſtolæ Beati Cyrilli: Quam non ſolus, ut probavimus, execratur Alexander; Sed nec ullus alius approbavit eorum, qui cum Neſtorio ſeparati ab Eccleſia remanſere. Quod autem in dejectionem Neſtorii non conſentit ad præſens, hoc ei commune cum cæteris Coepiſcopis. Et priùs fuit, & poſt non parva in parte tunc uſque permanſerat Concilio Orientis. Quorum nullus quaſi ab Hæreticis tunc reverſus eſt pœnitens,

nitens, quia ſufficiebat Eccleſiæ Dei eos mutare ſententiam. Aliud porrò eſt de perſona, aliud de fide non recta ſentire. Sicut aliud eſt ipſum malum furti laudare, & aliud nondum tibi compertum furem quaſi inſontem, eò quod inſontem putaveris, vindicare. Similis de Dogmate ratio eſt. Nam non ſolùm de Theodoſio tunc Principe, ſed & de aliis pluribus legitur, immò, & de Sanctis Celeſtino Papa & Cyrillo Alexandrino, quod approbaverint ejus initia. Quippe quem tantæ civitati, ſicut & Scripta eorum loquuntur, conſenſerant præſidere: Dum Presbyter Antiochiæ fuerit. Quod Canones niſi pro magnis Doctrinæ ac morum meritis non permiſiſſent. Talis verò ut adhuc apud Orientales tunc uſque putaretur, idcirco contigit, quia negabat ſe in Conſtantinopoli talia prædicaſſe, qualia vulgabantur. Et inſuper Joanni Antiocheno Epiſcopo reſcribens, & Dei Genitricem clariſſimè dixerat, & alia, quæ illum ſcribere potuiſſe mirantur, qui ipſa legerunt. Et quod eſt ampliùs, ipſi fidei apud Epheſum ſe aſſenſiſſe conſcripſit, quæ communiter in Unitivis Cyrilli & Joannis, mediante Paulo Epiſcopo litteris continetur. In quam tamen fictè conſenſiſſe Neſtorius poſtea deprehenſus eſt. Quippe cujus Complices, quorum unus eſt iſte Irenæus, hanc Fidei confeſſionem clariſſimè arguunt, quam tantopere Theodoretus laudat. Nam reprehendens hic ipſe Irenæus ſupraſcriptam Theodoreti Epiſtolam, & contra hanc laudans Alexandri, ſic ait: *Divino ardens zelo magnus ille Alexander, & quodammodò futura prophetizans, proditionem vocis accuſat*. Et hoc clarè conſpicimus ex ipſis Cyrilli litteris. Omnes namque deceptionis materias hinc accepit, & hoc primum atque ultimum, quin potiùs ſolum deducens ad medium. Orthodoxam quidem Doctrinam exprobrat ut pollutam, proprium verò hac occaſione exaltat errorem, & interſerens mox aliqua ex nomine Beati Cyrilli, adjecit ita: *Hæc providens magnus Alexander ab olim, proditionem vocis exhorruit, tanquàm quæ ſufficiens exſtat, ſi* Theotocos *ſolum, non adiecto* Anthropotocos *nomine, proferatur, hæreſeos inferre languorem, & Eccleſiaſtica corrumpere Dogmata.*

Idem verò Irenæus paucis mediis ſubjunxit & hæc.

## Scholion.

HÆc epiſtola docet, quod poſt Pauli Emeſeni reditum Joannes Antiochenus pacificatorias Sancti Cyrilli litteras ſtatim miſerit Theodoreto, omni modo ſtudens à tanto Epiſcopo comprobari pacem, & ſua circa ipſam Acta. Et Theodoretus illam per præſens Reſcriptum comprobat, ſuoque Patriarchæ, immò toti Mundo gratulatur. Et comprobationis ratio eſt, quod pacificatoria epiſtola palam evertat Capitula, ideoque Cyrillus ab ipſis, licet expreſsè non anathematizet, apertè tamen recedat, ideoque auferat omnem anteriorem pacis obicem. Et adducit ſuas palmares contra Capitula rationes, aut veriùs ſuſpiciones. Prima eſt contra primum Capitulum: quod dicat Deum Verbum eſſe carnaliter natum ex Virgine, & ſic Hominem factum. Secunda eſt contra ſecundm Capitulum:

Quod

Quod doceat *unionem ſecundum hypoſtaſin*. Ex quo vides has Sacratiſſimas Sancti Cyrilli voces etiam Theodoreto diu diſplicuiſſe. Et hujus epiſtolæ Translator pro voce, *Hypoſtaſin*, poſuit vocem, *Subſtantiam*. Non ſatis rectè. Quod enim hæc Latina & iſta Græca vox in ſignificando multùm differant, abundè docet antiqua lis utriusque Eccleſiæ, tandem pacificata per Sanctum Athanaſium. Latina Eccleſia tunc quidem admiſit hanc propoſitionem, *Tres Divinæ perſonæ ſunt tres hypoſtaſes*, nunquam verò hanc: *Tres divinæ perſonæ ſunt tres ſubſtantiæ*. Eam eſt ſemper averſata. Latini Patres, qui ipſa olim, & quidem rariſſimè, ſunt uſi, fuerunt locuti liberius. Ab illius litis tempore nos Latini Græcæ voci, *Hypoſtaſis*, æquiparamus noſtram vocem, *Subſiſtentia*. Præſens Translator ab hoc more receſſit. Attamen non eſt mirum. Nam & Lateranenſis Sancti Papæ Martini Synodus aſſiduè iſtud facit. Frequenter dicit: *Unio ſecundùm ſubſtantiam*. Etiam ipſe octavus fidei canon prædicat unionem ſubſtantialem. Græcus textus habet: *Secundum hypoſtaſin*. Eſt Phraſis hodie non facilè mutanda.

Tertia Theodoreti ratio eſt contra tertium Capitulum: Quod doceat inter Domini naturas eſſe conventum, ſeu unitionem naturalem. Quarta ratio eſt contra duodecimum Capitulum: Quod doceat Deum Verbum eſſe mortuum, ac reſuſcitatum à mortuis. Quinta ratio eſt contra quartum Capitulum: Quod interdicat idiomatum in Chriſto Domino diſtributionem. Hæc & quædam alia Theodoretus ſemper cenſuit aliena ab Evangelicis dogmatibus, ac deſumpta ex hæreticis zizaniis Apollinarii ideoque abominanda eſſe Capitula. At quod fuerit graviter circumſcriptus, demonſtrat quartum Capitulum. Hoc enim idiomata negat poſſe diſtribui, verùm nequaquam in duas naturas, ſed dumtaxat in duas hypoſtaſes, ſeu perſonas. Interim Theodoretus credidit iſta omnia circumduci ac abjici per pacificatoriam epiſtolam, atque ita conſenſit in pacem. Agit Divinæ Clementiæ gratias, quod dignata ſit Cyrillum ad pœnitentiam perducere, quod bleſi linguam ſolverit, ac incertum ſonum perfecerit in ſuavem ac articulatam vocem.

Supra audivimus, quod Sanctus Cyrillus ſimplici, quam Joannes Antiochenus per Paulum Emeſenum fecerat, fidei profeſſione non contentus, ſed cunctos à Principe præſcriptos pacis articulos conſtanter volens expletos, cum dicto Paulo ac Ariſtolao Tribuno legaverit duos ſuos Clericos, in quorum præſentia Joannes deberet admittere & ſubſcribere damnationem Neſtorii, & Ordinationem Maximiani, nec non & anathema in Neſtorii doctrinam. Clerici habebant iſta continentem libellum, & Joanni, antequam ſubſcriberet, & à cunctis ſuis Epiſcopis ſubſcribendum ſponderet, communicare non poterant, nec tradare pacificatorias literas. Et iſta omnia Joannes fecerat, ac ſpoponderat. Occultabat tamen; & nec ipſi Theodoreto credidit. At verò hic aliundè intellexerat omnia, ideoque comprobatæ huc uſque paci varia oppoſuit. Primò, quod Cyrillus ad pacem & communionem ſit admiſſus, ut converſus ex hæreſi, & ut pœnitens de ſuis Capitulis, ideoque leges dare non poſſit Orientalibus Epiſcopis: Quod ab eis libellos, profeſſiones, ac ſubſcriptiones non poſſit exigere. Secundò, quod iſta profeſſio non ſoli juſtitiæ adverſetur, ſed etiam orthodoxæ veritati. Etenim Theodoretus credere dudum non potuit, quod Neſtorius docuiſſet falſa, adeoque eſſet juſtè depoſitus. Credidit Cyrillum horrendè prævaricari; utpote qui poſtularet anathema iſtius veritatis, per cujus profeſſionem ipſe ab oppoſito errore converſus ac pœnitens recipiebatur in Eccleſiam. Tertiò affirmat, quod ante inchoatum pacis Tractatum Patriarcha Joannes cunctis ſuis Epiſcopis promiſiſſet neminem à ſe cogendum ad ſubſcribendos iſtiuſmodi articulos. Haud dubiè id promiſerat in Berrhæenſi apud Acaciom Synodo. Hinc Theodoretus ſtupet, quod modò ipſe dicatur non ſolummodò ſubſcripſiſſe, ſed & ſpopondiſſe iſtud ipſum faciendum à ſuis Epiſcopis. Hinc inſtantiſſimè ſupplicat: *Quæſo Sanctitatem tuam, & iterum quæſo ut doceas nos, utrum vera ſit, quæ omnes nos perturbavit, opinio*. Affirmat non ſe ſolum, ſed cunctos ſuæ Provinciæ Epiſcopos fuiſſe concuſſos ex iſto rumore. Et adjungit: *Hæc in communi cuncti ſcribere voluimus, ſed deliberavimus, potius ego & Andreas Epiſcopus non Synoclyticis, ſed amicabilibus litteris hæc tuæ innoteſcere Sanctitati, & ſapientibus medicaminibus tuis eam, quæ ex opinione nata eſt, perturbationem reſtituere ſanitati*. Affirmat iſtam profeſſionem ac ſubſcriptionem nullatenùs fore admittendam à ſua Provincia.

Notanda ſunt finalia verba: *De meo autem Domino, Sanctiſſimo Epiſcopo Alexandro, rogamus tuum Sanctum Caput, ut tua utens conſueta ſapientia ſuſtineas patienter. Credimus enim, quia & ipſe una nobiſcum voluntate conſentiat: Etſi nunc ambigat, ſubtilitatem nominum quærens, ac minimè intellecta confeſſione contentus*. Docent nos plura. Primò, quod Euphrateſia Provincia, acceptis Joannis Patriarchæ litteris Synodum fecerit, deliberans de acceptanda pace. Secundò, quod ipſam acceptandam duxerit, excepta tamen præfata profeſſione ac ſubſcriptione, de qua nullam mentionem faciebant litteræ, & quam ſola fama ſpargebat. Tertiò, quod Synodus hanc relationem, timens fore ingratam, Patriarchæ ſuo facere noluerit per Synodales litteras, ſed faciendam delegaverit per familiares literas duorum ipſi amiciſſimorum Epiſcoporum: Theodoreti ac Andreæ. Quartò, quod Metropolita Alexander de hac pace ne quidem audire voluerit. Quod repudiaverit etiam pacificatoriam Sancti Cyrilli epiſtolam. Interim Theodoretus Patriarcham rogat, ut ipſum patienter ad tempus ſufferat, ſperans ſuaviter inducendum ad ſaniorem ſenſum pacificatoriæ epiſtolæ, aut ad amplexum pacis.

Et hinc oritur quæſtio, An iſte Alexander revera fuerit Neſtorianus Hæreticus? Reſpondeo

partem

partem affirmativam porenter ſuaderi ex ejus adducta ſuperius opinione eirca vocem, *Dei-para*. Etenim ipſam ſine adjuncta voce, *Homini-para*, nolle admittere fuit doloſa ars hæreticæ iſtius blaſphemiæ. Deinde Imperator Juſtinianus in ſuo contra tria Chalcedonenſis Concilii Capitula Edicto adducit Hæreſiarchæ Neſtorii ad hunc Alexandrum epiſtolam: Demonſtrat fuiſſe peoitus hæreticam, & addit fuiſſe ſcriptam *ad Hæreticum*
Act. 5. *Alexandrum*. Eandem Epiſtolam memorat in ſua Lateranenſi Synodo Sanctus Martinus Pontifex: Et adducit ejus verba palam hæretica. Juſtinianus videtur non caruiſſe fundamentis. Forſitan ad manum habebat Alexandri Reſcriptum ad Neſtorium. Certè pacem ille nunquam admiſit: Per laicam Poteſtatem extrudi ſe paſſus eſt ex Epiſcopatu, & abivit in remotum exilium. Nullis Theodoreti, aliorum Epiſcoporum ac etiam Laicorum Magnatum potuit inflecti precibus. Certè hæc ſunt noo levia argumenta hæreticæ pertinaciæ ac perfidiæ.

Notanda ſunt Theodoreti verba, quibus inter cæteros à pacificatoria Sancti Cyrilli epiſtola aſſertos articulos ponit & hunc: *Spiritus quoque Sanctus non ex filio, aut per filium habens ſubſiſtentiam, ſed prodiens quidem à Patre, proprius verò filii, quia & ei conſubſtantialis ſit, nominatur. Hanc rectitudinem conſpicientes in litteris ipſir, & quaſi è regione contrarium reperientes eis, quæ ante conſcripta ſunt, collaudavimus Deum*. Reſpiciunt hæc pacificatoriæ epiſtolæ verba de Patribus Nicæni Coocilii: *Non enim ipſi locuti ſunt, ſed Spiritus Dei ac Patris, qui procedit quidem ex ipſo, nec ob id tamen ſecundùm eſſentiæ rationem alienus eſt à Filio*. Theodoretus affirmat duo. Primò, quod Sanctus Cyrillus antea docuerit Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, aut certè ex Patre per Filium. Ex quo vides hanc diſtinctionem eſſe longè antiquiſſimam. Secundò docet, quod Sanctus Cyrillus in pacificatoria Epiſtola canier iſtius doctrinæ palinodiam.

Er quidem quod Sanctus Cyrillus Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere docuerit, eſt longè certiſſimum. Etenim in libro, quem adversùs Neſtorium ſcripſit ad Imperatorem
Cap. 36. Theodoſium, profitetur: *Filius immittit Spiritum Baptizatis, non alienum, ſed eum qui ex illo eſt, & illius eſt proprius*. Et infra in eodem libro: *Deus Verbum, quatenùs ex Deo Patre procedit, impertit ac immittit Spiritum ſuum, & ex propria natura in nos, quaſi ex fonte quodam transfundit*. Et in libro ad Reginas: *Spiritus Sanctus na-*
Cap. 37. Cap. 3. *turaliter ex Patre eſt, & per Filium dimanat in creaturam*. Et in alio ad eaſdem Reginas libro: *Chriſtus Dominus, licet ut homo Spiritum Sanctum propter nos ſuſcipiat, ut Deus tamen eundem impartiri ſolet. His qui baptizantur, Spiritum Patris*
Cap. 34. Cap. 50. *haud aliter atque proprium impartit*. Et infra in eodem libro: *Deus Pater omnia per Filium operatur in Spiritu Sancto*. Egregiè hoc demonſtrat,
Cap. 10. & concludit: *Procedit autem per utroſque vivificus quoque Spiritus*. Et in duodecim Capitulorum Epiſtola: *Spiritus Sanctus non eſt à Filio alienus, ſed perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit*. Et in primo libro de adoratione io Spiritu ac veritate: *Subſtantialiter ex utroque nimirum ex Patre per Filium profluit Spiritus Sanctus*. Eccn palam ac disertè profitetur Spiritum Sanctum & ex Patre ac Filio, & ex Patre per Filium procedere. Nec deſunt alia ejus teſtimonia.

Quod verò hæc in pacificatoria Epiſtola recantaverit, eſt longè falſiſſimum. Admirandus eſt Theodoretus, qui iſtud non erubuit ſcribere. Etenim hæc propoſitio, *Spiritus Sanctus eſt Filio proprius, ac ab ipſo non alienus*, nequaquam importat ſolam conſubſtantialitatem, ſed omninò etiam proceſſionem. Abundè hoc lucet ex adductis teſtimoniis. Etenim duodecim Capitulorum Epiſtola in prolixiori ſuo contextu habet: *Spiritus Sanctus non eſt à Filio alienus, ſed perinde ab illo, atque à Deo Patre procedit*. At verò nonum Capitulum verba iſta redegit in hoc Compendium: *Spiritus Sanctus eſt Filio proprius ac naturalis*. In naturali proprietate omninò comprehendit & proceſſionem. Nam & ipſe etiam Theodoretus ſic intellexit. Hinc verba iſta in ſua Capitulorum reprehenſione ſic invaſit: *Proprium autem Spiritum Filii, ſiquidem ut ejuſdem cum illo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, ſimul confitebimur, & tamquam piam ſuſcipiemus vocem; ſi verò tamquam ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habeat, hoc ut blaſphemum & impium rejiciemus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui ex Patre procedit*. Et Cyrillus denuò hoc unum repoſuit: *Procedit ex Deo & Patre Spiritus Sanctus, ſecundùm Salvatoris vocem, ſed non eſt alienus à Filio. Omnia enim habet cum Patre, & hoc ipſe edocuit dicens de Spiritu Sancto, omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Etiam productio Spiritus Sancti. Sanctus Cyrillus ad hanc ex Filio proceſſionem plenè profitendam ac ſtabiliendam, cenſuit iſta verba omninò ſufficere. Ad majorem tamen expreſſionem addidit Domini verba; *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*, eſſe intelligenda de Spiritu Sancto: Utique de ejus productione.

Sanctus Cyrillus hæc longè clarius illuſtrat in quarto libro contra Neſtorium. Præmittit hunc fundamentalem articulum: *Filii procul dubio Spiritus eſt, ut qui per ineffabilem ipſius naturam procedat, & ipſi ſit conſubſtantialis*. Palam docet ad Cap. 3.
hoc, ut Spiritus Sanctus ſit Filii proprius, requiri duo: Non ſolam conſubſtantialitatem, ſed etiam proceſſionem. Et tandem concludit: *Filius probè novit ſe ipſum eſſe ex natura Deum ſimul cum Patre, & omnia quæ illius ſunt, ſe habere, præterquam id ſolum, quod eſt Pater. Itaque etiam dicebat ad illum*: Omnia mea tua ſunt, & tua mea, & glorificatus ſum io ipſis. *Et ad nos ipſos, cum de Spiritu Sancto verba faceret*: Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Ut enim procedit ex Patre Spiritus Sanctus, cum ſit ipſius ſecundum naturam, eodem quoque modo per ipſum Filium, cum ſit ejus naturaliter, ipſique conſubſtantialis*. Apertiſſimè profite- Cap. 3.

tur Spiritus Sancti ex Filio proceſſionem omninò comprehendi in laudatis Evangelii teſtimoniis. Item ipſam comprehendi in eo, quod Spiritus Sanctus ſit Filii proprius. Diſtinguit Spiritum Sanctum eſſe Filii proprium, & ipſum non eſſe ab eo alienum: Hoc in conſubſtantialitate, illud fundat in proceſſione. Etiam in humanis aliud eſt Petrum eſſe Joanni conſubſtantialem, aliud Petrum eſſe Joannis: Hoc poſterius omninò importat aliquam relationem. Et in Divinis præter Proceſſionem nulla eſt relatio. Quidquid ſit de hoc puncto, quinque contra Neſtorium libros Sanctus Cyrillus omninò ſcripſit poſt Epheſinam Synodum, ac poſt pacem Eccleſiæ. Eos ſcripſit in gratiam Sancti Procli jam evecti ad Regiæ Civitatis Cathedram. Sunt Apologia ac explanatio concionum, quas Sanctus Proclus ante iſtum Epiſcopatum dixerat in Neſtorium. Et ſic exploratum eſt, quod Sanctus Cyrillus ſua orthodoxa de Spiritus Sancti Proceſſione dogmata nullatenus recantaverit. Etiam in Nicæni Symboli, palam ſcripta poſt Eccleſiarum pacem, Expoſitione habet: *Spiritus Sanctus eſt Patri ac Filio conſubſtantialis, & profunditur quidem, ſeu procedit, ſicut à fonte, à Deo & Patre, tribuitur autem creaturæ per Filium*. Adeoque & per ipſum procedit. Attamen à ſolo Patre, ut à primo fonte. Et ad hanc Dei Patris prærogativam ſignificandam, melius ac profitendam, poſteriores Græci magis probant hanc phraſim: *Spiritus Sanctus à Patre procedit per Filium*.

Quæſtio eſt, Quo fundamento Theodoretus hanc orthodoxam & Sacroſanctam Beati Cyrilli ac totius Eccleſiæ doctrinam ſcribat eſſe *blaſphemam & impiam*? Ratio dubitandi non eſt modica. Etenim omnes Græcorum Patres conſtanter docuerunt Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, aut ex Patre procedere per Filium. Primus oppoſiti erroris fons eſt facinoroſus Theodorus Mopſueſtenus. Et haud dubiè Theodoretus hæc omnia noverat. Nihilominus non tantum in ſuo adversùs Cyrilli Capitula Libro ſcripſit talia, ſed etiam alibi. Etenim in quinto Concilio exſtat ejus ad Regiæ Civitatis Monachos Epiſtola, poſt varias in præfata Capitula contumelias adjungens hæc: *Cyrillus blaſphemat & Spiritum San-*
Act. 5. *ctum, non ex Patre ipſum procedere dicens, ſecundum Domini vocem, ſed ex Filio eſſe. Et iſte verò Apollinarii ſeminum fructus eſt. Propinquat & Macedonii malignæ culturæ.* Etenim Macedonius admiſit Dei Filii cum Deo Patre conſubſtantialem Deitatem, Spiritum verò Sanctum dixit creaturam, ideoque ipſum ex utroque per creationem procedere. Apollinarius inter Divinas Perſonas poſuit gradus, dicens ſecundum ex primo, tertium procedere ex primo & ſecundo.

Eſt igitur non modica quæſtio, Quo fundamento Theodoretus ſe præcipitaverit in tantas petulantias ac blaſphemias? Reſpondeo aliud à me non ſciri fundamentum, niſi pertinacem impreſſionem illi factam à Mopſueſtienſi Theodoro. Teodoretus enim contumaciter probavit omnia Theodori præter blaſphemias in librum Job, in Canticum Canticorum, in Pſalmos, ac in alios Prophetas. Quod Spiritus Sancti è Filio Proceſſionem crediderit eſſe à Macedonio aut Apollinario inventum errorem, nunquam credidero. Erat enim peritus Chriſtiani dogmatis. Primarius Conſtantinopolitanæ Synodi ſcopus fuit eliminare novas iſtorum hæreſiatcharum blaſphemias: Hinc illa à Mopſueſteno Theodoro, Diodoro Tharſenſi, aut neſcio quo alio perſuaſa, cenſuit longiſſimè retrocedendum ab iſtorum etiam ſyllabis, ideoque ex antiquo Epiphaniano Symbolo expunxit Spiritus Sanctus Proceſſionem è Filio, & ſuo Symbolo impoſuit ſolas voces: *Qui à Patre procedit*. Eas Theodoretus, præſertim ad Sancto Cyrillo contradicendum acerbè inflammatus, cenſuit Sacroſanctas, atque ita diverſas illius voces ſtuduit perſuadere blaſphemas & impias. Ego aliud neſcio, paratus doceri meliora. Interim quod Conſtantinopolitani Patres in iſto ſuo compendio recta ſenſerint & Dei activam ſpirationem nullatenus voluerint excludere, eſt longè certiſſimum. Notandum item eſt, quod omnes Græcorum Patres, qui Sancti Cyrilli Capitula defenderunt, etiam profeſſi ſint Spiritum Sanctum procedere ex Filio. Et iſti Defenſores fuerunt cuncti Græcorum Epiſcopi. Lucet ex actis Chalcedonenſis Synodi, ex quinto Concilio, ac ex multis aliis.

Adnexi Scholii Author ſine fundamento dubitat, an præſens epiſtola ſit veraciter Theodoreti. Quod ſit, eſt longè certiſſimum. Etenim Theodoretus & pacificatorias Sancti Cyrilli litteras, & contenta in ipſis dogmata, & Maximiani Ordinationem, denique omnes pacis articulos promptè admiſit, præter Neſtorii degradationem. Hanc profiteri legitimam, ac præſertim anathematizare ejus dogmata, pertinaciſſimè recuſavit. Et ita incurrit utriuſque partis aculeos. Joannem Patriarcham, & omnes ei adhærentes Epiſcopos offendit propter recuſationem; Admiſſio atrociter momordit Alexandrum Metropolitam, alioſque plures, ac præſertim ipſum Neſtorium. Hic enim tunc ad Theodoretum ſcripſit lachrymoſas litteras, ad quas recepit reſponſum, quod exſtat in quinta Synodo, & quod ex alia translatione adducetur inferius.

CAPUT

## CAPUT XCVI. ---184

### Epiſtola Alexandri ad Theodoretum, per quam vocis quidem proditionem accuſat, declarat autem, quomodo Epiſtolam falſantes, qui circa Paulum Emeſenum, Cyrillo Ægyptio obtulerunt.

MEmor ſum, quia quando ſumus ad invicem collocuti in loco qui dicitur Arbathimilas, tunc tuæ dixerim Sanctitati, dum certè nihil antè prætexuerim, quaſi verum aliquid aliundè audiverim, ne fortè pacis hujus Legatus ſolam vocem, quæ eſt *Theotocos*, Ægyptiis detuliſſet. Et puto non abſque Dei providentia fuiſſe id dictum. Ad nos namque pervenit Epiſtola Joannis, quæ nuper facta eſt ad Cyrillum, & à Cyrillo ad eum: Quæ circumferebatur in Urbe, in qua nomen, *Enixæ Deum*, tantummodò Ægyptius obtinens, tanquam cunctis erroribus propriis accommodum, multis eam laudibus prædicavit, dicens nunquam ſe aliter ſapuiſſe, nec ſapere præter hoc. Et verè dixit: Quia hoc eſt quaſi arx totius ejus hæreſeos. Et memor eſt utique Sanctitas tua, qualiter Epheſi poſitus communionem talis Epiſtolæ tota virtute refugerim: Dum certè illa valdè accuſaret eas, quæ inerant Cyrilli Capitulis, blaſphemias. In novella namque Epiſtola, dum tranſcurriſſem totam partem, quæ etiam Cyrilli jacet in litteris, & contuliſſem ad eam, quæ tunc à veſtra Religioſitate conſcripta eſt, reperi quia neque initia, neque fines illius ipſius Epiſtolæ poſuerunt hi, qui ad Ægyptum directi ſunt. Hoc autem claret non ex illis ſolùm vocibus, quas idem tranſcripſit Ægyptius, ſed & ex illis, per quas multis jurgiis & accuſationibus & ipſum & ejus Capitula perfuderunt, & ipſius hæreſim deteſtati ſunt, qui tunc Epheſi conſcribebant. Accipiet igitur, tunc ut dixi, Ægyptius per hunc unum ſermonem eorum conſenſum ad omnia Conſcripta ſua hæretica: Et in nullis, in quibus pridem ſimulaverat veritatem, habet de cætero hæreſis tutamentum. Et intentè legentibus Epiſtolam manifeſtus eſt ipſe quoque, propriè veneni ſemper jaciens ſemina. Direxeram verò & eaſdem litteras, niſi noſſem, quod eas tua Sanctitas habeat.

Idem Irenæus ait.



### SCHOLION.

PEr hanc epiſtolam Alexander demonſtrat ſuum circa vocem, *Deipara*, ſenſum non eſſe heſternum aut novum, ſed ſe ſemper eadem ſenſiſſe. Et probat hoc non dumtaxat ex ſuo cum Theodoreto ante pacis Tractatum colloquio, ſed inſuper ex ſuis Actis apud Epheſum. Ex epiſtola, quam Epheſi ob inſertam iſtam vocem noluit ſubſcribere. *Erat epiſtola Joannis Patriarchæ, & adjunctæ illi factionis, ad Imperatorem Theodoſium, quam direxerunt per Joannem Comitem, in qua etiam continetur illa Catholicæ fidei confeſſio, quam poſtea Sanctus Cyrillus per pacificam laudavit epiſtolam, ſcribens eidem Joanni per Legatum pacis, Paulum Emeſenum Epiſcopum.* Joannes Comes ab utraque parte fidei profeſſionem exegerat, & Orientalis Factio obedivit. Profeſſio exſtat ſuperius, & incipit: *Confitemur igitur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, &c. Et comprehendit vocem, Cap. 17. *Dei-para*. Et quidem ſolam ſine voce *Homini-para*. Hæc ſunt verba epiſtolæ: *Secundùm hunc inconfuſæ unionis intellectum confitemur Sanctam Virginem Dei Genitricem*. Interim epiſtola atrociter invadit Sancti Cyrilli Capitula. Et tamen Alexander ei noluit ſubſcribere. Tunc enim facta eſt turpis illa Orientalium Epiſcoporum circa iſtam vocem diſcordia, quam Sanctus Cyrillus largè deſcribit in litteris ad Regiæ Civitatis Clerum ac Populum, affirmans quoſdam fuiſſe adeò averſos ab iſta voce, ut paratiores eſſent manus perdere, quam illi ſubſcribere. Et revera nemo ſubſcripſit. Fuit formata in commune Factionis nomen, ſine ſubſcriptionibus. Præſens Alexandri epiſtola nobis edicit rationem.

Joannes Antiochenus, dum pacem iniit, noluit recantare. Hinc præſentem fidei profeſſionem inſeruit ſuæ pacificatoriæ epiſtolæ. Ita toti Mundo demonſtratum voluit ſe ſemper eadem & recta ſenſiſſe: Et Epheſi, & Chalcedone, & in pace, & poſt illam & Sanctus Cyrillus profeſſionem admiſit. Audi Alexandrum: *In qua nomen, Dei-paræ; tantummodò Ægyptius obtinens tamquam cunctis erroribus propriis accommodum, multis eam laudibus prædicavit, dicens ſe nunquam aliter ſapuiſſe, nec ſapere præter hoc. Et verè dixit: Quia hoc eſt quaſi arx totius ejus hæreſeos.* Hinc Alexander aſſeverat ſe à ſuo apud Epheſum judicio recedere non poſſe: Non poſſe aut Joannis aut Cyrilli litteris ſubſcribere. Etenim etiam Sanctus Cyrillus laudatam fidei profeſſionem inſeruit ſuæ pacificatoriæ epiſtolæ. Et hinc utramque epiſtolam in ipſa fidei definitione probavit ac firmavit Chalcedonenſis Synodus.

Alexander adjungit ſuæ pertinaciæ rationem: *In novella namque epiſtola, dum tranſcurriſſem totam partem, quæ etiam in Cyrilli jacet litteris, & contuliſſem ad eam, quæ tunc à veſtra Religioſitate conſcripta eſt, reperi quia initia, neque fines illius epiſtolæ poſuerunt hi, qui ad Ægyptum directi ſunt,*

&c. Per novellam epiſtolam intelligit Joannis pacificatoriam, & addit iſtam fidei profeſſionem, illique adjunctam Epheſi epiſtolam fuiſſe compoſitam à Theodoreto. Hnc uſque id ignoravimus. Affirmat non omnem iſtam epiſtolam, ſed ſolam ex ipſa extractam fidei profeſſionem fuiſſe delatam Cyrillo: Exordium & finem fuiſſe prætermiſſa. Et putat quod peſſimè. Iſta enim damnabant Cyrilli anathematiſmos, ideòque horum prætermiſſio eſt manifeſta illorum comprobatio. Hine ait Cyrillum fore in ſuis Capitulis plenè confirmandum. Quare concludit ſe non poſſe aut Joannis aut Cyrilli pacificatoriis litteris ſubſcribere. Nam qui ſubſcribere noluit, dum aderat Capitulorum damnatio, quomodò hac ſublata poſſit manum apponere?

---

## CAPUT XCVII. --185

*Epiſtola Theodoreti, quam reſcripſit Epiſcopo Alexandro.*

CUlpavi & ipſe hujus rei cauſa Paulum: Falſa eſt. Et eorum memor ſum, quæ Epheſi contigerunt. Novi ſubtiliter cauſam, tanquam ſi hodie facta ſit. Et tanquam coram ipſis veritatem ſic dico, quia mox ut legi redargutionem à te factam, dolui animo, ſciens diſcretionem Sanctitatis tuæ. Mihique valdè diſplicuit, quod Mediator ejus, quæ dicitur, pacis factus, quia ſciens perturbationem, quæ Epheſi facta eſt, atque moleſtiam, hac magis propoſitione uſus eſt, & non illis aliis, quæ in Antiochia factæ ſunt. Ego verò propter omnia neceſſarium arbitror, ut ubicumque jubes, conveniamus. Sed & Dominus meus Deo Amiciſſimus Epiſcopus Andreas. Si verò tuæ placuerit Sanctitati, ut & alii Epiſcopi veniant Hierapolim, aut in Zeugmate quatenùs pariter, utrum ſi quid agendum ſit deliberemus (non enim parva cauſa verſatur, ſed principaliſſima omnium) ſcribere igitur dignetur Sanctitas tua prædicto Deo Amiciſſimo Epiſcopo & Domino Andreæ: Et ſi promiſerit ſe adſuturum, dignetur Sanctitas tua ſignificare mihi, quò veniam, & continuò adero.

Hæc Epiſtola, ſi vera credatur, non inexcuſabilis mihi videtur. Potuit enim non ob hoc ei diſplicere Paulus Emeſenus Epiſcopus, quia quaſi non convenientem fidei Catholicæ pacem fecerit, ſed quia non ita ut infirmioribus conſuleret Orientis Epiſcopis. Et certè ipſas unitivas Epiſtolas circa fidem paulò antè laudaverat. Immò nec unquam laudare deſiit.

Idem Irenæus ait,

### SCHOLION.

PRæcedens Alexandri epiſtola commovit Theodoreti animum. Reſpondet plura. Primò, quod Paulus Emeſenus malè egerit. Utique ad Cyrillum deportando ſolam Epheſinam fidei profeſſionem ſine adjuncta epiſtola: Sine ejus exordio & fine, quæ damnabant Cyrilli Capitula. Secundò, quod non venialiter peccarit, ſed graviſſimè: Quod commiſerit crimen falſi. Duobus modis. Portando mutilatam epiſtolam, & affirmando ipſam eſſe totius Orientalis Diœceſeos. Et quidem Epheſo ſcriptam ad Principem. Hæc enim omnia Paulus accuſatur impreſſiſſe Cyrillo. Theodoretus tertiò dicit eorum, quæ Epheſi ſunt facta adversùs epiſtolam ſibi eſſe recentem memoriam, ideoque ſe dolere, quod ante pacis ſubſcriptionem attentè ad illa non reflexerit. Et Paulum Emeſenum denuò culpat, quod iſtam Epheſinam perturbationem ac moleſtiam ſciens, Cyrillo iſtam profeſſionem obtulerit, & non illa quæ facta eſt Antiochiæ. Utique poſt Joannis reditum ex Epheſina Synodo. Tunc enim ille fecit Antiochiæ Synodum, & denuò damnavit Capitula. Ex hac epiſtola diſcimus, quod etiam novam fidei profeſſionem emiſerit. Quod Joannes pluſquam quinquaginta Synodica fecerit adversùs iſta Capitula, Theodoretus affirmat in litteris ad ejus Succeſſorem Domnum. Iſta profeſſio latet aut periit. Theodoretus tandem Alexandro ſuadet, ut ad hæc diſcentienda indicat Synodum ſuæ Provinciæ. Subnexæ ſubnotationis author non penetravit fundum epiſtolæ.

CA-

## CAPUT XCVIII. —186

*Epiſtola Andreæ ad Alexandrum, indicans quod neque ipſe in aliquo judicet contra Neſtorii perſonam, ſed potius contra eos, qui non ita habebant.*

GRatias egi Deo ſuſcipiens tuæ Religioſitetis litteras, per quas juſſiſti nos Zeugmate convenire. Primùm quidem, quod fruar Sancto & Paterno Capite; ſecundò verò quia, & de propoſito negotio forſan aliquid conſiderebimus, quod & nobis proſit, & expediet Orbi. Nec enim ad verborum pugnas, neque ad contentiones, neque ed concuſſiones conveniemus. Sed & nos parati ſumus Paternæ tuæ Pietati acquieſcere in his, quæ utiliter & ſecundùm Deum proponit. Atque ipſe rursùs novi, quie piè ſis diſpoſitus circa nos: Nec te negabis noſtro conſilio, ſi quid apparuerimus utile ſuggerentes. De Sanctiſſimo verò Epiſcopo Neſtorio quod deliberatione ulle non egeem (nec enim quidquem contra eum vel dicendum hebeo, vel agendum, ſicut nec adverſus Sanctitatem tuam) & per elias litteras ſignificavi jam ſæpiùs. Conveniamus igitur, ſicut placuit. Aut enim & in commune aliquid utile ex noſtre deliberatione proveniet, eut ſaltem nos ipſi multa conſolatione levebimur, invicem benevolentia noſtra fruentes. Dignare verò, Domine, & omnium Domino conſuetas orationes offerre pro nobis.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola docet, quod Alexander Metropolita Theodoreti Concilio acquieverit, & Synodum convocarit in Civitatem Zeugmetis. Nempè ad diſcutienda Pauli Emeſeni in pacis negotio Acta. An per ſimplicitatem peccaſſet, an per dolum. Secundò docet, quod Alexander in ſuis convocatoriis litteris ſit durè invectus in Epheſinam Neſtorii damnationem, ſuadens nullatenus admiſſibilem. Et Andreas reponit nunquam à ſe admittendem. Et revera, niſi forſitan in lecto mortis, nunquam admiſit. Epheſini Latrocinii violentie Theodoreto aperuit oculos: Uſque tunc iſtem damnetionem pertinax abjecit. Hinc Andreas, illi amiciſſimus, videtur ipſam nec in ſupremo ſpiritu admiſiſſe. Notande ſunt verba: *Deliberatione ulla non egeo.* Et verba: *Et per alias litteras ſignificavi jam ſæpiùs.* Edicunt Andream in hoc negotio fuiſſe duriſſimum.

## CAPUT XCIX. —187

Item verba Irenæi.

Epiſtola, *inquit*, Theodoreti ad Alexandrum, per quam promittit anathematizare quæ circa Joannis perſonæ doctrinam, nec ipſe eorum pariter Communicator exiſtere. Has ad hoc præcipuè poſui, ut notum ſit, quæ ſint, undè impetitur vel Beatus Theodoretus, vel quiſquis conſcripſit.

SCit Sanctitas tua, etiamſi minimè dixero, quia propteree & Marbathimas priùs, & in Hierapolim tunc adveni, & nullius alterius rei cauſa, niſi ut communiter tractaremus, quid agere deberemus. Et quod conveniſſet, manciparetur effectui. Quia igitur tuæ Sanctitati complacuit, ut conveniremus in Zeugmate, quæſo Sanctitatem tuam, ut minimè differas. Omnia enim, quæ deſiderat Religioſitas tua, ut ſpero, faciende ſunt: Et nullus in ullo tuæ Sanctitati reſiſtet. Omnes enim & ut Patrem, & ut Dominum & reveremur, & reveriti ſumus, & venerabimur. Quæſo igitur iterùm Sanctitatem tuam, fatigari dignare. In veritate enim credo, quie bonorum Author Deus, quæ ad nos ettinent, diſpenſare dignatus eſt. Nec nos relinquet, ut aut offendamus in eum, eut confundamur apud homines, illuminans mentem noſtram, & quod placitum ſit oſtendens. Nam & olim veſtræ Sanctitati dixi, quia anathematizaverunt dogma Domini mei Sanctiſſimi, & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii. Neque ego his, qui hoc fecerunt, communicabo. Et ſi tuæ complacuerit Sanctitati, & hoc inſeri litteris, quæ à nobis ſunt dirigendæ, fiet & hoc. Noli igitur immorari, quæſo, per veſtigia tua ſancta. Deo tuo rem cedo: Et ipſe gubernabit, uti novit, Sanctitatem tuam, & Humilitatulam noſtram.

### SCHOLION.

HAc epiſtola Theodoretus reſpondet convocatoriis Metropolitæ Alexandri ad Zeugmatenſem Synodum litteris, promittens ſe adſuturum. Et quoniam illius contra pacis Acta odium & pertinaciam noverat, obteſtatur ut & ipſe non deſit. Præcipuus enim Andreæ ac Theodoreti, poſtulantium hanc Synodum, ſcopus erat acerbum Alexandri animum amollire, & ſuaviter in pacem inflectere. Quare in hac epiſtola minatur plura, quam cogitaret aut faceret. Etenim Sancto Cyrillo aliiſque Epheſini Concilii, qui Neſtorium damnaverant, Patribus omninò jam communicabat. Etiam ipſi Maximiano, ordinato in locum Neſtorii. Proinde liberaliter hic loquitur, ut Alexandrum componat, ac ira ſuaviter eapiat. Quare Irenæus graviter errat, quod per hanc *epiſtolam promittat anathematizare, quæ circa Joannis perſonæ doctrinam, nec ipſe pariter eorum communicator exiſtere*. Etenim Theodoretus fidei profeſſionem, quam Joannes ad Cyrillum miſit, & quam Cyrillus probavit, compoſuerat.

---

## CAPUT C. --188

### Ejuſdem Irenæi.

*Epiſtola*, inquit, *Alexandri ad Theodoretum, per quam ſuum tali conditione promiſit adventum, ſi eis per litteras ſatisfieret de his, propter quæ ſatisfactionem nitebatur exigere.*

ET tua Religioſitas novit, quod propter ejus rectam *fidem* etiam *nolim & nunc venire, & tractare* vobiſcum de his quæ aguntur ut paris. Quoniam verò cognovi de reliquo, quæ jam data ſit ab eis forma damnationis ejus perſonæ, nimis mihi ridiculum videtur anathematiſmum Capitulorum petere à viro, qui Orthodoxum cum ſuo dogmate condemnavit. Et maximè quia tuæ quidem Religioſitati videtur immutatum fuiſſe Cyrillum. Et nihil diſtat, an quis te condemnare compellat, ſi communicaveris ei, qui damnavit Orthodoxa prædicantem. Verumtamen quæ tunc in Antiochia inter nos collocuti ſumus, dicentes, Quod ſi Cyrillus illam conditionem ſuſceperit, abjeceritque Capitula, pacem fieri convenit, ſcientes videlicet illud hæc diximus, quod hæreticorum Capitulorum ejectio ſit & rectæ fidei robur, & eorum quæ contra illam perſonam ſunt geſta, ſubverſio, & ſcandali generalis ſolutio. Quia igitur certum habeo, quod impius Cyrillus magis impius apparuerit ex his, quæ modò ſunt ſcripta, & ipſe non mutatus ſit, ſed eos, qui ei adjecti ſunt, ut ſuos receperit, quomodo eſt poſſibile, ut ego ab eo anathematiſmum Capitulorum petam, qui per ipſam communionem cum Cyrillo initam & perſonam depoſuit, ac damnat, ſicut integerrimè credimus?

Continuò namque veraciter & opprobrio & ridiculo erimus, ſi poſtquam prodiderimus Orthodoxam fidem, nunc deriſoriam ſatisfactionem voluerimus exigere. Hæc neceſſariò arbitratus ſum innoteſcere tuæ Religioſitati, ut mihi des veniam, quod nuſquam fatiger. Si autem quæ dictavit Religioſitas tua, voluerit dirigere, & addatur etiam de ipſa perſona, ut Antiochenus per ſua nobis Scripta ſatisfaciat de anathemate illorum Capitulorum, & quia Orthodoxiæ Prædicatorem nec ipſe damnat, & nobiſcum reſiſtit uſque ad mortem eis, qui expetunt ejus condemnationem (non propter Perſonam, ſed propter Orthodoxiam, quam prædicat illa perſona) & dictaveris hæc mihi, quæ direxeris, ut & ſcriptum eorumdem exemplar accipiam cum ſubſcriptione omnium veſtrum, qui eſtis ejuſdem Diœceſis Deo Amiciſſimi Epiſcopi, inſuper autem & illud Authenticum, quod ab ipſo tranſmittitur, ſi tamen voluerit ſatisfacere nobis, non abnuam fatigari. Dominus enim Neſtorius non propter pravitatem vitæ circa eos eſt condemnatus, ſed propter hæreticam damnatus eſt fidem. Qui igitur eum condemnat, & ejus fidem pariter damnat. Ego igitur dupliciter ſcandalizor in Domino Joanne, tanquam *qui* & fidem prodiderit, & damnaverit eum, quem novit Orthodoxum, cum propria fide. Si autem vos nullo modo hæc offendunt, ſuperfluè ego de cætero vobiſcum convenio.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola videtur non ad ſolam præcedentem, ſed inſuper ad quamdam aliam, à Theodoreto ſcriptam de eadem materia, reſpondere. Etenim reſpondet ad quędam, de quibus præcedens epiſtola nullam facit memoriam. Docet nos varia. Primò, quod Theodoretus Alexandro ut ipſum ad pacem inflecteret, promiſerit Cyrillum cogere ad anathematizanda ſua Capitula. Etenim ſine hoc anathemate Alexander pacis nomen nec ſuſtinebat audire. Et hinc reſpondet hanc exactionem jam eſſe ſeram, immò & ridiculam. Etenim qua ſpe, aut qua ſpecie poſtu-

poſtulabis Capitulorum anathema ab illo, qui Neſtorium propter contrarium Capitulis dogma condemnavit ut hæreticum? Item quomodo id poſtulabis à viro, quem credis correctum ac mutatum? Prioris enim dogmatis anathema exigi non ſolet niſi, ut de Erronis correctione certificemur. Ridet Theodoretum, quod eredat Cyrillum eſſe correctum.

Secundò, affirmat etiam promiſſionem, qua Theodoretus ſpondebat nunquam admittere Neſtorii damnationem, eſſe frivolam, eo quòd *nihil diſtat, an quis te condemnare compellat, ſi communicaveris ei, qui damnavit Orthodoxa prædicantem*. Hoc eſt, quia inita cum Damnatore communio eſt omninò damnationis comprobatio. Præcedens Theodoreti epiſtola habet de Neſtorii Damnatoribus: *Neque ego his, qui hoc fecerunt, communicabo*. Præſens reſponſum ſupponit contrarium. Et hinc omninò videtur reddi pluribus Theodoreti litteris. Affirmat Cyrillum nequaquam eſſe correctum, & Neſtorium ab illo non propter malam vitam, ſed propter fidem eſſe damnatum: Propter rectam fidem. Hinc concludit nec damnationem illam, nec Cyrilli communionem poſſe ullatenus admitti.

Tertiò nobis edicit quædam Acta ac Decreta Antiochenæ Synodi. Utique illius, quam Joannes Patriarcha coegit ſtatim poſt ſuum reditum ex Epheſino Concilio. Edicit iſtic fuiſſe decretum, ut pax admitteretur, dummodò Cyrillus projiceret ſua Capitula. Proinde iſta Synodus plurimum receſſit à prioribus Actis. Etenim ipſe cum cæteris Factioſis Legatis Patriarcha Joannes Chalcedone, etiam coram ipſo Principe frequenter juraret Cyrillum à ſe tractandum uti Hæreſiarcham, ideoque etiamſi ſua anathematizaret Capitula, non recipiendum niſi in Laicam communionem. At verò hic parati ſunt recipere ut Epiſcopum. Alexander affirmat, quod Antiochena Synodus ſolum iſtud anathema exegerit à Cyrillo, de Neſtorii autem damnatione nullam fecerit memoriam. Et ex hoc principio Patriarcha Joannes videtur ſuam cum Cyrillo pacem purgaſſe: Videtur dixiſſe, quod licet Neſtorii damnationem admiſerit, & non exegerit iſtud anathema, tamen proceſſerit juxta præſentem Synodum. Eò quod Cyrillus ſit correctus, & de Neſtorii damnatione non fuerit facta memoria. Et ad hæc Alexander reſpondet ipſum inſigniter deviare. Eò quod in iſto anathemate fuerint incluſa omnia. Quod Hæreticorum Capitulorum abjectio, ſit & fidei robur, & Neſtorianæ damnationis ſubverſio, & generalis ſcandali ſolutio. Hæc omnia vult expleri ante omnem de pace memoriam. Aut ſaltem ſponderi ac ſubſcribi ab omnibus Epiſcopis. Tunc ſpondet venire ad Synodum.

## CAPUT CI. –189

*Epiſtola*, inquit, *Andreæ ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit invitans eum, ut mox conſentiret ad factam pacis compoſitionem.*

AB hac, tuæ Sanctitati ſcribo, Provincia exii, multis adversùs nos perturbatis ex calumniis Gemellini & Rabbulæ ſatisfacere volens. Undè modò præcipuè inſiſtens, quæſo Sanctum Caput tuum, ut vel nunc conſiderans opportunæ condeſcenſionis utilitatem, cogites de communione ac pace cum cæteris Sacerdotibus ineunda. Nec enim vel ipſi à veritate recedentes, neque nos prodita pietate amplexi ſumus pacem, ſed duarum naturarum confeſſionem reperientes in Scriptis, & impaſſibilitatem Divinitatis, quod maximè priùs erat oppoſitum, ſeu reſiſtens. Si verò non ſunt anathematizata Capitula ab illo, qui fecerat ea, maximè quidem & illa reſpuit ea, quæ poſt facta eſt, recta confeſſio. Cogitet verò tua perfecta in Chriſto Sapientia, quod nec erat poſſibile illum ſic accuſatorem ſuum fieri evidenter, qui ſuſpectus erat periculi ſui. Et idcircò pax & conjunctio Eccleſiarum provenire non poterat, ſed in ſuo ſtatu ſchiſmata permanebunt, & contra invicem cujuſque noſtra contumacia, & adversùs Eccleſiam à Paganis, & Judæis, & Hæreticis riſus.

Nunc verò intendat Divinitas tua, quia ex quo in hoc condeſcenſio facta eſt, quieſcunt quidem ſcandala univerſa. Sopitur verò & quæ nunc uſque diffuſa eſt adversùs Deum blaſphemia, mortalem Divinitatem dicens, ut in Eccleſia adſtruunt Sacerdotes. Quantùm igitur bonum eſt, ut per ipſas Alexandrini litteras ſuadeatur univerſis, quod impaſſibilem & immortalem Divinam naturam oporteat confiteri? Hæc ex multo affectu, quem circa tuam habeo Sanctitatem, ſcribere audeo. Licet enim inſtar Capitis in omnibus nos præcellas, ſed integrè noſti, quod & à minimis membris ſæpè ſolatium adferatur. Et ſi volueris, Domine, ſuaſus à nobis aliquid paululùm cedere, non longo temporis intervallo videbis, quanta utilitas ex hac cauſa proveniet. Omnes tuæ proprios Sanctitatis ego, & qui mecum ſunt, valdè plurimùm ſalutamus.

SCHO-

## SCHOLION,

HÆc Epiſtola ſcripta eſt anno trigeſimo ſexto iſtius ſæculi. Eſt enim ſcripta poſt jactum à Rabbula Edeſſeno Metropolita anathema in Theodorum Mopſueſtienſem. Quis fuerit Gemellinus, ignoro. Omninò fuerit quis Oſrhoenæ Provinciæ Epiſcopus, aut quis Edeſſenæ Eccleſiæ Clericus, qui ſenem Rabbulam ad iſtud heroicum facinus accenderit. Item ignoro, quò Andreas extra Provinciam iverit. Ivit ad ſatisfaciendum multis, qui adversùs ipſum erant perturbati ex calumniis Gemellini ac Rabbulæ. Rabbulas enim non ſola Theodori ſcripta, ſed etiam ipſius Andreæ contra Sancti Cyrilli Capitula librum damnaverat, atque ita ab Andrea diſtraxerat multorum animos. Proinde Andreas videtur Euphratem tranſiiſſe, ac proceſſiſſe in Oſrhoenam Provinciam, ad componendos iſtos animos. Et illa, quæ iſtic audivit ac vidit, ipſum permoverunt ad omnibus modis promovendam pacem. Hinc Alexandro Metropolitæ ex pectore ſcribit Cyrillum, licet non anathematizarit, tamen patenter receſſiſſe à ſuis Capitulis, & à ſingulis eorum erroribus. Et eſſe rationes, ex quibus excuſetur ab iſto anathemate: *Quia nec poſſibile erat illum ſic accuſatorem ſuum fieri evidenter quis ſuſpectus erat periculi*. Apertum anathema ipſum feciſſet obnoxium degradationi. Hinc Alexandrum obteſtatur, ut accedat ad pacem. Et hinc diſcimus tria. Quod Alexander uſque tunc permanſerit pertinax. Quod Andreas uſque tunc vixerit. Quod fuerit vir non malus.

---

## CAPUT CII. —190

*Epiſtola*, inquit; *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit rogans, ne de hoc ei ulteriùs inſtaretur ab eis.*

DE hoc Eccleſiaſtico negotio nihil tibi habeo quod ſcribere valeam, ab his quæ tuæ Sanctitati olim per Epiſtolam intimavi. Biennii enim tempus eſt, ex quo univerſa aſſecutus, quæ Scripto & abſque Scripto à contrariis, vel à nobis prolata ſunt, comprehendi, ut arbitror, Propoſitum Cyrilli hæreticum, & rectæ Fidei, quæ vindicatur à nobis, *contrarium*. Si verò cuicumque aliter videtur de Dictis ſive Reſponſis, ſuæ quiſque voluntatis eſt dominus. Hoc verò dedi Reſponſum & Dominis per omnia Deo Amiciſſimis Epiſcopis, & Domino Theodoreto, qui ſcripſit, ut hæc ipſa ſentirem, quæ & tua Sanctitas ſcribit. De cætero igitur eſt ſupervacuum, ut aut ego ſcribam, aut tua Sanctitas aliquid ſuper hoc indicet. Volo enim noſſe tuam Religioſitatem, quod nulla ſit mihi pars cum communicantibus eis. Relinquere verò Eccleſiam propter violentiam ſæcularem ob hoc differo tantùm, ſub teſtimonio veritatis, ne videar veluti deſertoris, & proditoris Ovium Chriſti incurrere adjudicationem.

## SCHOLION.

PEr hanc epiſtolam Alexander revelata facie profitetur initæ pacis odium, ſuamque contumaciam. Scribit varia. Primò, ſibi eſſe certum, quod Cyrillus permaneat durus in ſuorum Capitulorum hæreſi. Secundò, quod eadem ſcripſerit ad Theodoretum, ideoque deinceps neutrum velit vel audire. Hi enim duo conjunctis viribus conabantur Alexandrum inflectere. Tertiò ſcribit, quod ab Imperialibus Miniſtris jam fuerit monitus, ut aut pacem admitteret, aut Epiſcopatum & civitatem cogeretur relinquere. Et addit: *Hoc differo tantum, ne videar Deſertor ac Proditor Ovium Chriſti*. Ex quo vides pœnales contra iſtud ſchiſma Leges ex tunc incepiſſe ſeu fuiſſe in via. Memoratum ab epiſtola biennium non eſt ab inita pace computandum, ſed ab habita notitia iſtorum Scriptorum, ac aliorum Actorum.

Andreas ac Theodoretus Alexandrum, quem altera ſtudebant ducere ad pacem, altera manu ab ipſa divertebant. Retinebant enim, ac palam prædicare pergebant ſuum capitale odium contra Cyrilli Capitula. Suarum in ipſa calumniarum nolebant pœnitere, aut cantare palinodiam. Oportebat auferre velamen iſtud, aperiri oculos, revereri Capitula, exponere, demonſtrare quod Cyrillus nunquam prava ſed ſemper recta ſenſiſſet. Sic Alexander, & omnes ejus collegæ non poterant non acquieſcere. Quanto cum honore Eccleſia poſtmodò ſuſceperit Capitula, eſt ſupra expoſitum, & volo aliquid addere. Ea tanti fecit Cyrus Alexandrinus Epiſcopus, ut ipſa in ſuo infelici novem Capitulorum Tomo non duntaxat probaverit, ſed inſuper fecerit, quod in ſuo ad ejus Relationem Reſcripto laudat Sergius Epiſcopus Regiæ civitatis. *Omnes impiarum hæreſium Authores anathemati ſubmiſiſtis, cum quibus & omnes contradictores duodecim Capitulorum ſapientiſſimi ac mirabilis Cyrilli, quos minimè pœnitentes, ſed in eodem uſque ad finem errore permanentes, execrationibus condemnaſtis*. Eadem tanti fecit Paulus, Sergii poſt Pyrrhum Succeſſor, ut in ſua ad Theodorum Pontificem Relatione ſcripſerit fuiſſe probata à Chalcedonenſi Synodo. Quod eſt cum grano ſalis accipiendum.

Scio

Scio iſtos tres fuiſſe hæreticos, Principes Monothelicticæ blaſphemiæ, ideoque locutos ex communi omnium Eutychianorum ſenſu; iſta Capitula adſumentium ut palmare fundamentum ſuæ perfidiæ. Nam & Imperator Zeno ipſa probavit in ſuo Henotico diplomate. Et de ſibi coævo Joanne Grammatico, Presbytero Antiochenæ Eccleſiæ, ſcribit in illuſtrium virorum catalogo Maſſilienſis Gennadius: *Joannes impugnat aliquas Cyrilli Alexandriæ Epiſcopi ſententias, dicens incautè ab illo adverſùs Neſtorium prolatas, quin fomentum & robur addant Timotheanis. Quod valdè inaniter dicis.* Et Gennadius & Joannes vixerunt ſub Papatu Sancti Gelaſii. Et ſic hinc diſcimus duo. Primò, quod iſto adhuc tempore Orientalis Diœceſis averſaretur Cyrilli Capitula. Licet non amplius hæretica, dicebat tamen incauta, quæ Timotheanis, adeoque & Eutychianiſtis præberent fomentum ac robur. Erant reliquiæ odii, quod Patriarcha Joannes, Andreas, Theodoretus, ac alii Orientales Epiſcopi ſuorum animis impreſſerant.

Secundò diſcimus, quod Latina Eccleſia ex tunc probaret iſta Capitula. Nam non ita diu poſt ea canonizavit, aut certè eis ut canonicis uſus eſt Joannes ſecundus Pontifex. Porrò licet Eutychianiſtæ ſint ipſis peſſimè abuſi, Monothelitæ tamen videntur ea quò ad aliquid in ſanum ſenſum accepiſſe. Videndus eſt Romanæ Synodi quintus Secretarius, in quo & Sanctus Martinus Pontifex, & Deus-Dedit Calaritanus in Sardinia Epiſcopus eorum ex illis ſenſa maturè cribrarunt. Quid quid ſit, eiſdem ut canonicis uſus eſt in eadem Synodo contra eoſdem laudatus Papa Martinus. Etenim in tertio Secretario errorem Theodori Pharanitani Epiſcopi revincit ac damnat ex primo Capitulo. Quartus Secretarius ad Monotheliticam impietatem plenè damnandam religi ſibi juſſit omnium quinque generalium Synodorum Symbola ſeu de fide Decreta, & tertio loco adducit omnia duodecim Sancti Cyrilli Capitula, & ipſis præfigit hunc ſublimem titulum. *Symbolum apud Epheſum ducentorum Patrum.* Etiam hoc eſt cum ſalis grano accipiendum. Interim nobis demonſtrat, quod iſta Capitula pleniſſimam authoritatem tunc obtinerent apud omnes Eccleſias.

## CAPUT CIII. —191

*Epiſtola*, inquit, *Andreæ, quam ſuper his reſcripſit Deo Amiciſſimo Epiſcopo Alexandro, iterùm rogans eum, ut cæteris adſentiret.*

MUltùm contriſtor de Sanctitate tua, Domine, cogitans quantam feſtinationem, machinationemque inſtruat Dæmon ad perturbandam Dei Eccleſiam, quæ tuo eſt commiſſa regimini, invidens ei, quod ſub te valdè profecerit. Pro qua re ego vinctus in lecto ad has litteras proſilivi. Et rogo Sanctitatem tuam, & tango veſtigia, ut accommodum ſive aptum tuæ vitæ præteritæ etiam nunc facias cogitatum, committens Deo exitum rerum. Non enim ita vixiſti, nec talia ſunt quæ per omnem vitam peregiſti, ut deſpiciaris à bono Deo. Nec ſic eum coluiſti, ut de te omninò non cogitet. Sed valdè confido, quia exitum quemdam mirabilem inopinatumque præſtabit his hujus temporis triſtibus, quem nos interim cogitare non poſſumus. Quia ipſe, ſicut ſolet, poſt augmentum peſſimorum poteſt ſolatium ſuum erga proprios Cultores oſtendere. Quæſo igitur, ut neque turberis, neque ab Eccleſia exire diſponas. Hoc enim nimis eſt impium, & Mercenarii potiùs quàm Paſtoris opus. Nec inultum tot prodere animas, ſed everſionem cunctorum, quæ priùs mirabiliter operatus es, habens. Cogita verò, ut dixi, potentiam Dei: Et quia ille, qui & ea quæ in Cœlo, & quæ in terra ſunt, reconciliavit ad pacem, & membra Eccleſiæ diviſa conjunget, & dabit tuæ ſatisfieri Sanctitati, ut aliis Sacerdotibus communices atque conſentias. Quia & nos non ſimpliciter, nec velut ſi quis dicat, impiè ad hanc intentionem reſpeximus, ſed cogitantes quid expediret Eccleſiis.

Idem Irenæus ait.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola nos docet plura. Primò, quod Alexander ſe à ſui Patriarchæ Joannis communione diſcreverit, ac manſerit pertinaciſſimus in iſto ſchiſmate. Secundò, quod ab Imperialibus Miniſtris fuerit preſſus, ut pacem admitteret, aut Epiſcopatu depoſito diſcederet Hierapoli. Tertiò, quod exire fuerit paratiſſimus. Quartò, quod fuerit magni meriti Epiſcopus,

ac

ac grandes fructus fecerit in iſta Eccleſia. Quintò, quod Andreas ſperaverit hæc attendenda à Divina Clementia, ideoque & Alexandrum opportunè liberandum ab hoc in ſempiternam damnationem præcipitio. Sextò, quod cum magno timore ac tremore debeamus operari noſtram ſalutem, dum tanta Chriſtianæ Juſtitiæ Lumina videmus eclipſari, immò & excæcari, & ruere in reprobum ſenſum, Septimò, quod Andreas non fuerit pravus homo: Utpotè qui omni conatu ſtudeat ſuum Metropolitam ad mentem reducere.

## CAPUT CIV. --192

*Epiſtola Alexandri Epiſcopi, quam reſcripſit Andreæ, culpans eum, quod dum rectam fidem prædicant, communicent tamen Cyrillo, nullo modo recedenti ab hæreſi.*

GRatias quidem tuæ admonitioni ago, venienti ex affectu benevolentiæ; ut autem non multam chartam propter nos expendas, quieſce quæſo, à Monitis. Nam quia & impius Cyrillus hæreticus eſt, & qui ei, ſicut ſcripſit, illam chartulam obtulerunt, Cooperatores facti ſunt, magiſque Principes perditionis contra Orthodoxam fidem, ſcit amans Deum anima tua. Nam & ea, quæ pertinent ad Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium, qualiter diſpoſuerint, ſuis animabus nequaquàm parcentes, omittantur, Dei Judicio reſervanda. Forſan verò & ille injuſtitiam committit, qui Religioſitatem veſtram velut irritantem accuſat. Nam & Orthodoxi eſtis, & rectam fidem prædicatis, & eſtis operati confuſionem, & diſpenſativè Orthodoxiæ hæreſim miſcuiſtis. Undè quieſce, quæſo, monere nos: Nec vobis enim, Deo me confortante, nec Cyrillo communico, non anathematizanti evidenter hanc hæreſim, neque communicantibus ei. Vos autem quod ad vos attinet peregiſtis, feſtinaſtis, cucurriſtis, Ovem perditam requiſiſtis. Non vult ipſa inveniri, de reliquo quieſcite. Coram terribili enim illo Tribunali utique videbimus invicem.

### SCHOLION.

PEr hanc epiſtolam Alexander adeò manifeſtat ſuam pertinaciam, ut dicat ſe eſſe ovem, quæ nolit, licet perdita, quæri aut inveniri. Affirmat, quod nec Cyrillo, niſi anathematizanti ſua Capitula, nec ullis ei communicantibus velit communicare, ideoque nec Joanni Patriarchæ, nec Theodoreto, nec ipſi etiam Andreæ. Addit hujus ſuæ pertinaciæ cauſam non eſſe damnationem Neſtorii. Hanc enim, quantumvis injuſtiſſimam, eſſe tamen rem humanam, ac ideò diſpenſatoriè poſſe reſervari Divino judicio. Suæ ſententiæ cauſam affirmat eſſe hæretica Cyrilli Capitula, ac illius pertinacem in ipſis hæreſim. Hinc concludit cum illo non poſſe communionem fieri, ſed ſolam confuſionem, quæ Orthodoxiam miſceat cum hæreſi. Hanc non eſſe diſpenſationem, ſed proditionem fidei, ac prævaricationem.

## CAPUT CV. —193

*Epiſtola*, inquit, *ejuſdem, quam ſcripſit ad Joannem Germaniciæ, qui ſimiliter eum pro pace rogaverat.*

ET olim veſtro congregato Conventu in Zeugmate, id eſt, Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum atque Paſtorum, ad quærendam ſalvandamque Ovem, quæ perierat, & omnem Paſtoralis diſciplinæ ſpeciem oſtendentibus, dum ego non poſſem ad altitudinem præſtitæ vobis ſcientiæ pervenire, & inſpicere penetralia pœnitentiæ abominationis Ægyptiacæ, multis aliis inter hæc motis, ut propoſitiones veſtras minimè repetam & pœnitudines, cognoviſtis quod adjaceat mihi, cooperante Deo, qui & lumen ſcientiæ nobis rectæ fidei donat, omnem piam condeſcenſionem recipere, & impiam diſpenſationem refugere, quæ fit ſub pacis obtentu. Et nunc autem nihilominus eandem tenemus ſententiam. Intentio enim mihi eſt, ut ubique inconcuſſam conſcientiam ſervem, & ab omni hæretica mixtione diſcretam terribilem Myſteriorum Divinorum & Cœleſtium communionem. Si autem mihi, quod abſit (præceptum namque habemus Dominicum, ut oremus, ne intremus in tentationem) ex Imperiali neceſſitate jubeatur, ut aut impii illius communionem amplectar

ctar

ctar (modò enim nobis, ut exercitatis in aliis cauſis, facilia videntur univerſa) aut decem millia mortes excipiam, Deo me & tunc denuò roborante, noſcetis quod vos ad perſuadendum nobis ſitis infirmi, ſed nos proclives non ſimus ad perdendum, quod accepimus à Domino Chriſto, Depoſitum. Cujus procul dubio & reſtitutionem depoſcemur ab eo.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola nos docet plura. Primò, quod Zeugmatenſis Synodus omninò convenerit. Secundò, quod ab Andrea ac Theodoreto poſtulata fuerit ad reducendam Ovem, quæ perierat. Utique Metropolitam Alexandrum. Tertiò, quod ipſe quamquam plurimum tergiverſatus, tandem comparuerit ad Synodum. Quartò, quod omnes Epiſcopi omnem charitatis ſpeciem oſtenderint ad ipſum inſtruendum ac reducendum. Quintò, quod ipſi perſuaderi non potuerit Cyrilli pœnitentia, ideoque nec legitimitas pacis. Sextò, quod hæc non ſit pia condeſcenſio, ſed impia diſſipatio & confuſio. Septimò aſſeverat ſe potius mille mortes amplexurum, quam iſtam pacem. Hinc rogat ſibi deinceps à nullo fieri moleſtiam. Omnes fore infirmos ad iſtam perſuaſionem. Se fore firmum ad cuſtodiam Depoſiti, de quo ad Timotheum, adeoque & ad omnes Epiſcopos ſcripſit Sanctus Paulus: *Depoſitum cuſtodi*. Porrò Joannes hic videtur pacem plenè admiſiſſe, adeoque & damnationem Neſtorii. Nam poſtmodò adſuit Chalcedonenſi Concilio, & nullam penitus fuit exactus profeſſionem. Proindè Neſtorius, nativitate Germanicienſis, fuit derelictus à ſuis Civibus. Zeugmatis Epiſcopus videtur tunc fuiſſe Evoltius, ſeu Evortius, qui cum Joanne fuit etiam Chalcedone.

---

## CAPUT CVI. —194

*Epiſtola*, inquit, *Andreæ ad Oeconomos Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quod communicaverit Antiochenis, & reliquis omnibus.*

AUdio quod valdè iraſcatur Sanctiſſimus Epiſcopus, & per multa loca contra nos Epiſtolas dirigat, quaſi viderimus Religioſiſſimum Epiſcopum Rabbulam. Quod quidem nondum contigit. Quod ſi & eveniſſet, neſcio ſi quid commune commiſſum ſit, unde indignari debuerit. Qui enim ſemel communicavi Sanctiſſimo Epiſcopo Joanni, pacemque amplexus ſum, ab ejus communione, & colloquio, aſpectuque *repulſus*, repulſurus ſum & hanc ultionem mihi imponere majorem. Nec ſi impiè, quod abſit, egiſſem, mihi imponere valuiſſet. Quippè qui & Judæis colloquitur & Paganis, in præſentiam noſtram venire non pertulit, quia Sanctiſſimo Epiſcopo Joanni communicavimus, quem dixi Orthodoxum. Forſitan verò & per ſingulos Epiſcopos expetendus ſum ſingulas ultiones. Igitur ne ſemper noviter perturbetur, ecce apertè dico, ſicut & olim ſcripſi, quia & poſtquam allata eſt ultima Epiſtola ex Ægypto, clarè continens Orthodoxæ fidei Dogmata, ego & amplector pacem, & omnibus ubique Sanctiſſimis Epiſcopis communico: Et Sanctiſſimo Epiſcopo Sixto, & Cyrillo, & Maximiano, & Rabbulæ, & Melitinenſi, & omnibus Ponticis, & à nullo diſciſſus ſum, dum apud eos omnes obtineant Dogmata veritatis, & unitio atque pax Eccleſiæ ad gloriam Dei pertineat. Et confiteor Dominum Chriſtum Deum eſſe atque hominem, duas naturas, unam Perſonam, humilia & ſublimia de eo Divinis Scripturis inſerta: Hæc quidem ut de homine, illa verò ut de Deo, inconfuſa unitate obtinente, & uno exiſtente, ut dixi, Domino & Chriſto. Si ergo vult de cætero ipſe ut Catholicus cum Catholicis amplecti pacem, & liberare à ſcandalis naufragantes per diſcordias & contentiones noſtras, faciet benè; ſi autem non vult, ego quidem contriſtabor, quod ita diſpoſitus ſit: Judex verò Deus eſt omnium. Nullus ergo mihi de cætero quæſtiones importet. Clarè enim ſententiam meam à principio aperui & nunc nihil novi deliberavi, ſed quæ ab initio tenui, mox ut allatæ ſunt litteræ. Atque utinam poſſibile mihi eſſet, ut omnes, qui non conſentiunt, conjungerem adunaremque Eccleſiæ: Eſſetque mihi à Deo donata efficacia hæc, qua me arbitrarer maximum ad æterna reperiſſe remedium ſive ſolatium.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt magni ponderis. Docet varia. Primò, quod Andreas, dum extra Provinciam ivit, omninò iverit ad Oſrhoenos: Ad componendos, quos ab illo diſtraxerat Rabbulas Metropolita, Cleri ac Populi animos. Secundò, quod Alexander ſuſpicatus fuerit ipſum egiſſe cum Rabbula, compoſuiſſe pacem, rediiſſe in gratiam ac in communionem. Ex quo diſcimus tertiò, quod Alexander non ſolius Neſtorii, ſed acer deſenſor fuerit etiam Mopſueſtienſis Theodori. Quartò, quod Andreas tunc Rabbulam non viderit, attamen non fuerit alienus à redeundo in ejus amicitiam. Quintò, quod Alexander Andream, ob admiſſam pacem ac ſententiam Joannis Patriarchæ communionem reje-

Digitized by Google

rejecerit à ſua communione, alloquio, atque aſpectu. Hinc Audreas infert, qnod jam impunè poſſit communicare cum Rabbnla: Quoniam iſta pœna non poſſit repeti aut ampliari. Quoniam Alexander non poſſit per ſingulus, quibuſcum Audreas communicaverit, Epiſcopos exigere ſingulas iſtiuſmodi ultiones. Et indignatur, quod Alexander, qui libere loquatur cum Judæis ac Paganis, nolit Epiſcopum loqui cum Epiſcopo, nequidem cum Metropolita alterius Provinciæ, imò nec cum proprio Patriarcha. His igitur offenſus Andreas, detrectat ad ipſum deinceps ſcribere, ideoque ille, quæ ipſi referenda fuerant, ſcribit ad Œconomos Eccleſiæ.

Et ſcribit plura. Primò, quod pacificatoriam Sancti Cyrilli Epiſtolam judicet plenè orthodoxam, ideoque & Eccleſiarum pacem admiſerit. Secundò, quod cunctis hujus pacis auctoribus Epiſcopis etiam ex animo communicet. Quod communicet, non ſoli ſuo Patriarchæ Joanni, ſed etiam Xixto Romano Pontifici, pacis confirmatori, Sancto Cyrillo, Maximiano Conſtantinopolitano itemque Rabbulæ ac Melitinenſi Acacio, & omnibus Ponticis Epiſcopia. Imo & omnibus ſub cœlo: Dummodò tamen orthodoxis. Tertiò, exponit orthoduxam de Dominicæ Incarnationis myſterio fidem, ipſam profitetur, & addit profitendam etiam ab Alexandro. Quartò, ait hæc ſua ſenſa nun eſſe, ſed ſe ita ſenſiſſe ſtatim ab allatis ac viſis Sancti Cyrilli pacificatoriis litteris. Et iſta ſua ſenſa mox aperuiſſe. Et tandem concludit: *Utinam poſſibile mihi eſſet ut omnes, qui non conſentiant, conjungerem adunaremque Eccleſiæ. Eſſetque mihi à Deo donata efficacia hæc, qua me arbitrer maximum ad æterna reperiſſe remedium, ſive ſolatium*. Ex quibus omnibua videmus Andream fuiſſe virum bonæ ac pacificæ mentis. Item videmus, quod Alexander ſe etiam à Romanæ Eccleſia communione ſeparaverit, ideoque fuerit plenè ſchiſmaticus. Quia nempè Xixtus Pontiſex pacificatorias utriuſque partis litteras confirmaverat.

---

## CAPUT CVII. —195

*Epiſtola Pauli Emeſeni Epiſcopi, oſtendens ejus intentiones.*

DOmino meo, & propter omnia Magnificentiſſimo Magiſtro Militiæ Anatholio, Paulus clarè ſciens, quod Magnificentis veſtra valdè deſideret cognoſcere declarari Dei Pacem & ordinationem, nota facio, quæ per Dai gratiam Berrhææ unà cum viro devoto Maximo Magiſtriano cognovi ex eis, quæ ſcripſit Deo Amiciſſimus Cyrillus Epiſcopus: Quia per Dei gratiam propoſitionibus noſtris aſſenſit, & omnia ſuſcepit atque approbavit ex plurimis, quæ à nobis ſunt. Quomodo enim non ita faceret, cum recta eſſent Dogmata, & Patrum ſenſibus conſona? Pro qua re, Domine Magnificentiſſime & Glorioſiſſime, in omni voluptate eſto, cognoſcens quod per gratiam Dei velociter in Oriente veſtro & Dei Eccleſia ordinem ſuſcipiens competentem, pace conſueta fruetur, veſtra Magnificentia magis, quam magni æſtimante, ut cœpta pax perfectum perducatur ad terminum. Feſtinat verò ad Berrhæam Dominus meus Sanctiſſimus, & Deo Amiciſſimus Joannes Archi-Epiſcopus, ut manifeſtiſſimè de omnibus colloquatur & ſtatuat. Dato enim per gratiam Dei principio, univerſa de reliquo ad correctionem perfectam prona erunt. Vobis namque incolumibus, Orienti nihil deerit ad integram dogmatum emendationem, & omnimodam Eccleſiarum tranquillitatem. Hæc ſcripſi ſciens quod ea, quæ nunciata ſunt, Magnitudinem veſtram valdè lætificent propter amorem, qui in vobis eſt, Dei, & validum atque ferventem zelum circa Orthodoxiam. Prædictus verò Sanctiſſimus Archi-Epiſcopus juſſit, ut per nos hæc bona nuncia veſtra Magnanimitas diſceret.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola non eſt reſponſum, ſed Relatio facta ex mandato Joannis Patriarchæ: *Prædictus Sanctiſſimus Archi-Epiſcopus juſſit, ut per nos hæc bona nuntia veſtra Magnanimitas diſceret*. Ad hunc Anatolium extant plures etiam Theodoreti Epiſtolæ. Eſt omninò ille, qui Chalcedonenſi Synodo adſuit, primus inter glorioſiſſimos judices, Magiſter militum, Exconſul ordinarius, ac Patricius. Ejus conſulatus concurrit cum quinto conſulatu Valentiniani tertii Imperatoris, ad quinti ſæculi annum quadrageſimum. Septem annis poſt hanc epiſtolam. Ipſa enim data eſt ſtatim poſt Pauli Emeſeni ex Ægypto reditum, & nos docet plura. Primò, quod ille Antiochiam redux ſtatim cum Joanne Patriarcha Berrhæam adiverit, omnia communicaturus Acacio. Joannes enim cuncta privatim cum ſolo ferè Acacio egerat: hinc ſine ipſo nihil etiam voluit in executionem mittere. Secundò, quod Paulus clauſas à Sancto Cyrillo litteras retulerit & ipſarum ſententiam ignorarit, donec eas Joannes apud Acacium aperuit. Tertiò, quod hac in re Joannes tantum detulerit Acacio, ut litteras non niſi apud ipſum, & cum ipſo voluerit aperire. Quartò, quod Orientales Epiſcopi varias pacis conditiones ac vias Sancto Cyrillo obtulerint, & quod ipſe ſe accomodaverit iſtis Epiſcopis. Joannes enim Patriarcha volebat videri victor, tanquam non ipſe Cyrillo, ſed Cyrillus ipſi ceſſiſſet. Prævidebat ſuorum Epiſcoporum plures paci adverſaturos, ideoque

ſibi

ſibi opus fore authoritate principis. Hinc Anatholium, totius Orientalis militiæ Magiſtrum, ſibi conciliatum voluit, ideoque Paulo Epiſcopo injunxit hanc cum omni reverentia relationem facere.

## CAPUT CVIII. —196

*Epiſtola*, inquit, *Cyrilli ad Rabbulam Edeſſenum Epiſcopum, nuntians quod omninò non recipit propoſitiones, quæ à Joanne ſunt deſtinatæ.*

Piiſſimo & Amatore Chriſti Imperatore dirigente Dominum meum Mirandiſſimum Tribunum, Notariumque Ariſtolaum, Chriſtianum virum, & pro recta fide valdè certantem, ut ad pacem copularet Eccleſias, & ſcribente eaſè, quod Antiochenus deberet priùs ſubſcribere quidem Neſtorii damnationem, anathematizare verò ſceleſta ejus Dogmata, & tunc communionem noſtram quærere, ſcripſit ad me Dominus meus Religioſiſſimus, & optimus ſenex Epiſcopus Acacius incongruam quandam propoſitionem: Quaſi ab Orientis Epiſcopis, magis autem, ſi oportet dicere, veritatem *oporteret diſcere* ab eis, qui ea, quæ ſunt Neſtorii, ſaperent. Nam dum eos oporteret ſequi quod congruit, & *juxta* intentionem piiſſimi Principis, omniumque Orthodoxorum, anathematizare ſceleſta Neſtorii Dogmata, è contrario petunt vacare univerſa, quæ à nobis ſcripta ſunt ſive in Tomis, ſive in Conſcriptionibus: Et ſic, inquiunt, Eccleſiæ communicabunt ad invicem. Hoc autem clarè dicere eſt, quod oporteat nos rectam Fidem denegare, & Neſtorii conſentire blaſphemiis. Si enim noſtra exterminamus, quæ ſe benè habent, & inexprobrabiliter aſſerunt veritatem, & rectæ Fidei militant, approbavimus ea, quæ ſunt Neſtorii, & erimus admirantes ejus inſaniam. Sed illorum quidem propoſitionem intelleximus. Contriſtati enim ſunt, quod blaſphemante Neſtorio, ab Orthodoxis contra eum ſermones ſcripti ſunt, & epiſtolæ. Qualia verò & nos ſcripſerimus, ſciet tua Perfectio, dum legeſis paria eorum. Ob hoc enim tuæ illa Religioſitati direxi.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola altè clamat, quod Rabbulas dudum ante jactum in Theodori Mopſueſteni libros ac perſonam anathema, intimam ac ſecretam cum Sancto Cyrillo familiaritatem habuerit, ideoque Epheſo redux Joannis Patriarchæ factionem ſtatim deſeruerit: Licet non externo forſitan opere, tamen animo. Hæc enim epiſtola eſt ſcripta ſtatim poſt concluſam pacem biennio aut triennio ante anathema, Cyrillus Rabbulæ exponit omnem pacis tractatum: Ejus exordium, progreſſum, finem, ſingula arcana. Et mittit cunctarum ultro citroque epiſtolarum exemplaria. Et exiſtimo, quod omnia hæc, neſcio qua via, perſcrutatus Presbyter, ex tunc cœperit moveri adversùs ſuum Epiſcopum. Attamen tunc necdum ſcripſit famoſam ſuam Epiſtolam ad Marim. Hanc non ſcripſit niſi poſt Anathema. Videtur non dubitandum, quin plures inter Cyrillum ac Rabbulam litteræ cucurrerint, ideoque Theodori anathema proceſſerit ex mutuo conſilio.



## CAPUT CIX. —197

*Epiſtola Maximini ad Alexandrum, quam ſcripſit, dum cognoviſſet de Andrea, & de Germaniciæ.*

VAlde confuſus ſum, cognoſcens ex litteris tuæ Sanctitatis illum, qui eſt Germaniciæ, & eum qui eſt Samoſatenorum, ſemet ipſos à ſancto veſtro diruiſſe *Judicio*. Non crederem, ſi id nuntiaretur ab altero. Verumtamen & nos hæc ipſa pertulimus ab Alexandrino & Roſſio. Reliqui enim cuncti per bonum Deum & ſanctas Orationes tuas firmi perſiſtunt. Qui verò ſunt in noſtro confinio, præcipuè qui Montana habitant, quibus & in Cappadocia & in Armenia negotiandi neceſſitas, multa millia malorum ſuſtinent: Eò quod mihi Cæſareenſis ſcripſerit, & à me nec Reſcriptum potuerit impetrare, nec ut ipſe ſuſciperem litteras ejus. De reliquo igitur adversùs noſtros implacabile prælium aſſumpſerunt. Sed rogo Sanctitatem tuam, ut aſſiduas pro nobis preces digneris effundere: Ut & illius in ſemet-ipſum nequitia convertatur, & noſtri perfectiſſimè roborentur.

### SCHOLION.

HIc Maximinus erat Anazarbi Epiſcopus, Metropolita ſecundæ Ciliciæ. Epiſtolæ epigraphe eſt mutila. Legendum erat. *Et de Germaniciæ Epiſcopo*. Vel: *Et de Germaniciæ Joanne*. Iſtarum tamen vocum altera poſſit ſubintelligi: hinc duxi nihil mutandum. Epiſtola facit plura. Primò, Alexandrum conſolatur ſuper Andreæ Samoſatenſis ac Joannis Germanicienſis Epiſcoporum acceſſu ad pacem. Eos habet

bet pro apoſtatis. Addit boc nuntium fuiſſe ſibi adeo mirum, ut alteri teferenti noo credidiſſet. Ex quo vides Alexandrum Maximino ſcripſiſſe ſuas querimonias. Secundò, dicit Alexandro in iſta calamitate non deeſſe ſocium: Er quidem ſemetipſum. Etiam ſe tali modo eſſe deſertum ab Alexandrino Epiſcopo, ac Roſſin. Juliaons Roſcenſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus adfuit Chalcedonenſi Concilio: An ſit ille, ignoro. Tertiò, affirmat cæteros ſuos ſuffraganeos permaoere firmiſſimos. Secunda enim Cilicia fuerat per Theodorum Mopſueſtenum non modicè corrupta: Ideoque admiranda non eſt hæc ejus pro Neſtorio pertinacia. Quartò dicit, quod vicinorum montium incolæ, licet noo eſſent ſuæ provinciæ, eſſent tameo ejuſdem ſententiæ, ideoque ſuſtinerent multa malorum millia. Spectabant enim partim ad primam Cappadociam, in qua Firmus Cæſaræenſis, partim ad ſecundam Armeniam, in qua Aeacius Melitinenſis erat Metropolita. Hi duo etant doo firmamenta Epheſioi Concilii, ideoque iſtos ſuos ſubditos non tantum ſuaviter, ſed etiam fortiter ſtudebant ad ſanam mentem reducere. Quintò dicit, quod ſui Cilices, qui negotiaodi cauſa quandoque tranſibaot io præfatas provincias, acerbè tractareotur ab eiſdem Epiſcopis. Sextò, quod

Adn. Nnr. Vide hujus Act. V. ubi Joannes definitioni Fidei verba S Leonis addeda prn reſtatur, &c.

præfatus Firmus ad ipſum ſcripſiſſet: Nempe ut iſtos ſuus montanos ceſſaret corrumpere. Septimò, quod Firmi litteras, oequidem admittere voluerit, longè minùs reſpoodere. Octavò, quod bac de cauſa ſit ioter ipſos implacabile bellum. Per hæc ſua impia facinora conatur Alexandro adferre aliquid ſolatii.

Extat Theodoreti ad Joanoem Germanicieoſem Epiſtola, cujus eſt exordiom: *Immemorem*
Epiſt. 133. *te amicitiæ noſtræ non eſſe ſciebam equidem, & liquidò novi. Sed ego Religionem tuam volebam & optabam rem perfectam præſtare, communionemque illorum fugere, qui pietatem prodiderunt, & univerſorum Creatori ſuſceptam de nobis curam adſcribere.* Affirmat quietem, in qua tonc degebat, eſſe ſibi gratiſſimam, ac pergit: *Docere quidem eos, qui jactatis in nos calumniis adducti ſunt, neceſſarium arbitramur, ac evangelicorum dogmatum veritatem oſtendere, & armatum contra illam mendacium redarguere.* Et poſt varia conclodit: *De noſtra verò iſtuc*, ad ſecundom Epheſioum Concilium, *profectione ſcribere nibil poſſum, prinſquam cognoſcam, quid de nobis præceperit piiſſimus Imperator. Necdum enim advenerunt litteræ.* Epiſtola ſcripta eſt poſt Decretum, qoo Imperator Theodoſius Theodoretum circumſcripto iotra ſuam civitatem exilio cooclosit, vacare juſſum ab omni eccleſiaſtico miniſterio: Item poſt aliud Decretum, quo ipſum vetuit accedere ad præfatam Synodum. Quorum omnium malorum radix fuit pertinax defenſio Theodori ac Diodori, & præſertim Neſtorii. Hinc apud molros ſuſpectus fuit, quod non ſolas perſonas, ſed etiam errores defenderet. Porrò Joannem arguit, quod contra amicitiæ leges communicaret ejus adverſariis & calumniatoribus: Nempe Theodori ac Diodori damoatoribus, nec noo & defenſoribus Capitulorum Sancti Cyrilli. Forſitan & Eutychianiſtis tunc incipientibus. Nam bi ex iſtis utique malè intellectis, capitulis duxerunt originem. Proinde bioc diſcimus Joanoem ab Alexandro Metropolita, itemque à Neſtorio, Diodoro ac Theodoro peoitus receſſiſſe. Uti plenè integer Epiſcopus adfuit Chalcedonenſi Concilio.

---

## CAPUT CX. —198

*Epiſtola*, inquit, *Theodoreti ad Helladium, indicans quod non abſceſſerit ab illis, quæ inter ipſos ſemel in negotio convenerunt, neque injuſtitiæ, quæ in illam perſonam commiſſa eſt, acquieſcere patiatur.*

QUando præcipuè litterarum conſolatione oos oportuit frui, vehementior quippè ounc aſt erecta tempeſtas, tuoc & ipſa fraudamur, & damnificamur ea, quæ nobis ſola ſupererat. Ego quidem ſemel ſecundòque ſcripſi de his, qoæ vertuntur, & poſcens commune conſilium, & manifeſtans ſententiam meam, & claram mibi tuæ Sanctitatis intentiooem rogans, & nec ſemel impetravi Reſcripta. Uoam verò ſolam per rotum tempus commendatitiam ſuſcepi Epiſtolam. Et valdè me obſtupuiſſe confiteor. Vereor quippè, ne qua adversùm nos accuſatio veniens, opus namque tale multorum eſt, licet ſemper, præcipuè tamen hoc tempore, tuæ Charitatis turbidaverit puritatem, ſuadens quod relicta acie dedititii fuerimus effecti, & quaſi quidam multipedes ant cbamaleontes colorem ſecundùm petras & folia verterimus.

Undè ad bas turſum litteras venio, ac rogo ut Sanctitas tua eadem ſit circa nos. Adjuvaote ſiquidem gratia Dei, non imitamur varins reumatum curſus, qui ioterdum quidem buc, nonnunquam verò illue recurrere ſolent, ſed feſtinamus in eis, quæ à principio deliberavimus, quæ recta ſunt, permanere, & triſtia, quæcumque venerint, ſuſtinere, & nutum deſuper exſpectare. Undè eam quidem, quæ ex Ægypto eſt directa, Epiſtolam, quia ortbodoxa, recepimus; mercedes verò, quas pro eadem ſua recta fide popoſcit, qui eam vix tandem diſcere valuit, ut odioſam Deo, & abominandam ſumus averſati.

Nam quis unquam eorum, qui ſub pietate nutriti ſunt, mercedem rectæ fidei homicidium poſtulavit? Vel quis tribuit poſtulanti? Aut qois veracem appellet eum, qui ſine mercede honorare noluerit veritatem? Demus enim non eſſe malam, quæ eſt petita, mercedem: Docuerit. Mibi enim videtur nec illum nominare perfectum, qui propter Regnum Cœlorum virtute animi pollet,

Digitized by Google

let, ſed quem boni detinet amor, & qui bonum propter ipſum complectitur. Et teſtatur hoc
Joann. 14. Dominus, dicens ita: *Qui diligit me, implebit Mandata mea*. Et non ait: *Qui deſiderat Regnum Cælorum*. Sed, *Qui diligit me*. Si verò & meminit ubique mercedum, aliquando quidem dicens, *Quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*, aliquando verò, *Quia ipſi hæreditate poſſidebunt terram*, & quæcumque ſunt talia, hoc facit oſtendens propriam largitatem, & animas faſtidioſorum ad bona ſuſtollens; perfectorum verò eſt proprium proclamare:
Philipp. 1. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*.
Actor. 21. *Et ego enim non tantùm ligari, ſed & mori paratus ſum pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et complaceo mihi in infirmitatibus, in perſecutionibus, in ſeditionibus, pro Chriſto. Quando infirmor, tunc*
2.Cor. 12. *potens ſum*. Sed iſte Orthodoxiæ Aſſertor, ſeu Præceptor egregius, mercedem Orthodoxæ fidei expopoſcit. Et mercedem ſceleſtam, & beſtiis ſanguinem potantibus condecentem.

Verùm clamemus ei: *Quia Diis tuis culturam non exhibemus. Et imaginem, quam ſtatuiſti, auream non adorabimus*. Talem tenemus ſententiam, Deo Amiciſſime Domine. Nullus igitur nos apud vos impetat, velut alia ſapiamus. Sed orate ac deprecamini Deum, & animam noſtram, quæ infirma eſt, roborare, & corpus, quod graviter eſt diſpoſitum. Dexter enim pes meus torpore detentus lecto nos rursùs affixit. Sed novi, quod & hoc utiliter atque ſalubriter diſpenſaverit univerſitatis Inſpector.

## SCHOLION.

HElladius Tarſenſis Epiſcopus, primæ Ciliciæ metropolita, erat unus iſtorum quatuor, quos ob nimiam pertinaciam Sanctus Cyrillus à pace excluſerat. Quare præſens Epiſtola docet primò, quod Theodoretus iſtam excluſionem parvi fecerit: quod familiarem cum Helladio communionem non deſeruerit. Secundò, quod pacem admittere noluerit, niſi quaſi de conſilio, & conſenſu Helladii. Hinc per iteratas litteras expoſtulavit iſtud conſilium. Tertiò, quod Helladius iſtas propoſitiones adeò indigne tulerit, ut nec Reſponſo fuerit dignatus. Judicabat enim Theodoretum, dum de ineunda pace, & citra Capitulorum anathema admittendis Cyrilli litteris vel cogitaret, eſſe ſervilem relicta acie dedititium, multipedem Chamaleontem. Et quia Theodoretus hæc ipſi timet revelata facie intimare, refert in ſuſurrones. Super his Theodoretus ſe purgat, ſtudet redire in gratiam Helladii, & quartò dicit, quod pacificatoriam Cyrilli Epiſtolam judicarit Orthodoxam, ideoque & non potuerit non admittere. Quintò, quod tamen non admiſerit mercedes, quas Cyrillus exegit pro iſta Epiſtola: Quod ipſas abominandas duxerit. Nempe degradationem Neſtorii. Et ipſam appellat homicidium. Etenim iniqua Epiſcopi degradatio eſt omninò homicidium. Hinc etiam Sanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus Donatiſtas cunctis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis, quo irregulares ac irreparabiles redderent, pœnitentialem manum imponentes, frequenter appellat homicidas. Quia nempe in illis licet non vitam, tamen occidebant honorem. Sextò Theodoretus affirmat, quod iſtam damnationem nunquam ſit admiſſurus, utpotè mercedem ſceleratam, & congruam beſtiis ſitientibus humanum ſanguinem. Affirmat Cyrillum eſſe iſtiuſmodi hominem. Septimò, quod potiùs idololatriam patraturus ſit, quam admiſſurus iſtam damnationem. Nempè nullatenùs credebat Neſtorium ſapuiſſe aut docuiſſe hæretica.

In Conſtantinopolitana collatione Severiani Epiſcopi adversùs Theodoretum, uti Neſtorianum, multa declararunt: inter cætera, quod Sanctus Cyrillus ipſum excluſiſſet à pace. At verò Hypatius Epheſiorum Epiſcopus reſpondit: *Nos ad omne Orientale Concilium Epiſtolam ipſam à Sancto Cyrillo ſcriptam, invenimus. Oſtendite autem, vos, quod in unitione hunc ex illa pacifica & coadunante Epiſtola ſubſtraxit. Quid autem ampliùs, verbis detrahere, an per condemnationem inferre contumeliam? Sic ergò ipſi beato Joanni, & omnibus qui cum eo fuerant Epheſi, & per condemnationem injuriantes illud indulſit Beatus Cyrillus, multò magis qui tantummodo verbo in eum peccaverunt, indulgentiam præſtitit. Sed & invenimus in Theodoreti litteris, quas ad Dioſcorum fecit, quia & ſecundo in his, quæ contra Neſtorium ſcripta ſunt, ſcripſerit. Et quando contra Julianum vel Apempeos conſcripſit, libros ipſos deſtinavit in Antiochiam Beatus Cyrillus, & rogavit Beatum Joannem oſtendere illos præclaris Orientalibus Doctoribus. Et quia oſtenſis eis ſcripſit illi Theodoretus, & reſcripſit ei Beatus Cyrillus, diligentiam & affectum ei teſtificans. Et quia duas ab ipſo ſuſcepit Epiſtolas, quæ & cuſtodiuntur apud illum, nullam de eo contumeliam deſignantes*. Quæ omnia ſunt longè veriſſima. Nihilominus præſens Epiſtola demonſtrat iſtam amicitiam non fuiſſe ex integro fraternam.

Notanda ac veneranda ſunt hæc Theodoreti verba: *Quis veracem appellet eum, qui ſine mercede honorare noluerit veritatem? mihi videtur nec illum nominare perfectum, qui propter regnum Cælorum virtute animi pollet, ſed quem boni delectat amor. Et qui bonum propter ipſum complectitur*. Largiùs ac lucidiùs ſua ſenſa exponit in Commentario ſuper caput octavum Apoſtolicæ ad Romanos Epiſtolæ: *Non eſt amandus Deus propter bona promiſſa, ſed illa propter ipſum ſunt expetenda. Neque enim qui ſincerè in aliquem divitem affectus eſt, eum propter opes & facultates diligit, ſed propter ſuum in eum affectum, diligit etiam res, quæ ad ipſum pertinent. Ita etiam divinus Apoſtolus inquit: nollem habere regnum Cælorum & omnia quæ videntur, & quæ intelligentia percipiuntur, & tot ac tanta alia his ac ter, ſine dilectione in Chriſtum. Si quis autem mihi tum præſentia, tum futura moleſta & aſpera propoſuerit, & temporalem atque æternam mortem, & longiſſimum in gehenna* ſup-

*ſupplicium, unà cum dilectione in ipſum, libentiùs & alacrius hæc ſuſciperem, quàm illa magna ac præclara, & quæ verbis exprimi nequeunt, Dei dilectione fruſtratus eſſem.* Docet tria. Primò, quid ſit veraciter caſta Dei dilectio. Secundò, quod tali dilectione Deus debeat ab omnibus diligi. Tertiò, quod omnia noſtra opera debeant ex tali dilectione procedere.

---

## CAPUT CXI. —199

*Epiſtola*, inquit, *Helladii ad Alexandrum, indicans quod propter eam, quæ facta eſt, cauſæ proditionem Cilices convenire placuerit.*

IN omnibus gratias agimus communi Domino & Salvatori Chriſto, qui nos dignos fecit propter deſiderium ſui, & piæ fidei confeſſionem, in medio ebriorum plurimorum ſpiritales amplecti vigilias. Magis autem gaudemus, quia inſtat Capitis tuam inſcripſimus Sanctitatem in certaminibus; Quæ hic, qui tentationes exercitari permiſit propter noſtrorum multitudinem delictorum, hoc quo voluerit modo, ipſe compeſcet. Maximè ſi pro pietate certantes firmo ſtatu Adverſariis reſiſtamus. Quia verò conſequens erat, ut poſtquam cognovimus execrandas impiorum pactiones, colligeremus Deo Amiciſſimos hujus regionis Epiſcopos, ut deliberarent unà nobiſcum, quid ſit agendum, hoc facere Deo propitio habemus paratum. Ea verò, quæ tali Epiſcoporum Synodo formari contigerit, nota utique faciemus tuæ Sanctitati. Ora pro nobis Domine per omnia Deo Amiciſſime.

### SCHOLION.

HElladius Tharſenſis Epiſcopus, unus iſtorum quatuor, quos Sanctus Cyrillus à pace excluſerat, dudum manſit pertinax. Nam etiam in hac Epiſtola, initam pacem appellat *execrandas impiorum pactiones*. Et addit, ſe *in medio plurimorum ebriorum amplecti ſpirituales vigilias*. Hinc fuit plurimum gaviſus de ſimili Alexandri pertinacia. Et ipſi ſignificat à ſe eſſe indictam Synodum, ad pleniorem hujus cauſæ diſcuſſionem: Et ſpondet acta referre. Iſta Synodus haud dubiè fuerit facta in ipſa metropoli.

## CAPUT CXII. —200

*Epiſtola*, inquit, *Maximini ſecundæ Ciliciæ ad Alexandrum, qua indicavit, quoniam convenientes certa quædam definierunt de cauſa, quæ agebatur.*

QUoniam nihil eorum, quæ hìc fiunt, tuam latere convenit Sanctitatem, neceſſariò & nunc, quæ ſtatuta ſunt à nobis, tuæ Sanctitati innoteſcere feſtinavi. Quorum direxi & paria. Dignetur ergò his inſpectis, Religioſitas tua, quæſo, huic cauſæ auxilium ferre, tam per ſanctas orationes tuas, quam per eam quæ tibi ineſt boni conſtantiam. Univerſam tecum conſtitutam Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus.

### SCHOLION.

UTi Helladius Tharſenſis, ita Maximinus Anazarbenſis Epiſcopus, Metropolita ſecundæ Ciliciæ, egit eadem de cauſa Synodum, & per præſentem Epiſtolam refert ejus Acta. Deinde Alexandrum hortatur ad perſeverantiam in pertinacia, & ad præſtandum cauſæ auxilium.

---

## CAPUT CXIII. —201

*Synodus Anazarbenſis. Sancta Synodus ſecundæ Ciliciæ, quæ per gratiam Dei in Anazarbo Metropoli convenit, interlocuta eſt quæ ſubjecta ſunt.*

MOta immodica perturbatione contra piam fidem, & infamibus vocibus aures hominum circumſonantibus, ex litteris piiſſimorum & Amicorum Chriſti Imperatorum, quæ omnes Deo Amiciſſimos Epiſcopos pariter convenire juſſerunt, ad Epheſiorum Metropolim venimus. Sed Cyrillus, Alexandrinorum quondam civitatis Epiſcopus, manu, qua Patrum in fide non permaneus eam duodecim Capitulis commovere tentavit, & Anathematiſmos adjecit, per omnem terram monſtrans propriam putritudinem: Hic priuſquam cuncti Deo Amiciſſimi Epiſcopi convenirent, circa quod Amicis Chriſti noſtris

Im-

Digitized by Google

Imperatoribus placuit, præſidens ex authoritate Concilii uſurpavit ſibimetipſi Judicium, & calumnia circumvento Deo Amiciſſimo Epiſcopo Neſtorio, qui & abſens erat, nec à fidei pietate receſſerat, ut putavit, condemnationem ſuppoſuit.

Nos igitur, qui undique conveneramus, Orthodoxi Epiſcopi ex Orientali regione, diverſiſque Provinciis, depoſuimus eum, alienumque à Sacerdotio fecimus, unà cum Memnone Epheſio, qui & in omnibus ei cooperatus eſt, & impiam voluit hæreſim roborare. Reliquos verò, qui eis aſſenſerunt, communione privavimus, donec ſuum cognoſcentes errorem, impia quidem Dogmata Cyrilli anathematizaverint, ſanæ verò Patrum confeſſioni acquieverint. Hæc dum cognoviſſent Amatores Chriſti Imperatores, atque approbaſſent, confirmaſſentque damnationem, quæ ſuper eos à nobis facta eſt, juſſerunt unumquemque Sanctorum Epiſcoporum ad propriam reverti Provinciam.

Verùm quoniam nunc convenientes in Anazarbo Metropoli propter Eccleſiaſticas curas, agnovimus, quod nonnulli præter illa, quæ tunc in commune placuerunt, non ejectis Cyrilli Capitulis, ab eoque ea quæ expoſuit admittentes, in communionem receperunt eundem Cyrillum, placuit convenientibus nobis, ut Cyrillum quidem ſic habeamus, ut habuimus, & antè, damnatum, eos verò, qui eum receperunt in communionem, non reſpuentem per propriam ſubſcriptionem hæretica, quæ expoſuit, Capitula, eſſe nobis à communione alienos, donec ea, quæ pridem communiter placuerunt, effectui mancipentur: Et anathematizet Cyrillus impia Capitula ſua, permaneat verò in fide trecentorum decem & octo, qui Nicææ convenerunt, neque adjiciens ei, neque auferens aliquid. Non patiemur autem, cooperante nobis Domino Chriſto, aut Cyrillum quaſi Orthodoxum in communionem recipere, aut eos qui ei adjuncti ſunt, niſi hæretica Capitula illa omnibus fuerint modis expulſa: Etſi ad ignem, & ferrum, ferarumque dentes nos oporteret congredi.

Maximinus Epiſcopus Anazarbi conſentio Sanctis, & ſubſcripſi.

Secundùm hanc ſubſcriptionem univerſi ſubſcripſerunt.

S C H O L I O N.

HÆc ſunt Acta Synodalia, tranſmiſſa per præcedentem Epiſtolam. Agunt tria. Primò, exponunt utriuſque partis Acta apud Epheſum. Et quidem cum inſigni mendacio. Etenim affirmant Neſtorium fuiſſe abſentem à Synodo. Eſt lucidè falſum. Pridiè enim fuit tertiò citatus, & adeſſe non voluit, ideoque fuit contumax, non abſens. Secundò, Epheſinam Sancti Cyrilli, à ſe ob Capitula patratam, damnationem iterant & confirmant. Et adjungunt damnationem omnium illorum, qui præfatum Cyrillum ſine Capitulorum anathemate in communionem admiſerint. Licet non exprimant, attamen damnant ſuum Patriarcham Joannem, & cæteros omnes Epiſcopos ac Populos, qui cum ipſo admiſerant pacem. Tertiò, confirmant ſuam Chalcedonenſem conjurationem, qua juraverant Cyrillum non admittere, niſi anathematizaret Capitula. Et addunt: *Etſi ad ignem, & ferrum, ferarumque dentes nos oporteret concredi*. Hæc addunt contra pœnalia Edicta Imperatoris Theodoſii. Attamen ſuam conjurationem temperant. Etenim juraverant Cyrillum, licet pœnitentem ac anathematizantem, non admittere niſi ut Laicum. Hic parati ſunt ut Epiſcopum admittere.



---

## CAPUT CXIV. —202

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Helladii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, per quam indicavit, quod convenientes Epiſcopi ſecundæ Ciliciæ certam formulam dederint de cauſa, quæ vertitur: Quam primæ quoque Ciliciæ Epiſcopi approbant.*

QUoniam quidem Synodus Deo Amiciſſimorum ſecundæ Ciliciæ Epiſcoporum colligenda erat, agnoviſti utique omninò, Deo Amiciſſime. Quia verò & congregata ſit, & formatum ſit ab eis, ſicut & mandaverunt nobis per Deo Amiciſſimum Presbyterum Mopſueſtiæ Olippum, ut in illa damnatione habeatur Ægyptius, cui olim ſuppoſitus eſt, donec anathematizet impia illa Capitula, & hi verò, qui ei communicant, excommunicati habeantur: Neceſſariò & nos amplectentes hunc pro pietate zelum, Apoſtoliciſque dogmatibus, Sanctorum verè Epiſcoporum, ſequentes quoque Apoſtolicum eorum Propoſitum, & acquieſcentes his, quæ ab eis ſynodaliter expoſita ſunt, tuæ mandavimus Sanctitati, ut ſi quidem poſſibile eſt, huc uſque fatigeris, ſubſcripturus ipſi Synodico, quod & facere debes; ſi verò ab hoc aliqua fortè violentia prohiberis, quamquam nihil ſit hoc violentius, ſicut & tu Deo Amiciſſime utique dicis, niſi fortè corporalis infirmitas, innoteſcere nobis dignare per litteras, quod placet. Impoſſibile eſt quippe, ſicut nos æſtimamus, etſi hoc multoties millies ſimulent

hi, qui ſuſceperunt Ægyptium, nihil obeſſe pietati, ſubſiſtere Apoſtolicum dogma, niſi fuerint abjurata illa ſceleſta Capitula.

## SCHOLION.

PRæfata tria ab unius Provinciæ Synodo attentari, erat grandis audacia. Hinc Maximinus Metropolita omnibus nervis ſtuduit ſuam Synodum firmari ac ſubſcribi per alias Provincias. Proindè ejus Acta ſtatim tranſmiſit ad Metropolitam Helladium. Per inſignem Legatum: Olippum Presbyterum Mopſueſtienſis Eccleſiæ. Poſſit eſſe quod non dumtaxat præſentis Epiſcopi Meletii, ſed etiam proximi Anteceſſoris, ſcelerati Theodori, fuerit presbyter. Eſt omninò veriſimile. Hinc & ipſe pro Neſtorii & perſona & dogmate fuerit audaciſſimus. Interim Helladius quantumvis probaret facinoroſam Synodum, ſolus tamen non præſumpſit ſubſcribere. Hinc ad ſe evocavit Alexandrum Hierapolitanum: Quò conſerrent, & ſimul ſubſcriberent. Et hinc lucet, quod Helladius non celebraverit Synodum. Videtur indixiſſe.

---

## CAPUT CXV. —203

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Dorothei, Metropolitani Mæſiæ, ad Antiochenum Joannem, quam ſcripſit ex opinione advertens, quod Alexandriæ inter Paulum & Cyrillum convenerit.*

QUi naufragaverunt à pia Fide noſtra, quæ unit ſarparis proprii fulcita, inter multas hic opiniones diſſeminant, dicentes, quod Religioſitas tua, & qui cum ea ſunt, Sancti Epiſcopi acquieverint ad Ægyptii communionem, non damnatis Conſcriptionibus duodecim cognitis. Blaſphemis eò quidem ora ſumpſit, quod ipſa Capitula perfectis quidem ſint probabilia, his verò, qui capere nequeunt, aliena. Unde, inquiunt, rogati Ægyptii in communionem Orientis Sanctam Synodum receperunt. His ita diſſeminatis ab ipſis, alteram fraudem machinati ſunt contra pios. Integra ſiquidem civitate ſimpliciores volentes decipere, proprios ſervos atque Domeſticos, & alios quoſdam colligentes ante auroram, in forum, quod dicitur Conſtantini, ſub prætextu litaniæ, convenire fecerunt, præparantes ut unus occurreret Populo cum Crucibus & Cereis: Ille Deceptor, qui ab illis Deſertoribus eſt illicitè ordinatus.

Sed non diu fraudem ſuam tegere valuerunt, ſed deprehenſi nolendo fortiores operati ſunt Populos, perſiſtentes in ſua pietate, qui diſcentes hunc dolum declinaverunt errorem. Dum verò eis nec iſta ſufficiunt, finxerunt ab Admirandiſſimo Ariſtolao litteras ad Maximianum fuiſſe tranſmiſſas, quas & in publicum in ambone legi fecerunt: Narrantes ſic pacem factam fuiſſe inter Sanctitatem veſtram & Ægyptios, ut veſtræ calculo Sanctitatis & Maximiani Ordinatio firmaretur, & Sanctiſſimus ac Deo Amiciſſimus Epiſcopus Neſtorius condemnatus reputaretur. De his igitur univerſis ſubtiliter diſcere volens, coactus ſum Reverendiſſimum Presbyterum Euſtochium, cumque ipſo Thomam Monachum deſtinare, rogans ut nos per veſtras litteras digneris inſtruere veritatem. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola docet plura. Primò, Quod Ariſtolaus Tribunus factam pacem, ac ejus Articulos ſtatim ex Ægypto, antequam ſe daret in reditum, tranſcripſerit ad Maximianum Regiæ Civitatis Epiſcopum. Secundò, quod hiſce litteris animatus Maximianus ſtuduerit expurgare Martianopolim, Hæreticum Dorotheum extrudere, ac inthronizare conſecratum à ſe, ac ab iſto nuper Populo abjectum Saturninum. Tertiò, quod præfatas Ariſtolai litteras curavit ex Ambone ſolemniter legi ad iſtius Eccleſiæ Clerum ac Populum, atque ita ipſos diſponi ad receptionem Saturnini. Quartò, quod ad ipſam facilitandam curaverit indici ſolemnes Litanias, ordinandas ac inchoandas in ſoro Conſtantini. Porrò Pontificaliter ornatus Saturninus illic ſtabat cum Crucibus, Cereis, accepturus Populum, & cum ipſo proceſſurus. Expleturus officium Epiſcopi, atque ita deinceps manſurus in iſto gradu. Ex quo vides ſacras cum Crucibus & Cereis Litanias ac Proceſſiones eſſe antiquiſſimas apud omnem Eccleſiam. Verumtamen ab Hæretico Dorotheo ſeductus Populus nec arti acquievit, nec litteris. Saturninum denuò ejecit.

Epiſtola etiam docet, quod ſtatim ad prima initæ pacis nuntia varii rumores per omnem Orientem cucurrerint. Sparſi à variis, præſertim Catholicis. Primò, quod Orientales Epiſcopi non admiſiſſent Ægyptios, ſed hi illos: Et quidem rogati. Quod Ægyptii eſſent victores. Secundò, quod Sancti Cyrilli Capitula non dumtaxat non eſſent anathematizata, aut anathematizari digna, ſed è contrario quod eſſent rectiſſima: Et pro talibus admiſſa ab Orientalibus. Quod ſolis imperitis viderentur devia; apud omnes verò perfectos eſſent probabilia. Hoc eſt, probatiſſima. Hoc enim ſenſu Antiquitas accepit vocem, Probabile. Ita & Sanctos Patres paſſim appellavit Probabiles. Et iſti Rumores

multis

multis fuerunt offendiculo. Dorotheus ſibi imprimere non potuit quod Antiocheno Joanni talia vel in mentem veniſſent. Hinc ad ipſum deſtinavit Presbyterum Euſtochium, ac Thomam Monachum. Quapropter hæc Epiſtola fuit ſcripta ante reditum Pauli Emeſeni, ac Ariſtolai Tribuni.

---

## CAPUT CXVI. —204

Idem hanc poſuit Epiſtolam. *Deo Amiciſſimis, & Sanctiſſimis Dominis meis, & cum omni reverentia nominandis, Sanctis Comminiſtratoribus, Alexandro & Theodoreto, Eutherius Gaudere.*

DIvinum Sanctitatis veſtræ zelum, qui ubique pervenit, nocte dieque fulgentem, clamant jam univerſa terra & mare, à quo & nos, valdè ſegnes, ſtimulati ſumus ad bonorum deſiderium, piæque confeſſionis inſtantiam, ita ut audeamus per litteras deprecari, & de eis, quæ agenda ſunt, commonere. Perclaruit igitur hoc eſſe juſtum præſenti in tempore, ut adjiciat Sanctitas veſtra cæteris rectitudinibus ſuis & hoc ſtudium, quod nunc exigit tempus, ut dirigatis aliquos cum communi hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis partes, & excitetis ad hoc pro fide certamen eos, qui illic ſunt habentes inſitum fidei zelum. Timor eſt enim, ne prævenientibus litteris aliorum, quaſi unitio facta ſit, & rebus incongruis conſentientibus univerſis, ſegniores appareant ad ea, quæ malè acta ſunt, corrigendum. Et nos quidem quaſi in libro, quæ ſunt placita, exponentes, id eſt, ego & Dominus meus per omnia Sanctiſſimus Epiſcopus Helladius, horum Reſcripta veſtræ, quæ ſecundùm Deum eſt, Charitati direximus. Veſtræ autem Religioſitatis eſt & probare, & proferre, & ad finem perducere. Quæ cum Sanctitate veſtra eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, ſalutamus.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt maximi ponderis. Laudat enim Romanam appellationem, quam Helladius Tharſeoſis ac Eutherius Metropolita Thyanenſis non dumtaxat adversùs initam pacem, ſed etiam adversùs omnem Epheſinam Synodum fecerunt ad Xixtum tertium Pontificem. Hi duo Metropolitæ, videntes ſe excluſos à pace, viderunt ſuam degradationem, quàm Epheſina fecerat, & Conſtantinopolitana Maximiani Synodus confirmaverat, probari & admitti etiam à Joanne Patriarcha: Viderunt nihil ſibi ſupereſſe, niſi ejectionem, ac infame exilium. Nam Eutherius à Firmo Cæſareenſi Exarcho Super-Ordinationem ſuſtinuerat, & Helladius acceperat non vanas minas ſimilis violentiæ. Et Imperator Theodoſius his omnibus jam favebat, dans militaris executionis aſſiſtentiam. In ſua quidem Sacra, quæ Epheſinam Synodum ſolvit, juſſione edixerat, latæ in Orientales Epiſcopos degradationis juſtitiam ſibi non apparere; aſt nunc agebat omnia contraria. Hinc ergo illi appellaverunt ad Xixtum Pontificem. Non ſolummodò adversùs pacem, ſed etiam adversùs omnia Acta Epheſini Concilii. Poſtularunt omnia retractari per Sedem Apoſtolicam, & circumduci.

Et in hac Epiſtola addunt varia. Primò, quod hæc ſua appellatio ſit communis formula. Hoc eſt, quod ipſi adhæreant alii quàm plures Epiſcopi. Secundò, quod Occidentales, id eſt, Romana Eccleſia habeat inſitum fidei zelum, ideoque apud ipſam non ſit diffidendum de juſtitia. Tertiò, quod tranſmittant appellationis Inſtrumentum, examinandum, probandum, aut corrigendum. Quartò, Theodoretum ac Alexandrum rogant, ut hanc communem formulam dignentur proferre, & ad finem perducere: *Ut dirigant aliquos cum communi hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis Partes, & eos excitent ad hoc certamen fidei*. Ut hoc ſtudium ſuper-addant *cæteris ſuis rectitudinibus*. Et certum eſt, quod & Alexander & Theodoretus hæc omnia expleverint. Appellatio enim omninò fuit tranſmiſſa Romam, ideoque per iſtos duos omninò probata atque adjuta. Aliàs mittenda non fuerat. Et hinc diſcimus, quod Theodoretus non ſolummodò poſt inflictam ſibi ab Epheſino Latrocinio damnationem, ſed dudum antea Romanas appellationes probaverit, immò & ipſis adhæſerit. Nam etiam in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſcripſit, quod Sanctus Papa Julius, Sancti Athanaſii ac aliorum Orientalium Epiſcoporum appellationem admittens, ac ipſos ante Sardicenſem Synodum reveſtiens, proceſſerit juxta vetuſtum Eccleſiæ Canonem. Præſentis appellationis tempus oſtendunt hæc Epiſtolæ verba: *Timor enim eſt, ne prævenientibus litteris aliorum, quaſi unitio facta ſit, & rebus incongruis conſentientibus Univerſis, ſegniores appareant ad ea, quæ mala acta ſunt, corrigendum*. Edicunt factam ante datam initæ paci à Xixto confirmationem: Poſt miſſas Romam relationes, quibus Cyrillus ac Joannes confirmationem poſtulaverant. Et ſanè tunc oportuit.

CAPUT

## CAPUT CXVII. —205

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Eutherii Thyanenſis Epiſcopi, & Helladii Tharſenſis, ſcripta ad magni nominis Romæ Epiſcopum Sixtum.*

MUltam providentiam humani generis per ſingula tempora faciens Dominus Chriſtus alio tempore alia luminaria præparavit ad eorum Ducatum, qui bonæ ſint voluntatis, convictionemque contrariorum, & mendacii quidem deſtructionem, veritatis autem confirmationem. Sicut etiam ſub illo majori Pharaone Beatum Moyſen contra Jamnes & Mambre, & ſicut ſuper Simonem Magum, Petrum benè vincentem, ſic & contra eos, qui nunc inſurrexerunt, inimicos tuam protulit Sanctitatem, per quam bonæ ſpei ſumus & nos, quod Orbis terrarum ab Ægyptio liberetur errore, qui Moyſes novus exiſtens omnem quidem Ægyptium hæreticum percuties, ſalvabis verò omnem Iſraelitam Orthodoxum. Igitur contra veritatem multis millibus geſtis, & mundiſſima Orthodoxiæ margarita multas excipiente inimicitias, & quantas nulla unquam tradit hiſtoria, ab his qui harum vocum novitatem contra Paternam Fidem Apoſtolicam repererunt, noſtrum quidem eſt qui triplices multiplicesque patimur tempeſtates, & penè in Pyratas incidimus, ad eum clamare, qui à Deo productus eſt Gubernator, eumque pro amore veritatis quanta poſſibile eſt edocere; tuæ autem Gratiæ Sapientiæque eſt non deſpicere, neque otioſè tranſcurrere hujuſmodi quæſtionem, tantamque cauſam. Sed & perſcrutari cum dilectione boni laboris, & imponere emendationem cum tota conſtantia, & Deo dilecta fiducia. Et olim ſi quidem ſæpiùs jam ex Alexandria hujuſmodi hæreticis Zizaniis inſurgentibus, ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus illud ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda quæ neceſſarium fuit, moniendumque Orbem terrarum ad gloriam Chriſti, tam ſub illo ter Beato, & inter ſanctus habendo Epiſcopo Damaſo, quam ſub pluribus aliis, glorioſis atque admirabilibus. Cujus rei gratia & nos præſumimus has ſupplicationes offerre, ut adjuvetis Orbem terrarum: Et in illa parte, quæ errat, & in illa, quæ tyrannidem ſuſtinet. Quæque ad hoc impugnatur, ut ad ea, quæ non conveniunt, aſſenſum præbeat: Eò quod nec velit, nec expedire judicet, ut Ægyptiorum Capitulorum varias vocum novitates excipiat.

Scribens enim Cyrillus Alexandrinus blaſphemam vocum novitatem per bis ſena Capitula, univerſæ Divinitus inſpiratæ Scripturæ contrariam & anathematizantem legitimas & antiquas Sanctorum Patrum traditiones, & maximè illorum, qui excelſa quidem Chriſti Divinitati adſcribant, humilia verò humanitati ejuſdem, nuſquam unitione ejus intercidenda, propoſuit ei, qui tunc Sanctam Sedem regebat magni nominis Urbis, qui fuit à principio probatus, & notus circa fidem, circa vitam, circa doctrinam verbi, & circa univerſa, Neſtorio, ut aut conſentiret Capitulis ejus, atque ſubſcriberet ea, & permaneret Epiſcopus, aut certè periclitaretur in gradu, & à Sancta Eccleſia pelleretur. Ille autem propoſitioni nequam Dei timore prælato, elegit potiùs multis millibus periculis ſibi injuſtè inferendis tradere ſemetipſum, quam dolis hæreticis præbere conſenſum & confirmare totius Orbis errorem. Ad hæc Synodus convenit in Epheſo: Et in nullo correptus, neque rationem reddere expetitus, antequam convenirent, qui ſuſtinebantur, univerſi, exactus eſt ultionem, dum illorum Capitulorum blaſphemiæ obviaverit, & omni crudelitate ei, quæ dicitur, damnationi, & aliis aliquibus ſubjectus eſt. Dum certè Cyrillus authoritatem judicis non haberet, ſed ejus qui judicandus eſt ordinem, eò quod contra invicem moverint quæſtiones. Et erat præſidens Reus: Et ſententiat Princeps, qui ſuſtinebatur multis ſententiis ſupponendus.

His geſtis, aliis quidem cuncta, quæ acta ſunt, lachrymis digna, aliis verò ridicula videbantur, ita ut & ille, qui Antiochenam tenebat Eccleſiam Dei, poſt hæc veniens Cyrillum quidem & Memnonem damnationi ſubjiceret, communi Decreto Deo Amiciſſimorum, Sanctiſſimorumque Epiſcoporum, uſque ad viginti duorum Metropolitanorum, cæterorumque qui pariter aderant qui illos hæreſios ac ſeditionis Principes judicarunt, & Eccleſiaſticarum æmulos Sanctionum. Cæteros verò, qui eis ad omnia incongrua Complices extiterant, alienos à communione fecerunt. Sed illi egregii contra veritatem ſimul & Regulas ſibimetipſis indulgentiam relaxantes, terribilium Myſteriorum communionem irreverenter ſibi continuò præſumpſerunt. Alios verò communicare ſibi periculosè fecerunt. Ita ut omnes Divinæ Regulæ Decreto ſubjaceant, quæ eos qui ita regunt, omninò perdamnant. Hæc addiſcens Deo Amiciſſimus & bonus Victor Princeps continuò definivit vacare, quæ ſic inordinatè inconſequenterque ſunt geſta contra eum, qui in nullo convictus eſt, abruptè verò & furioſè addictus: Denuò autem de dogmate cum veritatis amore fieri quæſtionem per interrogationem & reſponſionem, & demonſtrationem quæ omnibus ſuaderet, non quæ authoritate tyrannica imperaret. Illi verò ad ſolutionem Canonum id quoque adjecerunt, ut nec his piis litteris obedirent.

Adn. Nor. Vide illos pag. 27. & 41.

Et nihil de fide dicere vel audire acquieſcentes ulterius, ad ſolam ſe univerſi pertinaciam contulerunt: Ad conſenſum cœperunt trahere judicii, alios quidem fraude, alios violentia, alios præmiis. Conſtopentes ſuper his nos per multum tempus rogabamus, obteſtabamur cum omni fiducia, provocabamus ut nihil irrationabiliter fieret aut teneretur, ſed de quæſtione quidem dogma-

matum, & de Cyrilli Capitulis communis proponeretur Tractatus atque Concilium. Et quod omnibus placuiſſet, una ſententia firmaretur. De eo verò, qui tyrannidem ſic apertè pertulerat, judicium verax fieret atque legitimum, ut convictus quidem de corruptione veritatis adjudicationem conſonè ſuſtineret ab omnibus; ſi verò ex toto innoxius probaretur, in Scripto abdicaret illa nobiſcum, quæcumque incongrua quidam vel ex ejus perſona, vel ex aliorum nomine, ex ſuſpicione aut accuſatione jactaverant.

Sed iſta quidem diſplicebant his, qui ex ſola auctoritate devincere, non autem vel ſuadere, vel ſuaderi volebant. Præcipiebant verò univerſis, ut abruptè anathematizarent, & damnationi ſubſcriberent. Quicumque autem ſe integriori deliberationi ſervaſſet, damnabatur, ordinabatur ab eis, ſubjiciebatur calumniis, malæ doctrinæ vocabatur. Ordinabantur pro talibus alteri, quia conſentire nolebant: Laudare quidem damnatione digna Capitula, damnare verò eum, qui, quantum nos conſcii ſumus, nihil aliud dixit niſi ea, quæ à Sanctis Prophetis, & Evangeliſtis, & Apoſtolis per Spiritum Sanctum manifeſtè ſunt tradita. Volebant enim & Apoſtolos criminari, dum ſupervacuè adjudicant illum, qui ea, quæ ipſorum ſunt, prædicabat. Talem namque & eorum, quæ dicuntur, Geſtorum fecerunt actionem, ut inconſona & incerta adversùs illum virum proferrent, & plerumque irreprehenſibilia reprehenderent. *Cur*, inquiunt, *Neſtorius dixit, quod paſſio non Deitatem, ſed humanitatem Chriſti attigerit?* Interdum verò falſa ſcriberent, ponendo quod ab ipſo dicta fuiſſent verba, quæ nec quicumque infidelium, immò nec agreſtium Dæmonum dicere præſumpſiſſet. Id eſt, quod Chriſtus eſſet Chriſti Dominus, ſicut Saul, ſicut David, ſicut infidelis Cyrus: In quibus facile eſt convincere volenti calumniam.

Ea verò, quæ de Antiocheno Joanne ſunt geſta, ſi eſſet poſſibile, tacere velimus. Sic irrationabilis apud nos ejus mutabilitas facta eſt, & manifeſta tranſgreſſio, & proditio veritatis, quæ ex improviſo completa eſt, ſive peracta. Ille enim, quia antequam veniremus ad Epheſum, hæreticam Capitulorum reperit fraudem, plurimis per litteras indicavit. Per primam Cappadociam, ſecundamque, & per diverſos locos, ut ab eis ſe obſervarent, admonuit, quaſi Eunomio, & Ario, & Apollinario conſonarent. Et qui acutè ac fervidè in Cyrilli damnationem proſilivit, & adhoc omnes hortatus eſt: Quippè adiit & ipſam Regiam civitatem, ut huic impietati reſiſteret. Et idem nobis ſcripſit adhuc Epheſi conſtitutis, priùs quidem dicens, quia illum, id eſt, Neſtorium demiſſum cognoſcentes ab Epheſo, valdè doluerunt animæ noſtræ: Eò quod illa, quæ ſine judicio & iniquè ſunt geſta, videntur interim roborari. Deindè quia etſi illa blaſphema Capitula Cyrillus abjecerit, eum ne tunc quidem ſuſcipere per Sacramenta promiſimus: Eò quod Princeps ipſe ſit factus iniquæ hæreſis. Unde alterum cor accipiens ignoramus, omnibus motibus ſuis eſt adverſatus, & Cyrilli Communicator effectus, non repellentis quæ malè conſcripſerat, qui eum nunquam ſuſcepturum ſe, vel ſi ea refutaſſet in Scripto, juraverat. Et ſolus vinculum ſolvit, quod cum tantis Cyrillo & Memnoni noxiis conſequenter intulerat. Et nullam ſecuritatem his, qui pro pietate fuerant offenſi, procurans, ipſe quidem reconciliatus eſt ei, quem pridem ſic amarè notaverat: Permiſit verò Eccleſias perturbari, & Præſules quoſdam manere depulſos, alios autem adhuc multipliciter exturbari.

Sed etiam litteras mirabiles fecit, in quibus ait damnatum ſe habere Neſtorium, & anathematizare quidquid impiè dixit aut ſapuit. Sic & accuſatione ac demonſtratione defecit, ut nec diceret, *Illam vel illam, ſive illam anathematizo ſententiam*, ſed ait: *Quidquid ab eo impiè dictum eſt*. Dum certè apertè dicere debuiſſet, ut ab eo ſenſu quiſque cautior redderetur. Sicut clarè abominamur nos Cyrilli Capitula, & quæſumus univerſos, ut ſe ab inſita illius malignitate cuſtodiant, præconvincentes eas, quæ in ipſis ſunt, blaſphemias, & eas clarè omnibus publicantes. Hæc pauca de plurimis cum multa abbreviatione conſcripſimus, ſcientes quod horum malorum nimietas non ſolùm Hieremiæ lamentationibus digna ſit, ſed & univerſam Tragœdiam ſuperaverit.

Rogamus verò, & Sanctis tuæ Religioſitatis provolvimur Pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem jubeas fieri, & his illicitis Cœleſtem ſuperduci correctionem: Ut revocentur quidem Sancti Paſtores, qui injuſtè ſunt à ſuis Ovibus effugati, & reddatur Gregibus ordo, & antiqua concordia. Et ut non ultra lamentatus & mugitus pro votis offerantur ac Pſalmis: Dum multi diſperſi ſunt. Et ne quiquam periclitentur circa ea, quæ præcipua ſunt, dum vitant ab hæreticis vel Lavacrum Regenerationis, vel myſticam communionem accipere, quæ ab Orthodoxis ſumere ad ſalutem minimè permittuntur.

Quæ ex parte quidem videntes, ex parte verò audientes olim concurriſſemus ad Sanctitatem tuam nos, qui è diverſis Regionibus ſumus, id eſt, ex Euphrateſia, ex utraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Mœſia: Ut & fontes effunderemus lachrymarum, & publicè defleremus peregrina & inſueta hujus vitæ mala, niſi detineret nos Luporum terror, inſidiantium Gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnemque adverſitatem. Undè coacti ſumus noſtra vice dirigere Religioſiſſimos Clericos & Monachos, qui impleant locum noſtrum. Quæſumus igitur, ut abſque dilatione exſurgatis, & fervido zelo magnum victoriæ Trophæum contra Æmulorum cuneos erigatis, antè oculos habentes boni Paſtoris diligentiam, ſimul & ſtudium circa Ovem, quæ erraverat. Et non abſque periculo deputetis, ſi quid faſtidiosè circa tot Paſtores

ſtores & Oves agatur: Dum illæ quidem errent, illi verò tyrannicam ſuſtineant violentiam.

Imitamini potiùs & magnum pietatis Præconem Paulum, Oculum Mundi, quem nos ut pignus habere familiaritatis noſtræ erga veſtram credimus Sanctitatem. Civis enim noſter exiſtens, errore totius Orbis extincto, illius Apoſtolicæ Sedis factus eſt ornamentum, & à Beato Petro dexteram ſocietatis accepit, ut appareret ab utriſque æquam ſubtilitatem dogmatum cuſtodiri. Etiam quæſumus, ne deſpiciamur à vobis nos, quos tot mala circumdant. Non enim de pecuniis vel gloria, aut quolibet alio temporalium decertamus, ſed pro pietatis poſſeſſione communi, pro Paterno fidei theſauro, pro ſpe communi Fidelium, pro bona confeſſione Apoſtolorum, pro immortali certamine Martyrum, & maximè pro Adventu Clementiaque Dominica, cujus virtutem invincibilem invocantes ſine ceſſatione clamamus: *Parce Domine Populo tuo, & ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium.*

Eutherius Epiſcopus Metropolis Thyanenſium ſubſcripſi. Et quæſo, ut me ores incolumem, Deo Amiciſſime, & Sanctiſſime Pater.

Helladius Epiſcopus Metropolis Tharſi ſubſcripſi. Et rogo, ut me ores incolumem, Deo Amiciſſime, & Sanctiſſime Pater.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt ſummi ponderis: & grandi Dei beneficio revelata huic noſtro tempori. Etenim hodie quidam invadunt Sanctum Petrum Apoſtolum, ac ejus Romanam Sedem machinantur ſpoliare ſuis, per ipſum Chriſtum Dominum datis, privilegiis, juribus, ac dignitatibus: Jure Romanarum ex toto Orbe appellationum. Affirmant Orientales olim Epiſcopos nunquam ad Romanos Pontifices, ſed ſemper provocaſſe ad generalem Synodum totius Eccleſiæ. Eſt imperita ac maligna fabula: Quam ſpero abundè refutaſſe in ſingulari Opere de Romanis appellationibus. Ejus interim Auctores ac fautores ſunt homines non minimi nominis apud ſuos, ideòque firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Præſens Epiſtola evertit omnem fabulam. Eſt enim authenticum Inſtrumentum appellationis, quam Helladius ac Eutherius non ad generalem, ſed adversùs generalem Synodum inter-poſuerunt apud Xiſtum tertium Pontificem, & quod per Legatos ad ipſum tranſmiſerunt. Hi videntes ſe non dumtaxat ab Epheſina Œcumenica, & Conſtantinopolitana Maximiani Synodo degradatos, ſed etiam nunc per proprium Patriarcham Joannem ac Sanctum Cyrillum à pace excluſos, ideoque jam per armatum Principis brachium omnino extrudendos è ſuis Sedibus, converſi ſunt ad aliud conſilium: Appellaverunt ac invocaverunt Xiſtum Pontificem. Non dumtaxat adversùs pacem, aut Maximiani Decretum, ſed etiam adversùs Epheſinam Synodum: Omnia ejus Acta accuſarunt, poſtulantes retractari, & circumduci. Ex quo præfati Novatores docentur & aliam veritatem: Nempè quod Orientalis olim Eccleſia crediderit Papam eſſe omninò ſuperiorem generali Synodo. Appellari enim non poſſit, niſi ad altiorem judicem. Nec hæc eſt unica iſtius formæ appellatio. Etenim etiam Sanctus Flavianus Conſtantinopoleos Epiſcopus, Theodoretus Cyrenſis, Euſebius Dorylęenſis, ac alii plures adversùs Epheſinum Latrocinium provocarunt ad Magnum Leonem. Et trium famoſorum Capitulorum Oſores adversùs Chalcedonenſem Synodum invocarunt Vigilium Pontificem. Et hic omninò retractavit Synodum: Ejus tamen de iſtis Capitulis judicium noluit definitivè circumducere. Hinc natum eſt quintum Concilium.

Caſſinenſis Codex habet: *Sub amore Pharaone.* Ego poſui: *Sub majori Pharaone.* Helladius enim & Eutherius Cyrillum Pharaoni comparant: Videntur hunc majorem, illum dicere minorem. An tamen rectè poſuerim, ambigo. Poſſint enim præfati appellantes ſcripſiſſe: *Sub Achori Pharaone.* Achoris fuit Ægyptiorum Pharao proximè ante Cenchrem, qui afflixit Filios Iſrael, qui Aaroni ac Moyſi objecit Jamnes & Mambres Magos, & quem Divina tandem juſtitia ſuffocavit in aquis. Appellantes poſſint, aut per lapſum memoriæ, aut per opinionem, cenſuiſſe, quod Achoris tunc regnaverit: Quidquid ſit, uti appellantes Sanctum Cyrillum peſſimè comparant Pharaoni, aut Jamnes & Mambres, ac etiam Simoni Mago; ita Sanctum Petrum, ac ejus Succeſſorem Xiſtum rectiſſimè æquiparant Moyſi. Ad Romanos enim Pontifices pertinet hæreticos & ſchiſmaticos, novi Teſtamenti magos ſupprimere, ac in Cœlo volantes, ſeu in Eccleſiarum Thronis dominantes, præcipitare ac degradare. Appellantes hanc Romanæ Eccleſiæ Authoritatem inſigniter profitentur his verbis: *Ad eum clamare, qui à Deo productus eſt gubernator.* Per apppellationem clamare ad Gubernatorem totius Eccleſiæ. Non ad generalem Synodum, ſed ad ſolum iſtum Gubernatorem. Etenim ad ejus *gratiam ac ſapientiam* ſpectat *non deſpicere, neque otiosè tranſcurrere* motas in quavis Eccleſia *quæſtiones & cauſas, ſed perſcrutari cum dilectione boni laboris, & imponere emendationem cum tota conſtantia.* Definire veritatem, ac ejus prævaricatores punire. Hic enim Gubernator obligatur explere mandatum ſui Domini: *Confirma fratres tuos.* Et hoc ejus opus nequaquam eſt novum. Etenim *& olim ſæpiùs ex Alexandria hæreticis zizaniis inſurgentibus ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus iſtud ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda quæ neceſſarium fuit, muniendumque Orbem terrarum ad gloriam Chriſti, tam ſub illo ter Beato Epiſcopo Damaſo, quàm ſub pluribus aliis, glorioſis atque admirabilibus.* Damaſus ad Petri Alexandrini Epiſcopi appellationem damnavit Aria-

num

num Locium, intruſum ab Arianis. Item damnavit appellantem Maximum Cynicum, etiam Ægyptium ac Alexandrinum. Etiam alios damnavit hæreticos. Omnia ſolus. Imitatus ſuos Ante-ceſſores.

Eandem Romanæ Eccleſiæ authoritatem profitentur hæc verba: *Rogamus, & Sanctis tuæ Religioſitatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem jubeas fieri, & his illicitis cœleſtem ſuperduci correctionem. Ut revocentur quidem Sancti Paſtores, qui injuſtè ſunt à ſuis ovibus effugati, & reddatur Gregibus Ordo, & antiqua Concordia*. Rogant ſe ac alios ejectos aut dejectos Epiſcopos reveſtiri, per Papam retractari omnia, ac etiam definiri. Et ita auferri totius Mundi naufragium. Rogant hoc judicium non fieri per novam Synodum, nec delegari in Partibus, ſed Romæ expleri per ipſum Pontificem. Manifeſtè juxta Canones Sardicenſes. Hinc pergunt: *Olim quidem concurriſſemus nos, qui ex diverſis Regionibus ſumus, ex Euphrateſia, ex utraque Cilicia, Secunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Mœſia, niſi detineret nos Luporum terror, inſidiantium Gregibus ad rapinam, & errorem, omnemque adverſitatem. Unde coacti ſumus noſtra vice dirigere Clericos & Monachos*. Ex quo vides hanc appellationem ac profeſſionem non fuiſſe ſolius Helladii ac Eutherii, ſed omnium iſtarum Provinciarum. Vides Appellationem, quam adverſùs Epheſinum Latrocinium fecit ad Magnum Leonem Theodoretus, non fuiſſe ejus primam. Notanda ſunt & hæc verba: *Et non abſque periculo deputetis, ſi quid faſtidiosè circa tot Paſtores & oves agatur*. Affirmant non ſolos Paſtores, ſeu Epiſcopos, ſed etiam Oves, id eſt, Chriſtianum Populum, poſſe provocare ad Pontificem: Et hunc obligari ad eos adjuvandos.

Adverſùs Sanctum Cyrillum ac ejus Capitula adducunt varia. Primò, affirmant ipſum eſſe Ægyptium, hoc eſt, hominem pravæ nationis. Eſſe hæreticum auctorem pravarum vocum, novum Jamnem, novum Mambre, novum Pharaonem. Secundò, dicunt duodecim ejus Capitula eſſe blaſphemam vocum novitatem: Utpote quæ univerſæ Sacræ Scripturæ ſint contraria, ac anathematizent antiquas traditiones SS. Patrum. Præſertim illas, quæ in Chriſto Domino tradunt duas naturas, ideoquè ipſarum idiomata jubent diſtribui in Orthodoxo judicio. Tertiò, quod Cyrillus ſua Capitula juſſerit ſubſcribi à Neſtorio, alioquin degradando. Quartò, quod Neſtorius hæreticis dolis conſentire noluerit, & confirmare totius Mundi errorem. Ex quo vides, quod ex tunc totus Mundus probaverit capitula. Quintò dicunt, quod Epheſina Synodus convocata non fuerit, niſi ad diſcutiendam litem de Capitulis. Sextò, quod unica ratio ob quam Neſtorius fuit damnatus ab Epheſina Synodo, fuerit contradictio ad blaſphema Capitula. Septimò, quod Cyrillus ipſum nec advocaverit, nec audiverit, ſed per violentiam damnaverit: Et quidem ante multorum, qui exſpectabantur, Epiſcoporum adventum, atque ita ſine Synodo. Octavò, quod Cyrillus ad Epheſinam Synodum, non ut Judex ac Præſes, ſed vocatus fuerit ut Reus: Nempe ad dandas rationes de ſuis Capitulis. Nonò, quod Judicis ſeu Præſidis locum uſurpator invaſerit, atque ita ejus in Neſtorium Acta ſint manifeſtum Attentatum. Pleraque ſunt manifeſta mendacia.

Varia item allegant adverſùs ſuum Patriarcham Joannem, & ab illo factam cum Sancto Cyrillo pacem. Primò, quod ille Epheſi Cyrillum ac Memnonem degradarit, & cunctos illis ad degradandum Neſtorium cooperatos Epiſcopos excommunicaverit. Secundò, quod lata in Cyrillum ac Memnonem ſententia fuerit longè juſtiſſima. Lata enim fuit in Principes Hæreſis ac Seditionis. Ob Capitulorum hæreſim, & ſeditionem factæ Synodi ante adventum convocatorum Antiſtitum. Tertiò, quod Joannes iſta ſua juſtiſſima opera cum irrationabili mutabilitate jam retractaverit, prodiderit veritatem, ac lapſus ſit in manifeſtam prævaricationem: Cyrillum ſine pœnitentia ac anathemate ſuorum Capitulorum admittendo in Communionem. Quartò, quod ipſe fuerit primus Capitulorum accuſator ac damnator. Etiam ante Epheſinam Synodum: Etenim ipſa, ſtatim ut apparuerunt, tranſmiſit ad primæ ac ſecundæ Cappadociæ, & aliarum extra ſuam Diœceſim Provinciarum Epiſcopos, ſuadens & rogans damnari. Eis enim imperare non poterat. Ex quo non vanè colligimus, quod illa tanquam damnata tranſmiſerit ad ſuas Provincias. Epiſtola, qua Joannes ipſa ad alias miſit Provincias, extat ſuperiùs. Quintò dicunt, quod Joannes ad Cyrilli damnationem à nullo motus aut incenſus fuerit, ſed ex ſemet-ipſo fervidè proſiliverit, inſuper hortatus omnes alios. Et quidem viginti duos Metropolitas. Sextò, quod his non contentus, ad firmandam Cyrilli & Capitulorum damnationem iverit Conſtantinopolim. Videlicet Legatus cum aliis ſeptem Epiſcopis: Princeps iſtius Legationis. Septimò, quod Chalcedone exiſtens, & Neſtorii Relegationem audiens, graviter doluerit: Eò quod hæc Relegatio eſſet quaſi confirmatio attentatæ in illum Innocentem ſententiæ. Et quod hæc omnia Epheſum ad ſuos ſcripſerit. Octavò, quod Chalcedone coram Principe, ac pleno ejus Conſiſtorio frequenter juraverit Cyrillum, licet anathematizaret ſua Capitula, nunquam à ſe recipiendum ut Epiſcopum, ſed dumtaxat ut Laicum. Eò quod eſſet non ſimplex Hæreticus, ſed Hæreſiarcha. Nonò, quod poſt hæc omnia Cyrillum, & quidem non pœnitentem de Capitulis, longè minus ipſa anathematizantem, admiſerit ut integrum Epiſcopum, & ipſi in omnibus plenè communicaverit. Decimò affirmant Joannem in his patraſſe varia facinora: Nempe Perjurium, Attentatum falſæ abſolutionis, ac Perturbationem totius Eccleſiæ. Etenim vinculum, quod plena ejus Synodus injecerat, ipſe ſolus non poterat ſolvere.

Omninò notanda ſunt verba: *Et ſolus vinculum*

*lum ſolvit*. Putarunt quod Joannes Cyrillum non ſimpliciter ut innocentem admiſiſſet ad pacem, ſed quod ipſum à degradatione ſolviſſet. Iſtud Joannes, quò ſuum opus moliret apud ſuos Epiſcopos, perſuaſerat. Undecimò dicunt, quod Joannes cooperatis ſibi Epiſcopis nullam in iſta pace ſecuritatem, nullum ſolatium fecerit. Etenim quatuor permiſit excludi ab omni gratia, omnes reliquos ſub incerto Cyrilli beneplacito pendere. Duodecimò, quod eorum quoſdam, Conſtantinopolitani Maximiani violentia ejectos, revocari non curaverit: Imò permittat etiam alios exturbari. Decimo tertiò, quod iniquam Neſtorii damnationem admiſerit. Et quidem ſub admirabili Clauſula: Scripto enim profeſſus eſt ſe damnare Neſtorium, & quidquid ab eo eſt impiè dictum. Antiqua Eccleſiæ Diſciplina habet, ut anathema non feratur niſi in ſingulares, ac maturiſſimè conceptos Articulos: Nempe *ut ab eorum ſenſu quiſque cautior reddatur*. Hinc Joannem arguunt, quod Neſtorii doctrinam generatim anathematizaverit.

Etiam contra Epheſinam Synodum allegant plura. Primò, quod Cyrillum, qui reus erat, admiſerit in Præſidem. Secundò, quod Neſtorium ſine debito examine, ac ante convocatorum Epiſcoporum adventum damnaverit. Tertiò, quod à Patriarcha Joanne Synodaliter ac juſtè excommunicati, ſeſe mutuò abſolverint, atque ita acceſſerint ad celebranda terribilia Sacroſanctæ Euchariſtiæ Myſteria. Quartò, quod etiam alios ſibi taliter abſolutis fecerint communicare cum manifeſto animarum periculo. Quintò, quod cuncti ſint evidenter lapſi in Antiochenum Canonem, qui iſtiuſmodi Attentatores firmat in irreparabili damnatione. Sextò, quod Imperator, datum ab illis de Neſtorio judicium circumduxerit, & juſſerit de novo reſumi ab utriuſque partis Epiſcopis. Septimò, quod illi ſacram Juſſionem ſpreverint, & contumaciter noluerint obedire. Octavò, quod promiſſionibus, minis, fraudibus, aliiſque malis artibus ſtuduerint alios Epiſcopos circumſcribere ad ſubſcribendum jam circumductæ in Neſtorium Sententiæ. Nonò, quod Joannis Antiocheni Synodus illos frequenter rogaverit convenire Synodaliter ad diſcutienda Cyrilli capitula, & quod illi ſemper fuerint contumaciſſimè refragati. Decimò, quod his non contenti, inſuper Univerſis præceperint, ut non ſolummodò anathematizarent Neſtorii dogmata, ac ejus damnationi ſubſcriberent, ſed inſuper ut id abruptè facerent, ſine examine ob ſolam ipſorum victorioſam authoritatem. Undecimò, quod illos Epiſcopos, qui nolebant cœci præcipitari in iſtas iniquitates, etiam damnaverint, ac ipſis ejectis ſuperordinaverint alios. Duodecimò, quod iſta eorum Poſtulata fuerint manifeſtè iniqua. Quid enim iniquius, quàm laudare blaſphema Capitula, & condemnare Prædicatorem Evangelicæ ac Apoſtolicæ Doctrinæ? Decimò tertiò, quod appellantes non detrectent damnare Neſtorium, ſed quod iſtud velint judiciali ordine fieri, juxta Sacros Canones.

Etiam plura dicunt pro Neſtorio. Primò, quod ante Epiſcopatum fuerit probatus ac notus circa fidem, vitam, doctrinam verbi, univerſa alia. Secundò, quod etiam Epiſcopus nihil docuerit, niſi illa, quæ ſunt manifeſtè tradita à Prophetis, Evangeliſtis, atque Apoſtolis. Adjungunt tamen: *Quantum nos conſcii ſumus*. Tertiò, quod iſtud luceat ex ipſis Epheſinis Actis. Etenim damnarunt Neſtorium ob Articulum manifeſtè Catholicum: *Chriſti Domini Paſſio non Divinitatem attigit, ſed ſolam humanitatem*. Quartò, quod eadem Acta Neſtorium falsò accuſent de hoc, quem nec ipſi agreſtes dœmones effutirent, articulo: *Chriſtus fuit Chriſti ſervus*. Et quidem eo modo, quo fuit Saul aut David. Imò & quo infidelis Cyrus. Hinc tandem concludunt Neſtorium eſſe iniquiſſimè damnatum, ſine crimine, inauditum, per authoritatem, violentiam, tyrannidem. Ubi nota priorem articulum eſſe æquivocum ac ambidextrum. Et quo ſenſu Neſtorius illum dixerit, eſt abundè expoſitum. Poſterior Articulus eſt revera abſurdiſſimus. Et ipſum Neſtorius omninò docuit. Etenim docuit Chriſtum Dominum eſſe non ſolius Dei Patris ſervum, ſed etiam Dei Verbi. Deindè docuit Deum Verbum & aſſumptum hominem eſſe alium & alium Filium & Chriſtum, qui ſola affectus & honoris communione ſint unus. Hinc omnino docuit Chriſtum eſſe ſervum Chriſti. Et quidem ad iſtum modum, quo fuerunt David, Saul, aut Cyrus.

Hos omnes articulos Helladius ac Eutherius, & cuncti illis adhærentes Epiſcopi per appellationem detulerunt ad Apoſtolicam Sedem, ad Judicium ſolius Xiſti Pontificis. Videlicet omnia Acta Epheſini Concilii, Perſonæ, ac doctrinæ Neſtorianæ damnationem, quatuor Metropolitarum excluſionem à pace, ipſam pacem, Acta ſui Patriarchæ Joannis, Capitula & Acta S. Cyrilli, item Acta Memnonis. Omnes erant graviſſimæ cauſæ: Et propter ipſas non poſtularunt aliam Synodum, ſed Judicium ſolius Xiſti. Quia nempe omnis tunc ſub cœlo Eccleſia credebat ac profitebatur iſtud Judicium eſſe ſuperius omni Synodo. Appellatio fuit omnino interjecta ante datam paci à Xiſto confirmationem. Imò ante pacis examen. Lucet ex his Epiſtolæ verbis: *Noſtrum eſt ad te clamare, & Te edocere, Tuæ autem Gratiæ ac Sapientiæ eſt non deſpicere, neque otioſè tranſcurrere tantam cauſam*. Et ex verbis præcedentis epiſtolæ: *Dirigatis aliquos cum communi hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis Partes. Timor enim eſt, ne prævenientibus litteris aliorum, quaſi unitio facta ſit, & rebus incongruis conſentientibus Univerſis, ſegniores appareant ad ea, quæ malè acta ſunt, corrigendum*. Quid opus conjecturis? Sanctus Cyrillus in ſuis ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum litteris diſertè ſcribit de Joanne Antiocheno, ac ejus, qui pacis conditiones ſubſcripſerant, Epiſcopis: *Miſerunt eandem illam Epiſtolam, quam ad me ſcripſerunt*, & in qua admiſerunt pacis articulos, *ad ſanctiſſimos, Xiſtum Magnæ Romæ, & Maximianum Sanctæ*

Con-

*Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ*, *Epiſcopos*. Et Joanni Antiocheno Xiſtus reſcripſit: *Hac Sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ ſcribis. Expertus es negotii præſentis eventu, quid ſit ſentire nobiſcum*. Proindè Joannes, ac ipſi adhærentes Epiſcopi retulerunt omnia Romanæ Eccleſiæ; Et adversùs hanc Relationem intercesſit præſens Appellatio.

Et Xiſtus ipſam omninò admiſit, & ante datam paci confirmationem maturè omnia retractavit. Etiam Conſtantinopolitanam Maximiani Synodum. Et Appellantes, quantumvis exaudire in omnibus non potuerit, omninò exaudivit in quibuſdam. Inſuper Maximiani Synodum, imò & pacis Acta circumcidit, & quædam ejus Capita circumduxit. Nempè quatuor Metropolitarum excluſionem à pace. Etiam hos, dummodò tres præfatos pacis Articulos admitterent, voluit incluſos: Voluit quietos manere, aut etiam reſtitui ſuis Eccleſiis. Lucet ex ejus ad Sancti Cyrilli Relationem Reſcripto. *Joannes Antiochenus, ſicut fratri & Coepiſcopo Maximiano ſæpè jam ſcripſimus, non eſt redeuntibus difficilis aperire januam, ut verò, niſi perditionis filius, nemo ſit perditus, ſitque ei major cauſa lugendi, quod meruit ſolus excludi*. Et tunc Helladius, quoniam tandem obedivit Pontifici, fuit admiſſus ad pacem, ac piè in Domino obdormivit apud ſuam Eccleſiam. Notanda ſunt verba: *Sicut fratri Maximiano ſæpè jam ſcripſimus*. Nempè Maximianus à Pontifice frequenter rogarat ſuſtineri Acta ſuæ Synodi: Pontifex verò ſemper fuit mitior ad Clementiam. Porrò iſti quatuor erant damnati etiam ab Epheſina Synodo: Et omnia iſta vincula ſolvit ſolus Xiſtus.

Ex his intelliges fundamentum impoſturæ, de qua Sanctus Cyrillus ſcripſit ad Melitinenſem Acacium: *Quod ſi qui Epiſtolam, tanquam à Philippo Reverendiſſimo Romanæ Eccleſiæ Presbytero ſcriptam, attulerint, perinde ſonantem ac ſi Sanctiſſimus Epiſcopus Xiſtus Depoſitionem Neſtorii moleſtè acceperit, eique opem tulerit. Ne credat hoc tua Sanctitas. Scripſit enim conſona Sanctæ Synodo, omniaque illius Geſta confirmavit. Ac nobiſcum ſentit*. Dum Xiſtus Eutherii ac Helladii Appellationem audiret, & omnia illius Capita retractaret, eorum Fautores ſparſerunt Pontificem adeò illis favere, ut etiam Neſtorii damnationem, ideòque & cuncta Epheſini Concilii Acta improbaret, & foret propedièm circumducturus. Addebant hæc ſibi nuntiata per Litteras Philippi Presbyteri, à Celeſtino Pontifice Legati ad eandem Synodum. Et certè Xiſtus fuit facilioris ingenii. Quod enim adhuc Presbyter Pelagianis circumſcriptus aliquando faverit, diſcimus ex litteris Sancti Auguſtini. Hinc in præſentis examinis exordio poſſit etiam cespitaſſe: Philippus Presbyter poſſit iſtud ſcripſiſſe ad aliquem Orientis Epiſcopum. Quidquid ſit, poſt plenè audita omnia tulit juſtum Judicium. Notanda ſunt S. Cyrilli verba: *Omnia illius Geſta confirmavit*. Non Pacis, ſed Epheſinæ Synodi. Quoſdam pacis articulos circumduxit. Epheſina Acta fuerant à S.



Celeſtino confirmata: Cur igitur eadem denuò confirmavit Xiſtus? Reſpondeo, ob præſentem Appellationem. Hæc perſuaſit illa retractari, ideoque & denuò confirmari.

## CAPUT CXVIII. --206

*Multa inter has Epiſtolas abſtuli, quæ ex ſua perſona intulit Irenæus. Sed hæc, quæ ſequuntur, ab eo dicta non inutilia, ſicut cætera, credens, ad hoc præcipuè tranſtuli, ut homo Neſtorii ſequaciſſimus, quam ſe hoſtiliter habeat ad ea, quæ in Epiſtola Ibæ, quæ ad Marim Perſam cunctis ſuæ regionis innoteſcenda facta eſt, continentur, ſicut & de aliis ſtudiis fautorum prædicti, ſatis appareat.*

COmpoſitores, inquit, oportebat revera, ut ne hoc quidem præterirent iſti Propugnatores veritatis egregii, quatenus univerſa, quæ erant agenda, implentes, inconcuſſam propriam Conſcientiam cuſtodirent. Nec enim Rex Cœlorum plus à nobis exigit, quam Propoſitum. Ad quod reſpiciens & bravia donat, & mercedes deputat, & exigit ultiones. Et hujus quidem rei Abraham Patriarcha eſt teſtis. Qui nec filio eſt privatus & maximam illam pro Sacrificio mercedem recepit. Illius verò ille, cui creditum talenti negotium: Quem quia id neglexit tantummodò, tormentis deputavit, oſtendens damnum, quod ex eorum, quæ in nobis ſunt, negligentia ſuſtinemus. Quæ iſti Deo Amiciſſimi Paſtores memoria retinentes, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, dum certè jam comperiſſent, quod deceptus jam Cyrilli verſutiis, qui Romanæ Eccleſiæ præſidebat adversùs Neſtorii perſonam calumnias perverſis reprehenſionibus approbaſſet, Legatos tamen ad Occidentem impigrè direxerunt, manifeſtaſque fecerunt hujuſmodi fraudes quæ in hanc cauſam etiam de recenti fuerant paratæ. Hoc idem verò mox & magnus fecit Alexander, accuſans illas impias pactiones, quæ ſuper alia incongrua & in fide auxerunt diſcordiam. Non ſolùm ſi quidem quia per ea, quibus interluſerunt, fœdera iſti mirabiles, extincta non eſt Orientalium contra Ægyptium rixa, ſed & omnes contra invicem ſunt diviſæ, præcipuè Orientis Eccleſiæ, occaſione diſſenſionis accepta ab hac falſi nominis pace. Quod autem illa, non pax, ſed potiùs piæ concordiæ diſſipatio, & cunctis pugnis deterior fuerit, ſufficiunt quidem & ſupra ſcripta declarare. Clarius verò multis ipſe rem prædicat.



Digitized by Google

## SCHOLION.

HIc Irenæi ad duas præcedentes epiſtolas Commentarius docet plura. Primò, quod Eutberius ac Helladius non ſoli Romanam Sedem appellaverint, ac per Legatos acceſſerint, ſed idem poſt eos fecerit Alexander Hierapolitanus. Nempe adimplevit preces, quas iſti ad ipſum fecerant: *Dirigatis aliquos cum commani hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis Epiſcopos.* Secundò, quod Alexander id non ſtatim fecerit, ſed poſtquam Orientalium Epiſcoporum ob initam pacem diſcordia exarſerat in plenam flammam. Et banc omnem Xiſto expoſuit. Verùm Pontifex non exaudivit: Perſtitit in ſuis Decretis. Etenim Alexander fuit tandem ejectus è ſua Eccleſia, ac relegatus in Ægyptum. Interim Irenæus ipſum non ſine fundamento inſcribit *Magnum*. Fuit reverà Vir magnarum Virtutum. Occulto, attamen juſto Dei judicio lapſus eſt, ſi non in hæreſim, tamen in Schiſmaticam pertinaciam.

Notanda ſunt Irenæi verba: *Cum comperiſſent, quod deceptus Cyrilli verſutiis, qui Romanæ Eccleſiæ præſidebat., adverſus Neſtorii perſonam calumnias approbaſſet.* Affirmant non niſi poſt confirmatam à Xiſto pacem fuiſſe appellatum. Nempe ab Alexandro, & aliis Epiſcopis. Quod enim Eutbeſius ac Helladius ante confirmationem provocaverint, eſt manifeſtum. Interim hinc diſcimus, quod à malè informato Pontifice ad melius informandum appellate, ſeu Apoſtolici Judicii retractationem non à generali Synodo, ſed ab ipſo eodem Pontifice, aut ejus Succeſſore poſtulare, ſit etiam antiquiſſimum. Præſens Alexandri exemplum eſt planè eximium. Etiam diſcimus, quod ipſe item Irenæus, licet Neſtorianus, ideoque averſus ab Apoſtolica Sede, Romanas Appellationes probaverit. Et quidem juxta formam Sardicenſem. Nempe circa iſtam veritatem ceſpitare erat Euſebianum.

Quis ad præſentem Irenæi Commentarium fecerit Epigraphen, ignoro. Fuit harum Epiſtolarum ex Acæmetenſis Monaſterii Codice Collector. Dolendum eſt, quod ex his epiſtolis plura ſimilia prætermiſerit. Interim nos docet Irenæum fuiſſe pertinaciſſimum Neſtorii ſectatorem, ideoque nunquam correctum. Notanda ſunt hæc verba: *Quàm ſe hoſtiliter habeat ad ea, quæ in Epiſtola Ibæ, quæ ad Marim Perſam, cunctis ſuæ Regionis innoteſcenda, facta eſt, continentur.* Docent, quod Irenæus ac ejus complices iſtam etiam Epiſtolam damnaverint. Nempe Epiſtola laudabat pacem, purgabat Cyrillum, & admittebat degradationem Neſtorii. Ex quo vides infelicem hanc Epiſtolam non ſolis Eutychianis, ſed ipſis etiam Neſtorianis diſplicuiſſe.

## CAPUT CXIX. —207

*Domino*, inquit, *meo per omnia Deo Amiciſſimo, & Sanctiſſimo Epiſcopo Alexandro, Theodoreto, Abbibo, Heliadi, Mari, Davidi, Acilino Meletius.*

DIgnum & gratum eſt veſtræ Sanctitatis etiam præſens ſtudium. Et gratum Domino Chriſto, qui nobis ſpeculatores hujuſmodi in præſenti quoque largitus eſt, ut ad eos intendentes habeamus qualiter, prout eſt in tanta hujus vitæ tempeſtate poſſibile, noſtra itinera dirigamus. Non enim noſtra ſunt cuncta, ſed ejus qui continet univerſa. Sat eſt nobis ut vel intentione ſincera, ſi nihil amplius, contendere valeamus, ad quam reſpiciens omnium Dominus præſtiturus eſt, utique veſtræ Sanctitatis orationibus, ut nec triplicibus voluminibus ſubmergamur. Eos quidem, qui ad Occidentem directi ſunt, Deo Amiciſſimos Clericos ita ſuſcepimus, ut conſequens erat noſtros, & qui pro tali cauſa ſunt deſtinati. Quos etiam dimiſimus, ut per gratiam Dei ad ulteriora procedant. Feſtinamus autem, ſi Dominus annuerit orationibus veſtræ Sanctitatis, & nos ſimilia gerere: Quia oportet omninò ut offeramus & nos, quæ credimus expedire. Forſan enim volens Deus amplius probare eos, qui ſe ſunt digni, & redarguere noxios, permiſit uſque adeò Adverſarios creſcere. Erit verò id his, qui benè certant, non ad defectum meriti: Quomodò enim fieri hoc poteſt, dum futuram magis coronam provideat? Sed potiùs ad animarum erectionem, eò quod opportunum tempus invenerint ad ſui Propoſiti virtutes oſtendendas, & ad eam quam quieti meditabantur, fortitudinem. Sicut & hi, ut arbitror, qui aliter priùs aliter certant poſt ea ſtudia.

## SCHOLION.

HUjus Epiſtolæ auctor eſt Meletius Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus. Et miſſi in Occidentem Legati fuerunt non ab Helladio ac Eutherio, ſed manifeſtè ab Alexandro Hierapolita, ac univerſa Synodo Euphrateſiæ Provinciæ. Alioquin exercitam in iſtorum Legatos hoſpitalitatem Meletius non ad Alexandrum ac ejus Suffraganeos, ſed ad illos referre debuerat. Deinde iſtorum Legati fuerunt Clerici ac Monachi; hi verò ſunt ſoli Clerici. Prætereà ſecundæ Cappadociæ Legati, ut Romam irent, tranſire non debebant per ſecundam Ciliciam. Epiſtola docet primò, quod non ſolus Alexander, ſed inſuper cuncta ejus provincia Romam appella-

Digitized by Google

appellaverit. Secundò, quod cauſam uon poſtularit delegari in Partibus, ſed voluerit Romæ diſcuti per Papam. Tertiò, quod etiam Meletius Appellatiouem probaverit, ac ei ſe adjunxerit. Et hic rurſum vides, quod etiam Theodoretus tunc appellaverit.

---

## CAPUT CXX. —208

*Deo Amiciſſimo*, inquit, *ſecundùm veritatem, & Sanctiſſimo Patri Epiſcopo Neſtorio Theodoretus.*

QUod habitare in villa non metuam, & obſequi Regulæ, & excelſi Throni non ſim deſiderio compeditus, tuam noſſe arbitror Sanctitatem. Nam ſi & aliud nihil, ſaltem ſollicitudo civitatis, cujus gubernacula ſum ſortitus, ſatis eſt ad docendum me hanc Philoſophiam. Prætet ipſam ſiquidem ſollicitudinem, & cauſarum turbas plurimas, habet quæ ſufficiunt ad abigendum eos quoque, qui nimis talibus gaudent. Nullus igitut Religioſitati tuæ ſuadeat, quod ego Præſulatus amore oculos claudens, idcircò ut Orthodoxas ſuſceperim litteras ab Ægypto. Dico enim, ſicut coram veritate ipſa, frequenter eis perlectis, ſubtiliterque diſcuſſis, inveni ab illa eas hæretica amaritudine liberas. Eaſque timui ullo modo maculare. Dum certè oderim, non minùs aliis, illarum Patrem, ſicut totius Mundi perturbationis Authorem. Et ſpero non me ſoluturum pœnas ob hoc in die judicii. Quia juſtus judex eſt inſpector intentionis. His autem, quæ coutra tuam injuſtè & iniquè facta ſunt Sanctitatem, nec ſi ambas manus meas quilibet abſcindat, patior aſſentire: Procul dubio Divina mihi cooperante gratia, & animæ imbecillitatem roborante. Et hoc manifeſtum feci & illis per litteras, qui exigere nitebantur. Direxi verò & Sanctitati tuæ eorum, quæ illis reſpondi, Reſcripta: Ut agnoſcas, quia Divino nutu à nullo ſumus tempore permutati, neque multipedes aut chamaleontes oſtendi, quorum hi quidem petras, illi verò ſolia, quibus adhæſerint, colore imitantur. Omnem, quæ cum tua Religioſitate eſt in Chriſto, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola exſtat in quinta Synodo. Hæc Caſſinenſis eſt alia tranſlatio, ideoque fuit nou prætermittenda. Docet primò, quod Neſtorius etiam poſt initam, ac ab Apoſtolica Sedu confirmatam pacem manſerit pertinax; imò quod ſuæ reparationis ſpem nou depoſuerit. Secundò, quod quidam Orientales Epiſcopi nou deſieriut cum ipſo familiaritatem fovere per Epiſtolas. Tertiò, quod horum aliquis apud ipſum accuſaverit Theodoretum, tanquam qui veteris amicitiæ ac frequentis promiſſionis prævaricator, ex retinendi Epiſcopatus amore damuatiouem ejus admiſerit. Illum accuſarunt, quod iſto amore circumſcriptus Cyrilli litteras, quas hæreticas noverat, contra ſuæ conſcientiæ judicium dixerit & ſcripſerit Orthodoxas. Agitur præſertim de duabus Sancti Cyrilli Epiſtolis: Videlicet de illa, quam ante Pauli Emeſeni Legationem reſcripſit Berrhæenſi Acacio, & de Pacificatoria epiſtola, quam poſt concluſam pacem per præfatum Paulum reſcripſit Joanni Antjocheno.

Quin ambas Epiſtolas Neſtorius habuerit, non eſt dubitandum. Item dubitandum non eſt quin ipſas judicaverit hæreticas. Hinc enim Theodoretum arguit, quod ipſas probans ac ſuſcipiens contra veritatem clauſiſſet oculos. Ex quo patet ipſum perſtitiſſe durum in hæreſi. Theodoretus ipſi reſpondit quatuor. Primò, quod nulla retinendi Epiſcopatus ducatur libidine. Utpote qui ab illa abundè purgatus ſit per ſuæ Civitatis regimen: Per multas difficultates iſtius Regiminis. Sanctus Cyrillus in ſuæ adversùm Theodoreti calumnias Apologiæ præfatione, ſcribit Cyrum fuiſſe Civitatulam: Quidquid ſit, fuiſſe Diœceſim inſigniter vaſtam, & gravibus obnoxiam laboribus, Theodoretus frequenter oſtendit in ſuis Epiſtolis, affirmans illi fuiſſe octingentas Parochiales Eccleſias. Secundò reſpondet Cyrilli litteras eſſe omninò Orthodoxas, & ſe ab illo judicio non poſſe recedere. Tertiò, quod nihilominùs Cyrillum non diligat: Quod illum oderit utì totius Mundi perturbatorem. Et adjungit: *Et ſpero non me ſoluturum pœnas ob hoc in die judicii. Quia juſtus Judex eſt inſpector intentionis.* Haud dubiè reſpicit Cyrilli Capitula. Ea enim eſt hoſtiliter inſecutus uſque ad ultimùm vitæ ſpiritum. Nam & Domuo Antiochiæ Patriarchæ, ad ſecundam Epheſinam Synodum profecturo, oſtendit ipſa pluſquam à quinquaginta Synodis eſſe damuata, & poſt varia concludit: *Ipſe etiam Beatus Cyrillus, cùm ad Beatum Acacium* Epiſt. 112. *ſcriberet, Capitulorum illorum ſcopum indicavit dicens; hæc adversùm hujus Novitates ſcripſimus, & pace facta declarabuntur. Ipſa ergò defenſio accuſationem confirmat. Miſi autem illorum, quæ ab eodem Pacificationis tempore ſcripta ſunt, exemplum, ut cognoſcas nullam horum mentionem feciſſe: Et quod oporteat illos, qui ad Synodum proficiſcuntur, ea quæ Pacificationis tempore ſcripta ſunt, proferre, & apertè dicere, quaenam diſſidium fecerint, & quo pacto divulſa coalaerint. Hos enim, qui ad tuendam pietatem vocantur, laborem omnem ſuſcipere oportet, Divinumque auxilium invocare, ut relictam nobis à Majoribus hæreditatem intactam conſervemus.* Hæc & plura ibidem alia tanto impetu ſcribit, quod rumor ferret Dioſcorum Ale-

xandriæ Patriarcham, Cyrilli ſucceſſorem, omnibus nervis conaturum, ut iſtam Synodum inducat ad canonizanda Capitula. Et quidem in ſenſu Eutychiano, quem Theodoretus firmè cenſebat eſſe etiam Cyrillianum. Quod etiam poſt Chalcedonenſem Synodum permanſerit in ipſo ſenſu, videtur non dubitandum. In Conſtantinopolitana cum Severianis Epiſcopis Collatione dixit Hypatius Epheſinus Epiſcopus: *Sed & invenimus in Theodoreti litteris, quas ad Dioſcorum fecit, quia & ſecundò in his, quæ contrà Neſtorium ſcripta ſunt, ſcripſerit. Et quando contra Julianum conſcripſit, Libros ipſos deſtinavit in Antiochiam beatus Cyrillus, & rogavit beatum Joannem oſtendere illos Orientalibus præclaris Doctoribus. Et quia oſtenſis eis ſcripſit ei Theodoretus, & reſcripſit ei beatus Cyrillus, & diligentiam & affectum ei teſtificans. Et quia duas ab ipſo accipit affectuoſas Epiſtolas, quæ & cuſtodiuntur apud eum, nullam de eo contumeliam deſignantes.*

Credo hæc omnia eſſe veriſſima: Attamen præſens Epiſtola demonſtrat interiorem Theodoreti animum. Et hinc quartò reſpondit; Quod Neſtorii damnationem nunquam admiſerit. Addit ſe circa hunc articulum pertuliſſe acerbas injurias, at ſemper conſtanti animo reſpondiſſe. Et omnium Litterarum copiam tranſmiſiſſe Neſtorio. Haud dubiè erant Litteræ præſentis Caſſinenſis Codicis. Attamen in Chalcedonenſi Synodo ſolemniter admiſit Neſtorii Damnationem, ac ejus Perſonam anathematizavit. Ex quo loco Neſtorius præfata ad Theodoretum ac alios ſcripſerit, ignoro. Certè erat tunc extractus ex Monaſterio, ac deportatus in Oaſim: Proinde, vel ex itinere ſcripſit, vel ex ipſa Oaſi.

## CAPUT CXXI. —209

*Ea quæ reſcripta ſunt*, inquit, *ad Prophetam de ea, quæ dicitur Ægyptii pœnitentia. Vel ſi veram quis putet, vel ſi fictam Ægyptii pœnitentiam, mihi utique plurimum eſt odium contra eam.*

ODi enim fictam, ſicut hypocriſin meretricis, honeſtam faciem præferentis. Abominor verò eam, quæ vera nominatur, ut immaturam, ſimilemque circa Eſau pœnitentiam, quæ valdè & eum, quem correxiſſe videtur, accuſat. Eò quod de priſtinis malis, quaſi de bonis inſultet, & illa ſolum digna ſit voce Prophetica: *Væ qui vocat amarum dulce, & dulce amarum.* At ille conditiones contra Orthodoxos, quaſi mercedem, qua peccantibus veniam dederit, ita proponit. Et dum propoſuit, celeri eſt adoratus aſſenſu. Quaſi Dominus miſericordiæ loquens, qui ab adorantibus ſe, tanquam veniam perceperint, diffamatur. Et miſit per eos ſatisfactionis pœnitentiam, multis lachrymis plenam, & ad eos, qui ei clementiam donaverunt, ita loquentem: *Quia ſupervacua omninò, & inopportuna Eccleſiarum diſcordia facta eſt.* Nunc præcipuè ab eo ſatisfactum. Quis non ei, ſicut miſericordia digna loquenti, miſereri queat? Aut veniam lugenti non præſtet? Penè enim genua tangens, & lachrymis utens pro litteris, his qui eum depoſuerant, clamat: *Superflua & vana ſunt quæ feciſtis, & occaſione rationabili nuda. Sed ego de vobis ſubtiliter perſuaſus fero ſententiam.* Multum ejus, qui deliquit, obſequium circa eos, qui extitere clementes, irrationabiles eos integerrimè, ac non ambiguè appellantis. Nunc quippè, inquit, *Vana.* Sic maximè mihi eſt ſatisfactum, quod vana ſint & ſuperflua, quæ feciſtis. Ea enim, ait, quæ mea ſunt ſentientes, imperitè hactenùs facienda ſubſpicabamini me à vobis diverſa ſenſiſſe. Et pœnitentiæ quidem ipſius tale eſt proœmium.

Poſt pauca verò iſtæ ſunt ejus voces ampliùs compunctivæ pœnitentis: *Chartam nobis*, inquit, *ille porrexit, irreprehenſibilem confeſſionem fidei continentem.* Vide pompam, quæſo, uniuſcujuſque ſermonis, quæ cum Diaboli eſt damnata ſuperbia. *Chartam* dixit, & ei nec litterarum nomen donare dignatus eſt. Et addidit: *Nobis porrexit.* Et ad judicandum rogatus extollitur. Et adjecit: *Irreprehenſibilem confeſſionem fidei continentem.* Tamquam parcens aliquid infamatis, irreprehenſibiles eos decernit. Et hoc poſt iſta declamans: *Quam Chartulam ille*, inquit, *à te affirmabat eſſe compoſitam, & ab eis Deo Amiciſſimis Epiſcopis, qui illic ſunt.* Quid eſt aliud quod ait, niſi ac ſi diceret: Diffidebam quidem dogmatis apud vos eſſe irreprehenſibilem fidem; depoſui verò ſuſpicionem, quam contra vos habui, eò quod eſſetis de impietate dogmatum diffamati, juranti plurimùm illi, qui mihi chartam obtulit, credens, & quod non falleret affirmanti. Quomodo igitur aliquis inſultantis, quaſi ipſe magis ignoverit, pervicacium putet pœnitentiam? Sed forſan ſuperat quidem ut juſtè damnatus, ne ſalvari videatur. Progrediens verò expoſuit veritatem.

Videamus ergò, ſi placet, & ſequentia litterarum. Et priùs quidem ad medium deducamus primum bonæ hujus circa eos pœnitentiæ Capitulum: *Si de cœlo*, inquit, *& non ex Virgine ſanctum Corpus dicimus factum Salvatoris omnium Chriſti, quomodò jam Dei Genitrix intelligitur? Quem namque omninò non peperit, niſi verum ſit, quod Emmanuel genuerit ſecundùm carnem.* Hæ voces ejus & inſenſatæ, & blaſphemæ plurimùm ſunt. Inſenſatæ quidem, quia ut benè dici demonſtret carnem non eſſe de cœlo, utitur hac voce, qua Dei Genitrix nominatur. Qui per omnia immurmurat auribus omnium, quod majus eſt deceat appellari. Si igitur ampliùs eſt *Genitricem Dei* vocari, quomodo majoris nomen id, quod minus eſt, deſignet? Qualiter verò ille,

qui

Google

qui eam vocem, quæ eſt *Emmanuel*, tanquam Divinitatis, quæ ex Virgine nata eſt, Dei Verbi ſignificativam accipiens, dum Propheticum teſtimonium profert, & frequenter ſursùm ac deorſum clamat de Virgine, *Genuit ſecundùm carnem Emmanuelem*, nunc humanitatis partus ſignificationem ſuſcepit hoc nomen? *Theotoces* nomen quare prætulit *Emmanuelis* nomini, ut nomen Verbi tantummodò, vel tantummodò Deitatis partæ de Virgine? Si verò *Emmanuelis* vocabulo Verbum, quod partum eſt, ſignificari dicit, eò quod idem vocabulum prædicet *Nobiſcum Deus*, quare rursùs id ipſum, ut non Deitatis, ſed carnis, quæ eſt ex Virgine, ſignificativum dicit, & proclamat quaſdam voces ſibimetipſis contrarias? Et hoc quidem demonſtratio eſt eorum, quæ ab ipſo ſunt dicta, dementiæ.

Verùm repetens eaſdem voces cerne etiam, quanta ſit blaſphemia: *Si enim de Cœlo*, inquit, *& non ex Virgine ſanctum Corpus dicimus factum, quomodò jam Dei Genitrix intelligitur? Quem namque omninò non peperit, niſi verum ſit, quod Emmanuelem genuerit ſecundùm carnem*. Non perterretur veſanis hominibus prædicans, quia Dei nomen ſignificatione eſt Genituræ carnalis, ita ut Carnis Genitrix ſit *Dei Genitrix*. Quod ergo ſit nomen Divinitatis illius, quæ unita eſt carni, & quæ eſt cum genita carne, ſi dum *Dei Genitrix* dicitur, illius eſt vocabulum partus, qui conſubſtantialis eſt Virgini? Alterum è duobus: Aut Deus Verbum ſignificatur, cum Dei Genitrix dicitur, & hinc abſque nomine Carnis eſt partus; aut ſi *Dei Genitricis* nomen conſtitutivum Carnis eſt, circa ipſum ergo idem eſt Carnis Genitrix, quod Dei Genitrix. Et quomodò ei ſtabit, quod ait: *Genuit ſecundùm Carnem Emmanuelem?* Niſi fortè dixerit quod Virgo peperit Carnem ſecundùm Carnem. Præter hæc verò ſuave ducerem requirere illum, quem putet à Propheta Emmanuelem fuiſſe prædicatum? Utrum inſeparabile illud Dei Verbi templum, in quo nobiſcum per opera Deus videbatur; an ipſum propriè Verbum? Nam ſi propriè ipſum Verbum, dixit ab ea, quæ eſt *Emmanuel* appellatione, illud hominem nudum ea, quæ illi indè eſt, dignitate, quem nobis quaſi parum facientibus ſe fingit objicere; ſi verò id ipſum nomen ſoli propriè viſibili deputat, Emmanuelem nobis quaſi alterum quemdam præter Dominum Chriſtum ex Virgine diffamat genitum. Sed hæc quidem nobis hactenùs dicta ſint.

Veniamus verò & ad ſecundam talis pœnitentiæ falſitatem: *E Cœlo*, inquit, *deſcendens Deus Verbum exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & appellatus eſt Filius hominis, cum id, quod erat, maneret, hoc eſt, Deus. Inconvertibilis enim, & immutabilis eſt ſecundùm naturam tanquam unus jam intelligendus cum propria carne*. His occultè proprietates naturarum inſtar fermenti commiſcet. Et cavens quidem conſuetum ſibi *Unius naturæ* vocabulum, ne ſignum notum ſit blaſphemiæ, prout diceret, *Una natura*, interpoſuit: *Tanquam unus. Inconvertibilis enim*, inquit, *& immutabilis eſt Deus Verbum ſecundùm naturam, tanquam unus jam intelligendus cum propria Carne*. Dicit: *Unus, intelligendus cum propria Carne*. Et quod *Unus*, non adjecit. Nec enim dixit, *Unus Filius*, aut *Unus Chriſtus*, aut *Unus Genitus*, aut aliquid tale *intelligendus cum propria Carne*, ne aliam Verbi, & aliam Carnis intelligamus proprietatem. Et evidentiorem nolens in his, quæ ſequuntur, blaſphemiam fecit, dicens: *Nominatus eſt Deus Verbum & homo de Cœlo, perfectus exiſtens in Deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate*. Non dicit: *Perfectus Deus exiſtens in homine perfecto*, ſed *Perfectus exiſtens in Deitate*. Et iterum: *Perfectus idem ipſe in humanitate*. Ut ipſas naturas tanquam partes ponens invicem completivas benè ſonantem naturarum confuſionem auribus intromittat. Propter quod abeo & id, quod eſt *Idem ipſe*, ſupponitur ad occultè fallendum. Non Chriſtus, non Filius idem ipſe, ſed *Verbum nominatum eſt*, inquit, *& homo de cœlo, perfectus idem ipſe in humanitate*. Idcircò & naturarum fecit poſt modicum mentionem, eò quod Orthodoxis ſuave ſit has voces audire.

Et poſt capturæ eſcam inducit confuſionem. Quippe ut qui ſupervacuè naturarum nomine ad ſuſpicionem cavendam eſt uſus erroris. Quid enim dixit? *Et ſi non ignoratur differentia naturarum, ex quibus unitionem diſcimus ineffabilem factam*. Rurſus id quod dixit, *Ex quibus*, tanquam partes ſint invicem naturæ Dominicæ in unum quiddam factæ, ſic addidit. Oportebat namque, ut diceret, non *Ex quibus*, ſed *Quarum dicimus unitionem ineffabilem factam*. Non enim ex naturis, ſed ipſarum naturarum ineffabilis eſt unitio. Taceo quod & carnis per crucem obitum per propriificationem Divinitatis naturæ deputat: Et ſic Divinam ſubſtantiam inducit eſſe paſſibilem. Et quia Verbi dorſum ad verbera datum fuiſſe prædicat. Et nec hoc intelligere poteſt, quia injuriæ ad id, quod Divinum eſt, per propriificationem facta relatio eſt, non autem paſſionum, quæ naturaliter carnis ſunt, facta eſt Divinitati proprietas.

Et hæc non confunditur dicere, qui paulò antè ſacras voces illic dixerat, quæ ita ſe habent: *Scimus verò Deiloquos viros quaſdam quidem vocum communificantes, ut ſuper una perſona, quaſdam verò dividentes, ut ſuper duabus naturis, & Deo quidem dignas ſecundùm Divinitatem Chriſti, humiles verò ſecundùm humanitatem tradentes*. Et iterùm: *Confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum, Deum perfectum, antè ſæcula quidem ex Patre genitum ſecundùm Divinitatem; in ultimis autem diebus ex Maria Virgine ſecundùm humanitatem*. Verùm manifeſtus eſt, quod per neceſſitatem Divinitùs & ineffabiliter ſibi ingeſtam ad iſta conſenſerit: Sicut & Balaam nolens benedixit. Rursùs verò ab ea relaxatus, ad ſemetipſum revertitur, & ad conſuetam confuſionis blaſphemiam. Nuſquam ergo inter verboſitates ſuas apparet de duabis naturis, quod mortua quidem fuerit caro, Deitas verò reſuſcitaverit eam.

Et quid oportet ampliùs in gurgite converſari, qui forſitan nec de his quodcumque dixiſſem, niſi tua me Religioſitas per ſuas litteras excitaſſet? Quid enim mihi commune ſit ad diſcernendum, quis verè, mendaciterve pœnitent, qui apud memetipſum quieſco, & ea quæ ait David, cum voluptate proclamo: *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me?* Ego igitur ſemel ea, quæ ad me attinent, Deo commendans, impietatis hujus vanum laborem derideo, recipere hanc à Divina dextera ſuſtinens ei à me commendatam ſpem, quæ voces illas non audit, quæ indè ineffabiliter emittuntur: *Quia nullus eas rapit de manibus meis*. Gratias verò ago, Deo Amice, miſericordiæ tuæ, quæ ſecundùm Deum tantùm circa nos habet affectum, quem ſemper narramus & aliis, qui culpant fortè aliquid ex ignorantiæ falſitate. Abſit enim, ut tantùm apud nos valere unquam poſſit oblivio, ut obliviſcamur illa certamina, quæ pro recta fide à tua Religioſitate ſunt geſta. Quibus & donaturus eſt utique omnium Dominus ex victoriis adversùs impietatem & hic & in futuro coronam. Non enim eſt piorum Patronus Chriſtus infirmior Patrono impiorum Diabolo. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

## SCHOLION.

HAe de Pœnitentia Sanctus Cyrillus poſt initam pacem ſcripſit ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Si qua Epiſtola à quibuſdam circumferatur, tamquam à me de iis, quæ Epheſi acta ſunt, jam dolente, ac pœnitentiam agente perſcripta, & id quoque contemnatur. Nam per gratiam Salvatoris noſtri, ſana mente ſumus: Neque rationis uſu excidimus*. Quidam Neſtorii, aut certè Orientalis contra Epheſinam Synodum Factionis impœnitentes Defenſores, ne apud Mundi gloriam viderentur malè egiſſe, aut cauſa cecidiſſe, ſparſerunt Cyrillum ad obtinendam pacem pœnituiſſe, ac edidiſſe Libellum pœnitentiæ. Fama fuit adeò conſtans, ut Cyrillus crediderit aliquam ſub ſuo nomine fictam ambulare Epiſtolam: Et adversùs illam munivit Acacium. Verùm fuit deceptus. Clamores iſti Pacificatoriam, à Paulo Emeſeno relatam, Epiſtolam clamarunt eſſe libellum pœnitentiæ. Lucet ex præſenti Irenæi in ipſam Scholio. Ipſo enim invadit iſtam epiſtolam. Exiſtimo eſſe ejus Scholion. Attamen non plenè conſtat. Etenim hæc Tituli verba: *Ea quæ reſcripta ſunt ad Prophetam, de ea, quæ dicitur Egyptii pœnitentia*, inſinuant eſſe alterius. Sequentia verba; *Vel ſi veram quis putet, vel fictam*, non dubitant de auctore, ſed de auctoris mente. Iſtorum enim Clamonum aliqui affirmabant Cyrillum verè ac ex pectore, aliqui ajebant dolosè, ac ſola lingua per iſtas litteras pœnituiſſe. Irenæus, indubitatus Tituli Auctor ridet iſtud dubium. Conſtanter aſſeverat litteras iſtas nequaquam eſſe pœnitentiam, ſed manifeſtam contra omnes Orientales Epiſcopos inſultationem, ideoque ſibi eſſe ſummo odio.

Scholiaſtes eſt ejuſdem mentis. Hinc epiſtolam invadit multis dicteriis. Et primò, rodit hæc ejus verba: *Quia ſupervacua omninò & inopportuna Eccleſiarum diſcordia facta eſt, &c.* Eſt alia epiſtolæ translatio. Etenim vulgata translatio ſic habet: *Quod verò Eccleſiarum diſſenſio ſuperflua prorſus, & citra ullam juſtam cauſam acciderit, id ex Charta, quam Dominus meus Religioſiſſimus Epiſcopus Paulus nunc attulit, evidenter cognoſcimus, quæ irreprehenſibilem continet fidei confeſſionem, eamque cum à tua Sanctitate, tum à cæteris quoque Religioſiſſimis Epiſcopis, qui illic degunt, compoſitam aſſerebat.* Hæc omnia verba Scholiaſtes peſſimè invadit, & tandem concludit: *Quomodò igitur aliquis Inſultantis, quaſi ipſe magis ignoverit, pervicaciam putet pœnitentiam?* Affirmat eſſe Pœnitentiam talem, qualem & Eſau habuit, quæ eum, quem correxiſſe videbatur, graviter accuſabat: Eſſe pœnitentiam, quæ de operibus malis, quaſi de bonis inſultet. Quæ inſultet cunctis Orientalibus Epiſcopis, quaſi illis dederit patratorum Epheſi peccatorum veniam. Et reverà Sanctus Cyrillus dederat illis veniam. At iſtam lucidam veritatem ſuperbus Irenæi & Symmiſtarum ſtomachus non poterat digerere. Volebat Cyrillo dediſſe veniam: Et ex iſta gloria apud omnem Mundum fumare.

Scholiaſtes ſecundò affirmat hanc pœnitentiam non dumtaxat eſſe falſam, ac inſultabundam; ſed etiam pertinaciter perſiſtere in ſuis erroribus. Omnis contra Sanctum Cyrillum calumnia erat, quod ejus Capitula continerent ac reſuſcitarent Apollinarium. Scholiaſtes affirmat eadem omnia contineri in Pacificatoria epiſtola. Omnem ejus Apologiam eſſe doloſam. Et demonſtrare tentat per varios articulos. Primus eſt in his Epiſtolæ Verbis: *Si de Cœlo, & non ex Virgine Sanctum Corpus dicimus factum, quomodò jam Dei Genitrix intelligitur?* Eſt lucida demonſtratio. Scholiaſtes nihilominus affirmat eſſe voces inſenſatas, ac ſibi invicem non cohærere. Cenſet enim, quod Sanctus Cyrillus ipſam Verbi Divinitatem affirmet natam de Virgine, ideoque inde non ſequi natam & ipſam carnem. At iſte ſenſus eſt hebes & inſenſata calumnia.

Secundus Articulus ſunt hæc verba: *Quem*, Deum Verbum, *omnino non peperit; niſi verum ſit, quod Emmanuel genuerit ſecundum carnem.* Scholiaſtes Cyrillum circa vocem, *Emmanuel*, arguit inconſtantiæ & contradictionis: Quod ipſam nunc Divinitatis, nunc dicat ſignificativam Humanitatis. Secundò, quod omnium auribus immurmurans Digniſſimum Sacræ Virginis Titulum eſſe *Deipara*, ideoque illam eſſe ſemper eo donandam, jam recedat ab illa regula, dicens ipſam eſſe matrem Emmanuelis ſecundum Carnem. Quod probaret voces ſibi-metipſis contrarias. Quæ eſt demonſtratio dementiæ. Et multa in iſtum ſcopum conglomerat. Imperita & maligna. Eſt fœda cavillatio. Quis enim neſciat vocem,

vocem, *Emmanuel*, eſſe ſignificativam utriuſque naturæ, ideoqne aliquando pro ntraque, aliquando dumtaxat pro altera poſſe & ſolere uſurpari?

Tertius Articulus eſt, in qno Sanctus Cyrillus duas Domini Naturas & perſonæ nnitatem inſigniter profitetur, & concludit: *Tanquam unus jam intelligendus cum propria carne*. Audi Scholiaſten: Cyrillus *bis occultè proprietates naturarum inſtar fermenti commiſcet. Et cavens quidem conſuetum ſibi unius naturæ vocabulum, nè ſignum notum ſit blaſphemiæ, prout diceret, una natura, interpoſuit: Tanquam unus. Dicit, unus intelligendus cum propria carne. Et quid unus non adjecit*. Affirmat quod iſtnd *quid* doloſè non adjecerit. Quoniam Dominum velit eſſe non hypoſtaſi unum, ſed natura. Fœdè calumniatur. Etenim Sanctus Cyrillus nunquam dixit eſſe unicam in Domino naturam, aut illum eſſe nnius naturæ. Adeò illud non conſuevit. Conſuevit quidem dicere Domini eſſe nnicam Dei Verbi naturam incarnatam; Aſt iſtud verbum longiſſimè diſtat ab illo alio. Scholiaſtes etiam fœdè errat. Etenim non intelligit latiſſimum diſcrimen inter hos articulos: *Dominus cum ſua carne eſt unus: Dominus cum ſua carne eſt unum*. Poſterior naturæ, prior propoſitio importat nnitatem perſonæ. Et apud Latinos & apud Græcos. Hine Sanctus Cyrillns addere non debuit: *Quid unus*.

Quartus articulus eſt: *Perfectus exiſtens in Deitate, perfectus idem ipſe in humanitate*: Audi Scholiaſten: *Cyrillus non dicit, perfectus Deus exiſtens in homine perfecto, ſed perfectus exiſtens in Deitate*. Et iterum: *Perfectus idem ipſe in humanitate. Ut ipſas naturas tanquam partes ponens invicem complectivas, benè ſonantem naturarum confuſionem auribus intromittat. Propter quod & ab eo* id, *quod eſt* idem ipſe, *ſupponitur ad occultè fallendum*. Accuſat Cyrillum de vario dolo ac errore. Primò, quod duas naturas doloſè prædicet. Ac iterum erroneè: Quod eas prædicet non tanquam qualeſcumque ejuſdem Perſonæ partes, ſed tanquam partes invicem completivas, ideoque non unicam dumtaxat hypoſtaſim conſtituentes, ſed inſuper unicam compoſitam naturam. Secundò, quod id faciat eructans odioſum ac manifeſtè hæreticum confuſionis vocabulum: Ut confuſionis blaſphemiam faciat rectè ſoeare, atque ita ipſam introducat in ſimplices fidelis populi anres. Tertiò, quod eadem arte & ad eundem finem utatur his vocibus: *Idem ipſe*. Reſpondeo eſſe calumnioſiſſimam ſuſpicionem. Etenim voces, *Idem ipſe*, utpote ambæ maſculini generis palam important nequaquam naturæ identitatem, ſed ſolius hypoſtaſis. Et quod Sanctus Cyrillus Domini natnras nequaqnam dixerit ſui invicem completivas, eſt meridiana luce clariùs: Aſſiduè clamat & inculcat ambas eſſe perfectas. Porrò hæc propoſitio, *Perfectus Deus exiſtit in homine perfectó*, eſt doloſus calceus, aptiſſimus Neſtorii pedibus. Pleniſſimè enim verificatur ab inexiſtentia per ſolam inhabitationis gratiam.

Quintus articulus eſt, quo Sanctus Cyrillus dicit Dominum *eſſe ex duabus naturis*. Quod dicat duas naturas, *ex quibus facta ſit ineffabilis unio*. Scholiaſtes vult dicendum fuiſſe: *Quarum facta eſt ineffabilis unio*. Hujns calumniæ radicem aperuerunt in Conſtantinopolitana Collatione Epiſcopi Severianorum: *Ex duabus naturis Dominum dicere, ſignificat unam Dei Verbi naturam incarnatam, ſecundum Beatum Cyrillum ac Sanctos Patres, in duabus autem naturis, ſignificat duas Perſonas, & duas ſubſiſtentias*. Apollinariſtæ ac Eutychiani voces, *ex duabus naturis*, ſemper dilexerunt; voces, *in duabus naturis*, acerbè averſati: Ex adverſo autem Paulus Samoſatenſis, Theodorus Mopſueſtenus, Neſtorius, ac eorum Symmiſtæ ſemper dilexerunt has, iſtas deteſtati. Hinc enim Severus, omnium Eutychianorum nequiſſimus, ſcripſit: *Anathematizandi ſunt, qui in duabus naturis definiunt unum Chriſtum*. Epiſtolæ fragmentum exſtat in ſexto Concilio. Et ex iſto principio omnis iſta Factio Anathema dixit etiam Dogmaticæ Sanctis Leonis epiſtolæ, immò & Chalcedonenſi Concilio. Præſens Scholiaſtes eſt profeſſus Neſtorianus: Hinc propter voces, *ex duabus naturis*, damnat Pacificatoriam Sancti Cyrilli epiſtolam. Omnes malè. Etenim utraque vox eſt recta. Et rectiſſimè conjunguntur. Ita enim altera alteram elucidat, ac divertit pravæ ſnſpicionis pericula. Ex hinc utramque ſimul Chalcedonenſis Synodus poſuit in definitione ſuæ fidei. Ambæ ſunt frequentiſſimè apud Patres ntriuſque Eccleſiæ.

Sextus articulns ſnnt verba: *Cum propria carne*. Scholiaſtes præſertim odit, quod Sanctus Cyrillus ex appropriata ad Verbi Hypoſtaſin carne inferat ac verificet hanc propoſitionem: *Deus Verbum eſt paſſus, crucifixus, mortuus*. Hinc ſcribit: *Taceo quod & carnis per crucem obitum per propriificationem Divinitatis naturæ deputet, & ſic Divinam ſubſiſtentiam inducit eſſe paſſibilem. Et quia Verbi dorſum ad verbera datum fuiſſe prædicat. Et nec hoc intelligere poteſt, quia injuriæ ad id, quod Divinum eſt, per Propriificationem facta relatio eſt, non autem paſſionum, quæ naturaliter carnis ſunt, facta eſt Divinitati proprietas*. Admittit proprietatem, ſeu propriificationem carnis ad Verbum, & diſtinguit inflictas carnis paſſiones ac illi irrogatas injurias: Has ſolas, nequaquam iſtas affirmat per propriificationem referri in Verbum. Cyrillum graviter arguit, quod ambas in Verbum refundat, ideoque ſnſtineat has propoſitiones: Deus Verbum eſt crucifixus, paſſus, & mortuus. Affirmat eas verificari non poſſe, niſi per intrinſecam Divinæ Subſtantiæ paſſibilitatem. Quæ omnia docuit etiam Eutherius Thyanenſis Epiſcopns, tam in ſuperiùs adductis ad Joannem Antiochennm Patriarcham litteris, quam in opere illo, quod exſtat inter opera Sancti Athanaſii.

Eandem pacis epiſtolam non ſolus Irenæus ac ejus Symmiſtæ culparunt, ſed etiam quidam Apollinariſtæ, aut potius Eutychiani, de quibus in Conſtantinopolitana Collatione dixit ad Severianos Antiſtites Hypatius, Epheſinus Epiſcopus: *Vos non ſuſpicamur, ſed antiquos Hæreticos Apollinariſtas, qui Cyrillum reprehendunt in epiſtola*,

*la, quam ad Orientales pro unione & pace de duabus naturis ſcripſit*. Culparunt ex alio & alio Capite: Irenæus ac ejus Symmiſtæ Apollinariſticam, at verò quidam Eutychiani dixerunt Neſtorianam. Ambo ſine fundamento. Etenim hæc pacis epiſtola eſt tantæ Authoritatis, ut ipſam Chalcedonenſis Synodus probarit, ac ſuam fecerit in ipſa definitione fidei: *Præſens Sancta, & magna, & univerſalis Synodus Epiſtolas Synodicas Beatiſſimi Cyrilli, Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis, ad Neſtorium, & ad Orientales, congruenter habentes ſuſcepit*. Eandem ſibi curavit ſolemniter prælegi, & ad ipſam auditam omnes Epiſcopi exclamarunt: *Omnes ſic credimus. Sicut Cyrillus ita credimus. Æterna memoria Cyrilli. Sicut epiſtolæ Cyrilli habent, ita ſapimus. Sic credidimus, ſic credimus*. Eaſdem litteras plena Synodus canonizavit in ſermone ad Principem. Et hoc judicium conſtantiſſimè ſemper tenuit, ac religioſiſſimè ſemper veneratа eſt omnis ſub cœlo Eccleſia. Sanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in Synodica ſuæ conſecrationis epiſtola, quam Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano tranſmiſit, affirmat illam fuiſſe Cyrillo dictatam à Spiritu Sancto.

## CAPUT CXXII. —210

*Domino meo Reverendiſſimo, & Dei Colentiſſimo Comminiſtratori Theodoreto Epiſcopo Joannes in Domino ſalutem.*

QUoniam quæ inter nos olim Deo tantùm mediante placuerunt, pro tua munitione & exiſtimatione etiam in Scripto à nobis dari tuæ Sanctitati poſtulaſti, Deo Amiciſſime Frater, promittens ſub teſtimonio Dei nulli interim hæc prodenda, niſi fortè poſt hæc tempus exegerit atque neceſſitas, utile arbitratus ſum, ut has litteras ad tuam ſcriberem Sanctitatem. Undè Divina gratia complacente, omnem poteſtatem tuæ tradidi Sanctitati, uti fiducialiter machinationibus atque diſpenſationibus, ut Fratres noſtros, qui à noſtra unitione diſciſſi ſunt, ſuorum membrorum coaptatione rejungas: Ut ſciens Divinitati eſſe complacitum omnibus ad hoc uti modis, univerſiſque, prout eſt poſſibile, conſiliis in eam cauſam ita uti ad eos, ſi ita oportuerit, leniendos, ſeu molliendos. Et hoc fieri mihi nullam ingeret contriſtationem, ſicut confiteor coram Deo. Dico autem, etiamſi videar apud illos à tua Charitate & contumeliis affici. Nam quid tam magnum ſe putet aliquis ſuſtinere pro tot & talium Fratrum ſalute & pace, quando ipſe omnium Dominus, unicus filius Dei, tantam condeſcenſionem ultroneè oſtendit pro noſtra ſalute? Cujus & nimiùm peculiaris Diſcipulus pro ſuis ſecundùm carnem fratribus anathema eſſe à chariſſimo & omnipotente optabat Magiſtro. Nihilominùs verò & beatus Moyſes pro Iſrael ſecundùm carnem de vita æterna deleri propoſuit: Et certè dum loqueretur omnium Deo. Hæc igitur, hiſque ſimilia ſæpiùs atque indeſinenter in mente tua volvens, Deo Amiciſſime Frater, confortante te Domino Chriſto, tota, *qua* conſueviſti, diligentia aggredere rem prædictam.

Joannes miſericordia Dei Epiſcopus Antiochiæ Syriæ ſcripſi atque ſubſcripſi.

Incolumis, orans pro nobis, permaneas Deo Amiciſſime Frater.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola ſcripta eſt, dum Orientalis Eccleſia ob initam pacem ſtabat in mediis diſcordiarum flammis: Dum plures Epiſcopi ſe ſepararant à Communione Patriarchæ Joannis. Et docet nos grande ſecretum. Nempè quod Patriarcha Joannes, videns paci multos adverſari, ac præfatas flammas metuens, Theodoretum advocarit, & cum ſolo ſolus inter quatuor oculos conceperit clandeſtinum conſilium, quo litigioſa pax poſſet ac deberet admitti ab omnibus, ac firmari. Exiſtimo tunc conceptum fuiſſe moderamen circa damnationem Neſtorii: Concluſum, ut nullus, licet damnationem iſtam nollet admittere, à pace excluderetur. Et hæc eſt ratio, ex qua Theodoretus ad ipſam admittendam induci nunquam potuerit, niſi violenter per Chalcedonenſem Synodum. Joannes, qui hanc damnationem Scripto ad Sanctum Cyrillum, & Theodoſium Principem, nec non apud Xiſtum Pontificem, ac etiam verbo coram Ariſtolao Tribuno, ac Sancti Cyrilli Clericis fuerat ſolemniter profeſſus, & qui omnes ſuos Epiſcopos ad eandem profeſſionem conſtringere promiſerat: Hic, inquam, Joannes iſtud moderamen ſine manifeſta prævaricationis infamia non effari poterat. Hinc ipſum credidit ſoli Theodoreto. Eundem per præſentes Litteras rogat, ut jam utatur iſto articulo, atque ita omnes à ſua communione divulſos Epiſcopos conetur reducere. Notanda ſunt hæc verba: *Etiamſi videar apud illos à tua Charitate & contumeliis affici*. Facit facultatem, qua Theodoretus ad molliendos animos poſſit de ipſo etiam malè loqui. Fuit non modica in tanto Patriarcha diſpenſatio.

CA-

## CAPUT CXXIII. —211

*Epiſtola*, inquit, *Joannis Antiocheni, quam ſcripſit Tauro atque Patritio, congaudens quidem eis de Ordinatione Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi, rogans verò eos adjuvare ſe contra obſtinatos, qui ſe ab ejus communione ſejunxerant.*

LItteras Magnificentiæ veſtræ ſuſcipiens, pet quas dignati eſtis innoteſcere ſactum per gratiam Dei Conſtantinopoli Præſulatum, hoc gaudium plena voluntate ſuſcepi, propter Bona quæ univerſis Eccleſiis Chriſti ubique ſutura ſunt. Quod & Magnificentia veſtra, dum Bona nunciat, deſignavit. Scitote ſiqnidem, Magnificentiſſimi Domini, qnia non parva mihi Viri illius experientia ſit, ſed & quædam multa notitia, & noverim quam ſe ad nniverſa accommodè habeat. Et confidenter dico, quia magna Deus Conſtantinopolitanorum donavit Eccleſiæ per ſtudium veſtrum, & curam Deo Amiciſſimi Principis, qui cum benè viderit, velociter quoqne deliberata complevit, ne ulla invidia bonum judicium violaret. Sed ſicut effectum eſt per Magnificentiam veſtram, ſic rogo ut annuatis & de iſtarum pace partium cogitare. Sunt enim panci qnidam effrœnati, qni pacem, qnam Deus donavit, & quam pius executus eſt Imperatot, propriam duxerint læſionem, & præferant non eſſe ſub Principe ſuper omne, quod expedit tam ſibi, quam cunctis Eccleſiis, dum certè omninò ſit dignum, ut approbent Ordinationem Domini Sanctiſſimi Epiſcopi Procli. Non injuriemur à paucis, quorum inordioabilitas nbique eſt diffamata. Et ad deteriora iodè proficiunt, quia nunc uſque & nos & vos circa eos lenes exiſtimus.

## SCHOLION.

SAncti Procli evectionem in Conſtantinopolitanam Cathedram, ejuſqne modum ac tem-
Lib. 7. pus, accuratè exponit Socrates: *Maximianus,*
cap. 40. *cum per biennium ac menſes quinque, Eccleſiam pacificè adminiſtraſſet, fato functus eſt. Erat tunc ſeptimana Jejuniorum, quæ Feſtum Paſchale proximè antecedit: Ejuſque ſeptimanæ quinta agebatur feria. Quo quidem tempore Imperator Theodoſius prudenter huic negotio proſpexit. Etenim ne rurſus in eligendo Epiſcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Eccleſia excitaret, abſque ulla cunctatione, nondum deportato Maximiani corpore, Epiſcopis, qui aderant, mandavit, ut Proclum in Epiſcopali ſolio locarent. Id enim Celeſtini quoque Epiſcopi Romani litteræ, tunc exhibitæ confirmabant, quas ille Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo, & Joanni Antiocheno, & Ruſo Theſſalonicenſi in eam rem miſerat, docens nihil obſtare, quo minùs is, qui alicujus Eccleſiæ nominatus ſit, aut ipſa re exiſtat Epiſcopus, ad aliam Eccleſiam transferatur.* Itaque Proclus in Sede Epiſcopali collocatus corpus Maximiani *ſepulturæ tradidit.* Factum id eſt trigeſimo quarto anno iſtius ſæculi. Paſcha tunc cadebat in diem decimum qninrum Aptilis, ideoque feria quinta Sancta erat dies duodecima.

Docemur varia. Primò, qnod in Neſtorii degradati locum Imperator Theodoſius ſtuduerit Proclum evehere. Hinc enim de iſta evectione ſcribit Socrates: *Multi quidem Philippum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyterum, plures verò Proclum nominabant. Et omninò prævaluiſſet ſententia eorum, qui Proclo ſuffragabantur, niſi quidam, quorum maxima erat authoritas, obſtitiſſent, Eccleſiaſtico Canone vetitum eſſe dicentes, ne is, qui alicujus Civitatis deſignatus fuerat Epiſcopus, ad aliam Civitatem transferatur. Quibus verbis cum fidem Populus accommodaſſet, deinceps conquievit.* Proclus enim à Neſtorii Anteceſſore Cyzicenus conſecratus Epiſcopus; Verùm ab illis non admiſſus, redierat Conſtantinopolim, & iſtic more priori egerat inter Presbyteros. Et certè merebatur Epiſcopatum. Quod enim generoſiſſimè Neſtorio obſtiterit, eſt ſupra expoſitum. Attamen præſata quorumdam Interceſſio obtinuit, atqne ita electus fuit Maximianus. Secnndò docemur, quod ob iſtam interceſſionem Theodoſius à promovendi Procli ſtudio non deſtiterit. Etenim mox ad Celeſtinum ſcripſit, rogans an iſte Cyzicenus Epiſcopatus eſſet translationi materia, adeoque Proclum arceret ab Epiſcopatu Regiæ Civitatis. Et Pontifex reſcripſit non obeſſe. Non credo, quod ex Antiochenis Canonibus reſcripſerit. Hi enim necdum admittebantur à Romana Eccleſia. Proinde reſcripſit ex Apoſtolico Canone, aut perpetua Patrum Conſuetudine. Nam & ex hoc fonte hauſtus eſt Antiochenus Canon. Et ſuum Reſcriptum communicavit Sancto Cyrillo, Joanni Patriarchæ Antiocheno, ac Ruſo Theſſalonicenſi Archi-Epiſcopo. Ex qno non vanè colligitur, quod omnes iſti tres unà cum Principe Procli Epiſcopatum deſideraverint. Utpote aptiſſimum ad exſtirpandas Neſtorianæ turbuleotiæ reliquias, ac ad componendam Regiæ Civitatis Eccleſiam.

Tertiò docemur, quod Maximiani Electio fuerit paſſa turbulentiam. Nempe illam, de qua idem Socrates: *Cæterum poſt depoſitionem Neſtorii graviſſimus tumultus Eccleſiam Conſtantinopoli occupavit. Nam diviſus eſt Populus ob inanem & ſtultam illius garrulitatem. Clerici quidem omnes communi ſuffragio eum anathematizarant.* E Populo plures, ejus eloquentia delectati, ac à Dorotheo Marcianopolitano, Theodoreto, ac aliis iſtius factionis Epiſcopis per litteras inflammati, nolebant procedi ad novi Epiſcopi electionem, ac ſeditioſè flagitabant ſibi reſtitui Neſtorium. At

verò

verò hic deſuncto Maximiano adhuc vivebat: Immo adhuc hærebat in ſuo apud Antiochiam Monaſterio. Hinc ſimilem Popularis fæcis motum timens Theodoſius, electionem permittere noluit, ſed Advenis tunc in Regia Civitate Epiſcopis juſſit, ut Proclum mox inthronizarent. Et factum eſt. In ipſa die Dominicæ Cœnæ. Nec iſta fuit Laica violentia. Etenim adversùs illam nemo unquam interceſſit, nullam depoſuit querimoniam. Nempè Theodoſius proceſſit ex Reſcripto Celeſtini Pontificis. Ex quo videmus ipſum fuiſſe non dumtaxat Eccleſiaſticæ conſuetudinis declaratorem, ſed etiam Regiæ Civitatis Epiſcopatum reſervaſſe, & ejus exſpectativam contuliſſe in Proclum. Adeo antiquus eſt uſus Apoſtolicæ iſtius authoritatis. Etenim defuncto Maximiano Papales litteras mox Princeps protulit, & ipſarum virtute juſſit Proclum exaltari. Erant antiquæ litteræ: Datæ ſtatim poſt promotionem Maximiani. Nam poſt illam Celeſtinus ſupervixit paucis menſibus.

Et ad hæc omnia Taurus, Orientis Comes, Prætorio Præfectus, atque Patricius, fuit ſtrenuè cooperatus. Præfatæ epiſtolæ titulus habet: *Tauro atque Patricio*. Laudat duas perſonas. Eſt mendum. Eſt aliquid omiſſum. Etenim in Theodoſiano Codice ſub titulo de indulgentiis debitorum exſtat noſtri Theodoſii ac Valentiniani Lex data ad hunc Taurum, & habens hunc titulum: *Tauro Prætorii Præfecto, ac Patricio*. Eſt data duodecimo calendas Julias: Duobus menſibus poſt evectum Proclum. Proindè Præfecti titulus eſt omiſſus in Epigraphe præſentis epiſtolæ. Porrò hic Taurus fuit magnus, & addictus perſonis Eccleſiaſticis. Nam ad ipſum exſtat Theodoreti epiſtola, habens hanc Epigraphen: *Tauro Patricio*. Suas duas ad ipſum litteras Sanctus Iſidorus Peluſiotes inſcripſit: *Tauro Præfecto*. Ad eundem exſtant plures Leges Theodoſii. Ille igitur Procli promotionem, utpote ſciens fore gratiſſimam, ſtatim retulit Joanni Antiocheno: Et per præſentem Epiſtolam Joannes illi agit gratias. Quare epiſtola etiam in ſuo contextu habet mendum *Magnificentiſſimi Domini*. Legendum eſt: Magnificentiſſime Domine. Codicis Compilator credidit epiſtolam eſſe ſcriptam ad duos. Et certè iſto tempore fuit Patricius Comes, ad quem Theodoretus trigeſimam quartam ſuam epiſtolam, ac Imperator Theodoſius ſcripſit Legem finalem ſub titulo *de jure Fiſci*.

Notanda ſunt hæc de Theodoſio verba: *Qui cum bene viderit, velociter quoque deliberata complevit, ne ulla invidia bonum judicium violaret*. Affirmant cum Socrate, quod Theodoſius Populi motum timuerit, ideoque electionem non permiſerit, ſed juſſerit Proclum ſtatim inthronizari. Porrò quod Maximianum juſſerit per Proclum ſepeliri, deſumpſit ex moribus Alexandrinæ Eccleſiæ. Illic enim novus Patriarcha ſtatim eligitur, & defunctum ſepelit. Ita teſtatur in Breviario Liberatus Diaconus. Notanda ſunt hæc etiam

Cap. 30. verba de Sancto Proclo: *Et noverint quam ſe ad univerſa accommodè habeat*. Exponit Socrates, dicens Proclum fuiſſe Attici Conſtantinopolitani Diaconum ac Notarium, & adjungens: *Proclus* Lib. 7. 41.
*ab Attico eruditus, cunctas ejus virtutes ſtudioſè imitatus eſt. Patientiam verò etiam magis quam Atticus excoluit. Nam hic interdum terribilem ſe Hæreticis exhibebat, Proclus verò, placidus erga omnes fuit, dum Hæreticos hac ratione potiùs, quam vi ad rectam fidem adducere ſtuderet*. Et certè Maximianus cum quibuſdam Orientalis Factionis Epiſcopis durè egerat. Sanctum Cyrillum permoverat, ut quatuor Metropolitas à pace excluderet, & Xiſto Pontifici frequenter ſupplicaret, ut nunquam ſolveret iſtud vinculum. Inſuper pluribus juſſerat ſuperordinari novos Epiſcopos. Hinc igitur Patriarcha Joannes, quoniam tunc narà ob initam pacem concordia plenè ardebat ac fumabat, à Procli prudentia & manſuetudine ſperabat maliora.

## CAPUT CXXIV. —212

*Epiſtola*, inquit, *Meletii Epiſcopi ad Maximinum Anazarbi, per quam ſignificavit de Domitiano Quæſtore, & de Sacris, quas contra eos impetraverit Joannes Antiochenus.*

ANtequam triſtia dicam, ſolutionem eorum tuæ innoteſco Sanctitati. Si verò & ad illa commemoranda perducor, ad eorum confirmationem, quæ dicuntur, compellor id facere, ſimul & ut ordinem Geſtorum in mea narratione cuſtodiam. Audivimus olim, quod multùm fategerit Verius, qui pro Joanne Conſtantinopoli latitat, & aurum multum diſtribuerit aliquibus, ut poſſet obtinere Sacram, quæ nos cogeret aut communicare Joanni, aut exire ab Eccleſiis. Quod etiam veraciter contigit. Nam Domitianus, qui nunc Quæſtor eſt, ſcripſit Deo Amiciſſimo Epiſcopo Helladio, quod Sacram quidem contra nos obtinuiſſet Verius, prædicta jubentem, ipſe autem benignitate, qua circa cum detinetur, hanc interim cohibuerit publicari, neceſſarium putans, antequam publicetur illa, & præcepta per eam neceſſitas ingeratur, ut illa his, quæ ab eo ſcripta ſunt, acquieſcens abſque ulla neceſſitate reconcilietur Joanni. Ob hoc enim Decanum quoque ſe direxiſſe dixit, ut reconciliationis inter utrumque futuræ Miniſtrum.

Erat verò tantùm ſcœnica ſimulatio, ad præſtandum Joanni pro auri acceptione compoſita. Sic enim nunciavit nobis, qui huc venit, Admirandiſſimus Judex, qui & præſens Conſtantinopoli fuit, & unumquodque eorum, quæ geſta ſunt, novit. Quippe cujus erat cauſa. Sacra quidem contra nos data eſt plena, ſed per

omnia

omnia Magnificentiſſimus Taurus Præfectus hoc cognoſcens, & ſicut reverà Divino aliquo impetu motus, illam quidem publicari non ſinit. Intrans verò ad Principem, futuras ex hoc everſiones obteſtatus eſt urbium, & apertè dixit, quod qualis eſt Thracia, talis & Cilicia erit, quæ penè ſola remanſit ad Tributa ſolvenda, ſi hoc impleri permiſerit. Et ſic vacare Sacram modis omnibus fecit. Hinc jam Domitianus, quaſi mercedes recepti reſtituens, primùm, quia aliud quod ageret non invenit. Decanum Joanni direxit, jactitans quidem quod retinuerit Sacram, interimque ſi non parueritis, ut ait, his quæ ab eo ſcripta ſunt, dirigendam. Qui etiam ſuadet, ut abſque ulla dilatione Joannis amplectamur communionem.

Quem quia & venturum didicimus ad tuam Sanctitatem, hæc ei innoteſcere feſtinavimus, ut noveris quomodò cum eis agas, Deo Amiciſſime Domine mi. Direximus verò & Reſcriptum eorum, quæ à Domitiano ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Helladium ſcripta ſunt, & eorum quæ ab eodem Deo Amiciſſimo Epiſcopo Helladio ſcripta ſunt nobis. Ex quibus magis, quæ à nobis dicta ſunt, intelligere poteris: & quod vir ipſe deſpiciendus omninò ſit, illa ad decipiendum excolens, quæ olim Divino nutu repulſa ſunt. Quæ etiam, ſi prævaluiſſent, nullatenus nobis perhonoranda eſſent Imperatoris Præcepta terreni contra cœleſtis & ſempiterni Regis.

## SCHOLION.

Exponenda ſunt nomina. Meletius erat Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus, ideoque hæc epiſtola eſt ad Maximinum ejus Metropolitam. Ambo pertinaciſſimi Fautores Neſtorii, ac hoſtes initæ pacis. Verius haud dubiè fuit quis Antiochenæ Eccleſiæ Clericus, forſitan Joannis in Regia Civitate Apocriſarius. Aliud tamen ſuadent verba: *Qui pro Joanne Conſtantinopoli latitat*. Apocriſarii enim non poterant latere. Proinde fuerit quis Clandeſtinus ad iſtud ſingulare negotium Emiſſarius. Nec mirum. Etenim Joannes iſtius odioſæ Sacræ declinabat invidiam, ideoque à cunctis credi, quod nequaquam ad ſuas preces emanaſſet, ſed ex proprio motu Principis. Porro Decanorum in Romano Imperio fuerunt tres ſpecies. De prima fit mentio in Juſtinianæi Codicis titulo de Collegiatis: Hi non erant Palatini, ſed Urbis Corporati, ſubjecti Præfecto urbis: Secunda ſpecies, quam Magnus Conſtantinus aut ejus filius Conſtantius induxit, erant Lecticarii Eccleſiæ, Præfecti humandis fidelium cadaveribus. Erant Clerici. Tertia ſpecies erat claſſis Palatinæ Militiæ, cujus eſt frequens mentio & apud Leges, & apud alios Scriptores. Etiam apud Sanctos Patres.

De illis in tertio libro de Juſtini ſecundi laudibus ſcribit Corrippus:

........*Juſſuque rogantis*
*Acciti Proceres omnes, Scholaque Palati eſt*
*Juſſa ſuis adſtare locis. Jamque ordine certo*
*Turba Decanorum, Curſorum, in rebus Agentum,*
*Cumque Palatinis ſtans candida turba Tribunis,*
*Et Protectorum numerus, mandante Magiſtro*
*Omnis Sacrorum vis adfuit Officiorum.*

Hinc diſcimus tria. Primò, quod Decani ſpectarunt ad Scholam Palatinam: Quod fuerint Miniſteriales Palatii, uti ſunt Agentes in rebus, Curſores, Magiſtriani, Protectores, & alii ſimiles. Secundò, quod fuerint in grandi numero. Tertiò, quod ſubfuerint Magiſtro Officiorum. Hinc Romanæ Leges eos paſſim appellant Principes famulationibus adhærentes, aut Principes Obſequani. Eorumdem meminit in Homiliis ſuper Apoſtolicam ad Hebræos Epiſtolam Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Non enim quia* Hom. 13.
*Palatium dicitur, omnes eiſdem frui judicantur. Nam etſi inibi ſit & Præfectus, & omnes qui circa Imperatorem verſantur, tamen etiam tenuiſſimi, & qui locum & vices ſubeunt eorum, qui dicuntur Decani, inter Palatinos ſunt, cum tamen ſit tantum diſcrimen inter Præfectum & Decanum*. Palam agit de Decanis Palatinis. Eorum à Prætorii Præfecto diſcrimen affirmat hunc primum, illos fuiſſe inter extremos Palatii. Ipſorum officium exponit in litteris ad Sororem ſuam Marcellinam Sanctus Ambroſius: *Etiam Præfectus venit,* Epiſt. 13.
*& cœpit ſuadere ut Baſilica cederemus. Populus reclamavit*. Et ſtatim infra: *Illic nuntiatum eſt mihi compertò, quod ad Baſilicam de Palatio Decanos miſiſſent, ut vela ſuſpenderent, Populi partem eò pergere*. Vela, utique Regiis inſignibus ornata ac armata, ad aliquam domum aut poſſeſſionem ſuſpendi, erat ipſam arreſtari, aut in ipſam mitti Regiam manum. Eſt vetuſtus Ritus Romani Imperii. Proindè Sanctus Ambroſius affirmat, quod Italici Prætorii Præfectus ad ſuum de tradenda Baſilica Mandatum, cui Mediolanenſis Populus recalcitrabat, exequendum, & ad arreſtandum pro ipſo Imperatore Baſilicam, miſerit è Palatio Decanos. Proindè inter eorum officia erat iſtiuſmodi vela ſuſpendere, ac explere iſtiuſmodi executionem. Aliud ipſorum officium edocuit in libello ad Theodoſium Auguſtum Baſilius Diaconus, ac alii Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archi-Mandritæ. *Neſtorius illicò juſſit nos corripi à turba Decanorum, & cædi*. Vulgata translatio habet: *Neſtorius quàm primùm Decurionibus, ut nos à turba abreptos cedant, feriò mandat*. Malè. Etenim Græcus textus diſertè habet: *A turba Decanorum*. At inter Decanos ac Decuriones eſt largum diſcrimen & varium. Decuriones enim ſunt dignitatis officium. Proinde ad Decanos ſpectabat etiam apprehendere reos & verberare.

Præſens itaque Epiſtola nos docet plura. Primò, quod Joannes Patriarcha, videns quoſdam ſuos Epiſcopos eſſe in initæ pacis odio ac lacerata communione obſtinatos, converſus fit ad alia conſilia: Quod Verium ſuum Clericum, ad Regiam Civitatem miſerit, obtenturus Sacram, quæ illos ad ſui Patriarchæ communionem ac obedientiam redire cogeret, aut juberet expelli à ſuis

Ec-

Eccleſiis. Et ſanè erat vera via. Etenim illi nullis precibus, nullis rationibus, nullis ſui Patriarchæ juſſionibus volebant acquieſcere. Secundò diſcimus quod Joannes ſuum Clericum clandeſtinè miſerit, & clandeſtinum eſſe apud Conſtantinopolim juſſerit. Supra dixi rationem. Tertiò, quod illum largis nummis armarit. Quod enim ſub Magno Theodoſio avaritia cœperit currumpere Romanum Imperium, ac omnia vendere, deflevit amarè, ac inde Imperii lapſum prædixit Sanctus Ambroſius. Ita in ejus vita teſtatur Paulinus Presbyter. Quartò diſcimus, quod Verius Clericus Domitianum quæſtorem pecunia emerit, atque ita Sacram obtinuerit. Quintò, quod Magnificentiſſimus Taurus Orientali Prætorio Præfectus, Sacram non probarit, ideoque & juſſerit ſuſpendi. Nempe timebat Ciliciam ab ipſa turbandam, ideoque opulentam ac liberalem Provinciam ſiſtendam à conſuetis in Principis Ærarium collationibus. Quare Sacra hæc videtur fuiſſe pro ſola Cilicia. Et prima & ſecunda. Et certè hæ utpote per Theodorum Mopſueſtienſem corruptæ, erant pertinaciores pro Neſtorio. Sextò diſcimus, quod hæc videns, & ad refundendum ſe cumpellendum timens ſit converſus ad artes & mendacia. Etenim Helladio Tharſenſi Epiſcopo, primæ Ciliciæ Metropolitano, ſcripſit Sacram à ſe ſuſpenſam, idque ex ſua erga illum benevolentia. At verò ad Joannem Patriarcham miſit Decanum, jactitans Sacram à ſe retentam, & ſpondens dirigendam, niſi contumaces Epiſcopi ſtatim redierint ad ejus obedientiam. Et ut mendacia cohærerent invicem, etiam in Ciliciam ſcripſit ad Epiſcopos, ut abſque dilatione amplecterentur Joannis communionem. Ita enim Palatini, qui debitas Populo à Principe functiones vendunt, conſueverunt ſumos vendere. Et hinc adverſus illum Meletius non malè ſcripſit: *omninò deſpiciendus eſt vir ille*.

---

## CAPUT CXXV. —213

*Epiſtola*, inquit, *vel hypomnyſticum Magnificentiſſimi Quæſtoris ad Epiſcopum Tharſi Helladium, hortans eum Antiocheno adjungi.*

OMnem Bonorum affluentiam tuæ Sanctitati adeſſe perfectam integrè ſciens, non leviter affligor, ea quæ nunc aguntur conſiderans, amator pacis Eccleſiarum, & hanc votis & opere ſanctiſſimam inconcuſſamque conſervans. Quomodò eam nuper minimè amplectari, mihi valdè mirabile videtur. Sed & ſi quis concedat, quod ſi unus homo his, quæ juſta ſunt, non fruatur, & pro meliore utilitate multorum quod uni eſt utile omittatur, tolerabilis hujuſmodi *ſit* compenſatio; quando verò nec illi nocetur qui ſibi noceri putat, immò è diverſo ipſe aliis nocet, quomodò non quod multis eſt utile Sanctitas tua conſuetè lucratur? Scit enim Sanctitas tua, quod benè de aliis dicens in ipſo, quod eſt principale, commiſit: Et ſibimetipſi reputare debet, quod à Poteſtate detectus eſt.

Et hæc meliùs à me novit Sanctitas tua. Rogo igitur, ne, ut dixi, multipliciter noceamus, confuſionem quidem multitudini inferentes, & civitatibus indiſciplinationem & inoptandorum multis Peſſimorum proviſores efficiamini. Ut acceleret continuò cum Deo Amiciſſimo & Sanctiſſimo Joanne Epiſcopo inire colloquium, & ut amplecti tua Sanctitas ejus pacem communionemque feſtinet unà cum cæteris Epiſcopis primæ & ſecundæ Provinciæ Cilicum. Sciat enim Divina virtus, quod Decretum Divinum completum, ſubſcriptumque, etiam promulgandum, hujus rei gratia interim retinui, quod ſpem ſuavem mihi ipſi dictaverim, quod meis hortatibus, quin potiùs ipſi veritati, tua Sanctitas acquieſcat, & corrigat quæ contriſtant. Quæſo igitur Religioſitatem tuam, ut celeriter id fieri jubeas: Ne dum Divinæ litteræ editæ fuerint, correctio deſperetur. Et quidem certum eſt, quod in nullo noceatur Sanctitati tuæ, cui nunc potiùs valdè nocetur, eò quod utilitates multorum proprias reputet; & ſimiliter plurimorum ſuas faciat læſiones. Sed & Divinitas ſolet ab illis exigere rationes, quibus corrigenda commiſit.

### SCHOLION.

HÆc eſt epiſtula, qua Domitianus Quæſtor Helladio amicabiliter inſinuat Sacram, quæ omnes Joanni Patriarchæ ac initæ paci rebelles Epiſcopos, aut obedire mandat, aut ejici, omninò emanaſſe; attamen à ſe pro tempore ſuſpendi: Et qua ipſum ex pectore hortatur ad obedientiam. An ex arte quam ſupra à Mopſueſtienſi Meletio audivimus, ſit ſcripta, certè ignoro. Etenim Meletius fuit plenus ſui Anteceſſoris Theodori Sectator, Ideoque & plenus Neſtorianus. Hinc ejus teſtimonium eſt de temeraria ſuſpicione ſuſpectum & caducæ fidei. Quidquid ſit Domitiani admonitio non fuit vacua. Etenim Helladius licet per Sanctum Cyrillum excluſus à Pace, rediit ad mentem, & tandem eſt amplexus pacem. Et ad Joannis Patriarchæ obedientiam reduxit omnes Cilices.

CAPUT

## CAPUT CXXVI. —214

*Epiſtola*, inquit, *Joannis Epiſcopi Antiocheni ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, per quam indicavit, quod præcepit Imperator, ut nullus Orientalium Epiſcoporum Conſtantinopolim proficiſceretur.*

PLacuit piiſſimo & Amico Chriſti Imperatori uoſtro præcipere, ut uullus Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum nuuc ad ejus Comitatum fatigetur, ſed uuuſquiſque iu ſua perſiſtat *Eccleſia*. Hæc nota per me fieri veſtræ Religioſitati proſpexit. Quia igitur uec juſtum, nec abſque periculo eſſe arbitramur, quæ nuper uubis præcepta reticere, manifeſtamus vnbis uportere omnibus parere Præceptis, & veſtrum quemque quieſcere, foventem Eccleſiam ſuam. Quia ſanctum eſt pio Imperatnri & Amico Chriſti indubitabiliter nbedire. Dignare igitur hæc eadem nuta facere bis, qui ſub tua Religioſitate ſunt, Deo Amiciſſimis Epiſcopis. Cauſam verò poſt paululùm cognoſcet Religioſitas tua. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem plurimùm ſaluta.

### S C H O L I O N.

JOanni Patriarchæ, ac initæ paci rebelles Epiſcopi, poſtqnam audierunt præfatam Sacram emanaſſe, ac eſſe ſuſpenſam, conceperunt ſpem ipſius circumducendæ: Hinc ex iſta ſpe decreverunt aliqnos è ſuu Collegio legare ad Priucipem. Verùm etiam Joannes Patriarcha non dormivit. Obtinuit aut aliam Sacram, aut qnodvis Auguſtum mandatum, quod iſtum acceſſum cunctis Epiſcopis interdiceret, & præceptum iſtius Mandati cunctis inſinuandi. Quare dubitandum non eſt, qnod iſtud non ſnli Alexandro inſinuarit, ſed & aliis Metrnpolitis. Videtur nnn fuiſſe Sacra. Etenim tantam pro ſuis Actis anctoritatem Joannes uun tacuiſſet. Interim iſtud Maudatum erat via ad ſuſpenſam Sacram expediendam, ac mittendam in plenam executiunem. Et ita eſt nmuinò factum. Porrò Joannes Mandatum intimavit ſulis Metropolitis. Patriarchali more. Metropolitæ debebant intimare ſuis Epiſcopis.

## CAPUT CXXVII. —215

*Epiſtola*, inquit, *Alexandri Epiſcopi in Perſonam Magiſtriani, qui præfatas attulerat litteras.*

EPiſtolam mibi reddebat Admirabilitas tua Antiocheni. Quam non ſnſcepi propter aliquas Eccleſiaſticas quæſtiones. Lecta verò mibi eſt à Bonitate tua. Et nt hoc poſſis oſtendere, banc Epiſtolam feci ad tuam Nnbilitatem, declarans quod in his, quæ præcepta ſunt à Piiſſimo & Amico Chriſti Imperatore uuſtro, permaneo: Ut nec fatiger nunc ad ejus pium Comitatum, & in mea Eccleſia perſiſtam, nrationes faciens pro ejns Imperio. Notarins verò, qui mecum eſt, accepit ejus exemplar.

### S C H O L I O N.

PRæfatum Mandatum Imperator Theodoſius ad Joannem Patriarcham miſerat per Magiſtriannm, addita facultare ntendi ejuſdem npera ad idem mandatum Intimandi cunctis ſibi rebellibus Epiſcopis. Etenim Magiſtriani erant ſimilium mandatorum ac Litterarum conſueti Bajuli. Ita Imperator Leo Sacram ſuam, qua circa Chalcedonenſis Synodi proceſſum, ac Timothei contradictiunem vulebat inſtrui, ad Petrum Myrenſem Epiſcopum, Lyciæ Metropolitam, miſit per Branemondnm Magiſtrianum. Similes litteras ad Ætberium Sardenſem Epiſcopum, Lydiæ Metropolitam, miſit per Magiſtrianum Eudoxium. Idem Euduxius ſimiles Litteras detulit ad Cyzicenum Epiſcopum, Metropolitam Helleſponti. Plurima ſunt iſtiuſmodi exempla. Nam & famuſa illa & momentuſa Sacra, qua Imperator Theodnſins maxima diſpoſuit circa Epheſinam Synodnm, deportata fuit per Magiſtriauum Palladem. Porrò Metropolita Alexander horreudè bic oſtendit ſnum exulceratum pro Neſtoriu animum, & plenum pacis odium. Etenim proprii & ſibi amiciſſimi Patriarchæ, qnnniam ſe ab ejus communione ſejnnxerat, litteras nec admittere vuluit. Longè minùs inſpicere. Hinc Magiſtrianus ipſas aperuit, & Alexandru prælegit. Et ipſarum finem obtinuit.

# CAPUT CXXVIII. --216

Ireneus ait : *Et hæc Epiſtola Theodoreti ad Meletium Neo-Cæſareæ de his, quæ Joannes in diverſis vicibus iniquè commiſit.*

MEmor ſum eorum, quæ mihi locuta eſt in Hierapoli Religioſitas tua, quando mihi Antiocheni intentionem nunciaſti, dicens qnod pacem deſideraret, *promittens* nihil unquam, quod nos contriſtaret, ſe eſſe facturum. Vide igitur, Deo Amiciſſime, Sacramentorum veritatem. Vide vineæ Nabuthæ direptionem: Et injuſtas contra legem Ordinationes. Vide tranſgreſſionem Canonum, & Divinarum legum deſpectum. Quæ ei concedit Regula, ut in aliena Parochia conſecret? Immò quæ ooo hanc injuſtitiam vetat? Non ei ſuffecit illicitè ordinare, ſed & adjecit alteram impietatem, ut talibna viris committeret Sacerdotium. Et Marioinnum Deo Amabilitas tua plus omnibus novit, & *de* Athanaſio clarè audia. Undè cognoſcat Religioſitas tua, quod à communione talia præſumeotis nos ipſos abſcidimus, timentes jndicium Dei. Similiter verò & eorum, qui has conſecrationea iniqnas ſuſcipiunt, communionem vitamus. Hæc verò in præſenti ſcribere ſum coactus, memor quæ tuæ ſit charitas Sanctitatis, & volens ut in omnibus emioens oulla reprehenſione maculeris. Omnem quæ tecum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſuot, ſalutamus.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola, utpote non nihil poſterior, videtur noo eſſe poſita ſuo ordine. Eſt enim ſcripta poſtquam Joannes Patriarcba præfatam Sacram obtinuerat, & cœperat in executionem mittere: Expellere ſibi rebelles Epiſcopos, & in eorum Catbedras potenter conſecrare alios. His igitur de rebus Theodoretus ad Meletium, non Mopſueſtiæ in ſecunda Cilicia, ſed Neo-Cæſareæ in Euphrateſia ſua Provincia Co-Epiſcopum, & ſcribit varia. Primò, quod Joannes Patriarcha Meletio, atque ideò aliis etiam Epiſcopis, quò illos ſuaviter in pacem induceret, promiſerit nihil unquam à ſe tractandum, quod quempiam contriſtaret. Nempè promiſerat, quod neminem ad acceprandam aut ſubſcribendam Neſtorii damnationem violenter compelleret, ſed quod circa iſtum articulum permitteret quemlibet abundare in ſuo judicio. Quin imò illa cum juramento ſpoponderat: Hinc ipſum prævaricationis accuſat Theodoretus, & exclamat: *Vide Sacramentum veritatum.*

Illum ſecundò accuſat, quod ſuos Epiſcopos, ac eis creditas Divinitùs Cathedras tractarit, uti Achab & Jezabel tractarunt innocentis Nabuthæ vineam: Quod eos de fictis criminibus, utique de rebellione erga Epheſinam Synodum ac Eccleſiæ pacem, traduceret, ac ſub iſto fuco degradaret, & eis ſuperordinaret alios. Tertio, quod buic violentiæ accumulet alia crimioa: Deſpectum & Canonum & Divinarum legum. Canonnm, qnod io aliena Parochia, Divinarum verò legum, quod indignos homines ſuperordinaret in Epiſcopos. Et inter plures iſtiuſmodi ſuperordinatos ſingulariter notat Marinianum ac Athanaſium. Quia fuerit Marinianns, ignoro. Athanaſins videtur fuiſſe ille in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, quem Joannis Succeſſor Domnus degradavit, & in ejus locum ordinatus fuit Sabinianus. Etenim Athanaſius fuit homo modici ponderis. Licet enim per Epheſinum Latrocinium fuerit reparatus, cauſa tamen ejus fuit reſumpta apud Chalcedonem, & manſit indeciſa. Multa ſuadent Theodoretum hic agere de iſto Athanaſio.

Et hinc diſcimus fundamentum ex quo Theodoretus Joannem arguit, quod in aliena Parochia, id eſt, Provincia ordinaverit Epiſcopos. Quia nempe iſtius Athanaſii Eccleſia erat in Euphrateſia Provincia, cujua omnium Epiſcoporum Conſecrationes ex conſuetudine ſpectabant ad Metropolitam. Nam & ipſe Patriarcha Domnna agnovit iſtud jus, ideoque ſententiæ, qua Athanaſium degradavit, adjunxit: *Præcipio Dei amantiſſimo Epiſcopo Joanni Metropolitano Euphrateſiæ, & ipſius Provinciæ Religioſiſſimis Epiſcopis alium pro eo Sanctæ Dei Eccleſiæ Epiſcopum ordinare.* Plena Domni Synodus exſtat in quarta decima actione Chalcedonenſis Concilii. Dico iſtas Conſecrationes ad Metropolitam ſpectaſſe per conſuetudinem. Nicæana enim & Apoſtolicus Canon eas dabat Patriarchæ. Videatur epiſtola Sancti Inno- Epiſt. 18.
centii primi Pontificis ad Sanctum Antiochiæ Patriarcham Alexandrum. Et tunc Joannes Patriarcha iovadendo iſtam conſuetudioem non fuit prævaricatus. Eum permoverunt graviſſimæ rationes. Etenim hæ Ordinationes ſunt factæ ante ejectum Metropolitam Alexandrum, manifeſtum Rebellem, & contumaciſſimum pacis hoſtem. Hinc licet Canon non dediſſet, devoluti juris ratio Joanni dabat omnem Authoritatem iſtius operis. Et hinc diſcimus, quod pacem plenè executurua Joannea venerit in Euphrateſiam Provinciam, & ſolus iſthic potenter diſpoſuerit.

Quartò Theodoretus affirmat, quod etiam ipſe has Joannis Executiones fuerit deteſtatus, ideoque ſe ab ipſiua communione tandem ſeparavit. Nec tantummodo à Joannis, ſed etiam à communione iſtorum omnium Super-ordinatorum, cunctorumque illi faventium aut communicantium. Quod Theodoretua tune cum Metropolita Alexandro ac aliis ſuæ Provinciæ Epiſcopis, adversùs Patriarcham Joannem iniverit factionem, docebit nos ſeqnens Epiſtola. Ejus ſtomachus Neſtorii damnationem digerere, im-

mò

mò nec admittere poterst: Longè minus ejus manus ſuſtinebst ſubſcribere. Ex pari odio averſabantur Cyrilli Capitula. Diligebat & cupiebat pacem, at Diſpenſatoriam, quæ unicuique circà ejus articulos permittebat libertatem arbitrii. Ex quo videmus iſtam Provinciam, ac omnem iſtam Patriarchalem Diœceſim fuiſſe tunc in lamentandis calamitatibus.

---

## CAPUT CXXIX. --217

Idem Irenæus inquit. *Per omnia Deo Amiciſſimis & Sanctiſſimis Epiſcopis Syriæ, & Ciliciæ primæ ac ſecundæ, & ſecundæ Cappadociæ, Alexander, Theodoretus, Heliades, Abbibus, Maras, David, Acilinus, in Domino gaudere.*

PRopheta quidem Hieremiss, unius civitatis incendium & hominum captivitatem lugens, fontem petebat lachrymarum; ſolitudinis ultimum requirebat, & lamentationes conſcripſit, ut anguſtiam, quæ intus urgebatur, efferret per lamentationem, quaſi per fumi evaporationem. Nos verò Eccleſiæ Dei oppugnationem, Sanctorumque ulterius proditionem, ac Sacerdotii corruptionem lugentes, vos, ò Com-Paſtores, ad lamentationum participationem vocamus. Non ut ignorantes doceamus, neque ut lætos perducamus ad luctum, ſed ut luctus communione vel parva quædam conſolatio acquiratur.

Novit enim Sanctitas veſtra, quæ iniquè atque illicitè vel ſint facta vel fiant. Illam, quæ præter omnium Epiſcoporum Orientalium voluntatem ad Alexandriam eſt directa, Legationem. Illam, quæ tyrannicè, & non Eccleſiaſticè ab eo facta eſt, damnationis, ut putavit, ſolutionem. Dum paulò minùs ducenti in Ægyptii damnationem conſenſerunt, duos aut tres in communionem Tyrannidis aſſumens, & omnes alios reſpuens, hunc quidem, ſicut ſuſpicatus eſt, ſolvit. Illum verò, qui neque judicatus eſt, neque præter Apoſtolicam doctrinam quodcumque prædicat, ſed veſtigiis Paterna ſecutus eſt, id eſt, Deo Amiciſſimum & Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium, crudeliter & latrocinaliter interemit, non accipiens in mente Oculum cuncta cernentem, non futurum judicium metuens, non continuis conſcientiæ ſagittis arctatus, non homines miſeratus, quos vulnerant iſta, non ſcripta pro illo viro *retinens* teſtimonia, quæ ubique tranſmiſit, ante paululùm quidem, quàm ſynodus fieret, Galatas & Cappadoces ſuadens, quod ille vir eſſet Orthodoxus, in Synodo autem ubique terra marique Epiſtolas dirigens, & accuſans impietatem, iniquitatemque commiſſam.

Omnibus his excluſis, non ſolùm iniquam & injuſtam damnationem ſuſcepit, ſed anathematizavit doctrinam ejus orthodoxam. Verumtamen & his geſtis, ſilentium nunc uſque tenuimus, aliquam mutationem horum triſtium ſuſtinentes, & Eccleſiæ tranquillitatem videre cupientes. Dum certè penè per ſingulos dies plurimis, immò cunctis murmurantibus audiamus, quod poteſtas Sacerdotii, quæ Divinum munus eſt, ſit facta venalis: Et qui gratis acceperunt, & gratis dare præcepti ſunt, quæ Divina ſunt, pecuniis vendunt. Et filii Sion pretioſi, dum præ Sole fulgere debuerunt, *ut vaſa teſtea facti ſunt, opera manuum figuli.* Quod verò eſt deterius omnium Peſſimorum, dum contra leges ordinet, ipſam iniquitatem nec celare contentus, Divinis rebus inſultat, & pompam de ſanctis Myſteriis ducit. Mox poſt ipſas Ordinationes de Ordinatorum vita triumphans, & talia dicens, quæ etiam his, qui ſæculariter vivunt, curam tamen adhibent caſtitati, abominanda & execrabilia ſunt: Nedum dixerim illis viris, quorum propoſitum eſt caſtitatem, ſanctitatemque docere. Unde jam taciturnitatem putantes non impunè conſtare, ab ejus quidem communione ſeparavimus noſmetipſos, futurum judicium metuentes.

Vos autem, qui præſideris Eccleſiis, & Ovium Domini eſtis boni Paſtores, rogamus ut Oves Domini vindicetis, quæ tam nimiè corrumpuntur, & tanta peſtilentia devaſtantur. Et non deſpiciatis, dum conculcentur Apoſtolicæ leges, & violenter Patrum Decreta; ſed rememoremini doctrinam Beati Pauli. Corinthiis enim ſcribens ait: *Si quis fratrum nominatur aut fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut contumax, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere.* 1. Cor. 5. In præſenti autem non una ſpecies præfatorum, ſed omnis ſimul Malorum cuneus per hunc ſe ingeſſit Eccleſiis. Undè oportet Sanctitatem veſtram, quæ illud terribile judicium novit, non deſpicere Eccleſias Dei, quæ in tanta ſunt tempeſtate, & periclitantur commune ſuſtinere naufragium; ſed vindicare tota virtute, & impetus voluminum frangere, & creſcentem nequitiam ſiſtere, quæ & univerſos deſiderat obtinere, & peſtilentia ſui omnia certat implere.

Ego verò Alexander, qui veſtram Sanctitatem ſaluto, ultra annum jam, ſicut noſtis, habeo, quod poſt adventum Pauli memetipſum ab Antiocheni communione ſejunxi.

Religioſitatem veſtram, & eos qui cum ea ſunt, nos, & qui nobiſcum ſunt, plurimùm ſalutamus.

### SCHOLION.

PRæſentis Epiſtolæ tempus diſcimus, partim ex his in ſequenti Helladii Tharſenſis Metropolitæ ad ipſam reſponſo verbis: *Eò quod Paſcha*

*ſcbæ Feſtivitas inſtet*. Partim ex hac Alexandri Metropolitæ ad præſentem epiſtolam ſubnotatione: *Ego Alexander ultra annum jam habeo, quod poſt adventum Pauli memetipſum ab Antiocheni Communione ſejunxi*. Paulus Emeſenus Epiſcopus poſtremam ſuam Alexandriæ Concionem habuit calendis Januariis anni trigeſimi tertii, & pacem complevit: Et haud dubiè ſtatim tunc Antiochiam redijt. Et mox poſt ejus reditum Joannes Patriarcha admiſit pacem, ſubſcripſit cunctis articulis, & ipſam cœpit exequi. Et tunc Metropolita Alexander ſtatim recalcitravit, & tandem excuſſit ſui Patriarchæ communionem atque obedientiam. Proindè hæc epiſtola ſcripta eſt anni trigeſimi quarti menſe Martio, conſueto tempore Provincialis Synodi. Iſto enim anno Paſcha cadebat in diem decimam quintam Aprilis, ideoque Synodus poſſit eſſe facta in prima hebdomada Quadrageſimæ. Porrò Reſcriptum ad Sanctum Cyrillum, quo Xiſtus tertius pacem confirmavit, eodem anno eſt datum die decima quinta Septembris. Et idem Pontifex ſimile Reſcriptum dedit ad Joannem Patriarcham, at aliquantò poſterius. Nam dum Cyrillo reſcripſit, Joannis Relationem nondum acceperat. Quare vides, quod Metropolita dudum antè hæc confirmatoria pacis Reſcripta à ſui Patriarchæ Communione ſemet-ipſum retraxerit.

Quin Theodoretus non ſolum Meletium Neo-Cæſaræenſem ſed etiam alios ſuæ Provinciæ Epiſcopos, ipſumque præſertim Alexandrum Metropolitam ad recalcitrandum moverit, non eſt dubitandum. Et certè Metropolita, utpote jam plus quam ab anno manifeſtè Rebellis, nullo indigebat motu. Theodoretus igitur ſe illi illic adjunxit, atque ita non modico affecit gaudio. Hinc igitur Alexander fecit ſuæ Provinciæ Synodum, & ex ipſa ad plures alias Provincias miſit præſentem Epiſtolam, conatus omnes abſtrahere à Communione Joannis. Accuſat illum de multis. Primò, quod Paulum Emeſenum præter omnium Orientalium Epiſcoporum voluntatem legaverit Alexandriam. Et certè Legationem iſtam Joannes cum ſolo Berrhæenſi Acacio, & pauciſſimis Collegis concepit, & fuit executus. Attamen non ſine juſtis rationibus. Eas ſupra expoſui. Alexander ac ejus Synodus accuſant Joannem ſecundò quod tyrannicè, & non Eccleſiaſticè damnationem ſolverit: Et quidem damnationem factam aut firmatam à ducentis ferè Epiſcopis. Quod ipſam ſolverit cum duobus aut tribus ſuæ Tyrannidis Complicibus, omnes alios contemnens ſuæ Diœceſis Epiſcopos. Agunt de damnatione Ægyptii, id eſt, Sancti Cyrilli: Nempe illa, qua ipſum unà cum Memnone Joannes Epheſi degradarat.

Et hinc quædam addiſcimus. Primò, quod Damnatio illa, à ſolis triginta & aliquot Epiſcopis facta, poſtmodò confirmata fuerit à ducentis ferè Epiſcopis. Nempe Epheſo redux Joannes damnationem iſtam in variis Synodis iterarat, & ſubſcribi fecerat à ſuis Epiſcopis. Et quia hi non explebant tantum numerum, id ipſum fieri impetravit ab aliis ſuæ Factioni adhærentibus Provinciis. Secundò diſcimus, quod omnis hæc Alexandri Synodus firmiter crediderit Cyrillum agnoviſſe iſtud vinculum, ac ab eo per Joannem fuiſſe ſolutum ac ſeparatum. Nempe Joannes, ut ductos ſuos Epiſcopos ſuaviter induceret in pacis amplexum, iſtud ſparſerat: Et quidem tanta arte ut etiam conjurati Pacis hoſtes ea de re ne vel ambigerent. Ità illis perſuadere ſtuduit, ſe non ſuccubuiſſe Cyrillo, ſed ejus evaſiſſe victorem. Verùm præſens Synodus cenſuit ſolutionem fuiſſe vacuum ac inane attentamen, ideoque Joannem per initam cum Cyrillo communionem cecidiſſe in eamdem ſcabiem: Hinc & ejus communionem abjecerunt.

Joannem accuſant tertiò quod Neſtorium, qui neque judicatus erat, neque quidquam præter Sanctorum Apoſtolorum aut Beatorum Patrum doctrinam docuerat, crudeliter ac latrocinaliter per iſtam pacem occidiſſet. Nempè probando & ſubſcribendo ejus Epheſinam damnationem. Quartò, quod per iſtam comprobationem prævaricatus ſit plura ſua Acta & Scripta. Nempè Acta apùd Epheſum, & Scripta pro Neſtorio teſtimonia, quæ & ante Epheſinam Synodum, & ex ipſa, & poſt ipſam tranſmiſerat, nondumtaxat per ſuam Patriarchalem Diœceſim, ſed etiam in Galatiam, Cappadociam ac alias Provincias, terra & mari conteſtans Virum eſſe integrum atque maximum. Quintò, quod non ſolam injuſtam Perſonæ degradationem admiſerit, ſed inſuper anathematizari juſſerit ejus Doctrinam, quam per tot acta & Scripta judicarat & clamarat Orthodoxam. Et hoc capite pertinaciter cenſuerunt Joannem eſſe manifeſtum Chriſtianitatis deſtructorem.

Notanda ſunt hæc verba: *Verumtamen & his geſtis, ſilentium nunc uſque tenuimus, aliquam mutationem horum triſtium ſuſtinentes, & Eccleſiæ tranquillitatem videre cupientes*. Ex præſentibus huic Synodo Epiſcopis tangunt ſolum Theodoretum. Hic enim anteà Neſtorianæ & Perſonæ & Doctrinæ damnationem, licet nec probaſſet nec admiſiſſet, diſſimularat tamen, atque ita pacem admiſerat: Non ſolam Cyrilli Communionem, ſed etiam Ordinationem Maximiani. Inſuper totis viribus ſtuduerat Metropolitam Alexandrum ad eamdem Diſpenſatoriam diſſimulationem inflectere. At verò nunc, videns ſuam diſſimulantem patientiam in pejora proficere, recantat omnia, adjungit ſe ſuo Metropolitæ, & excutit Joannis Communionem: Quia nempe Theodoretus huc uſque intra ipſam fuerat. Forſitan & quorumdam aliorum Epiſcoporum ſeparatio non erat adeo vetus. Etiam notandum eſt, quod omnes Euphrateſiæ Epiſcopi nequaquam adfuerint huic Synodo: Etenim defuit Andreas Samoſatenſis, Joannes Germaniceienſis, Meletius Neo-Cæſaræenſis, & plures alii. Crediderim Andream fuiſſe defunctum. Et Patriarcha Joannes, præfatam Sacram executus varios Epiſcopos ejecerat; & eorum Succeſſores averſabantur ei Rebellem Metropolitam.

Et

Et hoc in Patrisrcbam Joannem eſt ſextum, ac palmare accuſationis caput, eujus eanſa Theodoretus ſuæ diſpenſatoriæ patientiæ ex integro valedixit, ae ſe adjunxit Metropolitæ Alexandro: Nempè qnod Joannes legitimns Epiſcopos ejiceret, ac intruderet alios. Et quidem manifeſtè indignos. Homines palam impudicos. Quod eos contra leges ordinaret. Nempe in aliena Provincia. Quod ipſos ordinaret per Simoniam. Et qnidem per peſſimam Simoniæ ſpeciem, pecuniam. Et qnod ipſorum impudicam vitam ſtatim poſt Ordinationem divulgaret. Forſitan ut illos, dum ob publicam ſuam indignitatem degradari metnnnt, redderet ſibi plenè nbnoxios. An bæc vera ſint, an potiùs calumnioſa & Scbiſmatica figmenta, non poſſum affirmare. Interim ob iſta Tbeodoreius excuſſit Joannis obedienriam & Communionem, & ad iſtud ipſum ſtuduit pertrabere omnem Antiochenum Patriarchatnm, ac aljas item Provinciss. Ex bis videmus, in quanto pretin tanc apud Orientales fuerit caſtitas Epiſcoporum.

---

## CAPUT CXXX. —218

*Domino*, inquit, *meo, per omnia Deo Amiciſſimo Patri, atque Sanctiſſimo Alexandro, Tbeodoreto, Heliadi, Abbibo, Maræ, Davidi, Acilino, Helladius, Matronianus, Cyrillus, Zenobius, in Domino gaudere.*

DOlenda & intnlerabilia quidem, quæ à veſtra nobis nuper ſcripta ſunt Sanctitate, o Religioſiſſimi, non autem nova, nec aliena à confuſione præſentium temporum, & ab his quæ ex illo præſumpta ſunt tempore, quo vel in Epheſo, vel poſt hæc inconvenienter ae peſſimè in Canonum contumeliam geſta ſunt. Quæ per ordinem recordati, & ingemiſcentes à profundo, tractavimus apud nos communem Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum Synodum congregare, ac litteras Synodicas veſtiæ Deo Amabilitati *deſtinare. Sed poſſibile* non fuit, probibentibus, ut videtis, diebus, eò qnod Paſcbæ feſtivitas inſtet. Nos qui in Metropoli ſnmus inventi, & Deo favente nnam ſententiam novimus eſſe cunctorum, ſicut ex perſona commnnl boc tantum veſtræ Deo Amabilitati reſeribimus, quia nportet ad cunctorum Dominum deprecandum nos ferventiùs erigi, quia nec eſt poſſibile, ſicut ipſi qnoque fatemini, Deo Amiciſſimi, aliunde operiri tantnrum malorum ſolutinnem. Licet enim propter noſtrorum multitudinem peccatorum deteriora firmentnr, & augeatur apud eos, qni ſic volnnt, contnmelia Regularum, ſed ſi voluerit Deus, ſola ynluntate placabit multiplicem & importabilem Diabolicarum magnitudinem tempeſtatum.

Et hæc ſcribimns, non quaſi Sanctitas veſtra Monitis noſtris indigeat, ſed quia nimia difficultate temporum deſperamns. Et quod tanta & talia, quæ audivimus, mala fieri permittantur: Quæ tamen Deus ſuæ benignitatis more potens eſt amnvere, & præſtare ſuis Eccleſiis celerem pacem. Orate pro nobis Deo Amiciſſimi, & omnem, quæ vobiſcum, Fraternitatem ex nobis, & ex eis qui nobiſcum ſunt, plnrimùm ſalutare.

## SCHOLION.

HElladins Tharſenſis Epiſcopus, primæ Ciliciæ Metropolita iſto tempore erat adversùs pacem ae Joannem Patriarcbam non minùs atrox ae durus, quam Alexander. Erat enim unus iſtorum qnatuor, quos Sanctus Cyrillus exeluſerat à pace, adeoque ſanxerat in ipſos exeqnendam ſententiam degradationis, qnam tulerat Epbeſina Synodus, & Conſtantinopolitanns Maximiani Conventus confirmaverat. Erat nnns illorum, qni ad Xiſtum Pontificem appellarat, & quem Pontifex non plenè exaudiverat. Hinc Alexandri Synodalia Senſa plenè probavit. Ex ejus Reſponſo diſcimus, quod Alexander ab omnibus, ad quas ſcripſit, Provinciis poſtularit fieri Synodnm ac ſibi Synodaliter reſponderi. Erat aptiſſima via ad turbandam nmnem Orientalem Eccleſiam. Et hinc diſcimus fundamentum ex qnn Imperator Theodoſins Theodoretum poſtmodo relegavit ab nmni Antiocbeno Patriarchatu, & eircumſcripto exilio ligavit intra Cyrenſem eivitatem. Commonitnrium, quod Theodoſins propria mann ſcripſit, ae militum Magiſtro exequendnm dedit, erat bujns tenoris: *Quoniam Tbeodoretus, Cyrenſis civitatis Epiſcopus,* Epiſt.80. *aſſiduè congregat Synodos, turbatque ea re Orthodoxos, da operam congruenti moderatione ac prudentia ut in Cyro ſe contineat, nec ad aliam Civitatem proficiſcatur.* Exſtat in litteris ipſius Theodoreti.

## CAPUT CXXXI. --219

*Dominis*, inquit, *meis*, *&* *per omnia Deo Amiciſſimis*, *&* *Sanctiſſimis Epiſcopis*, *Alexandro*, *Theodoreto*, *Heliadi*, *Abbibo*, *Maræ*, *Davidi*, *Acilino*, *Hermogenes*, *Meletius*, *Heſychius*, *Heliodorus*, *in Domino gaudere*.

NOs quidem, ex quo iniquitates commiſſæ ſunt contra ſanctarum Dei Eccleſiarum Decreta, ex tunc lugemus, & ſumus in multo dolore. Nunc autem Sanctitatis veſtræ ſuſcipientes Epiſtolam, & quæ ſunt facta noſcentes, altetius triſtitiæ augmenta ſuſcepimus, cogitantes quod per omnia Eccleſiaſtica Decreta calcentur. Oportebat verò & Sanctitatem veſtram, quia id quod docet omittunt, & ſuper peccata ſua majores adinveniunt injuſtitias, per ſingulos dies eſſe attentos in cauſa, & celerrimè ordinare, & non protrahere tempus, ut illi nocentes faciant quæ fecerunt. De communione enim arbitramur meminiſſe Sanctitatem veſtram, quia reſcripſimus Religioſitati veſtræ & anno præterito, indicantes vobis hoc ipſum, quod nos ſeparaſſemus ab eis uſque adeò, ut non quieſcant per ſingulos dies, in quibus poſſunt, debellare nos. Sed qui pugnat pro injuſtitiam patientibus Deus, ipſe per orationes veſtras, quod expedit ſanctis ejus Eccleſiis celeriter faciat & det nobis de reliquo à malis requieſcere. Et nunc verò id ipſum reſcribimus, acquieſcentes eis, quæ veſtræ viſa ſunt Sanctitati. Religioſitatem veſtram, & eos qui cum ea ſunt, nos & qui nobiſcum ſunt, plurimùm ſalutamus.

### Scholion.

HÆc Epiſtola eſt ſecundæ Ciliciæ Reſcriptum, & affirmat iſtam etiam Provinciam tunc ab anno fuiſſe ſeparatam à Communione ac obedientia Patriarchæ Joannis. Non eſt Synodalis. Deeſt enim Metropolita Maximus. Ignoro rationem. Notanda ſunt verba: *Oportebat verò & Sanctitatem veſtram, quia id quod docet, omittunt, & ſuper peccata ſua majores adinveniunt injuſtitias, per ſingulos dies eſſe attentos in cauſa & celerrimè ordinare, & non protrahere tempus, ut illi nocentes faciant, quæ fecerunt*. Joannes Patriarcha videtur non dumtaxat in dejectorum à ſe, ſed etiam in defunctorum Epiſcoporum Sedes conſecraſſe alios. Hinc Cilices Epiſcopi Alexandrum Metropolitam ac ejus ſuffraganeos arguunt, quod ipſi non ſtatim ordinarint, quod permiſerint vacare Eccleſias, quod ita Joanni tempus & anſam dederint faciendi quod fecit.

## CAPUT CXXXII. ---220

*Epiſtola*, inquit, *Alexandri Epiſcopi Apameæ ad Deo Amiciſſimum Alexandrum Epiſcopum, quam reſcripſit rogans, ut ubi poſſibile eſt convenirent ad deliberandum de his, quæ geruntur, quid fieri oporteret*.

VOlebam tuæ colloqui Sanctitati, & de his quæ aguntur, conferre. Quod non nunc priùs deliberare concepi, ſed olim: Et diverſis impedimentis revocatus ſum. Aliquando quidem ab inſtante corporali infirmitate, cujus adhuc reliquias fero, nonnunquam verò ex cauſſis, quæ nos coarctant. Quia igitur nec me illuc modò, nec tuam Sanctitatem huc venire ſancti dies permittunt, dignare in itineris medio, in aliquo Monaſterio, aut Vico, ubi tibi placuerit, fatigari, & colloqui nobis. Hoc enim & mihi, & tuæ expedit Sanctitati. Et ſicut coram Domino dico, niſi præſens ſanctus dies officeret, non me illuc venire pigeret. Si igitur hoc fieri approbas, dignare innoteſcere mihi, & ubi & quando aderis, ut eadem die concurramus.

### Scholion.

ALexander Apamæenſis Epiſcopus, ſecundæ Syriæ Metropolita Alexandro Hierapolitano erat non modicè amicus. Etenim ambo ſimul à Joanne Patriarcha, proficiſcente ad Epheſinum Concilium, & in via moras nectente, fuerunt ſimul præmiſſi, Sancto Cyrillo denuntiaturi, ut Joannem cum ſuis Epiſcopis non exſpectaret ulteriùs, ſed ad Synodales Actiones procederet. Hinc Hierapolitanus ad Apamæenſem non ſolas præfatæ ſuæ Synodi miſit litteras, ſed adjungit alias familiares, invitantes illum ad amicum de ſummis his negotiis Colloquium. Et Apamæenſis reddidit præſens Reſcriptum. Plenum arte. Etenim ipſe adhærebat Antiocheno. Eſt ejuſdem temporis. Nam & ipſum reclamat ad vicinum Paſcha.

CAPUT

## CAPUT CXXXIII. –221

*Epiſtola*, inquit, *Theodoreti Epiſcopi ad Magnificentiſſimum Magiſtrum Militum ſcripta de his.*

QUanticumque Divinæ agnitionis lumine digni facti ſumus, & illius radii nitorem ſuſcepimus, credimus & eſſe Deum, & humana intendere, & ſapienter omnem gubernare creaturam: Quippè quam produxit, & cui eſſe donavit. Cernens igitur atque conſpiciens eam, utique bonis gaudet operibus, iniquitatem verò, & alia malignitatis ſtudia reſpuit. Dum verò abominetur iſta, & illa recipiat, omninò utique juſtas retributiones metitur operariis horum: Et neque dignitatem, neque divitias, neque Potentatum, neque aliquid horum, quæ in hac vita præclara ſunt, judicat computanda, ſed mentis fructus, & cogitationum partus, & rerum diſcutit actiones. Eos autem, quibus majores diſpenſationes commiſit, majores exigit
Sap. 6. ultiones. Inquit enim Scriptura Divina: *Potentes potenter tormenta patientur. Et cui multum eſt*
Hebr. 4. *datum, multum ab eo & exigent. Et omnia nuda & aperta ſunt coram eo. Et omnes adſtabimus Tribunali Chriſti, ut recipiat unuſquiſque per corpus*
2. Cor. 5. *qualia egit. Seu bonum, ſive malum.* Et Beatus
Pſalm. 61. David clamat ad Deum: *Quia tu reddes ſingulis ſecundùm opera eorum.*

Quia ergo hanc habes, Optime, fidem, & in terminis ac legibus Scripturæ Divinitùs inſpiratæ permanere deſideras, & magnam illam, terribilem, deſiderabilemque Salvatoris noſtri præſentiam ſuſtines, in qua retributiones quiſque ſecundùm vitam ſuam converſationemque recipiet; noli, oro, deceptoribus credere, nec facilem præbeas aurem tentantibus fallere. Sed
Job. 12. fortiſſimo Job crede, dicenti: *Quia auris verba dijudicat, guſtus autem cibos degaſtat, in multo verò tempore ſapientia invenitur, & in longa vita diſciplina.* Et ab eis, qui nos calumniari & accuſare pertentant, exige ultionem. Si unquam in vico Eccleſiaſtico agreſtium multitudinem congregantes armavimus; ſi Operariis, Curatoribuſve præcepimus reditus non præſtare Præpoſitis: ſi aliquid eorum, quæ ad eos pertinent, retinuimus. Dum certè multa millia injuſtitiarum nobis ab eis irrogata ferremus.

Grandem ſiquidem contra nos multitudinem congregantes, incendere minabantur Sanctorum, bonorumque Victorum, & Athletarum Chriſti, Coſmæ & Damiani Baſilicam: Et quod minabantur, forſan opere perpetraſſent, niſi occurſum noſtrum reverita multitudo fugiſſet. Expetat ab eis ultionem Magnificentia tua pro impietate commiſſa in Sanctiſſimum Abbibum Epiſcopum, quem nobis ejecerunt ſemi-vivum, nec vitæ finem in lectulo eum ſuſcipere permittentes, qui nec libellos refutatorios dedit, neque delirus eſt factus, & perdidit intellectum, ſicut mentiuntur, ſe excuſare tentantes. Et cognoſcet hoc Magnificentia tua ex litteris, quæ ad nos ab eo ſunt ſcriptæ, cujus veſtræ Magnitudini paria deſtinavi, ut ex eis agnoſcaris impietatis, quæ in illo præſumpta eſt, magnitudinem. Nonne perquam optimè à communione eorum nos ipſos abſcidimus? Sed juſti judicis judicium formidantes.

Scimus namque ſubtiliter Athanaſii vitam. Deprehenſus eſt enim & apud nos in Xenona, turpiter vivens. Et vivunt adhuc ex eis, qui eum detexerunt, multi, & teſtimonio digni. Sed & in Regia urbe multos habet, qui conſpexerunt ejus illecebras, Præfectianos, Magiſtrianos, & Publicos civitatis, quorum teſtimonia, in Scripto nobis Chalcedone oblata, nos legimus, & qui eum conſecravit illicitè. De Mariniano enim dicere ſuperfluum puto, qui omnibus ferè Antiochiæ habitatoribus parvo tempore factus eſt notus. Multi ſunt Canones, qui præcipiunt non debere Epiſcopum conſecrari, neque abſque Metropolitano ſuo, neque ſine Decreto ſuæ regionis Epiſcoporum, ſed ut aut cunctis præſentibus Ordinatio celebretur, aut illis ſolis abſentibus, qui vel propter infirmitatem, vel propter alias neceſſarias occupationes abfuerint, & per Scripta conſentiunt: Ut Chriſti Gregum Paſtores cum concordia conſecrentur ac pace.

Si quis verò his omiſſis fuerit ordinatus, hujuſmodi Ordinationem infirmam, reprobamque eſſe dixerunt. Contra Legem verò agentes, & in aliena Provincia ordinantes, & ipſos Canones deponi præcipiunt. Hæ nos Leges, ab illis tranſgreſſæ, ab iniquitatis Authorum communione recedere compulerunt. Non enim diſcordiæ & rixæ ſervivimus, ſicut tua ſuſpicata eſt Magnitudo, nec perturbationibus delectamur & turbis, ſed omnia eligimus pati, quam calcari Eccleſiaſticas ſanctiones. Idcircò illum alium Abſalon contra Patrem renuivimus oblatrantem, atque ab eo accepimus juramentum, quod Dolichienſium non invaderet civitatem, adhuc illo ſuperſtite, qui eum Presbyterum, Diſpenſatoremque conſtituit, commiſitque ei ſacras pecunias, & continuò dimiſimus eum.

Qui jurans decem millibus Sacramentis, non per Scripta ſolùm ſed etiam ſine Scriptis ſub teſtium præſentia plurimorum, moxque impietatem tantam deſpiciens, & nec Patris ſenectam miſeratus, nec communionem menſæ formidans, nec naturam reveritus, tanquam Tyrannus Doliebium comprehendit. Propter hæc adversùm nos pugna ſurrexit, & nos illam equorum phalangem cum voluptate ſuſcepimus, & vituperationem, quæ variis Præceptis eſt poſita. Memores Domini Legum, qui dixit: *Beati eſtis, cum exprobraverint vos, & perſecuti vos fuerint, & di-* Matth.
*xerint omne verbum malum contra vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Cœlo.* Et iterùm: *Si Mundus vos odit, ſcitote quia & me priorem vobis odio habuit.* Joan. 15.

*Si de*

*Si de Mundo fuiſſetis, Mundus quod ſuum erat diligeret. Quia verò de Mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de Mundo, ideò odit vos Mundus.* Sed & Beatus
2. Tim. 3. Paulus conſolatur nos dicens: *Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. Mali autem homines & Seductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.*

Et propter hæc quidem delectamur, dum contumeliam vel irriſiones patimur, & tam fortiter ac peſſimè impugnamur. Dum verò recordamur, quia vir pius, fide ornatus, habens charitatis maximam curam, reſurrectionem judiciumque exſpectans, & juſtam retributionem ſuſtinens, nequidquam contra nos tale iter aſſumpſit, & publicè in nos propoſuit contumelias, & Deo Amiciſſimos Circitores injuſtè trahi præcepit, dolemus animo, & magnis tribulationibus vul-
Pſal. 54. neramur. Ait enim Magnus David: *Si inimicus meus exprobraſſet mihi, ſupportarem utique. Et ſi hic, qui odit me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſconderem me utique ab eo.* Undè injuriam quidem fortiter ſuſtinemus, & Domino ſupplicamus veniam dare peccatis. Didicimus namque à Diviniſſimo Paulo dicere: *Injuriam ſuſtinentes bene-*
1. Cor. 4. *dicimus. Dum perſecutionem patimur, toleramus: Dum maledicimur, ſupplicamus. Sicut purgamenta Mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque nunc.* Rogamus verò Magnificentiam veſtram non facilè credere his, quæ dicuntur, nec abruptè adverſùm nos accuſationes excipere, ſed ſubtiliter quærere veritatem. Sic enim & placabis omnium Dominum, & fructus gloriæ carpes apud homines univerſos.

## SCHOLION.

EXponenda eſt præſenti Epiſtola comprehenſarum rerum ſeries. Inter Euphrateſiorum Epiſcopos, quos Joannes Patriarcha ob rebellionem volebat ejectos, erat Abbibus Dolichienſis Caſtri Antiſtes. Joannes igitur eò acceſſit, ejecit Abbibum, virum ſenem, lecto ex gravi infirmitate affixum, ac ſemi-vivum, & in ejus locum conſecravit, neſcio quem Presbyterum, Œconomum iſtius Eccleſiæ. Et quò Factum ſuum purgaret ac firmaret apud Plebem, dixit illum præ ſenio delirare, renuntiaſſe Cathedræ, ac dediſſe Libellos Refutatorios. Verùm poſt Joannis abitum Theodoretus, Alexander Metropolita, ac alii iſtius Provinciæ ac Factionis Epiſcopi, graviſſimè offenſi in illud opus, alium hunc ut novum Abſolon Patri, cui oblatrarat, rejecerunt, & juramento adſtrinxerunt, quo ille ſpopondit Dolichienſem Civitatem, quo uſque Abbibus viveret, non intrare, nec importunus eſſe Epiſcopo, à quo tot beneficia acceperat. Nempe à quo fuerat in Presbyterum conſecratus, & conſtitutus Eccleſiæ Œconomus. Voluerunt Abbibum eſſe ex integro ſecurum: Hinc novo ipſi Abſoloni impoſuerunt, ut nec Civitatem intraret. Et obſtrinxit ſe decem Juramentorum millibus. Et ſcripto & verbo. Et in præſentia plurimorum Teſtium. At ecce mox tantam perjuriorum impietatem deſpiciens, ut nec Patris ſenectutem veneratus, nec Communionem Menſæ formidans, nec naturam reveritus, tanquam Tyrannus Dolichium comprehendit, ac tentavit ejicere Abbibum.

Aſt Abbibo favens Populus rejecit iſtum novum Epiſcopum, & civitate extruſit: Juxta ejus juramenta. Et videtur egiſſe ex juſſu, aut certè conſilio Alexandri Metropolitæ, Theodoreti, ac aliorum iſthic Antiſtitum. Hinc factum eſt, quod Theodoretus adjungit: *Propter hæc adverſùm nos pugna ſurrexit, & nos illam equorum Phalangem cum voluptate ſuſcepimus, & vituperationem, quæ variis Præceptis eſt poſita.* Theodoretus hæc juſſa appellat contumelias, irriſiones, fortem & peſſimam impugnationem. Explanatur ab his verbis: *Dum recordamur, quia vir pius nequidquam contra nos tale iter aſſumpſit, & publicè in nos propoſuit contumelias, & Deo amiciſſimos Circitores injuſtè trahi præcepit, dolemus animo, & magnis tribulationibus vulneramur.*

Notanda ſunt & hæc verba: *Si unquam in Vico Eccleſiaſtico Agreſtium multitudinem congregantes armavimus; Si Operariis, Curatoribuſque præcepimus reditus non præſtare Præpoſitis; ſi aliquid eorum, quæ ad eos pertinent, retinuimus.*

Dicuntur varia: Primò, quod Dolichienſis Eccleſia habuerit Vicum Eccleſiaſticum. Hoc eſt pagum ſpectantem ad ſuum dominium. Adeò vetuſta eſt iſta Eccleſiaſtica poſſeſſio. Secundò, quod Abbibus ad rejiciendum ſuperordinatum ſibi Epiſcopum, iſtos etiam agreſtes armaverit. Tertiò, quod ad reprimendam hanc violentiam legatus fuerit Magiſter Militum, & quod is miſerit Phalangem Equitum. Quartò, quod publici Operarii, ac ipſorum etiam Curatores videantur adjuviſſe Milites ac novum Epiſcopum, & quod idcirco Abbibus publicorum operum Præpoſitos ſeduxerit, ne eis perſolverent ſtipendia. Quinto, quod hac de cauſa ipſe Militum Magiſter venerit Dolichium, & illic contra Theodoretum ac alios iſtius Provinciæ Epiſcopos publicaverit Edicta. Quia nempe omnia iſta imputabantur iſtis Epiſcopis. Porrò Circitores erat quarta ſpecies Agentium in rebus: Palatina Militia, ex officio erat conſueta publicare ſimilia Edicta, & exequi. Eos Militum Magiſter non miſit, ſed trahi juſſit ad præfatum opus: Utpote invitos.

Theodoreti ad Alexandrum defectio fuit Joanni acerbiſſima. Noverat enim ejus acre ingenium: Et ad bonum & ad malum. Et ei imputavit omnes has Dolichienſes turbulentias. Hinc Orientalis Militiæ Magiſtrum, ſui operis Executorem, impendit ad Theodorerum monendum ac terrendum, ut niſi rediret ad Joannis Patriarchæ Communionem ac obedientiam, expectaret ſimilia: Ejectionem è ſua Cathedra. Et Magiſter eſt functus officio. Et ejus Litteris Theodoretus per has præſentes reſpondet. Expurgat & ſemet-ipſum ſuper deſerta Joannis communione, & Dolichienſes ſuper turbulentia. Deſertionis

adducit

adducit plures cauſas. Primò, quod Joannes Dolichienſem Epiſcopum, temerariè & crudeliter ejecerit, etenim Virum juſtum, infirmum, affixum lecto, & per jam expoſita mendacia. Secundò, quod in conſecrando novo Epiſcopo ſit prævaricatus quartum Nicænum Canonem, qui disertè mandat, ne Epiſcopus ordinetur ſine Judicio proprii Metropolitani, ſeu ſine Decreto Comprovincialium Epiſcoporum; Qui mandat ut omnes Comprovinciales ſint præſentes, & ut ex legitima cauſa abſentes conſentiant per proprias litteras. Et ex hac iſtius Canonis per Theodoretum paraphraſi diſcimus, quod illum Orientalis Eccleſia tunc non de ſola Epiſcoporum Electione, ſed etiam de Conſecratione intellexerit. Tertiò dicit, quod iſtiuſmodi Conſecratio, licet non irrita, ſit tamen infirma & reproba, & quod iſtiuſmodi alieni juris ac alienæ Provinciæ Invaſor ſit per Canones reus, non ſolius Communionis diſrumpendæ, ſed etiam degradationis. Ex his concludit Joannis Communionem fuiſſe meritò diſruptam.

Dolichienſes non ſolummodò purgat à turbulentia, ſed inſuper omnem hanc conatur in Joannem traducere. Primò, quia Dolichienſes meritò fuerunt anxii pro ſuo Epiſcopo, ſene, innocente, graviter infirmo, paſſo calumnias. Secundò, quod nullos motus fecerint, ſed Superordinatum illis Presbyterum gratiosè & pacificè ad cedendum induxerint. Tertiò, quod omnes ſecuti motus ſint opus Joannis. Quartò, quod Abbibus Operarios publicos, aut ipſorum Curatores non procurarit privari ſtipendiis, & quod Dolichienſis Eccleſiæ Pagenſes non coiverint in multitudinem niſi ad defendendam ſuam Baſilicam Sanctorum Coſmæ & Damiani. Hanc enim immiſſa à Joanne militaris multitudo minabatur incendere: Et quò minùs incenderit, fecit timor excurrentis Ruſticæ multitudinis. Hinc concludit nec à ſe, nec à Dolichienſibus exigendas pœnas, ſed à ſolo Joanne. Et denuò adjungit, quod Joannes Athanaſium ac Marinianum, obſcænos ac infames homines, publicos Lupanarium frequentatores, quorum flagitia ſint & Conſtantinopoli & Antiochiæ notiſſima, etiam Præfectianis, Magiſtrianis, ac aliis publicis civitatum Miniſtris: Quod, inquam, Joannes iſtas humani generis fæces in Epiſcopos conſecrarit. Nec poſſit allegare ignorantiam. Etenim dum unà cum Theodoreto ac aliis Epiſcopis ſuæ Epheſinæ Factionis Legatus fuit Conſtantinopoli, Præfectiani ac Magiſtriani Athanaſium, tunc forſitan ejus Presbyterum aut Diaconum, apud ipſum accuſarint de iſtis flagitiis, & addiderunt probantia teſtimonia. Et hæc, ſibi à Joanne communicata, Theodoretus affirmat ſe vidiſſe ac legiſſe. Hinc denuò concludit Joannis Communionem eſſe derelictam non ſine rationibus. Porrò hæc omnia conſiſtunt in facto. Et omninò credibile eſt, quod utraque pars, ex ſolemni humanæ infirmitatis more, miſcuerit veris falſa.

## CAPUT CXXXIV. --222

*Libellus Reverendiſſimis & Deo Amiciſſimis Epiſcopis, Alexandro, Theodoreto, Maræ, Davidi, Acilino, ab Abbibo Epiſcopo Dolichii miſſus, per quem indicavit quæ ab Antiocheno iniquè commiſſa ſunt.*

PErvenit ad me, quod apertam contra Sacerdotii culmen tyrannidem, & ſuam coram cunctis metuentes infamiam, qui me ab urbe mea pepulerunt, opinionem falſam ubique ſeminaverint, quod non priùs in Dolichin Epiſcopum fecerint, quam refutatorios à me libellos acciperent. Innoteſco igitur vobis, per orationes veſtras jurans, quia neque libellos refutatorios Antiocheno direxi, neque unquam volens ab hoc Epiſcopatu recedam, & violenter expulſus ſilere non patiar, ſed veſtra nihilominùs Sanctitate pro me ſuis orationibus concertante, non me pigebit, ut ſpero, nec ſubire itineris longitudinem, nec ad plurium concurrere Epiſcoporum Concilium. Talia enim ſuſtinui pacis tempore, qualia nullus, dum contra pietatem facere cogeretur, ſuſtinuiſſe monſtratur. Nullum igitur locum apud veſtram Religioſitatem illorum falſitas habeat, qui excuſant excuſationes in peccatis. Et nunc quidem dicunt, quod à me defuncto ad alterius Ordinationem perducti ſint; nunc autem quod à me fuerint dati libelli, per quos Epiſcopatus repudiaverim curam.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola omninò præceſſit præcedentem. Eſt ſcripta ſtatim poſt ejectum Abbibum. Affirmat quod Joannes Patriarcha, *ſuam coram cunctis infamiam metuens*, ad purgandum ſuum facinus ſparſerit varia, & quidem non dumtaxat falſa, ſed etiam contraria. Alibi Abbibum defunctum, alibi ſparſit ab illo Antiochiam fuiſſe miſſos Libellos Refutatorios. Per hanc igitur epiſtolam Abbibus proteſtatur hæc omnia eſſe falſa, invocat ſuæ Provinciæ Metropolitam, ac omnes Epiſcopos, rogat fieri Synodum, & ſuæ calamitati dari remedium. Propter hanc igitur epiſtolam Alexander Metropolita fecit Synodum, & ex ipſa ſcripſit ſupra adductas litteras ad Epiſcopos Syriæ, Ciliciæ, ac aliarum Provinciarum. Et forſitan hæc epiſtola poſſit eſſe cauſa, cur Theodoretus ſe Alexandro adjunxerit. Quare debuerit in Caſſinenſi Codice poni ante plures jam adductas. Porrò de Refutatoriis Epiſcoporum libellis frequens eſt apud Antiquos mentio. Etenim ad Domnum Antiochiæ Patriarcham,

cham, hujus Joannis Succeſſorem, de quodam Petro Epiſcopo per ipſum degradato, & adverſùs Sententiam reclamante, ſcripſit Sanctus Cyrillus: *Renuntiationis autem Libellos non ſua voluntate, ſed veluti vi ac metu, & aliquorum minis, ſe tradidiſſe dicit. Jam verò alia quoque res eſt, quæ Eccleſiaſticæ Conſuetudini non placet, offerre Sacerdotes aliquos Renuntiationis Libellos: Nam ſi ſunt digni qui Sacra Myſteria obeant, in eis maneant; ſin autem indigni, nec per Renuntiationem quidem exeant, ſed potius propter Geſta condemnati.* Affirmat Libellos iſtos, licet non per Canonem, improbari tamen per meliorem Eccleſiæ Conſuetudinem. Et ejus ratio eſt optima. Secundò affirmat iſtiuſmodi Libellos, dum ex rationibus admittuntur, debere eſſe ſpontaneos, non extortos per metum, vim, aut minas. Et ad Hormiſdam Pontificem de Paulo Antiocheno Patriarcha, ob exceſſus degradari metuente, ſcripſerunt Imperator Juſtinus Primus, ac Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quod
80 obtuliſſet *Libellos Recuſatorios*, quibus deligebat deſignatæ Civitatis ac Epiſcopatus deſertionem. Et Pyrrhi, Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui ob Popularem in ſe tumultum reliquerat Cathedram ac Civitatem, Degradationem Theodorus Pontifex agnoſcere noluit, eò quod non dediſſet Libellos Refutatorios. Unde Pyrrhus illos ipſi dedit, & ſic fuit abſolutus. Habes hæc in Collectaneis Anaſtaſii Bibliothecarii. Et hinc vides Libellos iſtos ad Renuntiationis valorem fuiſſe ſubſtantialiter neceſſarios.

---

## CAPUT CXXXV. --223

*Epiſtola*, inquit idem, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, Theodoreti, Abbibi, Heliadis, Maræ, Davidis, Acilini, Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcoporum, ad Auguſtas, quibus ſcripſerunt innoteſcentes quæ ab Antiocheno diverſis vicibus in eos commiſſa ſunt.*

DEus pietate ornavit Imperium veſtrum: Undè & diutiſſimè permanſit, ac permanebit. Ipſe enim vos protegit. Et hoc ſæpius per ipſas res docuit Imperium veſtrum. Defendite igitur & vos, ò Amicæ Chriſti, ejus quæ oppugnatur Eccleſiam. Non quod indigeat manus humanæ ſolatio, ſed ut vobis ipſis inſeneſcibiles & æternas procuretis coronas. Quæ autem ſit pugna, hoc in brevi edocebimus. Venimus ad Epheſum pridem propter eas, quæ natæ ſunt, Eccleſiaſticasquæſtiones. Sed nec judicio facto, nec inquiſitione, nec conflictu, neque colloquio, quidam quidem depoſuerunt Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium, quidam verò contradixerunt depoſitioni, injuſtam eam iniquamque dicentes. Quorum unus fuit & Antiochenſium Præſul, ſicut & veſtra Pietas novit. Et multa quidem certamina pro en fecit Epheſi: ac plurima Chalcedone in Conſiſtorio & *coram* piiſſimo & Amico Chriſti Imperatore noſtro orthodoxum nominans eundem virum & ipſam depoſitionem de iniquitate accuſans. Sed poſtquam rediit inde, & dejectionem ſuſcepit, & anathematizavit dogma veritatis. Adjecit verò his & alteram iniquitatem, his quoque pejorem. Eos enim, qui communicare ſibi in hoc homicidio & impietate noluerunt, è diverſo impugnat. Undè & contra noſtram Provinciam oblatravit, & contra Sanctorum Patrum Regulas duos Epiſcopos ordinavit, abominabiles viros atque perverſos, & totius operatores laſciviæ. Pervaſit verò & Martyrium Sancti & boni Victoris Sergii Martyris; quod ſub Hierapolitana erat Eccleſia, & noviter illic contra morem ordinavit Epiſcopum, cujus nec latet iniquitas, ſed omnibus nota eſt. Ob hoc compulſi ſumus Deo Amiciſſimos Clericos ac Monachos deſtinare cum præſentibus litteris, per quas veſtram quæſumus Pietatem, ne deſpiciatis Eccleſias Dei, ſed edoceatis de his, quæ contra nos fiunt, iniquitatibus piiſſimum & Amicum Chriſti Principem noſtrum, ſuadeatis verò, ut jubeat ejus Imperium iniquas Ordinationes vacare, Epiſcopos verò noſtræ Provinciæ ſecundùm Sanctorum Beatorumque Patrum Regulas Ordinationes celebrare. Baſilicam verò Sancti & boni Victoris Sergii Martyris, ſecundùm priſtinum morem, ſub Eccleſia hujus eſſe Metropolis, *uti erat* antequam & magnum id ipſum templum fabricatum eſt, & illi altiſſimi muri, & alia intra eandem munitionem ædificia. Decet enim Sanctitatem veſtram, & hanc iniquitatem removere, & Sanctorum Beatiſſimorumque Patrum Regulas roborare, quorum orationibus veſtrum munitur Imperium.

### SCHOLION.

HÆ Reginæ, quibus inſcribitur præſens Epiſtola, ſunt omninò eædem quibus etiam Sanctus Cyrillus ante Epheſinam Synodum inſcripſit ſuos libros contra Neſtorium, & quarum laudes enarrat in primo Libro, & adjungit: *Illuſtres adeò, atque conſpicuæ eſtis, ut veſtræ virtutes ac rectè facta omnium Oratorum eloquentiam longè ſuperent. Nam & Regnum veſtram jam inde ab exordio longa temporum ſerie huc uſque propagatum eſt, & ulterius, ut credimus, impoſterùm adhuc propagabitur.* Nec non Regnum *Chriſti capeſcere & ea, quæ illi grata ſunt, facere & ſentire ſtudetis. Partim quidem præclaris actionibus ac inculpata fide præſtantes, partim veſtras ac Regias Aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique ſumptuoſiſſima Templa Chriſto extruentes.* De eiſdem

ſcribit

ſcribit in Apologetico libro ad Imperatorem Theodoſium: *Sed & clariſſimarum Auguſtarum æquis laudibus elucere perſpicitur*. Et addit ipſa eſſe *venerabilia & admirabilia Virginitatis germina*. Erant duæ Theodoſii Sorores, ſacræ Chriſti Virgines. Hermias Sozomenus adſcribit illi tres Sorores: Pulcheriam, Arcadiam, & Marinam. Et adjungit de Pulcheria: *Quæ licet nondum quin-*
Lib.9.c.1. *decim annos nata, ſuprà ætatem tamen ſapientem, ac verè Divinum ſenſum accepit. Ac primùm quidem ſuam ipſius Virginitatem Deo conſecravit, & Sorores ſuas ad idem vitæ genus informavit*. Marcellinus Comes addit quartam Sororem, & quidem Primogenitam, Flaccillam. Nempe illa in parvis annis ante Patris Arcadii mortem obiit, ideoque Sozomenus, qui ſolas defunćto Patri ſuperſtites laudat, illius non meminit. Quod ipſum facit Nicephorus Calixtus, conſuetus exſcribere Sozomenum aut Socratem. Quod Flaccilla in parvis annis obierit, Marcellinus palam inſinuat. Etenim omnibus aliis aſſignat ſuæ mortis diem, Flaccillæ ſolum diem Nativitatis. Nullam deinceps facit ejus memoriam. Et hinc mirum eſt, quod etiam Arcadiæ natalem annum non edixerit. Omnes quatuor Sorores laudat etiam Georgius Cedrenus, & adjungit: *Quæ cælibes longo vixerunt tempore*. Flaccillam appellat Falcillam.

Marcellinus Comes Arcadiam quinti ſæculi quadrageſimo tertiò, Marinam affirmat obiiſſe anno quadrageſimo nono. Anno uno ante fratrem Theodoſium. Et hinc naſcuntur duæ quæſtiones. Prima eſt, quare adversùs Neſtorium Sanćtus Cyrillus duas dumtaxat, non tres Reginas, ſeu Regias Sorores invocaverit? Secunda eſt, quare ſolas invocarit Sorores, non verò Eudociam, Regiam Theodoſii Uxorem? Ad primam reſpondeo, rationem colligi ex primo Collećtaneo Theodori Lećtoris: *Marina virgo in Palatio ante fratris ſui obitum è vivis exceſſit*. Proximo anno ante illius obitum. Et in Palatio. Arcadia videtur iſthic non habitaſſe, ideoque ſibi non attraxiſſe res Palatii. Proinde duæ iſtæ Reginæ ſunt Pulcheria & Marina. Iſtam ſcribendi rationem inſigniter illuſtrat laudatus Marcellinus ad ſeptimum Theodoſii Conſulatum, decimum ſextum iſtius ſæculi annum, ſcribens: *Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſcripſit ad Reginas, Arcadii Imperatoris Filias, de fide & virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Neſtorianum dogma impugnat*. Hoc igitur exemplum dedit Cyrillo fiduciam & calamum. Et hæc forſitan eſt etiam ratio, cur potiùs has Sacras Virgines, quam Eudociam Imperatricem imploraverit. Et certè Sacræ Virgines longè alio animo, quam ſæculares Reginæ ſolent Sacris Chriſtianæ fidei dogmatibus attendere.

Eſt & tertia quæſtio, quo fundamento & Atticus & Sanćtus Cyrillus Regias Sorores appellarint Reginas? Uti namque Regis Frater non eſt Rex, ita nec ejus Soror eſt ſtatim Regina. Reſpondeo rationem dari à Comite Marcellino, ſcribente ad Conſtantii & Coſtantis Conſulatum, annum decimum quartum iſtius ſæculi: *Pulcheria Theodoſii Soror Auguſta appellata eſt*. Atticus enim biennio poſt, ſcripſit aut vulgavit ſuum librum. Proinde utramque Sororem, inſcripſit Reginam, propter ſolam Pulcheriam. Et hinc etiam patet ratio, cur Sanćtus Leo Pontifex contra Epheſinum latrocinium invocaverit ſolam Pulcheriam. Quia nempe venerabilis Marina tunc obierat. Prima enim ad Pulcheriam Papalis epiſtola data eſt idibus Juniis, anno iſtius ſæculi quadrageſimo nono: Eo ipſo, quo Marina obiit. Ex quo non malè colligimus ejus mortem eſſe anteriorem, ac Pontifici, dum ſcripſit epiſtolam, fuiſſe notam. Hinc fortè etiam Marcellinus Comes illam ponit ante Epheſinum Latrocinium, fačtum eodem anno, at menſe Auguſto.

Ad eaſdem igitur Reginas præſens Euphrateſiç Provinciæ Synodus direxit has ſuas litteras. Metropolita Alexander videns quod nec Xiſtum Pontificem appellando, nec Joannem Patriarcham reclamando, nec Imperatorem Theodoſium ſupplicando, permovere potuerat, convertit ſe ad pietatem & zelum Reginarum: Per ipſas ſtuduit emiſſam Sacram revocare. Hinc apud ipſas non ſolum Patriarcham Joannem, ſed etiam Epheſinam Synodum accuſavit de variis, adeoque & ipſam tentavit exſufflare. Mirandum eſt, quod iſtiuſmodi precibus ac litteris etiam Theodoretus ſubſcripſerit. Certè hinc manifeſtatur eruditi viri verſatile ingenium. Nempe Theodoretus admiſit pacem per omnia: Etiam Maximiani Ordinationem. At Neſtorii damnationem nunquam niſi tandem in Chalcedonenſi Concilio compulſus, voluit admittere. Credidit quod talia non docuiſſet, ideoque nec ejus voluit anathematizare dogmata.

Præſens igitur epiſtola Epheſinam Synodum accuſat, quod Neſtorium damnarit ſine judicio, ſine inquiſitione, ſine conflićtu, ſine colloquio. Penitùs tacet de Capitulis. Joannem Patriarcham accuſat de longè pluribus. Primò, quod Epheſum adveniens fačtam Neſtorii damnationem penitùs improbarit, palam proteſtans injuſtam & iniquam. Secundò, quod ibidem ad defendendum Neſtorium, ac ejus damnationem exſufflandam fecerit multa certamina. Tertiò, quod una cum aliis Epiſcopis Chalcedonem Legatus fecerit plurima pro eiſdem rebus certamina, altè clamans Neſtorium Orthodoxum, ideoque iniquè damnatum: Ita clamans non dumtaxat coram Principe, ſed etiam in pleno Conſiſtorio. Quartò, quod domum redux damnationem receperit, ac inſuper Neſtorii dogma, quod omninò veritatis eſt, anathematizarit, atque ita prævaricatus ſit omnia ſua opera. Quintò, quod ſuo lapſu non contentus velit præcipitare etiam alios: Quod omnes compellat ſibi communicare in iſto homicidio atque impietate. Nempe in homicidio damnati Neſtorii, ac impietate anathematizatæ veritatis. Sextò, quod ſibi in his communicare nolentes impugnet ac perſequatur. Septimò, quod ſingulariter impugnet Euphrateſiam

Pro-

Provinciam. Octavò, quod illic legitimos Epiſcopos ejiciat, & contra Patrum Regulas ſuperordinet alios. Nonò, quod inter hos intruſerit duos abominabiles viros, operatores omnis laſciviæ. Nempe Athanaſium ac Marinianum. Neutrum tamen impoſuit Dolichienſi Eccleſiæ. Huic enim impoſuit Presbyterum, ejus œconomum, virum integrum.

Decimum accuſationis caput tangit ipſam Hierapolitanæ Civitatis Metropolitanam Eccleſiam. Joannes acceſſit Hierapolim diſpiciens etiam Alexandrum Metropolitam extrudere, & dare ipſi Succeſſorem, atque ita omnes reducere ad ſuam communionem ac obedientiam. At illum deterruit Populi in Alexandrum pertinaciſſima benevolentia. Hinc intravit neſcio quod Hierapolitanæ Parochiæ Oppidum, & iſtic in Sancti Sergii Martyris Eccleſia novum Epiſcopatum erexit, & conſecravit primum Epiſcopum. Quandoque cenſui, quod novum non erexiſſet Epiſcopatum, ſed novum dumtaxat Epiſcopum conſecraſſet ad titulum Hierapolitanæ Eccleſiæ: Quod illum, quoniam civitatem intrare non poterat, conſecraſſet in Oppido. At omninò erexit novam Cathedram. Iſtud evincunt hæc verba: *Baſilicam Sancti Sergii Martyris, ſecundum priſtinum morem, ſub Eccleſia hujus eſſe Metropolis, uti erat antequam & magnum iſtud ipſum templum fabricatum eſt, & illi altiſſimi muri, & alia intra eandem munitionem ædificia*. Hæ igitur novæ fabricæ dederunt Joanni anſam erigendi novum Epiſcopatum. Præſens Synodus has litteras ad Reginas miſit per Clericos ac Monachos.

## CAPUT CXXXVI. --224

*Epiſtola Alexandri Epiſcopi, reſpondentis ſuper his Joanni Archi-Epiſcopo.*

SApientiſſimo Salomone determinante per Divinam gratiam contraria tempora, & dicente, *Tempus flendi, & tempus ridendi*, arbitror tempus præſens non infantilis ludi, ſed eſſe lachrymarum, & gemituum, & multorum luctuum. Quis enim non lamentetur legens impii Cyrilli Capitula, & reliqua illa Conſcripta, quæ conveniunt eis, & hanc, quam nunc ad Dominum meum Sanctiſſimum, & Deo Amiciſſimum Epiſcopum Acacium ſcripſit, Epiſtolam (cujus prooemium ſic ſe quodammodo habet, *Decentem ſe etiam nunc*, inquit, *curam ſuſcepit Sanctitas tua, videns cum omni inſtantia, & fortitudine*,) his ipſis ubique utentem, tam in prooemiis, quam in finalibus? Per quæ & Primogenitum ex mortuis factum fuiſſe Deum Verbum, & reviviſcere Deum Verbum, & Conventum naturalem, & ſecundùm ſubſiſtentiam unitionem ſuſtinere, & in unam naturam redactum evidentiſſimè prædicavit. Et pro his decertat, tanquam piè ſe atque orthodoxè habeant, & Divinis Scripturis conſona ſint, ita ut nec unquam projicere hæc aſſumat, tanquam Divinis quidem Scripturis conſona, evertentia verò impia & polluta, juxta ipſum, Neſtorii dogmata.

Nec unquam nos aliter in communionem vel à ſe eſſe recipiendos, vel ab eis, qui ei eadem ſapiunt, excommunicationem fore ſolvendam, niſi & Neſtorium condemnaverimus, & blaſphema, ſicut ipſe dicit, & impia ejus Dogmata anathematizaverimus. Et in medio Epiſtolæ, pollutas ſuas vocum novitates, & objectiones falſi nominis ſcientiæ, & tortuoſitates oſtentans cogitationum ſuarum, ſcripſit ita: *Quia inconvertibilis*, inquit, *& immutabilis, & omnis paſſionis inſuſceptibilis eſt Dei Sermo, impaſſibile eſt enim quod Divinum eſt, & converſionis obumbrationem minimè ſuffert*. Et reliqua. His verò adjecit: *Quia omnis paſſionis inſuſceptibilis eſt ſecundùm propriam naturam*. Et ſuperinduxit: *Quia paſſus eſt Chriſtus, & Dominus, & Unigenitus Filius Dei carne*. Quæ dicens concluſionem deluſit. Et magis hoc omnibus ſubtiliùs Sanctitas tua *novit*, *ſciens* ejus impia Dogmata. Quæ & per multas direxit Provincias, antequam proficiſceremur ad Epheſum: Per Cappadociam, & Galatiam, & omnem Orientem. Et omnes contra ipſa movit, quocumque conſcribere potuit. Sed & poſt reditum ab Epheſo per Epiſtolam ſcribens Sanctitas tua, ea quæ in Epheſo facta ſunt, Admirandiſſimo & Magnificentiſſimo Appiniano, Duci Meſopotamiæ, integerrimè abominabilem Capitulorum Conſcriptorem, illiuſque expoſuit hæreſim.

Si igitur, ſicut Sanctiſſimo Epiſcopo Acacio orthodoxa eſſe viſa eſt Epiſtola, ſic etiam tuæ Sanctitati, ſuperfluam arbitror fatigationem Domini mei Deo Amiciſſimi Epiſcopi Pauli ad Ægyptium. Tuæ enim Sanctitatis Epiſtolam, & Cyrilli ad Sanctiſſimum Epiſcopum Acacium perlegens, cum pariter eſſent nobiſcum & Deo Amiciſſimi Epiſcopi, & multi Reverendiſſimi Clerici, & eorum qui noſtræ ſunt civitatis, & eorum qui de Provincia ſunt, aliorumque multorum, nihil inveni, neque ego, neque qui erant præſentes, conſonans quodcumque vel ſimile. At verò cognoſcat Sanctitas tua, quia impius non nunc his decipulis utitur. Direxi primi Anathematiſmi ejus interpretationem, ubi impium Apollinarium *in* fidem Patrum exponit, ad ſeductionem utens Dictis his: *Quia neque fermentatio, neque retemperatio, neque refuſio ſubſtantiæ ejus ad carnem facta eſt*. Poſuit verò in ipſa interpretatione: *Quia & ſemen Abrahæ apprehendit, & ſimiliter nobis participatus eſt ſanguine & carne:* Et mox ſceleratus & impius adjicit: *Genitus eſt enim ex Sancta Virgine ſecundùm carnem, & homo apparuit ſecundùm nos*. Et poſſibile eſt ei, qui timore Dei & reverentia interpretationem primi Capituli legit, plurima invenire, in quibus & obumbrare videtur, & manifeſtiſſimam hæreſim ſuam,

ſuam exponit, ſicut & in multis ſuis Conſcriptis.

Si igitur perſiſtat in iiſdem Ægyptius, & non negat quidem Capitula, *nec* confitetur verò Chriſtum, ex quo evangelizavit Sanctæ Virgini Angelus, Deum eſſe & hominem, eundem ſine dubio & filium hominis propter naturam, quæ eſt ex ſemine Abraham & David, & ipſum procul dubio Dominum David propter Divinitatem, Deo Verbo templum à mortuis ſuſcitante ſecundùm ſententiam Domini Chriſti, & in ſæculum infinitum duas naturas in uno Filio, Domino, & Chriſto inconfusè & indivisè cognoſcendas, nos nullam communionem cum eo habemus, neque cum his, qui communicent ei abſque hac confeſſione. Ut enim & Prophetas, & Apoſtolos, & Evangeliſtas, & Martyres taceam, nunc vel Beatam Suſannam ſequi ſtudeo, dicens: Sive enim hoc ſecero, non effugiam manus Ægyptii, & Communicantium ei; omnia verò eligibilius eſt nobis ſuſtinere ab Imperatoribus, & Judicibus, & aliis hominibus, quam piam confeſſionem & ſanam prodere fidem. Vel ſi multa millia eſſent ſubſannantium nos. Undè Epiſtulam ſupremam de cauſa propoſita dirigens tuæ Religioſitati, manifeſtam rationem ſentiat jam meam. Ego enim Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium ſcio in ſermonibus ſuis ea, quæ Prophetæ, & Apoſtoli, & Evangeliſtæ, prædicantem. Et oportebat obturare nos aures, proponente nobis impio Cyrillo, ut anathematizaremus dogmata ejus velut impia atque polluta. In Tharſo quinque ex his depoſuiſti hæreticis: Et conſonavimus vobis. Nunc autem promittit Cyrillus, quia ſi facti fuerimus hæretici, dabit nobis ipſe communionem.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola non eſt poſita ſuo ordine. Eſt enim ſcripta ante primas à Sancto Cyrillo ad Acacium Berrhæenſem reſcriptas litteras: Dum Joannes Patriarcha Paulum Emeſenum Alexandriam legare conceperat, antequam legaret. Præfatas Cyrilli litteras Alexandro, magno tunc veraciter Epiſcopo, communicavit, ac ejus ſuper ipſis de concepta Legatione, ac ſuper omni pacis negotio poſtulavit judicium. Et ad reſpondendum Alexander non quidem ſuam Synodum, ſed tamen Eccleſiæ ſuæ Clerum convocavit, & quoſdam Epiſcopos ſuæ Provinciæ. Et ex communi horum judicio reſpondit varia. Primò, graviſſimè invehitur in Sancti Cyrilli Capitula, & in omnia ejus illis conſona Scripta. Secundò, quod ejus ad Acacium epiſtola nequaquam recedat ab illis, ſed ipſa variè firmet ac laudet: Aſſerit enim, quod piè & orthodoxè ſe habeant: Quod Divinis Scripturis ſint conſona, quod evertant impia & polluta Neſtorii dogmata. Hinc pro ipſis decertare ſpondet, aſſeverans numquam à ſe projicienda. Alexander affirmat ipſa Capitula eſſe pollutas vocum novitates, objectiones falſi nominis ſcientiæ, cogitationum tortuoſitates, dogmata impia, ac ſibi invicem contraria. Et ſcriptas ad Acacium litteras eſſe ejuſdem farinæ. Et demonſtrare hoc nititur ex interpretatione, quam epiſtola dat circa duodecimum, & circa primum Capitulum.

Tertiò, Alexander affirmat, quod ipſe Joannes hæc omnia optimè norit. Etenim ipſe ante Epheſinam Synodum, ſtatim in ipſo Capitulorum exortu, contra ipſa Encyclicas litteras ſcripſit per plures Provincias: Per Cappadociam, Galatiam, omnem Orientem. Et quocumque potuit conſcribere. Quartò, poſt reditum ex Epheſo ſimiles litteras ſcripſit ad Appinianum, Meſopotamiæ Ducem, integerrimè explanans abominabilem Capitulorum & Conſcriptoris hæreſim, nec non & iniquitatem ab illo Actorum apud Epheſum. Quintò, quia Joannes Epheſo Antiochiam rediens, ipſo in itinere apud Tharſum celebravit Synodum, & iſtic damnavit non ſolum Capitula, ſed & Epiſcopós propter ipſa: Quorum Caput haud dubiè fuit Sanctus Cyrillus. Lib. 7. c. 34.
Alias infra diſcemus. Hanc enim Synodum, licet circa locum lapſus, forſitan reſpicit Socrates: *Porrò Joannes Antiochiam reverſus convocatis plurimis Epiſcopis, Cyrillo, qui jam Alexandriam redierat, Epiſcopatum abrogavit.* Epiſt. 112.
Præfatam Encyclicam epiſtolam laudat in litteris ad Domnum Joannis Succeſſorem etiam Theodoretus: Et ipſam Caſſinenſis Codex exhibet. De ac Tharſenſi Synodo aliquid notitiæ nobis dedit Marius Mercator per fragmentum Theodoretianę epiſtolæ. De litteris ad Appinianum nihil penitùs huc uſque ſcimus.

Alexander quartò graviſſimè averſatur Articulum, quo Cyrillus poſtulabat admitti Neſtorii degradationem, ac anathematizari impia ejus Dogmata, addens illorum, qui his refragarentur, Communionem numquam à ſe recipiendam, aut ſolvendam excommunicationem. Et adjungit rationem: *Ego enim Sanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium ſcio in ſermonibus ſuis ea, quæ Prophetæ, & Apoſtoli, & Evangeliſtæ, prædicantem. Et oportebat obturare nos aures, proponente nobis impio Cyrillo, ut anathematizaremus Dogmata ejus velut impia, atque polluta.* Notanda ſunt & hæc verba: *Nunc autem promittit Cyrillus, quia ſi facti fuerimus Hæretici, dabit nobis ipſe communionem.* Alexandri ſtomachus tria digerere non poterat: Nempe quod Cyrillus Orientales Epiſcopos haberet pro degradatis aut excommunicatis; quod ab ipſis exigeret pœnitentialem profeſſionem; & quod ſponderet Pœnitentes abſolvere.

Quæſtio eſt, an Sanctus Cyrillus iſta omninò exegerit? Videtur exegiſſe. Licet enim hæc non exprimat in ſuis ad Acacium litteris, diſertè tamen aſſerit in litteris ad ſuos in Regia Civitate Apocriſarios, quarum vulgata translatio ſic habet: *Neque enim eos, qui à piiſſimo Epiſcopo Maximiano abdicati fuerant, ſuſcepimus, aut paſſi fuimus eis dari de communione litteras, aut ſenten-*

*tia à ſe lata abſolvi*. Reſpondeo Cyrillum agere de ſolis quatnor jam ſæpè nominatis, Neſtorianæ pertinaciæ Capitibus, quos Sancti Maximiani Synodus ſingulatiter damnarat, & quos Sanctus Cyrillus excluſerat à pace, Pauli Emeſeni inſtantiſſimas pro ipſis preces nolens exaudire. Quare exteodi hæc ooo poſſint ad omnes, qui Epheſi fuerant, & quos Epheſina Synodus damnarat Orientales Epiſeopos. De his enim in ſua ultima, qua Epheſinam Synodum diſſolvit ac dimiſit, Sacra ſcripſit Imperator Theodoſius: *Hoc ſignificamus Religioſitati veſtræ, quod, quam diu vivimus, Orientales adjudicare non poſſimus. Coram enim nobis nulla ex parte convicti ſunt*. Illa igitur ſententia exinde habita fuit non ut damnatio, ſed ut ſimplex commonionis diſſecatio, reſtauranda per ſimplicem reditum in gratiam. Alexander Sancti Cyrilli verba eſt durè interpretatus, ita ſtudens illum firmare in hominum odio.

Alexander quintò indignatns eſt, quud Joaones ſcriberet Cyrilli ad Acaeium litteras non dumtaxat à ſe cenſeri Orthodoxas, ſed etiam ab ipſo Acacio. Hinc concluſit: *Si igitur, ſicut Sanctiſſimo Epiſcopo Acacio orthodoxa eſſe viſa eſt epiſtola, ſic etiam tuæ Sanctitati, ſuperfluam arbitror fatigationem Epiſcopi Pauli ad Ægyptium*. Et tandem concludit: *Si igitur perſiſtat in iiſdem Ægyptius, nos nullam cum eo communionionem babemus, neque cum iis, qui ei communicant abſque bac confeſſione*. Addit ſe paratum ad quaſvis perſecutiooes, tormenta, contnmelias. Etiam ab Imperatoribus. Ex quo videmus tales minas extitiſſe ab hujus negotii exordio. Alexaoder credebat ſe oon poſſe aliter agere, oiſi per prævaricationem Catholicæ fidei. Et iu iſto etrore fuit adeò pertinax, ut ſe permiſerit deportari ad Metalla Ægypti.

## CAPUT CXXXVII. --225

*Epiſtola*, inquit, *Dorothei, Metropolitani Mæſiæ, ad Deo Amiciſſimum Alexandrum, Epiſcopum Euphrateſiæ, & Theodoretum.*

PActionem, quæ pridem ſub pacis ſimulatione ooo benè cum Ægyptio facta eſt, nunc clarè detexit Proclus, qui in magna illa ordinatus eſt civitate. Scripſit enim contra nos litteras calumniis pleuas, tam ad Reverendiſſimum Clerum, quam ad Amicum Chriſti orthodoxum Populum. Igitur ad integriorem præfatorum Scriptorum comprehenſiouem compar Epiſtolæ ejuſdem propriis meis litteris junctum veſtræ Religioſitati direxi, ut ſi vobis rectum videtur & otile, quò omnes nos ad magnam eivitatem pariter concurramus, ut cum competenti iu Deum fiducia colloquamur Amico Chriſti Imperatori pro orthodoxa fide, id minimè negligamus. Notum veſtræ ſacio Sanctitati, ut mihi ſecundùm Deum congaudeatis, quia Reverendiſſimus Clerus, & Amicus Chriſti Orthodoxorum Populus per dies in Domino provehuntur, concertantes Evangelicæ fidei. Omnem, quæ vobiſcum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

### SCHOLION.

SAnctus Proclus fuit io Regiæ Civitatis Epiſcopum inthronizatus anno iſtius ſæculi trigeſimo quarto, feria quinta Sancta. Et ſtatim poſt iſtud Paſcha, quod in quintam decimam Aprilis incidit, ſcripta eſt præſena Epiſtola. Qualis fuerit hic facinoroſus Durotheus, eſt abundè dictum in ſnperioribus. Per præſentes litteras docet nos tria. Primò, quod Saturninus, quem Maximianus in degradati Dorothei locum conſecrarat, uſque tunc inthronizari ooo potuerit, & quod ipſe in ſuo throno permanſerit. Secundò, quod Sanctus Proclus Maximiani opus fuerit proſecutus; ideòque ſtatim à ſua inthronizatione Patriarchales litteras miſerit ad Martianopolitanæ Eccleſiæ Clerum ac Populum, per quas initam pacem largè expoſuit, mandans ei obediri ob omnibus, & rebellem ac degradatum Dorotheum tandem expelli, atque admitti Saturninum. Tertiò, quod Clerus & Populus ipſius rebellioni pertinax adhæſerit. Eidem iniquitatis luto infixus tunc erat Hierapolitanus Alexander: Hinc illum Dorothens rogat, ut ſimul accedant Regiam Civitatem, inſtructuri Principem. Proinde Saturninus etiam tunc non fuit ſtatim inthronizatus.

## CAPUT CXXXVIII. --226

*Epiſtola*, inquit, *Theodoreti Epiſcopi ad Dorotheum, Mæſiæ Metropolitam.*

AUdientes veſtram fortitudinem roboramur, & in vos intenti ſegnitiem deponimus. Exemplar enim principale virtutis omnibus, qui imitari voluerint, vos certaminibus his præſidens propoſuit Deus, ut per imitationem veſtris inſigniamur characteribus. Quia igitur multa vobis eſt apud Deum fiducia, ſic ferventem illic nobis ſuſtinentiam providete, & orationibus ſtabilite, ut firmi & in Dogmatibus perſiſtamus, & claudamus oculos, ne ſanguinis injuſtum judicium videamus, & claudamus aures noſtras, ne audiamus, & cadamus in terram. His enim bonis ac talibus perfruemur, ſi veſtras impetraverimus orationes.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola videtur eſſe reſponſoria ad præcedentem, ideoque ſcripta ex nomine & Juſſu Alexandri Metropolitæ. Niſi tamen Dorotheus ſimiles litteras etiam ad Theodoretum ſcripſerit. Quidquid ſit, hæc epiſtola nos docet, quod Theodoretus uſque tunc Alexandro adhæſerit, ſeparatus à Patriarchæ ſui Joannis communione. Item nos docet, quod ipſum nihil acrius momorderit, quam Neſtorii degradatio. Hanc enim dicit eſſe injuſtum ſanguinis judicium, adversùs quod omnes debeant claudere aures & oculos. Hæc impreſſio illum ſeduxit ad communicandum & cooperandum Dorotheo à quo norat vocem, *Dei-para*, eſſe atrociſſimè anathematizatam.

---

## CAPUT CXXXIX. –227

*Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Amicum Chriſti Conſtantinopolitanum Orthodoxorum Populum, per quam eos hortatur ad patientiam, & circa dogmata Contrariorum pœnitentiam declarat.*

QUi nauticæ arti dant ſtudium, & in mari vivere deligunt, dum peſſimis tempeſtatibus repugnant, à contrariis flatibus, ſævis voluminibus oppugnantur, ac multa caligine detinentur, ſi ſubitò eis ignis illuxerit, conſolantur, & reſumunt excuſſo terrore fiduciam, quæ eos meliora ſperantes deſperare non ſinit. Tale aliquid etiam nos perpeſſi nunc ſumus, veſtræ Deo Amabilitatis litteras perlegentes. Multam namque Eccleſiarum concuſſionem videntes, & tempeſtates & procellas undique cernentes illidi, & hinc volumen fervens & accreſcens, & naufragium minitans, & pinguem nebulam diffuſam, & quæ ſunt cominùs conſpici non ſinentem, velut ſi igniculum ſubito quemdam, & introitum portus, veſtras vidimus litteras, & conſolatione perfruimur, & fiduciam ſumpſimus, & fortiter patimur impetus tempeſtatis, & puram ſuſtinemus ſerenitatem. *Fidelis*
1.Cor.10. *enim Deus eſt, qui non permittet nos tentari ultra virtutem, ſed cum tentatione faciet & proventum, ut ſuſtinere poſſimus.*

Et falſitatem quidem convincere valeamus, veritatem verò lucidiùs comprobare. Convicta ſiquidem nunc quoque eſt compoſitio falſitatis, & virtus veritatis oſtenſa. Ecce enim qui Salvatoris noſtri Chriſti naturas impio ſermone confuderant, & unam præſumpſerant ejus prædicare naturam, & ut Divinitati paſſiones deputarentur, legem protulerant, & ob hoc Sanctiſſimum & Deo Amiciſſimum Præpoſitum Sacerdotum Dei Neſtorium oppugnaverant, tanquam in camo & frœno maxillas confracti, & à ſiniſtris ad dexteram tracti, didicere veritatem, & contraria docent, illo Ducatu retrahentes ad veritatem, quem pro veritate oppugnaverant. Pro una enim natura duas nunc confitentur, & eos qui contemperationem vel confuſionem dicunt, anathematizant, & Divinitatem Chriſti impaſſibilitate venerantur, & carnis eſſe paſſiones docent, & Evangelicas dividunt voces, & excelſas quidem Deoque dignas Divinitati adſcribunt, humiles verò humanitati coaptant. Tales enim nunc ab Ægypto allatæ ſunt litteræ.

Sed hi, qui vix tandem veritatem dogmatis didicerunt, & Evangelicam Regulam normamque edocti ſunt, adhuc ſunt malevoli hactenùs circa illum, qui eis horum Doctor eſt factus, atque illum, qui eos ab errore liberavit, & ad veritatem deduxit, ut impium & hoſtem & operibus & verbis impetere tentant: Et latrando adversùs eum ſatiari non volunt. Sed non ſuperabunt veritatem. Quia res firma eſt veritas. Ipſe enim Chriſtus eſt veritas. Et convicit quidem jam, ſicut dixi, adverſitate mendacii, & veritatis radium ſubindicavit, qui coronat veritatis Amatores, oſtenſurus verò eſt eam clariùs; & falſitatem omninò diſrumpet. Et diſcent qui uſi ſunt ea, quod ſit Deus in cœlo, qui & ea quæ fiunt conſpicit, & quæ dicuntur audit: Et ponit ſuis Athletis certamina; & leones fame ac furore diffluentes manſuetudinem docet, & ignem ſine menſura nutritum, & nimis accenſum, in auram roris immutat, & incenſu magno iſtum fugacem ſalvum conſervat, & in ciſternam cæni cum Propheta deſcendit, & qui illuc eum miſerant, per bella captivos expellit; ipſum verò æneum murum & turrim robuſtam ſtatuit Barbarorum, qui ei præſtat obſequium; & in bellis verò eniteſcere præſtat, & per duos plerumque fideles multoties dena millia infidelium fugat.

Et hujus rei teſtis eſt Jonathas & Armiger ejus, qui ſoli contra Alienigenas confidentes nutu Divino univerſa Alienigenarum millia fugaverunt, & ab invicem fecere conſumi. Sed deficiet me tempus narrantem Dei mei mirabilia, & ejus Providentiam, quæ fit in nobis per ſingulos dies. Hæc igitur ſcientes, Dilectiſſimi & Deo Amiciſſimi fratres, in eum præſumite, qui dixit: *Con-* Joan. 6.
*fidite ego vici Mundum*. Etſi enim nos miſericordia ejus ſumus indigni, tamen propter David ſervum ſuum, & Hieruſalem quam elegit, & procellas extinguet & tempeſtatem ſiſtet, & in directum denuò ferri præcipiet Eccleſiæ navem.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt poſita extra ordinem: Eſt enim ſcripta ſtatim poſt primas Sancti Cyrilli ad Acacium Berrhæenſem litteras, quibus ſuam doctrinam explanabat, & nolebat admittere pacem, niſi ante omnia probaretur damnatio Neſtorii. Hinc præſens epiſtola affirmat plura. Primò, quod Cyrillus ſit tandem aliquando converſus ex hæreſi: Etenim qui ante in ſuis Capitulis docuerat unicam Chriſti Domini naturam, jam in iſta epiſtola profitetur duas. Secundò, quod iſtam Orthodoxam veritatem à Neſtorio didicerit. Tertiò quod ingratus adhuc perſiſtat in ſuo latratu, ac in poſtulando omnium aſſenſu in illius damnationem. Quartò, quod Divina juſtitia quæ Danielem è lacu leonum, ac Jeremiam è carcere liberavit, ſit etiam ab hac perſecutione liberatura Neſtorium. Epiſtola ſcripta eſt ad conſolandam, immò & animandam iſtam Conſtantinopolitani Populi partem, quæ pro Neſtorio non ita pridem egerat turbas. Et hinc diſcimus alia tria. Primò, quod iſta Regiæ civitatis Factio non ſtatim quieverit. Secundò, quod illam Theodoretus foverit. Tertiò, quod Sancti Cyrilli ad Acacium litteras ſemper judicaverit Orthodoxas.

---

## CAPUT CXL. —228

*Sacra*, inquit, *à Joanne Antiochiæ impetrata tam contra Deo Amiciſſimum & Sanctiſſimum Epiſcopum Hierapolios Alexandrum, quam contra Helladium, & Maximinum, & Theodoretum, Deo Amiciſsimos Epiſcopos.*

ECcleſiarum pacem, & hanc procurantium diligenter omnimodum honorem & affectum, cunctorum cauſam bonorum exiſtere, ambiguum non eſt. Quia enim concordiæ & Religionis viam intactam & immaculatam cuſtodiunt, hujus rei gratia, honore maximo, ac præcipuo fruuntur affectu. Si qui autem ſub ſimulatione Religionis potari cuſtodes quærunt, præcipui dogmatis Corruptores rerum teſtimonio demonſtrantur.

## SCHOLION.

HÆc Sacra videtur eſſe alia ab illa præcedenti, quam audivimus à Joanne Patriarcha ſuiſſe impetratam per Domitianum Quæſtorem. Et duo id potenter ſuadent. Primò, quod illa eſſet generalis contra omnes Joanni & paci rebellantes Epiſcopos; hæc verò ſit ſpecialis contra ſolos quatuor: Nempe Alexandrum Hierapolitanum, Helladium Tarſanſem, Maximinum Anazarbenſem, ac Theodoretum. Secundò, quod prior Theodoretum non comprehenderit. Hic enim tunc adhærebat paci & Joanni, & non niſi ob illius executionem ab illis defecit, ac deflexit ad Factionem Alexandri. Fuiſſe ſpecialem Sacram contra iſtos quatuor, lucebit ex ſtatim adducendo ejus executorio Mandato.

---

## CAPUT CXLI. —229

*Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Neotherium Comitem, qui cum per litteras fuerat exhortatus, & admonuerat, ut Antiocheno reconciliaretur.*

IGnorare videtur Admirabilitas tua, quod nec pro pecuniis, nec pro poſſeſſionibus, neque pro ulla alia, quæ ad hanc vitam pertinet, cauſa ſit hoc noſtrum certaman. Neque ut placeamus hominibus, nunc uſque perſtitimus. Abſit enim ſic nos eſſe veſanos. Qua anim ſub præmii ſpa *pro* propria cauſa eligimus mori? Qua utilitate ſuſtinemus Principum minas, diſtorſiones, ſeu everſiones, & prætenſionem exiliorum? Aut quid eorum, quæ humana ſunt, prævalnit contra nos uſque adeò, ut ob hoc adversùm cunctos inſtituamus certamen? Et certè videmus eos, qui valdè contentionibus ſtudeant, illatis ſibi à Majoribus violentiis cedere, etiam dum nolint. Unum tantummodò in rebus humanis invictum eſt: Deo dedita conſcientia, illi placita ex tuto corde defendens. Recolit enim futurorum ſpes, & eam, quæ ſuſtinetur, beatitudinem, & ad Deum confidentiam: Et alia, quæ multò ſunt univerſis hujus vitæ meliora, quantò per infinita ſæcula porrigentur.

Hinc homines univerſorum præſentium ſiunt deſpectores, ſciendo quia etſi à præſenti vita ſolvantur, ſuccedit procul dubio Beatitudo cœleſtis, & cum Domino Chriſto Regni conſortium. Et idcircò non ſolùm pro nihilo præſentia deputant quidam, ſed & pro ſummo beneficio habent, ut liberentur ab eis, bene ſcientes quod futura obtinere non poſſint, niſi à præſentibus liberati. Neque nos igitur, per gratiam Dei, pro gratia vel inimicitiis cujuslibet hoc cartamen inivimus, ſed pro pia fidei confeſſione, pro conſcientia Chriſto devota: Propter quem pro nihilo ea, quæ in præſanti ſunt ſæculo, deputamus. Et quia hæc non fingam, audi per partes cum brevitate, qua poſſibila eſt. Capitula Cy-

rillus

rillus expoſuit plena univerſis hæreſibus, propter quæ univerſus perturbatus eſt Orbis. Collecta eſt Epheſi Synodus: Advenit illuc & iſte ab Antiochia. Et adjudicans tunc Expoſitoris inſaniam, depoſuit eum cum toto Orientali Concilio. Juravit coram Principe: *Quia etſi pœnituerit Cyrillus, non ei reſtituo Epiſcopatum. Eò quod Hæreſiarcha ſit factus*. Et habemus exemplaria horum.

Reverſus eſt à Conſtantinopoli ad Orientem idem Antiochenus: Collegit rursùs in Tharſo Concilium. Scripſit Synodicas litteras, in quibus & Cyrillum depoſuit, & eos qui pro eo adſcenderant Conſtantinopolim. Quorum manifeſta ſunt nomina. Ad ultimum venit Ariſtolaus, accepit propoſitionem, ut anathematizaret Cyrillus ipſa Capitula, & ea quæ malè expoſuerat univerſa, & eſſet rectæ fidei confeſſione contentus. Suſcipiens Cyrillus hanc conditionem, per Ariſtolaum ſcripſit Acacio Berrheenſi Epiſtolam verſuum plurimorum, affirmans de Capitulis quod benè ſe haberent, & nunquam repellerentur ab eo. Poſt hæc miſit Antiochenus ad Cyrillum Paulum Emeſenum, qui vadens, agenſque illa, quæ nunc dinumerare non poſſum, ad ultimum reportavit Epiſtolam, quæ Anathematiſmum Capitulorum nec per ſomnium contineret, minùs verò deteriora Capitulis in ſuperficie prædicaret. Ex hac Epiſtola diffamabatur, jam quaſi Cyrillus de his, quæ conſcripſerat, pœniteret: Et ab Antiocheno ita ſuſceptus eſt. Hæc Cyrillus addiſcens ſcribit Conſtantinopolim quibuſdam Clericis ſuis, quod neque pœnituerit de his quæ conſcripſit, neque omninò aliquid eorum, quæ expoſuerat, moverit. Sed neque rogans quemlibet ita receptus ſit, ſed potiùs è diverſo ipſe rogatus ſit, & Antiochenum ſuſceperit. Et horum omnium exemplaria detinemus.

Hæc ipſa verò ad Melitinenſem ſcripſit Acacium, quod nec ſubmoverit aliquid eorum, quæ à ſe expoſita ſunt, neque ullum de Reconciliatione rogaverit, quin potiùs è diverſo Antiochenum rogatus exceperit, ubi unam filii poſt unitionem dixit eſſe naturam. Et ipſe hujuſmodi per totum Mundum clamat, & ſingulis vicibus aſſeverat, quod nec reſpuerit quæ ab eo ſunt ſcripta, nec repellere patiatur uſque ad mortem. Propterea noſmetipſos ab Antiocheno ſejunximus, eò quod Cyrillo ſic exiſtenti perverſo poſt tanta ſuccubuit, & per ipſam communionis cum eo unitatem ſemetipſum comparticipem ejus effecit. Non propter aliquas quippè, quas nec habemus inimicitias ad Joannem, ſed propter conſcientiam noſtram, quæ Deo devincta eſt, quam non poſſumus pro humana decipere gratia, etſi multa millia nobis quis inferat mortium. Unde & magnoperè agimus pro illa Perſona, eò quod Deo vincta ſit conſcientia noſtra. Sed dicit quod Cyrillus Capitula illa reſpuerit. Oſtendat ergo ejus Epiſtolam, nominatim anathematizantem illa Capitula, & Nicænæ fidei confeſſione contentam.

Sed non habet quod oſtendat. Sed pro magno profert nobis Epiſtolam, quæ tantum differt à Capitulis, quantum non per omnia ſic apertè blaſphemat. Sed de hac nobis nullus eſt ſermo. Verùm ſi vult inter nos inimicitias ſolvi, perſuadeat Cyrillo anathematizare per Epiſtolam nominatim omnia quæ malè expoſuit, & Nicæna illa Expoſitione Beatorum Patrum eſſe contentum, ſicut ea Beatus ille Theodoretus Dominus noſter explanavit. Ipſe enim eſt verus illorum, quæ expoſita ſunt, intellectus. Aut ſi hæc non fecerit, anathematizet ipſum cum Capitulis ejus: Hæc auſus videlicet in communicantes omnes, qui eadem, quæ Cyrillus, adſtruunt. Et ſoluta ſunt omnia. Nos enim per gratiam Domini Chriſti diligimus Eccleſiæ pacem. Diligimus verò ita, ut ea perfruamur devota Deo conſcientia; non verò ut noſmetipſos per illam gehennæ tradamus. Hoc enim non jam pax eſt, ſed omnimoda exterminatio. Et nulla nobis alia remanebit adverſitatis occaſio, niſi propter piam fidei confeſſionem. Alioquin omni ſumus damnatione digni. Et revera infeliciſſimi omnium ſi propter viles occaſiones quæ ſunt Divina turbamus.

## SCHOLION.

HIc Meletius eſt Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus facinoroſi Theodori, non dumtaxat in Epiſcopali Cathedra, ſed etiam in prava doctrina ſucceſſor ac diſcipulus. Quod etiam fuerit pertinaciſſimus Neſtorii Sectator ſupra audivimus ex alia ejus epiſtola. Per hanc præſentem dat rationes ſuæ contra Joannem Patriarcham & initam pacem contumaciæ. Et nos docet plura notabilia. Et ante omnia pertinaciter aſſeverat Cyrilli Capitula eſſe plena univerſis hæreſibus, & non propter Neſtorii doctrinam, ſed propter ipſa fuiſſe turbatam omnem Eccleſiam, omnemque Romanam Rempublicam. Secundò ſuum Patriarcham Joannem dedignatur inſcribere Epiſcopum, ſed per contemptum appellat: *Iſtum ab Antiochia*. Nempe illum Communionis laceratione jam ſuſpenſum à pluribus, judicabat indignum ipſo etiam Epiſcopi nomine.

Et ipſum accuſat de multis. Primò, quod apud Epheſum Cyrilli Capitula judicarit, & damnarit, non dumtaxat ut hæretica, ſed etiam ut inſana. Secundò, quod Cyrillum propter iſta degradaverit. Tertiò, quod illum degradaverit non ut ſimplicem Hæreticum, ſed uti novum Hæreſiarcham. Quartò, quod iſtam degradationem voluerit eſſe adeò firmam, ut Chalcedone coram ipſo etiam Principe juraverit: *Quia etſi pœnituerit Cyrillus, non ei reſtituo Epiſcopatum, eò quod Hæreſiarches ſit factus*. Quintò, quod Epheſo in Orientem rediens, etiam in via apud Tharſum fecerit Synodum, quod iſtic Cyrillum denuò degradarit, quod inſuper degradarit eos qui pro ipſo aſcenderant Conſtantinopolim, & quod iſtius Judicii Synodicas litteras miſerit per

omnem ſuam Patriarchalem Diœceſim. Addit manifeſta eſſe iſtorum nomina. Supra ab Alexandro Hierapolitano audivimus, quod Joannes in iſta Synodo quinque degradarit: Utique præter Cyrillum. At verò Meletius jam nobis dicit fuiſſe illos, qui pro Cyrillo aſcenderant Conſtantinopolim. Nempe Epheſini Concilii Legatos ad Principem. Hi enim omninò aſcenderunt præſertim pro Sancto Cyrillo, detento tunc in Militari cuſtodia. Erant octo: Arcadius, Italiæ Epiſcopus Legatus Cœleſtini Pontificis, Juvenalis Hieroſolymitanus, Flavianus Philippenſis, Firmus Cæſareenſis in Cappadocia, Theodotus Ancyranus, Acacius Melitinenſis, Evoptius Ptolomaidis in Pentapoli, ac Philippus Romanæ Eccleſiæ ad Sanctos Apoſtolos Cardinalis Presbyter, Legatus Cœleſtini Pontificis. Quis fuerit tertius, ignoro. Forſitan fuit Flavianus Philippenſis: Quod eſſet in Romano Patriarchatu. Meletius etiam Sanctum Cyrillum accuſat de variis. Omnium ſumma eſt, quod perſeveret in ſuis Capitulis, adeoque perſeveret Hæreticus, ineptus ad communionem ac pacem. Primum eſt, quod propoſitioni, qua Orientales Epiſcopi per ſcriptas ab Acacio Berrhæenſi, ac per Ariſtolaum Tribunum delatas litteras rogarunt ipſum ſolo Nicæno Symbolo eſſe contentum, & Capitula ab ipſo anathematizari, noluerit acquieſcere. Secundum eſt, quod in ſuo ad Acacium Reſcripto aſſeveret Capitula eſſe recta, ideoque nunquam ſe ab illis receſſurum.

Tertiò, quod etiam per Paulum Emeſenum in reportata ad Joannem Antiochenum epiſtola, licet in ſuperficie prædicaret minùs deteriora Capitulis, illa tamen nec per ſomnium anathematizaret. Quartò, quod in Vulgus ſparſa Cyrilli pœnitentia nequaquam fuerit quis ab aliquo confictus libellus, ſed ipſa pacis epiſtola. Quintò dicit, quod iſta fama ubique volarit, atque ita tandem ad Cyrilli aures etiam pervenerit: Et quod ille ſuam pœnitentiam adeò non agnoverit, ut ad ſuos in Regia Urbe Apocriſarios ſcripſerit ſe nec pœnituiſſe, nec ut pœnitentem à Joanne receptum, nec quidquam è ſuis adversùs Neſtorium Conſcriptis ſe moviſſe. Et quod non ſolummodò non pœnitens, *Sed neque rogans quemlibet ita receptus ſit, ſed potiùs è diverſo ipſe rogatus ſit, & Antiochenum ſuſceperit*. Eſt epiſtola ad Theognoſtum, Charmoſinum ac Leontium. Et hinc lucidè diſcimus ipſos fuiſſe Sancti Cyrilli in Regia Civitate Apocriſarios, in iſto officio ſucceſſores Eulogii Presbyteri. Quod iſta epiſtola non ſolum Alexandrum, ſed etiam alios ejus Symmiſtas acerbè momorderit, lucet ex ſuperioribus Meletii Mopſueſtienſis litteris ad hunc ipſum Alexandrum. Et hic ſextò addit, quod Cyrillus iſta omnia etiam ad Melitinenſem Acacium, immò & ad totum Mundum ſcripſerit ac aſſiduè clamet, pertinaciter aſſeverans fore ut ſuorum Scriptorum penitùs nihil patiatur repelli uſque ad mortem.

Notanda ſunt hæc verba de Joanne Antiocheno: *Sed dicit, quod Cyrillus Capitula illa reſpuerit, &c.* Docent quod Joannes conſtanter aſſeveret Cyrillum, licet non anathematizaſſet, tamen omninò pœnituiſſe, & receſſiſſe à ſuis Capitulis, & Cyrillum conſtanter negaſſe eadem, & aſſeruiſſe contraria. Et quia Joannes nullum ſuæ aſſertionis documentum, niſi ſolam pacis epiſtolam poterat adducere, in iſto ambiguo fluctuabant Orientales Epiſcopi, & quiſque credebat ex arbitrio. Hinc Alexander ut iſtam pacem & Cyrilli communionem amplectatur, & ut redeat ad Joannis obedientiam, expoſtulat varia. Primò, ut Joannes Cyrillum perducat ad Scripto anathematizanda Capitula. Et quidem ſingula nominatim. Secundò, ut eundem perducat ad acquieſcendum ſoli Nicæno Symbolo. Tertiò, ut eundem perducat ad admittendum Librum à Theodoreto editum adversùs Capitula. Quæ ſuggeſtio omninò proceſſit ab ipſo Theodoreto. Andreas tunc adhuc erat in vivis. Videtur ab admiſſa ſemel pace non apoſtataſſe cum Theodoreto, ideoque videtur amiſiſſe Alexandri gratiam. Quartò Alexander rogat, ut Joannes Cyrillum iſta detrectantem explere, denuò anathematizet cum ſuis Capitulis, & cunctos illi communicantes.

Alexander etiam Paulum Emeſenum accuſat de multis Actis apud Alexandriam: *Agens illa, quæ nunc dinumerare non poſſum*. Admirandum eſt, quod nullam Acti ſpeciem expoſuerit. Nec de Neſtorio tacet: *Undè & magnoperè agimus pro illa perſona, eò quod Deo unita ſit conſcientia noſtra*. Proteſtatur nullam ſibi aliam eſſe cum ſuo Patriarcha inimicitiam. Se agere ex ſola devota ac devincta Deo conſcientia, ex zelo rectæ Fidei, ideoque ſe ſine præfatarum conditionum adimpletione non poſſe redire ad ſuum Patriarcham. Eſſe paratum ad qualecumque exilium, ad quæcumque tormenta, ad mortem. Egregium eſt hoc ejus Epiphonema: *Reverà ſumus infeliciſſimi omnium, ſi propter viles occaſiones, quæ ſunt Divina, turbamus*. Hinc patet quod longè aliud ſit Sacroſanctas Divinæ Juſtitiæ Regulas habere in intellectu, aliud ipſas habere in voluntate. Laudata enim regula fuit remotiſſima à voluntate Alexandri.

## CAPUT CXLII. —230

*Reſcriptum*, inquit, *publicatum ut terminus eorum quæ ſcripta ſunt ad Magnificentiſſimum Comitem & Vicarium Titum à Glorioſiſſimo Magiſtro Militiæ Dionyſio.*

QUid de Helladio, & Maximino, & Alexandro, & Theodoreto, Reverendiſſimis viris Epiſcopis, definiri cenſuerit Imperialis

rialis

ſialis Clementia, ipſæ Divinæ litteræ præfulgentes tuam Magnitudinem poterunt edocere. Quomodò verò & à nobis iidem ſint commoniti, ſubjecta deſignat. Undè Diligentia tua Præceptum noſtrum ſuſcipiens elaboret, ut omni arte & ſubtiliſſima argutia perveniant ad effectum, quæ Imperialis decrevit Authoritas. Nec enim parva gloria tua Magnitudo fruetur, ſi celeritatem tantæ cauſæ afferre valueris. Pertinet ad animarum noſtrarum religionem. Pertinet, ut ita dixerim, ad cœleſtis Divinitatis curam præſentis qualitas cauſæ. Undè dum tuam Magnificentiam & Divinæ litteræ, & noſtra Anthoritas præparant, commoneat verò per dies ac noctes orthodoxæ pietatia reverendiſſimus cultus, tota urbana tranquillirate ſervata, abſque ullo ſtrepitu ac perturbatione, Divinitùs imperatis competens præbebis obſequium.

## SCHOLION.

HOc eſt Mandatum executorium Sacræ, cujus ſuprà audivimus exordium ad Caput centeſimum quadrageſimum. Et demonſtrat ipſam fuiſſe ſingularem & novam contra iſtos quatuor Epiſcopos. Eos jubebat expelli è ſuis Eccleſiis, & hia dari novos Epiſcopos. Ex quo diſcimus Commonitorium, quo Imperator Theodoſius Theodoretum poſtmodo ligavic circumſcripto intra Cyrenſem Civitatem exilio, contra ipſum non fuiſſe primum Regium Edictum. Et hujus memoria Principem haud dubiè reddidit faciliorem ad præſentem Sacram. Ipſa verò & Theodoreto, & Helladio aperuit oculos: Eos permovit ad amplectendam pacem, ac redeundum in Joannis Patriarchæ obedientiam.

---

## CAPUT CXLIII. —231

*Epiſtola*, inquit, *Magnificentiſſimi Dionyſii, Magiſtri Militum, quam ſcripſit ad unumquemque Epiſcoporum, qui nominantur in Sacra, ut aut conſentirent his, quæ ab Antiocheno ſunt geſta, & communicarent ei, aut ab Eccleſiis & civitatibus exirent.*

INvictus Dominus non ignorat, quantum ſuo proſit Imperio cultus ſinceri devotio, quantamque ſecuritatem & illuminationem Provinciis præparet fidelis inveſtigatio cultus orthodoxi. Hinc otique & dignus efficitur impetrare, quidquid à propitia poſcendum Deitate crediderit. Neceſſe eſt enim, ut proſperè univerſa contingant, ſi Deo parverit ea, quæ apud ipſum deſinita eſt, veritate. Motus igitur ſanctitate congrua, dum cognoviſſet Beatitudinem tuam Joanni Antiochenæ civitatis Epiſcopo non adeſſe in Sanctis, neque communicare in Myſteriis adorandia, cœleſte Decretum dare dignatur, quod in hia, quæ ſunt priora, præfulget, ut aut communices præfato, ac reliquis qui cum eo conſentiunt in cœleſtis Divinitatis cultu, aut recedas à civitate & ſancta Eccleſia, cui præeſſe dignoſceris. Igitor Divinis litteris pertractatis, unum è duobus facies. Neceſſe eſt enim, ut aut communices Joanni Epiſcopo catholicæ Eccleſiæ, ut ablatis contentionibus ſancta Eccleſia quiete fruatur ac pace, quam peperit, aut contendens formam Divinitùs datam ſobire cogaris. Privaberia enim urbe, privaberis & Eccleſia, ſi meliori fortè obedire & aſſentire nolueris. Sit igitur deliberationis tuæ, ut Divina & adorabilia Præcepta recipias, ſi iram Principalem declinare deſideras.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt executoria primæ & generalis Sacræ, datæ adversùm omnes paci ac Patriarchæ rebelles Epiſcopos, ac impetratæ per Domitianum Quæſtorem. Et nos docet, quod Sacra juſſerit Epiſcopos iſtos aut admittere pacem, aut expelli è ſuis Eccleſiis. Haud dubiè præceſſit præcedens Mandatum, quod Magiſter Dionyſius ad Titum Vicarium dedit contra quatuor Epiſcopos. Dolendum eſt, quod ambæ Sacræ lateant aut interierint.

---

## CAPUT CXLIV. —232

*Epiſtola*, inquit, *Helladii Epiſcopi ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium, quam ſcripſit indicans ei, quod ſunt à Conſtantinopoli Mandata, & de his petens quæ eſſent gerenda Tractatum.*

SUnt verò, quæ mandata ſunt, hæc. Quia & orthodoxè docet Proclus, & Patrocinator eſt, & multam habet fiduciam apud Imperatorem. Et miſſurus eſt ad Antiochenum cum Sacris Synodicam ſuam, ut eam ſuſcipi ante omnia præparet; Et quam qui non receperint, pellantur Eccleſiis. Neceſſe fuit, ut quæ ſcripta ſunt nobis à Regia urbe, à Religioſiſſimo Com-Preſbytero Anaſtaſio, & Reverendiſſimo Con-Diacono Thartitio, ad tuæ cognitionem Religioſitatis perducerem. Igitur exemplaria deſtinavi,

ut

ut legens atque pertractans celeritar nobis, quod placuerit, demandare digneris, & quid agere debeamus. Nos enim ex tua Religioſitate pendentes, cum tuo gerere volumus univerſa conſilio. Ora verò antè omnia pro nobis, Domine.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt palam incompleta, & laudat alias, quæ ſimul fuerunt miſſæ, magni momenti epiſtolas quas doleadum eſt periiſſe. Eſt data ſtatim poſt Sancti Procli inthronizationem, antequam Joannes Antiochenus accepiſſet ejus Synodicam. Docet plura. Primò, quod Sanctus Proclus ad Orientalem Diœceſim non ſimplici & conſueto more, ſed ſuam Synodicam eſſet miſſurus cum adjuncta tertibili Sacra, quæ omnes illam non admittentes Epiſcopos juberet pelli è ſuis Eccleſiis. Nempè illos qui Neſtorii degradationem, ac Maximiani Ordinationem noluerant admittere. Divina gratia Proclo inſpiravit iſtud conſilium. Etenim ejus Ordinationem admittere, erat etiam admittere degradationem Neſtorii. Secundò, epiſtola docet Proclum apud omnes audiiſſe eximiè Orthodoxum, & magnæ authoritatis fuiſſe apud Principem. Et certè quod Theodoſius exaltationem ejus procuraverit, ſupra audivimus. Tertiò, quod Helladius ac alii factioſi ab iſto Epiſcopatu graviſſimè timuerint. Quartò, quod Helladius circa hæc vacillare cœperit, ideòque conſuluerit Mopſueſtienſem Meletium, nequiſſimum Architophel. Quintò, quod Sanctus Proclus etiam Patrocinator fuerit: Utique pacis ac Patriarchæ Joannis. Etenim omnes hæ Sacræ videntur obtentæ per ipſum.

## CAPUT CXLV. —233

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi & Sanctiſſimi Epiſcopi Meletii ad Helladium, per quam reſcripſit, quod neque ipſe ab eis, quæ ſemel piè placita ſunt, abſiſtet, neque credere juſtum eſſet bis, qui illa nunciaverunt, dum per opera ipſa docuerint, quod propter tempus à Procli ſint ſuſcitati fautoribus.*

GRatias quidem tuæ Sanctitati ago, Deo Amiciſſime Domine mi, quod talis curæ participes nos adſciſcere dignatus eſt. Ego verò ad ea, quæ nunc ſcripta ſunt, hoc remando tantummodò, quod neque hunc, qui beatificat Maximianum, qui nuper obiit, quique à Cyrillo, & eis, *qui* ea, quæ ejus ſunt ſentiunt, ordinatus eſt, & qui eos pro impietate adversùs veritatem, quantumcumque potuit, adjuvit, neque quemquam novi, quiſquis ſit, qui Joannem vocat Epiſcopum. Neque aliquid eorum, quæ ab ipſo dicuntur, accipio. Sed nec ſi Angelus de cœlo, ſecundùm beati Pauli Præceptum, me perſuadere voluerit. Nam ſi eſſet verè credendum, quod idem vir Neſtorium Deo Amiciſſimum Epiſcopum haberet Epiſcopum, & Cyrilli, deterioriſque ab eo Joannis communionem reſpueret ut Diabolicam, ne tunc quidem per omnia inculpabile foret ejus Ordinationem recipere, etſi multoties millies ante hoc ſchiſma conſecratus eſſe dicatur: Eò quod omninò hæc omnia ex priori perturbatione & inordinabilitate, per quam cuncta dirupta, & in invicem per partes inciſa ſunt, pendeant, nihilque ratum ſit legitimè apud eos. Forſan tamen nihil nobis nocere videretur injuſtitia illa, quæ in Perſonam commiſſa ab aliis videretur, quos à noſtra omninò communione ſuſpendimus; nunc autem quomodò ſanè his credere poterimus, teſtimonium ferentibus quod exiſtat orthodoxus, qui pium nominat & Joannem, & manifeſtè dicit quoddam Decretum dirigendum eſſe, per quod pii cogantur ejus approbare Synodicum. Ego igitur, Deo Amiciſſime Domine mi, non abſcedo a priori ſententia, neque patior conſcientiam meam in quocumque decipere, etſi omnes ſe dediderint præſentis ſæculi vanitati, propter eum qui me à principio adſcivit, ut devotam Deo ſervare ſtudeam conſcientiam meam. Jam de reliquo quidquid voluerint agere contra nos, ipſorum ſit hoc in tempore poteſtatis. Hoc ſolum rogo, ut conſuetis orationibus tuis nobis cooperari digneris.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola docet, quod Helladius omninò ceſpitare cœperit, ac Meletium permovere, ad admittendam inthronizationem Sancti Procli. Per duas rationes. Quod eſſet plenè Orthodoxus, & quod, licet nuperrimè quidem inthronizatus, eſſet tamen antè has lites conſecratus Epiſcopus: Quod ejus conſecratio eſſet facta ab Orthodoxis, à puris ab omni lepra Schiſmatis, aut hæreticæ communionis. Fuerat enim à proximo Neſtorii Anteceſſore, conſecratus ad Cyzicenam Eccleſiam. At verò Meletius reſpondit varia. Primò, quod à rebus huc uſque decretis ex nulla cauſa velit recedere. Quod ſolus, licet omnes retrocedant, ſit permanſurus. Secundò, quod Procli Epiſcopatum nullo pacto velit admittere. Ex variis cauſis. Primò, quia defunctum Maximianum ſcribit Beatum. Secundò, quia Joannem Antiochenum agnoſcit Epiſcopum. Tertiò, quia licet non ejus Conſecratio, ejus tamen Inthronizatio eſt facta ex priori perturbatione ac inordinatione: Nempe per fautores

Google

tores Cyrilli, ac initæ pacis. Quartò, quia credere non poſſit Proclum eſſe Orthodoxum. Quomodò enim ſit Orthodoxus, qui Joannem Antiochenum appellat pium, & qui palam profiteatur ſuam Synodicam eſſe per Sacram Juſſionem omnibns violenter obtrudendam?

Sancti Procli Epiſcopatum ac inthronizationem adeò averſatur ut adjungat: *Nam ſi eſſet verè credendum, quod idem vir Neſtorium, Deo amiciſſimum Epiſcopum, haberet Epiſcopum, & Cyrilli, deterioriſque ab eo Joannis communionem reſpueret ut diabolicam, ne tunc quidem per omnia inculpabile foret ejus Ordinationem recipere, etſi multoties millies ante hoc ſchiſma conſecratus eſſe dicatur*. Nempè quod Proclus cum Sancto Cyrillo & Joanne Antiocheno haberet communionem, quàm ille aſſeverat eſſe diabolicam. Et addit Joannem eſſe Cyrillo deteriorem. Porrò defunctum Maximianum ſcribi ac appellari Beatum averſatur ob duas cauſas. Primò, quod fuerit conſecratus à Cyrillo, hoc eſt, ab Epheſinæ Synodi Legatis, cujus Cyrillus erat Præſes & Caput. Secundò, quod Epheſinæ Synodi Acta ac defenſores potenter in omnibus adjuviſſet.

---

## CAPUT CXLVI. —234

*Epiſtola Theodoreti*, inquit, *Epiſcopi ad Alexandrum Deo Amiciſſimum Epiſcopum, per quam ſignificavit, quod Magnificentiſſimus Comes Titus, & Sanctiſſimi Monachi inſurrexerint in eum per litteras, tanquam qui debebat pacem, communionemque amplecti Antiocheni Joannis.*

MUltas per hos dies ſuſtinui perturbationes, multaſque triſtitias, quales nunquam, quarumque alias prætermittam. Venit Admirandiſſimus atque Clariſſimus Tribunus Euricianus eum litteris Magnificentiſſimi & Glorioſiſſimi Comitis Titi, tam ad Sanctos Monachos ſcriptis, quàm ad Dominum Jacobnm, & Dominum Simeonem, & Dominum Baradatum, & ad nos. Quæ litteræ minas continebant, ut ſi non acquieſceremus pacificari, mox nobis projectis ordinarent alios. Et quidem riſi de minis, peſſimè autem me Sancti Monachi afflixerunt, multa pro pace rogantes, ut culpantes. Dum verò iraſcens ego, & malè accipiens iſta, paratus eſſem & civitatem relinquere, & Provinciam, & ad vitam Monaſticam confugere, afflicti promiſerunt uſque ad Gindarum mecum diſcedere, & Antiocheno ſuadere ut illuc adveniret, mecumque loqueretur. Me autem dicente, quod niſi ejicerentur illi, impoſſibile eſſet fieri pacem, direxerunt tres Deo Amiciſſimos Presbyteros & Archi-Mandritas, tam ad eum, quam ad Magnificentiſſimum Comitem Titum, mandantes eis *non eſſe juſtum, ut viros Sanctos, & qui ſuas Provincias ornavèrunt, ſic injuſtè & iniquè projicerent: Si quid enim tale fuerit geſtum, perturbationem neceſſe eſt ſubſequi. Si igitur pacis curam geris, dignare venire ad Gindarum, & ſumentes Epiſcopum noſtrum, veniemus ad te*. Igitur neceſſarium duxi hæc ipſa tuæ innoteſcere Sanctitati, ut eam nihil eorum, quæ agimus, lateat. Ire verò ad Antiochiam omninò interim recuſavimus. Oret igitur Sanctitas tua hoc, quod Deo placeat, diſpenſari, & ea fieri, quæ expediunt ſanctis Eccleſiis.

> Adn. Not. Gindarus urbs in Cyrrheſtica Straboni lib. 16. & Palenzo lib. 15. memorata inter Antiochiam & Cyrum.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola demonſtrat Sanctum Auguſtinum rectiſſimè docere, quod pœnales Principum contra Hæreſes & Schiſmata Leges ſint utiliſſimæ, & in multis ſint initium ſapientiæ, veræ converſionia ad Deum Patrem, ac Matrem Eccleſiam. Iſtud hic lucet in Theodoreto. Præfata Sacra ipſum à facto ſui Metropolitæ Alexandri Schiſmate reduxit ad Catholicam communionem Patriarchæ Joannis. Porrò Jacobus, Simeon, ac Baradatus, fuerunt famoſi ac Sancti iſto tempore Monachi. De Simeone Stylita eſt etiam in ſuperioribus facta mentio. Ad Baradatum exſtat epiſtola Leonis Auguſti, conſulentis de motibus Timothei Æluri contra Chalcedonenſem Synodum. Jacobus fuit illis haud inferior. Omnium trium virtutes Theodoretus nobis deſcripſit in Religioſa hiſtoria. Hos igitur tres Comes Titus permovit, ut Theodoretum ad parendum inducerent. Et quo lucet Theodoretum fuiſſe virum ſummi Nominis. Hinc & Eccleſia & Reſpublica nolebant ipſum amittere. Hæc verba: *Quod niſi ejicerentur illi, impoſſibile eſſet fieri pacem*. Agunt de Alexandro Hierapolitano ac ejus Complicibus: Revera erant magni Epiſcopi. Hinc Theodoretus noluit ipſo inſcio aliquid agere: Hac via ſperans & ipſum ad meliora inflectere.

## CAPUT CXLVII. —235

*Epiſtola, inquit, Deo Amiciſsimi Epiſcopi Alexandri ad Theodoretum, quam reſcripſit ad hæc, quæ ab illo ſunt ſcripta, dirigens ei conditiones quaſdam de ipſo negotio.*

TUa quidem Sanctitas benè fecit, in Scripto nobis, quæ nuper acta ſunt, indicare. Ex parte autem oobis hæc ipſa & opinio nuncist, quæ ſuper ea quæ dicuntur, & ea quæ aguntur, ſolet adjicere falſitatem. Verumtamen ego per grstiam Dei quæ me ounc uſque roboravit, ſpero quod nullius metuam minas, ut sut ampio Cyrillo communicem, aut Orthodoxiæ Proditoribus, qui & anathematizaverunt eam, & orthodoxum dejecerunt, ut ex hoc, quod ad ipſos attinet, clarè ubique falſitas prædicetur. Nam quod creſcat apud eos atque proficiat mali nominis hæreſis, puto quod & ipſa, quæ nunc à Conſtantinopoli ſcripta ſunt, tuam docuerint Sanctitatem. Et in Antiochia verò oon unus, nec duo, nec decem tantum de Hierapolitanis sdſuerunt in Eccleſia, ioter quos erat & Dominns meus Deo Amiciſſimus Presbyter Maranas, quando & Macedon in majori hebdomada in Cœmiterio, & Antonius Chalcidis Epiſcopus in Eccleſis Sancti Zschæi apertè Deo-Paſſianam hæreſim prædicaverunt. Hæc ſcribere ſum cosctus, nimis ægrè ſuſcipiens, propter ſanctorum Monachorum contra oos curioſitstem. Rogo igitur, ut etiamſi omnes mortuos ab ioitio Mundi reſuſcitent, ſiquidem quieſcant, Orent pro nobis; Si autem damnant nos, psrcst illis Deus. Nec enim msjoris authoritatis ſunt, quam de cœlo Angeli, & quam Chorus ille Apoſtolorum: Quos anathematizavit per Paulum Chriſtus, ſi quid præter Evangelium Chriſti evsngelizare præſumpſerint. Si onquam verò contigerit, ut alicui eorumdem Sanctiſſimorum Monachorum tus Sanctitas colloquatur, & ſuper hoc moverint ipſi ſermonem, ſuade illis ex me, qnia ſecundùm veritatem, nec ſi mihi totum cœlorum Regnum Joannes, cujus non eſt Dominus, dederit, non autem dico Raſaphas, & slias hujns ſolitudinis civitates, ei communicare ſuſtinebo, niſi priùs correcta fuerint conſequenter illa, quæ per Orbem terrarum ſunt operata hoc fidei naufraginm. Memor enim ſum di-

Rom. 8. centis: *Quia neque altitudo, neque profundum, neque præſentia, neque futura, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Domino noſtro.* Et grstiss ago Deo, quod cum illis ſunt & Synodi, & Sedes, & Regna, & Judices: Nobiſcum verò Dominus Dens, & munda atque intemerata fides in eum. Et per ſanctas orationes tuas, quia niſi me timor Dei retineret, non exſpectarem violentiam per ſæculi Poteſtates inferendsm: Sed ne Chriſti Gregem videar prodidiſſe, neceſſitatem ſnſtineo. Sciens igitur Sanctitas tua Propoſitnm meum, ſi ei id placuerit, & Antiochiam introire oon renust: Et quidquid novit aliud agere. Ego enim qnæ à principio definivi, in ipſis permaneo. Quia verò non ſim contentioſè diſpoſitus, ſed habeam piæ condeſcenſionis affectum, & eam gratè ſuſcipiam, & hæ, quas nunc direxi chartas, tuæ ſatisfacient Sanctitati.

Satis oſtendit Beati Theodoreti ſubjecta reſponſio, ſi tamen verè has ejus eſſe approbemus Epiſtolas, eum reverentia & affectu Archi-Epiſcopi tunc ſui hujus Alexandri, & adverſitate Beati Joannis Epiſcopi, & voluntate omnes ſecum pariter uniendi, non verò Neſtoriani erroris aſſenſu ad univerſalem pacem tardiùs acceſſiſſe. Quippe qui & unitivæ Beati Cyrilli Epiſtolæ fidem, quam tantopere nititur impugnare Neſtorius, perſeverantiſſimè ab initio approbavit, & prætulit duorum Epiſcoporum cauſæ, dejectioni Neſtorii, & Anathematiſmo Dogmatis ejus. Et nunc ad hæc ad omnes illius conditiones Alexandrum Epiſcopum ſuum conatur adducere. Et poſteà hoc per multas cum ſingulis efficaciſſimè egit Epiſtolas, ut omnes ad unitionem perduceret. Quod & in cunctis, eo ſuadente, pauciſſimis exceptis, ſuo ſtudio, annuente Dei gratia, adimplevit. Undè & magnas inimicitias ſuſtinuit eorum, qui uſque ad finem ſuo errori pertinaciter adhæſerunt.

### SCHOLION,

HÆc epiſtola denuò demonſtrat admirandam duritiam Alexsndri. Docet nos & quædsm alia. Primò, quod Antiochena Civitas & intùs & foris habuerit plures Baſilicas. Magnum Belgii Chronicoo affirmat fuiſſe 340. Laudatum hic Cœmeterium deſcribit nobis ac explanat

nat Saoctus Joannea Chryſoſtomua in Homilia de Cœmeterii appellatione & de Cruce Domini: *Di-*
481. *vino munere, quocumque ex latere Urbs noſtra Sanctorum Reliquiis circumdatur. Cujus igitur gratia hic, non in alia Martyris alicujus Eccleſia nos convenire voluerunt majores noſtri? Quia hic mortuorum multitudo ſita eſt. Cum igitur hodiè ad Mortuos deſcenderit, ea de cauſa hic colligimur. Ob id etiam ipſe locus Cœmeterium nominatus eſt: ut diſcas mortuos & eos qui hic ſiti ſunt, non Mortuos, ſed ſomno conſopitos eſſe, & dormire*. Docet varia. Primò, quod in Antiocheoo Suburbano inter varia Sanctorum Martyria fuerit unum habens adjunctum locum Chriſtianæ Sepulturæ. Secundò, quod Chriſtiani iſta loca appellant Cœmeteria, id eſt, dormitotia, eò quod noſtri Mortui non ſint mortui, ſed ſolummodo dormiant. Ob certam ſpem Reſurrectionis. Tertiò, quod quotannis feria ſexta Sancta eſſet ſolemnia Statio, ſeu Collecta fidelia Populi. Quartò, quod iſta ſtatio ſit antiqua Majorum inſtitutio. Quintò, quod iſta inſtitutio ſit rectiſſima. Iſto namque die Chriſtua Dominus eſt mortuus pro nmoibus mortuia, & ipſos viſitaturus ac reſuſcitaturus deſcendit ad Inferos, & cunctis deinceps morituris eandem ſpem meruit & dedit. Hioc igiur iſta die fiebat iſtic illa Statio, & Epiſcopus, ant ejus Presbyter babebat ſolemnem Sermonem de Paſſione Domini. Eum habuit Sanctua Joaonea Chryſoſtomus. Item & Macedon Presbyter, vir inſigniter Orthodoxus. Hinc enim adversùs graſſantem tuoe in omni Orientali Diœceſi blaſphemiam Neſtorii demonſtravit benedictam illam Paſſionem oon fuiſſe puri homiois, ſed ipſius Dei Verbi: Utique in aſſumpta ad propriam Hypoſtaſim Caroe. Hinc Alexander ei ex calumniosa ſuſpicioe imponit, quod Deo-Paſſianam Hæreſim apertè prædicarit. Et bioe diſcimus tempua præſeotis Epiſtolæ. Fuit ſcripta poſt Paſcha, aooo trigeſimo tertio iſtiua ſæcnli.

Eadem eſt ratio de Antonio, Chalcidis Epiſcopo. Quo tamen die prædicaverit, ignoro. Porrò ſucceſſit Apriogio, quo eum Joannes Patriarcha fuit Epheſi, illi cooperatua ad omnia. An per mortem, ao per degradationem depoſuerit Epiſcopatum, etiam ignoro. Quidquid ſit, præſens epiſtola demonſtrat Succeſſorem Antonium fuiſſe inſigniter Catholicum. Etiam ipſe non diu vixit. Ejus enim Succeſſor Romnlus adfuit Chalcedonenſi Concilio. Præſens Epiſtola ſecundò docet tres iſtos Monachos ſummæ fuiſſe authoritatis per Orientalem Eccleſiam. Et videntur tantis coruſcaſſe miraculis, ut etiam ſuſcitarent mortuos. Subnexum Scholion dicit vera. Theodoretus enim, licet Neſtorii damnationem admittere, ac ejus doctrioam anathematizare per multos annos recuſarit, ſemper tamen admiſit pacem & pacificatoriam Sancti Cyrilli epiſtolam.

## CAPUT CXLVIII. –236

*Epiſtola*, inquit Irenæus, *ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam* Theodoretus *reſcripſit, ſingnificans ei, quod legerit directas ſibi conditiones, & unam tanquam minùs ſe bene habentem* non *probaverit*.

LEgens tuæ Sanctitatia Epiſtolam, inſpiciens verò & tria exemplaria, magia illud ſine oomioe approbavi. Duorum namque priorum unum quidem ſimplex erat, alterum verò intemperatè ardens. Benè autem ſe habens mihi illud eſt viſum, quia & condeſcenſionem cum menſura habuit, & acribiam laudabilem. Continebat enim, ut intenderemus in illa ſynodica, & quæreremus ſi ſuperfluum nihil haberent, & rectæ fidei conſonarent, nullumque haberent aſſenſum ad ea, quæ Epheſi malè ſunt geſta. Et ſuſciperentur pro Eccleſiæ pace. Alioquin omni modo fugiantur atque refutentur. Dignetur igitur Sanctitaa tua, ut ſi ab Oriente redieriot, qui hæc ipſa deportant, ioſpicias & quæraa, & nobis quod verum ſit innoteſcat. Ego enim murmur audivi, quod is qui nunc obtinuit Sedem, orthodoxè docet. Et docuit verò me hoc per litteras clarè Dominus meus Sanctiſſimus, & Deo Amiciſſimua Epiſcopus Helladius: Et eorum, quæ mihi ab eo ſcripta ſunt, tuæ Sanctitati Reſcripta tranſmiſi. Direxit verò mihi & exemplar Epiſtolæ Domini mei Sanctiſſimi, & Deo Amiciſſimi Epiſcopi Eutherii, eandem virtutem continena. Rogo igitur Sanctitatem tuam, ut legena hæc, ſicut de recta fide, ſic & de Eccleſiarum cogites pace, quæ ſecundùm veritatem nimis commoveotur, & facti ſumus univerſo Populo ridiculum. Si autem tuæ Sanctitati videtur, ut conditiones Aotiocheoi pro pace ſuſcipiamus Eccleſiæ, ut excluſia bia, qui ab eo iniquè ſunt ordinati, foris ab Antiochia colloquamur, & hoc facies ſicut tuam decet Religinſitatem. Non autem tuam lateat Sanctitatem, qnia & ego Antiocheni ad Piiſſimum Principem litteras legena, valdè mea anima doluit: Quia evidenter novi, quod Scriptor ejus, idem ſentiens, abſque judicio & juſtitia coodemnavit eum, qui nihil ooviter ejua doctrinam docuit. Anathematiſmus verò illic inſertus ſufficiens eſt quidem plus & ab ipſo dejectionis aſſenſu perturbare legentem. Verumtamen noo indefinitè, ſed cum quadam determinatione poſitus modicam quandam præbet conſolationem. Non eoim dixit: *Anathematizamus ejus doctrinam*, ſed *Quæcumque ab eo alienè, ſive quocumque modo dicta vel ſenſa ſunt præter Apoſtolicam doctrinam*. Ego quidem præſumpſi rogare, tuæ verò ſit Sapientiæ & pertractare quod expedit,

Digitized by Google

dit, & non iraſci, ſed intentionem noſtram perquirere.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola non eſt reſponſum ad præcedentem. Præcedens enim nullam facit mentionem de adjunctis tribus Exemplaribus. Interim præſens Epiſtola docet nos plura. Primò, quod Alaxander noluerit videri pertinax, & adverſus Theodoreti Conſilia immobilis, ideoque illi miſerit tria Exemplaria, continentia certos Articulos, ſub quibus acquieſcebat pacem admittere. Secundò, quod inter iſta exemplaria unum fuerit ſine nomine, ſine quavis ſubſcriptione. Tertiò, quod iſtud exemplar laudabilem Acribiam, & cum menſura Condeſcenſionem contineret, ideoque Theodoreto placuerit per omnia. Quartò, quod iſtud Exemplar ſuaderet intendi in iſta Synodica. Utique illa, quæ Sanctus Proclus pro ſua inthronizatione miſerat, mandans ſe agnoſci, ut verum Regiæ Civitatis Epiſcopum, & ſuum nomen recitandum ac venerandum inſcribi Sacris Eccleſiarum Tabulis. Exemplar ſuadebat Synodica, ſi nihil rectæ fidei diſſonum, & à Cyrillo malè apud Epheſum Actis haberent conſonum, admitti. Quintò, quod iſta Synodica fuerint tranſmiſſa per omnem Orientalem Diœceſim. Sextò, quod Proclus per omnem iſtam Diœceſim audiret Orthodoxus, & quod iſti famæ etiam Helladius Tharſenſis ac Eutherius Thyanenſis atteſtarentur, ideoque Theodoretus inclinaretur ad admittenda Synodica. Septimò, quod ad hæc omnia componenda Joannes Patriarcha rogaret fieri amicum colloquium, & quidem extra Antiochiam, itemque excluſis illis novis Epiſcopis, quos in Ejectorum Cathedras nuper conſecraverat: Quod iſtic vellet novas Pacis conditiones proponere. Octavò, quod Joannes Patriarcha ad promovendam pacem Principi denuò ſcripſerit, rogans & ſuadens exactas circa Neſtorium Conditiones temperari in hunc modum: Ut exigatur damnatio Perſonæ, & Anathema doctrinæ, non generaliter, ſed dumtaxat illorum Articulorum, quos alienè præter Apoſtolicam doctrinam dixit, aut ſenſit. Attamen non expreſſionem aut ſpecificationem ullius Articuli. Nonò, quod etiam hoc temperamentum & Alexandro, & Theodoreto concuſſerit totam animam. Quia per illud Joannes abſque Juſtitia & Judicio illum denuò damnat, qui nihil noviter, ſeu aliud docuit, niſi quod docet ipſe. Decimò, quod iſtud Anathema ſit inſulſum, ac ſufficiens quemque divertere ab admittenda, ſeu diſſimulanda iſta damnatione, habeat tamen aliquid ſolatii. Quia nempe non eſt generale, ſed habeat annexam ſalutarem utramque clauſulam: *Quæ Senſa vel dicta ſunt præter Apoſtolicam Doctrinam*. Ab iſtis Synodicis Proclus, itemque iſtis circa Neſtorium articulis admittendis Theodoretus non eſt alienus: Eoſdem conatur ſuo Metropolitæ, à quo parabat recedere, ſuaviter imprimere. Ex quo videmus, quod tunc ab illo necdum apertè receſſerat.

---

## CAPUT CXLIX. —237

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam denuò reſcripſit Deo Amiciſſimo Theodoreto, dirigens ei & proœmium Synodicorum Procli.*

NOn ignorat Sanctitas tua, quid ſit quod me à communione Antiocheni à principio ſequeſtravit. Scit hoc & Oriens, & Occidens, & Septemtrio, atque Meridies. Et nullus mihi eorum ſermo eſt, quia aut vituperent, aut accuſent me, aut mihi contumelias ingerant. Semovit autem me non Ordinationum turba, per quas iniqui viri promoventur, & illis Dei proponuntur Altaribus, quæ ad Antiochenum minimè pertinent, ſed proditio fidei, & communio Hæretici, depoſiti quidem priùs à ferè ducentis Epiſcopis, cedente verò nunc ei communionem Joanne & Paulo. Et hanc conſtantiam & habui & habebo confortante me Deo, ut nulli eorum communicem, qui communicant Cyrillo, non excutienti & anathematizanti in Scriptis impia ſua Capitula. Et ſi hic, qui nunc communicat ei, dicatur orthodoxus, & vel nunc ab orthodoxis ordinatus, vel ante confuſionem & iniquitatem, quæ Epheſi facta eſt, conſecratus, & ſi ipſe multis millibus vicibus anathematizet impia Cyrilli Capitula, non verò etiam communionem Cyrilli confutet: quicumque talis eſt, meus Communicator eſſe vel dici non poterit. Quæ autem ſubindè cognovi, & quæ agnovero, aut per verbum, ſicut coram Domino à dignis fide viris, aut per litteras, vel quæ ſit confuſio prædicationis in Eccleſia Conſtantinopolitana, vel quæ virtus exindè allatorum Synodicorum, vel quæ corruptio quorundam noſtræ Provinciæ Epiſcoporum, qui Antiocheno adjunguntur, & in omnibus circumferuntur cum Ægyptio, ſcribere ſuperfluum duco, unam habens intentionem, quam & cuncti, qui nos ſciunt, noverunt, ut habeam conſtantiam pro ſana fide, & fugiam hæreticam communionem. Verumtamen prædictorum Synodicorum Proœmium ſtudioſè tranſcribens, quippè ut quod mihi ſat eſt ad ſatisfactionem cauſæ præſentis, exemplar ejus tuæ Religioſitati direxi. Memor enim ſum & eorum, quæ paulò antè mihi à tua Sanctitate mandata ſunt, quam ea teſtificari pro me arbitror, quod hoc fuerit planè Propoſitum meum, Deo, niſi fallor, illuminante mentem meam, talemque ſatisfactionem condente in ea, ut neque tribulatio,

tio, neque anguſtia, neque perſecutio, neque fames, neque nuditas, neque periculum, neque gladius ſeparet nos à ſana fide, ut tempori potiùs, quam pietati militemus.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt Reſponſum ad præcedentem. Per ipſam Alexander aſſeverat ſe permanere in ſno ſenſu, in ſua adversùs pacem, adversùs Patriarcham Joannem, adversùs Cyrillum, adversùs Proclum ac ejna Synodicas & adversùm omnes illis communicantes pertinacia. Et ſe ad hæc non ab iniquis, per Joannem noviſſimè attentatis Superordinationibus permoveri, ſed à proditione fidei per admiſſa, aut non anathematizata Cyrilli Capitula, & à communione ejuſdem Hæretici Cyrilli, depoſiti ferè à ducentis Epiſcopis. Et hinc quæſtio eſt, ubinam ſit facta iſta damnatio? Etenim apud Epheſum facta non eſt, niſi à pauculis ultra triginta. Reſpondeo, Alexandrum reſpicere ad plures, qui Cyrillum & Capitula damnarunt, Joannis Synodos, & Synodicas Litteras, quas Theodoretus in epiſtola ad Domnum, Joannis Succeſſorem, poſtea ſcripſit fuiſſe plures, quam quinquaginta. Prædicationis, de qua hic Alexander, apud Conſtantinopolim confuſio eſt conſueta huic Factioni Calumnia.

## CAPUT CL. ---238

*Initium Synodicæ Eccleſiæ de Proclo factæ.*

NOn minùs, quam quandolibet, etiam nunc opportunè oſtendit gratia Dei ſuam maniſeſtiſſimè bonitatem, contra malitiæ magnitudinem, Eccleſiæque ægritudinem virtute elementi reſiſtens: Et dum grave profundum meueretur, veloci efficacique medicamine curans, & futurum periculum admirabili & inſperato quodam ſalvationis modo præveniens. Quoniam quidem multa medio tempore tempeſtas tenuit ſeditioſorum, qui ex corruptificis ſeminibus Doctrinæ Neſtorii ſurrexerunt, & inſiſtebant, dum pro ſanctiſſima Eccleſia in medium ſtaret ſanctæ memoriæ Maximianus, qui omni quidem diligentia uſus eſt ad hujus mali peremptionem, nec tamen ſuffecit hanc malam plantationem eradicare. Igitur dum ſubirò idem Beatiſſimus à præſenti vita migraſſet, tanquam facultatem præſumptionis ſuſciperent, qui hanc parturiebant ſeditionem, neque in occulto habere, neque abſconditam nequitiam ſuam continere dignati ſunt, ſed coacervatæ Multitudines in multis partibus civitatis Neſtorium publico clamore repoſcebant. Et urbi pericula, Eccleſiæque minabantur incendium. Et certè iſta etiam ſub illo beatæ memoriæ, huic repugnante languori.

## SCHOLION.

HOc eſt fragmentum ac initium Synodicæ, quam jam memorari audivimus in aliquot ſuperioribus Epiſtolis, & propter quam Alexander Hierapolitanus credere nolebat Proclum eſſe Orthodoxum. Ob duas præſertim cauſas. Quia defunctum Maximianum appellabat Virum Sanctæ memoriæ, ideoque & beatificabat; Et quia Neſtorium de hæreſi ejus Fautores culpabat inſuper de turbulentia. Eſt fragmentum magni ponderis. Docet nos duo. Primò, quod iſti Fautores per omnem Maximiani Epiſcopatum turbas egerint. Nempe Maximianus non habebat ſat valida doctrinæ & vigoris arma ad reſiſtendum iſtis Cornupetis tauris. Secundò docet, quod poſt illius mortem turbulentias ſuas adeo auxerint; *ut coacervatæ multitudines multis Partibus Civitatis Neſtorium publico clamore repoſcerent. Et Urbi pericula, Eccleſiæque minabantur incendium*. Nempè Neſtorius tunc adhuc degebat apud ſuum Sancti Euprepii Monaſterium. Et quidem illa forma, de qua Nicephorus Caliſtus: *Orientales Epiſcopi Neſtorium Epheſo ſecum adductum in annum tertium per vim in Epiſcopatu retinuerunt*. Et hæc eſt cauſa, cur Theodoſius Proclum ſtatim, etiam ante Maximiani ſepulturam juſſerit inthronizari. Synodica integra nos plura doceret.

## CAPUT CLI. –239.

*Epiſtola*, inquit, *Theodoreti ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit indicans, quod multa oportet cogitare de pace, & maximè quia certi eſſent, qui Thronis eorum inſidiarentur.*

PRæſtitit gratia Dei regreſſum Domini mei Reverendiſſimi, & Deo Amiciſſimi Donati Presbyteri, & Acacii Diaconi. Et ab illa, qua deſruebamur conſumebamurque, cura liberavit. Quæ verò ſit eorum, qui ſurſum ſunt, intentio, ex allatis ab eo litteris tua Sanctitas noſcet. Omnes enim vel in quocumque nobis ferre adjutorium deſiſtentes, pro pace nobis conſilia obtulerunt. Qui verò valdè ſunt zelotæ, verentes hoc peſſimum tempus, nec litteris nos dignos eſſe duxerunt. Integriùs verò hæc addiſcet Sanctitas tua à prædictis Deo Amiciſſimis viris. Quæ agnoſcens rogo, ut quod Eccleſiis

expedit, in commune cogitetis. Inſtantia enim noſtra, ut video, ad nihil ſuave proficiet, ſed perturbationes Eccleſiis, & Populos, qui paſcuerunt à nobis, lupis cruda vorantibus tradet. Claret enim quod exitus noſtros intendunt. Et erunt producendi pro nobis. Et timor eſt, ne pro hac nimia acribia pœnas Deo ſolvamus, ea quæ noſtra ſunt intendentes, & non conſiderantes quod Populis expedit. Omnia ergo penſans & librans Sapientia tua, & lucrum lnero, & damnum damno contraponens, eligat majus lucrum, & minns damnum. Sie enim & Deo, ut puto, placebimus, & conſcientiam minimè vulneramus, & eis, qui ubique in nos adſpiciunt, proderimus, & commiſſos nobis populos non perdemus. Sufficiens verò eſt Dominator omnium Deus, & ſanctarum Gubernator Eccleſiarum, quid agi debeat, per tuas nobis orationes oſtendere, & ab his multis ac peſſimis nos voluminibus liberare, & modicam nobis ſerenitatem, tranquillitatemque donare.

## SCHOLION.

EUphrateſiæ Provinciæ Epiſcopi videntur Donatum Presbyterum, & Acacium Diaconum, Theodoreti Clericos cum diverſis ad diverſos litteris legaſſe Conſtantinopolim, deprecaturos ulteriorem executionem duarum Sacrarum, quas ſupra memoratus Joannes Patriarcha impetraverat. Theodoretus ſua circa Alexandri retinendam aut deferendam Communionem Senſa ſtitit ac ſuſpendit uſque ad ipſorum reditum. Reverſi autem nullam auxilii ſpem attulerunt, ſed ſola Conſilia & hortamenta amplectendæ pacis. Quin immò aliqui, ipſis, ut Schiſmaticos averſati, nec dignati ſunt reſcribere. Hinc Theodoretus vela vertit, cenſuit redeundum ad Patriarchæ obedientiam, ac Eccleſiæ pacem, & ſtuduit ſuum Metropolitam ſecum reducere. Certè ejus rationes ſunt dignæ tanto Epiſcopo.

---

## CAPUT CLII. --240

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Theodoretum, quam reſcripſit rogans quidem non ſibi de eiſdem fieri importunitatem, dirigens verò ei litteras à Conſtantinopoli Deo Amiciſſimi Monachi Parthenii.*

DUm ſæpè tuæ ſcripſerim Sanctitati de his, ſuperfluum puto eadem de eiſdem reſcribere. Rogo igitur Religioſitatem tuam legere Epiſtolas, quas tibi ante tranſmiſi, & non mihi exiſtere importunum. Vivit enim Dominus Deus, lucrum conferens lucro, præfero ante omnia deſiderium Dei, & Regnum cœlorum honori & gloriæ ſæculi hujus. Et damnum damno comparans approbo magis eam, quæ hîc eſt, expulſionem, & exilium, & temporalem mortem, & opprobrium hominum, & irriſiones æterno tormento. Non verò miretur Religioſitas tua: Quod tu quidem ſcribas illa, quia Cyrillum putas orthodoxum; ego verò iſta, quia Cyrillum habeo hæreticum ab omnibus, quando expellebant temporibus noſtris Beatiſſimi Epiſcopi, ut pauca de pluribus dicam, Meletius, Euſebius, Barſes, & reliqui omnes. Sciebat hæc Deus, & præ omnibus pro Eccleſia cogitabat. Et rationem non exegit ab eis, qui idcircò propulſi ſunt. Quare non communicantes hæreticis *non* permanſerunt in Eccleſiis ſuis. Et ideò, confortante me Deo, paratus ſum cum omni ſatisfactione & coram Principibus, & Præſidentibus, & coram Synodis de ſola noſtra ſpe fiducialiter egere, & omnia, ſi Deus permiſerit, ſuſtinere. Quidquid ergò tua Sanctitas novit expedire Dei Eccleſiæ, quæ tibi commiſſa eſt, id agat: Meam namque ſententiam novit Deo Amabilitas tua. Verumtamen ea, quæ mihi ſunt ſcripta à Deo Amiciſſimo Presbytero, & Archi-Mandrita, ſervo Dei Parthenio, Religioſitati tuæ *traſmitto*, hoc neceſſarium putans.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola denuò confirmat indomabilem Alexandri pertinaciam. Videntur quædam hinc inde deeſſe verba, & hinc naſcitur obſcuritas. Notanda ſunt hæc verba: *Quando expellebant temporibus noſtris*, &c. Videntur aſſerere, quod plures Epiſcopi, dum pacificatoria Cyrilli epiſtola advenit, ac fuit publicari juſſa, ejus nomen è ſuarum Eccleſiarum tabulis expunxerint, atque ita proteſtati ſint ipſum eſſe hæreticum. Hinc Alexander ſcribit, quod ipſum habeat hæreticum ab omnibus. Id eſt, ab omnibus habeat illum hæreticum. Porrò memoratum hìc Meletium exiſtimo eſſe Mopſueſtienſem. Hic enim adversùs pacem & Sanctum Cyrillum fuit petulantiſſimus & audaciſſimus. Hæc verba: *Et rationem non exegit ab eis, qui idcircò propulſi ſunt*, ſunt obſcura. Exiſtimo hunc eſſe ſenſum: Dominus Deus illos adeo non caſtigavit ob iſtud opus, ut etiam permiſerit ejici è ſuis Eccleſiis, atque ita Martyrio coronaverit.

CAPUT

## CAPUT CLIII. —241

*Epiſtola*, inquit, *Parthenii Presbyteri & Archi-Mandritæ, ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum.*

SCripſit mihi Sanctitas tua, quia diminutum ſit tuæ Sanctitatis gaudium, eò quod ego de his, quæ tranſierunt inter hos dies, tuæ Religioſitati non ſcripſerim: Quaſi nos remiſſiores utique fuerimus effecti. Hoc ergò cognoſcat Sanctitas tua, quia quælibet inſurgat tribulatio contra nos, ſicut & multæ per dies ſingulos excitantur, quas & tacemus, ne arroganter fingere aliquid videamur, non nos evertunt à recta confeſſione, quam tenemus in Chriſto. Et quod ita diſpoſiti ſimus, ipſe Dominus vobis innoteſcet. Sicut enim qui quotidiè incipit pati, ſic ſtamus, ſcientes quod & mercedis Retributor finem cujuſque ſuſtineat: Quia non inchoare tantummodò unumquemque apud eum, ſed & perficere facit eſſe laudabilem. Quod & tua nos Sanctitas ſæpè edocuit cum Sanctiſſimo illo, & Deo Honorabili Archi-Epiſcopo noſtro, & teſte Chriſti, Domino Neſtorio.

Scito Domine mi, quod hi qui hìc ſunt, proficiunt magis in reprobam mentem. Nunc quidem impaſſibile id quod Divinum eſt, prædicantes, nunc autem velut ex pœnitentia aut oblivione evertunt id quod paulò antè dixerunt, & diſpenſationem denegantes prædicant phantaſiam: Et omnia omnibus & dicere licet & facere. Et ſicut ſcriptum eſt, *Labia noſtra à nobis*
Pſalm. 11. *ſunt: Quis noſter Dominus eſt*. Volunt autem & nos ſibi communicare ad hominum deceptionem. De credulitate autem dicunt: *Habe qualem vis fidem, tantùm communica nobis*. Sed abſit, ut nos à veritate alieni eſſe patiamur uſque ad vitam & mortem. Veritas verò eſt confiteri Dominum noſtrum Chriſtum Filium Dei vivi, Deum perfectum, hominemque perfectum. Et damus paſſiones quidem humanitati Chriſti, Divinitati verò miracula: Unum Chriſtum, unum Dominum prædicantes, qui deſcendit, paſſus eſt ſecundùm Carnem, venturus in gloria Patris judicare vivos & mortuos. Hanc tenemus fidem, quam & à veſtra Sanctitate didicimus. Et in ipſa perſiſtimus. Et ab hac confeſſione uſque ad vitam & mortem nullus nos poterit ſeparare. Conſtantia enim Sanctitatis tuæ circa veritatem clauſit omnibus os, & excitavit etiam dormientes. In uno enim climate Orientis exiſtens uſque ad Occidentem, & ultra perlucens, clarior conſpiceris à Sole viſibili, illa qua Chriſtum diligis charitate. Dignare verò orare pro nobis, & bonum nuncium de optabili tuæ Sanctitatis incolumitate præſtare.



### SCHOLION.

HIc Parthenius, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter & Archi-Mandrita, eſt unus illorum, ad quos Euphrateſii Epiſcopi per Donatum & Acacium miſerant litteras, & à quibus Reſponſum non acceperant. Hinc Alexander ad ipſum iteratò ſcripſit, & accepit præſens Reſcriptum. Porrò Parthenius, homo manifeſtè ac plenè Neſtorianus, Conſtantinopolitanam Eccleſiam, adeòque & novum ejus Epiſcopum Sanctum Proclum accuſat de variis. Primò, quod prædicet, aut permittat prædicari contraria, immò prædicari quidlibet. Quod prædicari permittat, Redemptionis noſtræ Sacramentum non eſſe vera Carnis adſumptionem, ſed Phantaſiam. Secundò, quod non Orthodoxam Communionem firmet, ſed omnium Hæreſium confuſionem inducat, dicens ad omnes: *Habe qualem vis fidem, tantùm communica nobis*. Sunt horrenda mendacia. Eis interim Alexander credidit, & ex hac fide in ſuperioribus ad Theodoretum litteris ſcripſit in Conſtantinopolitana Epiſt. 149.
Eccleſia graſſari *confuſionem prædicationis*.

---

## CAPUT CLIV. —242

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Acilinum Barbaliſſi Epiſcopum, qui indicaverat ei, quod multam inſtantiam ſuſtineret Magnificentiſſimi Loci Servatoris Titi, his qui ſunt in Caſtro mandantis, ut aut præparent eum introire ad Antiochenum aut de eodem Caſtro propellerent.*

UT eadem ſcribam, mihi quidem ſegnities non eſt, tuæ autem Religioſitati eſt munimen. Sciens ergò Sanctitas tua, quia & permanſionis & exitus tui rationem redditura eſt Domino Chriſto, id faciat quod cum tractatu & deliberatione perſpexerit. Hanc Epiſtolam verò ſcripſi, non quod mihi diſpliceat tuæ Sanctitatis actio, abſit; ſed potiùs ut quæ me moniunt, diſpenſarem. Si verò illa etiam nunc firma ſunt, quæ priùs indicaveras, quæſo ut minimè contriſteris. Juxta Apoſtolum namque di- Rom. 8.
cendum eſt: *Non ſunt condignæ hujus temporis* AdPhil. 1.
*paſſiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quia nobis donatum eſt, non ſolùm ut in eum credamus, ſed & patiamur pro eo*. Ego verò hoc ſcribo, quod & præſente Religioſitate tua crebrò dicebam, quia duæ me cauſæ ab omni ambiguitate perliberant: Quod mihi conſcius non ſim eſſe me militiæ deſertorem, & Chriſti

Ovium relictorem, ut aut Imperiali neceſſitate compellar, aut ab uuiverſo couſonanter meo Grege repudier, Quæſo igiuur, ut hæc ipſa apud te etiam ipſe confirmes, & aut publicam neceſſitatem, aut refutatiooem tui Caſtri ſuſtineas.

## SCHOLION.

EPiſtolæ Epigraphe demonſtrat omuibus his Rebellibus Epiſcopis fuiſſe mandatum, ut Joanni Patriarchæ obedientiam, ac de tranſactis Pœniteutiam profeſſuri accederent perſonaliter Antiocbiam, aut è ſuis Sedibus ac Locis propellerentur iu perpetuum exilium, accepturi Succeſſorem. Docet Barbaliſſum iu Romani Imperii notitia fuiſſe non civitatem, ſed Caſtrum, ideoque contra Cauoaes, ueſcio ex qua cauſa, habuiſſe Epiſcnpum. Igitur Vicarius Titus, miſeratione ductus, uon ipſi Acilino, ſed ejus Populo injunxerit, ut illum ad juſtiſſimo Principis, immò Dei Patris, ac Eccleſiæ Matris Mandato parendum inducereut, aut de Caſtro propellerent. Et populus eſt functus officio. Hinc Acilinus ceſpitavit, & Alexandrum ſuum Metropolitam & Factiouis Principem conſuluit. Præſens Epiſtola eſt Alexaudri Reſpooſum. Ambiguum, & uibil definieus.

## CAPUT CLV. —243

*Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit cognoſcens, quod poſt introitum Deo Amiciſſimi Epiſcopi Theodoreti in Antiocbiam commoti Cilices de rebus propoſitis diverſa tractarent.*

CLarè Deus tuæ revelat Sanctitati, & non uulli abſcoudere volunt, quod omnes quæ ſua ſunt quætuut, non quæ Jeſu Chriſti. Egn autem promiſſionibus credens eorum, qui hæc à tua percunctati ſunt Sanctitate, id eſt, utrumne oporteret ſcribere, an minimè. Erant enim nimii, ut & eſſe videutur, pro pietate omnia gerere promittentes. Sic præſumpſi tuæ pridem ſcribere Sanctitati, ot minimè pigritares uſque ad nos iter aſſumere. Neſcio autem quomodò contra verba propria venieotes, iu rebus alio tempore alias nobis formas oſtenduut, perturbationemque auimæ. Id eſt, in his, quæ eis ex neceſſitate placueraat. Quippè per iſta monſtrantes, & nunc quidem iſta ioterrogantes, uunc verò alia propoueutes, *quia* nullam ſtabilitatem ſuæ ſententiæ babent: Sicut de illis animalibus fertur, quod ia adſpectu cernentium colorum varietates ſubitò mutent. Et videtur mibi, quod eos tædeat, quod & uſque ad præſens ſimulationem ſervaverint, & non primi aliorum Diabolo ſemetipſos addiderint. Sed quidem quid alii velint, nos ſatagere non oportet. Nam & prius mandantes, ſi oportet dirigi eas, quæ dicuutur, Benedictiones, an uon, & ex mea ſententia cognoſceutes uon modo eas dirigi uon debere, ſed uec ab eis ſuſcipi litteras, omuia contraria peregerunt. De me autem uoverit, Deo Amiciſſime Domiue mi, quod ex quo cognovi factam cum Impio Cyrillo conjunctiouem ab Antiocheoo, ſemel tantùm per Magiſtrianum litteras ejus accepi, quas & in Latoria faciem jeci, ita ut nec ipſe præſumeret à nobis reciprocas poſcere, neque ille nobis ulterius Scripta tranſmitteret. Omnem, quæ cum tua Religioſitate eſt iu Chriſto, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

## SCHOLION.

PRæſens Meletius eſt Mopſueſtieaſis Epiſcopos, ſcelerati Theodnri proximus Succeſſor & Sectator, itemque pertinaciſſimus Sectator Neſtorii. Hæc ejus epiſtola uos docet plura. Primò, quod ſimile altetuativum Priucipis Mandatum ſit factum ac iutimatum etiam Theodoreto. Secundò, quod Theodoretus ad mentem rediens nbedierit Priucipi, introjerit Antiocbiam, egerit cum Joanne Patriarcha, & cum ipſo redierit io pacem & gratiam. Tertiò, quod hæc ejus converſio torbarit omnem Secundam Ciliciam: Quod plures illius Epiſcopos ceſpitare fecerit, ac inflecti ad amplexum pacis. Nec dubitandum eſt, quin eadem Sacra Priocipis Juſſio per Vicarium Titum etiam illic publicata fuerit, & iutimata cunctis Eccleſiis & Populis. Et ipſa haud dubiè plurimùm adjuvit. Quartò, quod quidam tentarint etiam Meletium inflectere. Attamen per gyros. Hinc ſuaſerunt ab ipſo invitari Alexandrum, couſultaturum cum Epiſcopis. Et promiſerunt adventurum. Et hæc invitatio, licet indirectè ac reverenter, fit per præſeutem epiſtnlam.

Porrò Meletius iſta omnia graviſſimè improbat. Ad ſana couſilia pronos Collegas damnat de inconſtantia. Affirmat eſſe vertumnia animalia, eſſe Hypocritas, qui priſtinam conſtantiam ſimnlarunt, & jam de illa nb ejectionis metum pœniteant. Et ſe à Joanne fuiſſe poſt iuitam pacem adeò averſum, ut noa niſi unicas ab ipſo acceperit litteras: Nnn amicas, ſed minaces: Et quidem ad majorem terrorem per Magiſtriannm. Et adjungit: *Quas & in Latoris faciem jeci, ut nec ipſe præſumeret à nobis reciprocas poſcere*. Apud Alexandrum, à quo norat idem fuiſſe factum, glotiatur de ſua impudentia. Alexandri facinus ſupra audivimus. Porrò quas, & quibus mittendas Beuedictiones memoret Meletius, non omuinò ſcio. Quidam Joanni Patriarchæ. Lapſi Epiſcopi videutor illi ad recuperandam gratiam deſtiuaſſe, aut deſtiuanda coucepiſſe

quæ-

quædam ſacra munuſcula: Et iſta Meletius pertinacirer improbat. Hinc ſubdit ſe à Joanne poſt dilaceratam communionem non accepiſſe, niſi unicam epiſtolam.

---

## CAPUT CLVI. —244

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium, quam ſcripſit, eum quidem approbans pro tali conſtantia, reliquorum verò inconſtantiam reprobans, & indicans perſecutionem factam Deo Amiciſſimo Epiſcopo Acilino.*

QUia Cilices, paucis exceptis, ſemper & calidi & tepidi fuerint, ut non dicam, frigidi, & ſublimes & humiles, quales etiam nunc inventi ſunt apud nos, tuam non latuit Sanctitatem: Quæ & meam de his ſententiam novit. Semper enim, dum ad eos ſcriberem, in tuæ Sanctitatis judicio poſui, utrùm hæc eadem dirigerentur, an non. Habemus verò etiam nunc, per gratiam Dei, eandem de Cilicibus conſolationem, ſicut & priùs habuimus. Hac eſt, Divinitùs datam conſtantiam, & invincibilem zelum ſanæ fidei, tuam Sanctitatem. Suffecit enim Deo & unus, quando ſubmerſit Orbem generale naufragium: Et tres in Babylone, quando per terrorem fornacis accenſæ omnes Idolo ſervierunt. Rogo igitur Sanctitatem tuam, ne reſutes ſæpiùs nos ad præſens inſtigare certamen. Ecce enim clarè videmus illud Iſajæ impleri Prophetæ, quod ait; *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Et non eſt judicium in viis eorum. Semitæ namque eorum, per quas ambulant, perverſæ ſunt, & neſciunt pacem. Ideò Judicium receſſit ab eis.*

Pſal. 13.
Iſajæ 59.

Et Beati, ac ter Beati, qui oppugnantur à talibus per Eccleſiam malignantibus. Qua propter beatifico nunc Dominum meum Deo Amiciſſimum Epiſcopum Acilinum, à Barbaliſſo ab eis expulſum, qui pariter eſt nobiſcum, & olim coronas emeruit. Sole enim clariùs ferè ab incunabilis converſatus eſt, nunc verò per calumnias & factiones à ſua abjectus Eccleſia per Magnificentiſſimum loci Servatorem, atque fortiſſimum. Sed ora, quæſo, & pro hoc ipſo, qui me rogavit id ſcribere: Et pro conſtantia, ut Dei voluntatis ſignaculo roboretur.

### Scholion.

HÆc ad proximè præcedentem reſponſoria epiſtola docet nos tria. Primò, quod omnes præter Mopſueſtianſem Meletium, Secundæ Ciliciæ Epiſcopi nunquam fuerint firmi, ſeu potiùs pertinaces adversùs Sanctum Cyrillum, ac initam cum ipſo pacem. Averſati ſunt duntaxat illius Capitula, ac damnationem Neſtorii. Hinc Alexander affirmat nunquam fuiſſe calidos in hac cauſa, ſed ſemper tepidos, immò fermè frigidos. Secundò, quod aliqui tales item tunc fuerint in Euphrateſia Provincia. Videlicet ipſe etiam Theodoretus, Andreas Samoſatenſis, Joannes Germaniciensis, & alii. Nam ſolus ferè Alexander fuit detruſus in exilium. Nempè poſt Acilinum. Tertiò, quod hic per Vicarium Titum ejectus reſugerit Hierapolim, & illic tanquam ejectus Epiſcopus apud ſuum Metropolitam hæſerit, ac alimenta acceperit. Juxta Sardicenſes Canones. Et hinc patet, quod Imperator Theodoſius hos factioſos Epiſcopos, licet ejecerit, non ſtatim relegarit: Immò nec Imperatoris Gratiani legem fuerit in ipſos executus.

---

## CAPUT CLVII. —245

*Epiſtola*, inquit, *Heſychii Caſtabalenſis Epiſcopi ad Epiſcopum Meletium, indicans quod perſuaſo Antiocheno, ut in litteris nihil ſuperfluum poneretur, id eſt, de Neſtorii depoſitione, Perſonæ communicaverint hi, qui erant ex ſecunda Cilicia.*

SIcut illic de præſenti tuæ Religioſitati promiſeram, quæ in cauſa contigerint, nunciare, ſtudui per has litteras id implere. Convenit igitur per gratiam Dei Chriſti, ut his, quæ in illa Epiſtola ſuperfluè legebantur, excluſis, ſuſcipiantur illa, quæ benè & Apoſtolicè dicta ſunt à Domino meo per omnia Deo Amiciſſimo, & Sanctiſſimo Joanne. Ut & Sanctitate ejus perfeci, ut per has nunciemus, & quæ ſint, quibus aſſenſimus, & quæ, à quibus abſtinemus. Sciat autem ſubtiliter Sanctitas tua ex his, quas ad eum dictavimus litteris, quarum deſtinavi Reſcriptum. Et dignare, quæſo, quod tamen non ut miniſtrans conſilium ſcribo, ſed ut commemorans, ſic de hac cauſa tractare, ſicut à ſancto ac beato Domino illo noſtro nutritus: Ut modis omnibus maneat indiſruptum corpus Eccleſiæ Domini Chriſti.

### Scholion.

PRæſens epiſtola nos docet primò, quod Heſychius ac Meletius, & haud dubiè plures Secundæ Ciliciæ Epiſcopi poſt inſinuatam Sacram ſint inter ſe collocuti, & varia ſibi promiſerint. Privatim, non Synodaliter. Vicarii Titi vigilantia non permittebat iſtiuſmodi Conſilia. Secundò, quod Titus ſimul cum Principis Sacra

tranſmiſerit Joanois Patriarchæ epiſtolam, ſubſcribendam ab omnibus Epiſcopis: Haud dubiè erat Libellus pacem profitens, & abjurans Schiſma, diſtinctum per omnes tres illius articulos. Tertiò, quod Heſychins, & alii haud dubiè Epiſcopi moderamen ſupplicarint, & auferri quemdam articulum: Et quod Joannes Patriarcha diſpenſatoriè annuerit. Quartò, quod hic articulus omninò fuerit damnatio Neſtorii. Hanc enim Orieotales Epiſcopi ſemper oderant, & iſtud temperamentum Joannes illis ab exordio promiſerat. Promiſerat permittere, ut unuſquiſque in ſuo ſenſu abundaret. Quintò, quod Heſychius ſentiret libellum ſic eſſe legitimum, Apoſtolicè conceptum, & ab omnibus approbandum. Sextò, quod Secundæ Ciliciæ Epiſcopi hæc omnia admiſerint, & cum Joanne Patriarcha redierint in gratiam. Hinc Heſychius illum appellat Deo amiciſſimom, & ſanctiſſimum. Et iſta omnia ex Condicto refert Alexandro.

## CAPUT CLVIII. ---246

*Velut ut Anagnoſticum*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Meletii ad Maximinum Epiſcopum Anazarbi.*

HI quidem, qui ſcripſerunt, qua intentione ſcripſerinr, non habeo dicere. Sed illud novi, quod nos ad impia manifeſtè iovitenr. Namque præbendo conſilium, ut ne Eccleſias obtineant hæretici, non eas potiùs Joanni communicando teneamns, quid eſt aliud dicere, niſi ne alii hæretici futnri ſint, vos potiùs eſſe hæretici feſtinate? Claret enim, qnod qni his communicare delegerit, qni omnes hæreſes incongruitate vicerunt, nnus eornm ipſe qnoque ſua communione reddatur. Sicut enim qui adhæret Domino, unus eſt ſpiritus, ſic & qui adhæret hæreticis, unus eſt ſpiritus. Nam qnid eſt aliud cum talibus uoa communio, niſi ad eos conjnnctio per animæ affectum? Qnare de his propriè fortaſſe dicetur, quod qui eis adhæſerir, unos ſit ſpiritus. Hæc autem clarius indicavit Humilitati meæ Deo Amiciſſimns Epiſcopus Helladius per litteras, quæ mibi ſunt redditæ tertia ſabbathi, meridie, quas etism mandare meæ diſpoſuetam Sanctitati, niſi Lector cum tuo, ad qnod reſpondeo, Anagnoſtico perveniſſet. Illi autem reſcripſi, quod per gratiam Dei nec noverim illos, qni ſemper quidem contra nos ſynodos facere meditaoiur. Sunt verò à ſemetipſis depoſiti: Nec reputo eos ollatenus. Qni enim ſunr illi, qoi nos ad Synodum provocent? Quos oportebat, ſi tamen juſtitia ſervaretur à nobis, ad judicium provocari, & eorum, quæ ab ipſis iniquè & inſanè ſunt præſumpta, reddere rationes. Igitur nec reſpondebo ullatenus ei, quem direxerint, ſi tamen reverà venerit aliquis; ſed ad Directores ſuos inbonoratum remittam. Si verò habere viſi fuerint Principis nutum, tunc credens ex permiſſiooe Dei eſſe hanc rem, & per has tentationes bonam circa ſe devotionem moſtrare, abſcedam potiùs ab Eccleſia iſta opere docens per gratiam Dei quemque volentium, ut Barathrum perditionis effugiant, quam patiar communicando eis io hac Eccleſia permanere, & memetipſum omnibus prodere.

Quæ ad tuam Sanctitatem nnnc à me dicenda provideo ſuper conteſtatione Clericorum. Ridiculum namque eſt, ſicut illi oon trabuntur ad curiam, ego meam fallam conſcientiam coram Deo, & perdam & me & Populum, quem mihi commiſit, dum me illi ſequi debeanr, ſi benè præfuero, & ſicut dux fuerit Dominus Chriſtus. Manifeſtum verò eſt, quia eum qui pro pietate certat, non ſolùm nihil metnere oporterer, ſed & ad ſuſtinendum dira omnia eſſe tota devotione præparatum, oè perdat pretioſiſſimam Margaritam. Me verò conſortante Deo, de Eccleſia mea exiero: Si ita contigerit, non ſolùm mancipem nominent, ſed & ſi quid eſt pejus, & qnidquid aliis vilins. Si autem volunt, & ad Forum purgandum me deputent, ut manibus meis plateæ pulverem mandem: Sicut io Judicum fieri ſolet adventu. Si verò & bis eſt aliquid deterius, ad aliud adjudicent. Nam cujus votum eſt pro conſcientia Chriſto devincta & per cuſtodias expendi, & per omnem tormentorum ſpeciem trabi uſque ad ultimnm ſpiritum, huic quid de omnibus cæteris pertinebit? Pro qua re mibi eveniet tuæ Sanctitatis orationibus, ab Eccleſia, ſi hoc Deo videtur, & ſi tempus reſtat, abſcedere, opere cunctis, qui mibi commiſſi ſunt, demonſtrante, quomodo ſit ab eis perditorum fugiendus aſſenſus. Si verò aliquis me ſeqoi voluerit, lucrabitnr ſemetipſum. Alioquin ego, quod facere debui, faciam, ſi me dignatus fuerit Dominus Deus. Credo autem quod dignetur pro ſua clementia. Qnid autem mea intereſt, utrùm multi, an pauci ſint mei cooſortes.

Nam ſi quidem Antiochenus inſtiterit, non contriſtat, etiamſi nullus adjutor ſir. Si verò Imperiale Præceptnm neceſſitatem ſimul intulerit, nihil proderunt ſolatia plnrimorum. Quippe qui & abſque hoc, ſi à me noo perditus fuero, nec ſic quidem aliquid mihi pertinet propter Chriſtum, cui cnmmiſi ſpes meas. Excepto quod infelicium perditionem potero lamentari: Quia noo oro ex ipſorum perditione lucrari. Verumtamen Dominus Macarius, ſicut ſcimus, ex quo ejus agnovi miſeriam, nec ſcripſit ei, nec fecir nt de Epiſcopo mentionem. Quod ſi eum minimè depoſuit, non tameo idcircò ei communicare dicendus eſt. Non enim potuit Synodum facere contrà enm. Quod autem ad ſe attinet, fecir, ab eo ſe auimo ſeparando, qui nlterius nec ſcripſit ad eum, nec eum nominavit Epiſcopum. Immò & è contrario io collocutioonibus amariſſimè ejus faciens meutionem. Nam nec nos nunc Cyrillum & Joaooem ab Eccleſia ſeci-

Digitized by Google

ſecimus alienos, ſed non ob hoc communicare eis credendi ullatenus ſumus, donec illorum perditionem noſtris animis inducamus. Et quidem miſetiæ meæ per gratiam Dei iſta voluntas eſt. Si verò Joannes anathematizavetit iſta Capitula, eumque eis Cyrillum, qui ea expoſuit, & agit pro eis, & non ſubſcripſerit Ordinationem Procli, per hoc utcumque compenſans ea, quæ contta Deo Amiciſſimum Epiſcopum Neſtorium iniquè præſumpſit. Etenim Proclus amplectitur procul dubio Cyrilli & Joannis communionem. Undè & de ea, quæ dicitur, ejus confirmstione Synodicam utriſque tranſmiſit. Si ergò Joannes hæc fecerit, & Deo Amiciſſimum Neſtorium Epiſcopum fuerit ſe babere confeſſus, non dictum tantummodò, ſed ut eum in Eccleſiam introducst, & cum eo ſedeat, tunc cum noſtra ipſorum ſecuritate, ſeu munitione amplectemur ejus communionem. Præter hæe autem decies millies ab Eceleſia pelli exorem, & per univerſa mortis genera tranſire, quàm communionem ejus amplecti. Etismſi nullus è Clero vel Populo hanc beatam viam carpentem me ſequi voluerit.

## Scholion.

HÆc epiſtola nos docet, quod per acceptam cum adjuncto ſaciendæ ptofeſſionis Libello Sacram, Maximinus Anazarbi Epiſcopus, ſecundæ Ciliciæ Metropolita, cunctos ſuos Suffraganeos ad pacem ac obedientiam ſuerit hortatus, & quod apud Mopſueſtienſem Meletium nihil profecerit. Scriptæ Epiſtolæ tempus docent hæc verba: *Igitur nec reſpondebo ullatenus ei, quem direxerint, ſi tamen reveru venerit aliquis; Sed ad Directores ſuos inhonoratum remittam.* Edicunt ſcriptam poſt traditam ae inſinuatsm Sacram Metropolitæ; antequam inſinuaretur Suffraganeis. Notsnda ſunt Verba: *Si tamen reveru venerit aliquis.* Affirmant Meletii Contumaciam fuiſſe adeo duram, adeoque msnifeſtam ut ipſemet ſe crederet non admonendum à Principe aut Patriarcha ad pacem, ſed inſtar deſperati negligendum. Porrò Meletius per hanc epiſtolam refutat omnes rationes, quibus aliqui ſuadebant unionem & pacem. Ptims erat antiqua Magni Baſilii ratio, quam ipſe exponit in litteris ad Presbyteros
203. 204. Tharſenſis Eccleſiæ: *Magna eſt inclinatio temporis ad Eccleſiarum everſionem. Ædificatio autem Eccleſiæ eſt erratorum correctio. Omninò ſimilis jam eſt Eccleſiæ ſtatus veteri veſtimento, quod vel levi de cauſa facilè diſcinditur, priſtinam verò ſoliditatem recuperare nullo pacto poteſt. Igitur in tali tempore magnum ſtudium, magnaque diligentia opùs eſt in quibuſdam Eccleſiis juvandis. Juvabuntur autem, ſi quæ nunc divulſa ſunt, conjungantur. Conjungentur, ſi, quibus in rebus nullum animabus detrimentum afferimus, voluerimus nos infirmioribus accommodare, & obſequi. Quoniam igitur multorum ora ſeſe adversùs Spiritum Sanctum aperuerunt, multorumque linguæ ad jaciendas in illum blaſphemias ſe acuerunt, optimum factu eſſe duximus, ut quantum in vobis eſt, Blaſphemorum numerum minuatis, & ad paucos redigatis, atque eos, qui Spiritum Sanctum Creaturam eſſe negant, in communionem omnem recipiatis, ut ſoli relinquantur Blaſphemi, atque ita vel pudore ad veritatem adducantur, vel ſi in peccato maneant, ob paucitatem indigni putentur, quibus habeatur fides. Ergo nihil ultra quæramus, ſed Fratribus, qui nobiſcum Societatem inire volunt, fidem, quæ Nicææ ſancita eſt, proponamus, ac ſi in ea conveniant, illud quoque exigamus, Spiritum Sanctum neque creaturam dici oportere, neque eos, qui dicunt, in communionem ipſos eſſe recipiendos. Nihil aliud eſt, quod præterea nobis inquirendum cenſemus.* Arius, licet etiam Spiritus Sancti conſubſtantialem Divinitatem negaret, non tamen non contra hanc, ſed contra ſolum Deum Filium blaſphemè latravit, ideoque Sacroſancta Nicæna Synodus de illo ſimpliciter dixit: Credimus & in Spiritum Sanctum. Expreſsè non dixit Deum de Deo, nec Lumen de Lumine, nec Deum verum de Deo vero, nec Patri ac Filio conſubſtantialem. Et hinc Macedonius ſumpſit anſam ſuæ Blaſphemiæ. Porrò ejus Secta erat numeroſa ac potens in utraque Armenia, ac in omni Diœceſi Pontica. Propter Euſtatium Sebaſtenſem. Erat diviſa. Quidam Deum negabant, ac dicebant Creaturam, quidsm molliores illum volebant nec hoc dici nec illud, ſed ſimpliciter acquieſcere Niceno Symbolo. Et quoniam per Valentis Imperatoris aſſiſtentiam erant validi, cunctos ſibi adverſantes Epiſcopos minabantur exturbate ſuis Cathedris, & ſuos Congerrones intrudere. Erat grande malum. Hinc Baſilius cenſuit Evangelicum quidem dogma non prævaricandum, utendum tamen diſpenſatione, & ſermones diſponendos in Judicio: Cenſuit omnes illos, qui Spiritum Sanctum, licet Deum non profiterentur, tamen Creaturam non dicerent, & Nicænum profiterentur Symbolum, gratioſè tolerandos, & admittendos ad communionis conſortium. Sic credidit illos, qui palam Hæretici blaſphemarunt, redigendos sd paucitatem, Orthodoxos Epiſcopos ſtabiliendos in ſuis Sedibus, atque ita fideles Populos liberandos ab Hæreticis Doctoribus ac Epiſcopis.

Eadem ratione quidam Secundæ Ciliciæ Epiſcopi cenſebant de hac pace. Sancti Cyrilli Capitula cenſebant Hæretica; item Neſtorii damnationem cenſebant iniquam; Quia tamen pacifica Cyrilli epiſtols erat Orthodoxa, cenſebant illi communicandum, atqua ita pacificandam, immò ab everſione liberandam Eccleſiam. Diſpenſatoriè. Ne ipſi ejicerentur è ſuis Eceleſiis, & Hæretici Capitulorum Prædicatores intruderentur, atque ita corrumperent omnem Populum. Et hac ratione Maximinus Metropolita tentavit permovere Meletium. Hinc ad illum legavit quempiam ſuæ Eccleſiæ Lectorem cum Anagnoſtico. Etiam adhibuit Helladium Tharſenſem Epiſcopum, Metropolitam primæ Ciliciæ: Eum induxit ad ſcribendum Meletio. Ex quo diſcimus

mus Helladium tunc etiam ad mentem rediiſſe. Verùm Meletius projecit hæcomnia, & reſpondit: *Sed illud novi, quod nos ad impia manifeſtè invitent. Namque præbendo conſenſum, ut ne Eccleſias obtineant Hæretici, nos eas potiùs Joanni communicando teneamus, quid id eſt aliud dicere, niſi ne alii hæretici futuri ſint, vos potiùs eſſe Hæretici feſtinate*. Et certè, ſuppoſita Sancti Cyrilli ac ejus Capitulorum Hæreſi, Meletius recta rectè concluſit. Nam & Magni Baſilii diſpenſatio multis diſplicuit.

Secunda ratio, qua quidam ſtudebant Meletium ad ſanam mentem deducere, erat, quod ejus Clerus ipſi adverſaretur, ideoque navigare non poſſet adverſo flumine. 3. erat, quod Theodoſius Imperator ac Joannes Patriarcha ipſum meditarentur non ſolummodo deponere, ſed etiam tradere Curiæ ad miniſteria. Hæc enim erat viliſſima res, ideoque & Epiſcopo duriſſima pœna. Hoc volunt verba: *Sicut illi non trahuntur ad Curiam &c.* ſunt obſcura. Et Meletius reſpondet plura. Primò, quod non Epiſcopus Clerum, ſed Clerus debeat ſequi Epiſcopum. Secundò, quod Epiſcopus Clero debeat præbere exemplum Conſtantiæ. Tertiò, quod iſtud ſit omninò daturus, lætanter exeundo de Eccleſia. Et addit de Clero: *Si aliquis me ſequi voluerit, lucrabitur ſemet-ipſum*. Quartò, quod paratus ſit ad ſubeunda etiam viliſſima Curiæ miniſteria: Ad forum purgandum, ad ſuis manibus efferendos platearum pulveres: *Sicut in Judicum ſolet fieri adventu*. Per Judices intelligit Provinciæ Præſidem, ac Præfectum Prætorii. Ita hi ſolebant honorari à Populis.

Quarta ad inflectendum Meletium ratio erat, quod inter ſuæ Provinciæ Epiſcopos eſſet ſolus iſtius ſententiæ, ideoque Patriarchali Joanni potentiæ non poſſet reſiſtere. Et ad hanc reponit: *Non contriſtat*, hoc eſt contriſtare non valet, *etiamſi nullus adjutor ſit*. Affirmat ſe ſatis validum adverſùs quaſvis Patriarchæ violentias & adjungit: *Si verò Imperiale Præceptum neceſſitatem ſimul intulerit, nihil proderunt ſolatia plurimorum*. Affirmat ſe paratum ad iſta omnia. Unicum ſibi eſſe ſtudium ut licet perdatur ab hominibus in hoc ſæculo, in futuro non perdatur à ſemet-ipſo. Et concludit: Præter hæc autem *decies millies ab Eccleſia expelli exorem, & per univerſa mortis genera tranſire. Etiamſi nullus è Clero vel Populo hanc beatam viam carpentem me ſequi voluerit*. Ex quo vides & Clerum & Populum rediiſſe ad Eccleſiam, & ſolum Epiſcopum hunc perſtitiſſe in contumacia. Item videmus omnem illum Clerum & Populum à ſcelerato Theodoro non fuiſſe perverſum.

Quiſnam fuerit memoratus hic Macarius, & quæ ejus miſeria, ſeu miſerum opus, non firmè ſcio. Exiſtimo fuiſſe Laodicenſem Epiſcopum. Hic enim cum Joanne Patriarcha fuit Epheſi, adhærens ejus Factioni, & operibus. Videtur à contumacia rediiſſe ad Joannem, & acceptaſſe pacem, ideoque Meletio fuiſſe à quibuſdam in exemplum propoſitus. Hinc Meletius reſpondet iſtud opus fuiſſe non miſeriam, ac materiam pœnitentiæ. Reſpondet ipſum adeò zeloſè & cito pœnituiſſe, ut ſtatim à pace & Joannis communione reſilierit, & nunquam deinceps agnoverit aut nominarit Epiſcopum. Quin imò quod ipſum degradari optarit. Et degradationi nihil obſtaret, niſi virium defectus: Quod nempe eſſet Joannis Suffraganeus, ideoque contra ipſum non poſſet facere Synodum. Quod in ſuis paſſim colloquiis amariſſimam de Joanne mentionem fecerit. Omnia ſunt in præterito, ideoque Macarius videri poſſit tunc fuiſſe mortuus. At non fuit. Etenim Euſebius Presbyter, ejus Vicarius ac Legatus adfuit Chalcedonenſi Concilio. Ex quo lucet Meletium hic imponere, aut Macarium fuiſſe dennò correctum & converſum.

Notanda ſunt & hæc verba: *Nam nec nos nunc Cyrillum & Joannem ab Eccleſia fecimus alienos &c.* Notanda eſt particula, *Nunc*: Hoc eſt poſt initam pacem. Etenim ante ipſam, & apud Epheſum & poſt reditum ad propria, Orientales Epiſcopi Cyrillum frequenter degradarant. Interim hi Factioſi nunquam præſumpſerunt violentas manus in ſui Patriarchæ caput mittere. Porrò Meletius ut pacem admittat, & ad Joannis communionem redeat, expoſtulat varia. Primò ut Joannes anathematizet non ſolum Cyrilli Capitula, ſed & perſonam. Secundò ut non ſuſcipiat Epiſcopatum ac Synodicas Procli. Tertiò, ut Neſtorii damnationem abjiciat, & ipſum non ſolo verbo & lingua, ſed opere & veritate habeat, ac omnibus demonſtret Epiſcopum: Ut ipſum introducat in Eccleſiam, & ſibi intra Thronum aſſidere faciat, uti advenam Epiſcopum. Hæc tria dixit neceſſaria ad utcumque compenſandam Neſtorio irrogatam injuriam. Proclum averſatur quod ille ad Cyrillum ac Joannem miſerit ſuas Synodicas, ideoque & illis communicet.

---

## CAPUT CLIX. ---247

*Synodica*, inquit, *Maximini, & eorum qui erant ex ſecunda Cilicia, ad Antiochenum de communione. Et de Capitulis fecit ut hæreticis mentionem.*

SUſcipientes tuæ Sanctitatis litteras per Dominum Admirandiſſimum Comitem Neoterium, omninò delectati ſumus ſuper expoſitione fidei Sanctitatis tuæ. Quomodò priùs ſanctorum beatorumque Patrum, qui Nicææ convenerunt, tua Sanctitas fecerit mentionem, deinde illorum Sanctorum propoſuerit nomina, qui ſemper claritate rectæ fidei micuerunt, & pro pietate fortiter decertando coronati ſunt. Hæc clarificaverunt animas noſtras: Hæc corda noſtra feſtivitate repleverunt. Nihilominus verò Anathematiſmi contra omnis contaminationis & impietatis Apollinarium, & abominandiſſimas expoſitiones

ejus

ejus nos ſupergaudere fecerunt. Et oramus ut ſanctum tuum caput donetur nobis longiſſimo tempore, perpetuò hæc exponens, ſimul & admonens. Quæ enim præterita vel ſcripta vel dicta ſunt, aliena ducimus à ſanctorum, beatorumque Patrum fide. Expoſitioni verò tuæ Sanctitatis, Orthodoxæ exiſtenti, & ſatis clarè prædicanti piam fidem, acquieſcimus. Et non nos dijudicet Religioſitas tua, eò quod hactenus ad Paternas tuas ulnas non percurrimus. Etenim ſemper nos omninò turbaverunt illa Capitula, quæ & tua Religioſitas ſæpiùs ut prava exiſtentia repulit. Nunc autem optima expoſitione tuæ Religioſitatis accenſi, rogamus Sanctitatem tuam, ut ores pro nobis, quod in fidei pietate perſtemus,& diligenter ſervemus vitæ mundiriam. Hoc namque de nobis tuæ Religioſitatis eſt lucrum, ut filii tui animi virtute proficiant. Omnem, quæ tecum eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

Judicent & de iſtis, qui Beati Theodoreti ac Beati Ibæ Dicta condemnant; Et pariter de Antiocheno Præſule Sancto Joanne, qui talia ſcribentes minimè reſpuit.

## SCHOLION.

HÆc non eſt qualiſcumque, ſed Synodalis Epiſtola, qua Maximinus Anazarbi Epiſcopus, ſecundæ Ciliciæ Metropolita, ac omnes ejus, excepto Mopſueſtienſi Meletio, redeunt ad Joannis Patriarchæ obedientiam, & amplectuntur initam pacem. Haud dubiè non ſuit Antiochiam tranſmiſſa, niſi poſt receptum Meletii Anagnoſticon. Iſta item Synodus haud dubiè fuit facta Anazarbi. Et eſt ibidem ſecunda. Prioris Acta ſupra audivimus. Porrò præſens epiſtola nos docet Synodi Acta, & plura alia. Primò, quod Joannes Patriarcha novas pacis conditiones Anazarbum miſerit per Neoterium Comitem. Secundò, quod unà miſerit fidei Libellum, profitendum & ſubſcribendum ab omnibus. Tertiò, quod Libellus in capite habuerit Nicænum Symbolum, deinde plura Sanctorum Patrum teſtimonia, exponentia & confirmantia Articulum de Dominicæ Incarnationis Myſterio. Quartò, quod etiam anathematizarit Apollinarium, & cunctas ejus abominandiſſimas expoſitiones. Per quas omninò intellexit Cyrilli Capitula. An ipſa expreſſerit, ignoro. Quidquid ſit, & Joannes, & Maximinus ſeſe mutuò intellexerunt. Lucet ex his verbis: *Quod hactenus ad Paternas tuas ulnas non percurrimus, nos omninò turbarunt illa Capitula &c.* Hæc omnia perplacuerunt Secundæ Ciliciæ Epiſcopis, & ipſos reduxerunt in gratiam & communionem Joannis Patriarchæ.

## CAPUT CLX. —248

*Epiſtola, inquit, Theodoreti Epiſcopi ad Helladium Tharſenſem, qui ei ſcripſerat, & direxerat litteras, quæ à Conſtantinopoli venerant. Scripſit verò ei hortando eum, ut uniretur Antiocheno, firmans, quod à nemine cogeretur depoſitioni conſentire Perſonæ.*

ET litteras, quas tua Sanctitas deſtinavit, inſpexi, & Magnificentiſſimi atque Glorioſiſſimi Quæſtoris Epiſtolam legi, quam per Deo Amiciſſimos, Donatum Presbyterum, & Acacium Diaconum nobis deſtinavit. Legi verò & alias litteras Amicorum, & inveni quod omnes pro pace nobis hortatus offerrent. Memor verò eſt & Sanctitas tua, quia & à principio dixerim Orthodoxam eſſe Epiſtolam, quæ ab Ægyptio directa eſt. Et nullam circà eam quandolibet diſcordiam habui. Hæc igitur apud memetipſum cogitans omnia, & quod unum ſit Eccleſiæ dogma, & quia hæreticorum illorum Capitulorum virtus evacuata eſt, dum duæ naturæ pro una prædicentur, & confeſſa impaſſibilis Deitas, collocutus ſum Domino meo, Deo Amiciſſimo Epiſcopo Joanni, & inveni eum pro Orthodoxia ſtudioſè certantem, & Eccleſiæ unitionem fieri feſtinantem, & depoſitionis ſubſcriptionem minimè exigentem ab eis, qui facere nolleor. Inveni verò & eos, qui ſunt ſecundæ Ciliciæ, ad eum communionis Epiſtolam deſtinaſſe. Neceſſarium igitur æſtimavi dirigere honorandiſſimum & reverendiſſimum Presbyterum Baſilium cum his litteris, & rogare Sanctum tuum Caput: Ne perdas gregem tibi commiſſum, dum cauſæ nullius interſit. Nam per gratiam Dei & recta fides obtinuit, & ad injuſtitiam nos ſecum nullus impellet. Quæſo igitur Sanctitatem tuam, iterumque, ne differas litteras, ſed ot ſcribas, & ſalves Eccleſiam. Quandoquidem nec tua conſcientia vulneratur. Nec enim nos juſtus judex alienæ injuſtitiæ exiget ultiones. Inquit enim: *Qui ligat ſarcinam, ipſe & portabit. Et qui uvam acerbam comederit, ejus dentes obſtupeſcent.* Nos convenit & contentiones ſiſtere, & Eccleſias conjungere, & commiſſas à Deo non perdere Oves: Ne ob hoc tormenta ſolvamus.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola nos primò docet, quod Sacra, quam ſingulariter adversùs Alexandrum, Helladium ac Theodoretum Joannes Patriarcha per Domitianum Quæſtorem obtinuerat, fuerit ſtatim intimata Helladio Tharſenſi Epiſcopo, Metropolitæ primæ Ciliciæ. An fuerit Juridicè inti-

intimata, ignoro. Videtur tunc intimata non fuiſſe, niſi per amicas Quæſtoris litteras. Haud dubiè hortatoriàs ad obedientiam. Secundò, quod Helladius non ſtatim obediverit, ſed quod ante ipſum obedierit ſecunda Ciliciæ. Tertiò, quod Helladius non ipſam Sacram, ſed ſolas Quæſtoris Litteras Theodoreto communicaverit, poſtulans conſilium. Nempè Sacram credebat ex ipſo Palatio intimatam, aut intimandam. Quartò, quod etiam alias Amicorum litteras, aut ab Helladio, aut ab alio tranſmiſſas, legerit: Et quod omnes Helladium hortarentur ad pacem. Quintò, quod Theodoretus tunc ad Joannem Patriarcham acceſſerit, & cum illo redierit in plenam gratiam. Hinc aliud non poterat, quam alios per eaſdem vias ducere. Sextò, quod ex tribus originalibus pacis Articulis Patriarcha Joannes, Theodoreti ac plurium aliorum interceſſione victus, Neſtorii damnationem diſpenſatoriè neglexerit, atque ita fregerit, aut certè inflexerit multorum duritiam. Septimò, quod etiam Theodoretus permanſerit duriſſimus adversùs Cyrilli Capitula: Quod pertinaciter crediderit dogmatizari Divinitatis Paſſibilitatem, ac unicam in Chriſto Domino ex duarum confuſione naturam. Octavò, quod pacificatoriam Cyrilli epiſtolam conſtanter crediderit plenè orthodoxam, ideoque per ipſam ab illo licet non anathematizari, tamen everti ac projici Capitula. Hæc fundamenta credidit ſufficientiſſima ad pacem. Eadem omnibus nervis conatur imprimere Helladio.

---

## CAPUT CLXI. –249

*Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Cyrillum Adanenſem, quam ſcripſit rogans & ipſum, ut pro pace ſatageret, confiſus, quia nihil ab eo expeteretur, niſi ſola communio.*

T*Empus pugnæ, & tempus Pacis*, inquit ſapiens Salomon, res benè diſpertiens, & quid ſit proprium tempori cuique determinans. Igitur præſens tempus non belli, ſed pacis eſt. Nam & Apoſtolica Doctrina per Dei gratiam tenet, & hæreticorum quievit nova vox Dogmatum, & unus eſt ſenſus Eccleſiæ. Et ſecum nos injuſtitiam facere nullus impellit, nec ad damnationem quiſquam cogit inſontis. Et hæc manifeſtè cognovi colloquens Domino meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo Joanni, & ſubtiliter ejus intentionem comperiens. Dignare igitur, Sanctiſſime Domine, quia & hi, qui ad ſecundam Ciliciam pertinent, ad me Synodicam direxerunt, Communicatores ſe ejus litteris confitentes. Hortare Dominum Deo Amiciſſimum Epiſcopum Helladium, ut pro unitione curet Eccleſiæ: Quandoquidem nec ejus conſcientia vulneretur. Oportet enim Sanctitatem tuam pacem Eccleſiæ procurare. Sufficienter quippe invicem, velut in nocturna pugna, conſumpſimus: Et operare ut nosmetipſos de reliquo cognoſcentes jam tandem amplectamur & pacem.

Et has ſuperiores Epiſtolas ex nomine Theodoreti poſitas non me arbitror inaniter tranſtuliſſe, licet rationabiliter ambigam utrùm verè ſint ejus. Sed idcircò id egi, ut quia talibus adverſarii abutuntur, etiam circa hæc inſtruantur Orthodoxi per gratiam Dei. Qui enim Beati Ibæ adamarint Epiſtolam, ejus abnuunt eſſe: Quæ etiam Geſtis univerſalis Concilii abſolutè ſub ejus nomine continetur, abſque dubio Theodoreti credi deſiderant, eò quod eam operi ſuo Irenæus ille contexat, qui dum priùs acerrimus Neſtorii Defenſor exſtiterit, poſtea anathematizanti eum cum Dogmate ſuo communicavit Eccleſiæ. Unde aliis, & ipſi Theodoreto, magnopere duxerat exprobandum. Ac ne hoc tantùm laicus agere videretur, à Domno Antiocheno Præſule Tyriorum Metropolis Epiſcopus ordinatus eſt. Multa enim talia ejus inter has Epiſtolas Dicta pro inutili longitudine prætermiſi. Cujus ad hoc aliqua tranſtuli, ut ejus intentio noſceretur. Primus ergò hic ipſe Irenæus, deinde conſimiles ejus ſunt abuſi talibus, ut quaſi de mutabilitate Theodoreto exprobarent. Abutuntur his & Acephali, dum certè in non dicendo Epheſi ſecundo Concilio apud eorum Authorem Dioſcorum nulla ex his legantur objecta. Quod certè immaniter videntes ad hoc impulit Indigentia objectionum, ut de illis quoque addicendus judicaretur, quæ adversùm duodecim Capitula ante

pacem conſcripſerat. Sed hanc objectationem ſerotinus & novellus error à veteri mutuatus eſt, Adverſariorum teſtimonia digna fide dicendo. Ego autem Scripta hæc tantò in melius accipienda perſpicio, quantò Theodoreti probare potuerunt. Licet in eis illa intentione, quam videre non volunt, poſt Eccleſiæ ex parte unitionem de Beati Cyrilli Dictis deſtruere, & injuria damnatum videatur dixiſſe Neſtorium. Tota namque intentio pro charitate, ſecundùm Deum, proximorum fuiſſe monſtratur. Per hoc ſolum ſuadere ſtuduit, ut ad Eccleſiæ Chriſti pacem trahens Orientis Epiſcopos, nullum foris ab ea æternæ tradendum perditioni relinqueret. Quod tunc eis aliter ſuadere non poterat, niſi talia interim verba miſceret. Quippè quando & ipſe Sanctus Joannes Antiochenus Præſul cum adunatis ſibi Co-Epiſcopis ſuis, id eſt, magno illo Sene Acacio Berrhæenſi, & Paulo Emeſeno, & aliis, ſimili hæc intentione tolerabat. Quis igitur ſic malevolentia cœcus ſit, quem ad malam ſuſpicionem ſola hæc Dicta inclinent, & non potiùs ad boni propoſiti effectuſque intellectum trahant? Qui longè clariùs meliores exiſtunt, quoniam tot Paſtores & Plebes abſtulerunt Neſtorio, & Eccleſiæ reddiderunt unitati. Nam fructus horum Scriptorum illi nimirum ſunt, quos legemus poſt paululum, uno ſpiritu damnatis erroribus. Ad quod niſi tali diſpenſatione perduci non poterant. Intellexiſſe verò eos integrè Theodoreti intentionem, & ex ipſa circa fidem Neſtorii & ejus adverſitate cognoſcitur. Nam dum Neſtorius unitivæ Cyrilli ad Joannem Epiſtolæ fidem clariſſimè impiam demonſtrare feſtinat, eam Theodoretus conſtantiſſimè aſſeverat orthodoxam. Et inſuper poſt tales ad ſe Neſtorii litteras, hoc idem faciendo perſiſtit, ad Helladium Metropolitanum Epiſcopum in ſua Epiſtola dicens: *Memor eſt autem Sanctitas tua, quia & à principio orthodoxam eſſe dixi Epiſtolam quæ ab Ægypto directa eſt. Et nullam circa eam quandolibet habui diſcordiam.* Quod ei ille Alexander, qui ab hoc ipſo Irenæo per omnia valdè laudatur, in Epiſtola, quam ſupra poſuimus, improperat dicens: *Non verò miretur Religioſitas tua, quod tu quidem ſcribas illa, qui Cyrillum putas orthodoxum; ego verò iſta, qui Cyrillum habeo hæreticum.* Quæ omnia evidentiùs elucent, ſi Scriptis his Theodoreti illa Neſtorii conferamus.

## SCHOLION.

CYrillus Adanenſis, in prima Cilicia Epiſcopus, cum Joanne Patriarcha fuerat Epheſi, & omnibus ejus Actis cooperatus ſubſcripſerat. Præſens Epiſtola oſtendit fuiſſe virum bonum, amatorem veritatis ac pacis. Per ipſam repetit illa omnia, quæ per præcedentem ſcripſerat ad Helladium. Notanda ſunt Verba: *Quandoquidem nec ejus conſcientia vulneretur*. Oſtendunt lamentandam humanæ naturæ miſeriam, ex qua tantas incurrimus mentis tenebras, ut tanti viri, dum ad Orthodoxæ veritatis ac unitatis gremium invitabantur, crederent ſe propelli ad vulnerandam ſuam conſcientiam. Et ex quibus tenebris Orthodoxis Orthodoxos Epiſcopos *velut in nocturna pugna* mordebant, lacerabant, conſumebant. Et tales tenebras, taliaque tenebrarum opera videmus ac flemus etiam hodie.

Adjuncti Scholii Anthor fuit imperitus. Errat primò, quod Comes Irenæus fuerit converſus, & Eccleſiæ, Neſtorium ac ejus Dogma anathematizanti, tandem communicarit. Et quidem ante Epiſcopatum. Secundò, quod in converſionis teſtimonium ac mercedem ſit à Domno, Antiocheno Patriarcha, conſecratus in Metropoli-

politam Tyriæ Eccleſiæ. Tertiò, quod Theodoretus non niſi ante Eccleſiæ pacem impugnarit Cytilli Capitula. Quartò, quod poſt Eccleſiæ pacem iſtud ex corde non fecerit. Quintò, quod etiam ex corde tunc non impugnarit damnationem Neſtorii. Sextò, quod Epheſinum Latrocinium nihil iſtorum Theodoreto improperaverit. Pleraque ſunt abundè refutata in ſuperioribus.

## CAPUT CLXII. —250

*Epiſtola*, inquit, *ejuſdem ad Mocimum, Deo Amiciſſimum Oeconomum Hierapolitanæ Eccleſiæ, per quam ſignificat quod in Antiochiam ingreſſus Joanni collocutus ſit, & ea de quibus agitur, decenter & optabiliter compoſuerit.*

QUi facit omnia longè meliùs, quàm petimus vel intelligimus, præparavit nos colloqui cum Domino meo Sanctiſſimo Epiſcopo Joanne. Et ſermone de ſingulis habito, terminum quem volebamus, accepimus. Invenimus quoque remedium, quod ſufficiat Domino meo Deo Amiciſſimo Epiſcopo veſtro, ſubtilitatis dogmatum cauſa. Dignare igitur, Deo Amiciſſime, præloqui Religioſitati ejus, & eum nobis ad perſuadendum facilem præparare. Speramus enim, quia jubente Deo, circa diem menſis hujus vigeſimum omnem vobis collocutionem noſtram narrabimus, ut & vos Domini mirabilia obſtupeſcatis. Qui nobiſcum ſunt, ſalutant tuam Religioſitatem.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola demonſtrat Theodoretum, poſtquam cum Joanne in gratiam rediit, denuò fuiſſe pro pace Zeloſiſſimum. Etiam pro reductione ſui Metropolitæ Alexandri. Et quoniam ad ipſum, jam penitùs animò exulceratum, timebat etiam per litteras accedere, mediatorem impendit Mocimum, Œconomum Eccleſiæ. Affirmat nova ſua cum Joanne pacta eſſe irreprehenſibilia, & talia, quæ Alexandro debeant quò ad omnem Dogmatum ſubtilitatem ſatisfacere: Et hinc non refutanda. Verùm Alexander fuit immobilis. Contempſit laudata per Theodoretum *Domini mirabilia*. Exiſtimo fuiſſe Joannis receſſum à damnatione Neſtorii. Quis Menſis hic laudetur nequeo conjecturare.

## CAPUT CLXIII. —251

*Epiſtola*, inquit, *Meletii, quam ſcripſit ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, indicans quod communicaverint ſecundæ Ciliciæ Sacerdotes, primæ verò eos ſequi potiùs vellent.*

REverà niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis veritatis ſemen, Sanctitatem tuam, ſicut Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus effecti. Qui enim videntur adhuc pro pietate confligere, ut non dicam cuncti nos, erubeſcendo tuæ Sanctitatis pro pietate conſtantiam, videntur utcumque hactenus recertantes, ut poſt bella inviti tentantes. Quaſi rationes Deo non ſimus redditurі, ad quem referri contingit hujus certaminis cauſam. Dum certè fructus ſervetur, reſtituendus in tempore ſuo his, qui ex tota virtute diligunt Deum, & ob hoc ſinceriſſimè in præſenti oſtendunt pro pietate conſtantiam. Sed optamus donari nobis tuam diutiſſimè Sanctitatem: Eam, quæ in hac vita emerſit, caliginem diſſolventem perfectæ circa Deum notionis feſta lampade. Nos autem ſicut juſſiſti, Domine mi Deo Amiciſſime, Epiſcopo Helladio Sanctitatis tuæ miſimus litteras, & reciprocas accipientes tuæ Sanctitati dereximus. Quæ autem circa nos agantur, veremur edicere. Undè id omittens, quæſo Sanctitatem tuam, conſuetè ora pro nobis, ne nos valeat impietatis unda ſubmergere, quæ intolerabilis, ut videtur, exiſtit, niſi dives quædam deſuper gratia venerit.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola demonſtrat non ſolius Mopſueſtienſis Meletii, ſed etiam Hierapolitani Alexandri deſperatam contumaciam. Demonſtrat, quod Alexander, Secundæ Ciliciæ ad pacem acceſſiſſe, & primæ Ciliciæ Epiſcopos in ipſam propendere audiens, ſcripſerit ad Metropolitam Helladium, ſtudens divertere. Et litteras miſit per Meletium. Epiſtola docet ſecundò, quod Helladius reſcripſerit, ſuaſque item litteras per Meletium tranſmiſerit. Notanda ſunt verba: *Quæ autem circa nos agantur, veremur edicere*. Nempe omnis, ſpreto Meletio, ſecunda Cilicia erat pacem amplexa.

CAPUT

## CAPUT CLXIV. —252

*Epiſtola*, inquit, *Helladii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua indicavit, quod ſecundi quidem Cilices communicaverint, compellatur verò & ipſe ab omni Clero, & Epiſcopis Provinciæ ſuæ, Antiocheno conjungi, dicentibus ſibi præfatis, ne deteriora mala contingant his, quibus nunc coarctatur Eccleſia.*

CONvenientia quidem tui Apoſtolici propoſiti & zeli, quem pro pietate geris à principio uſque ad finem, & iſta ſunt quæ nuper nobis per Deo Amiciſſimum Epiſcopum Meletium tuæ Sanctitatis porrecta ſunt Scripta. Ego verò & quæ ſcripſit, & quæ locutus ſum Reverendiſſimo illi & optimo, minimè obliviſcor, & nunc tuæ Deo Amabilitati hæc ipſa ſignifico. Quoniam dum multa ac peſſima contra Eccleſiam Dei mala verſantur, ad medium venditionis & emptionis præſunt homines, prava ſentientes, & indiſcreti, & alia inoptabilia & vitanda, quorum nec numerus poteſt explicari, quid agam reperire non valeo. Nam quieſcere quidem, & meam ſolius obſervare animam, æſtimo amplectendum, ſicut teſtis eſt conſcientia mea: Et multis emere velim, ut à principio uſque ad finem æquali uterer vita, nihil pro commiſſi Miniſterii neceſſitate relaxans, neque meliore velut ita dixerim, converſatione prælata. Sed ſi prodidero iterùm, quibus non oportet, Eccleſiam Dei, & fideliſſimos Chriſti Populos, neſcio an vel parva mihi ſatisfactionis particula in diem judicii relinquatur. Undè omnem ſimul ſecuritatem, omnemque pariter curam jactans in omnium Dominum, in ipſum ſolum confido: Præcipuè videns, quod omnis noſter Deo Amiciſſimus Clerus, & ferè cuncti ſanctiſſimi Epiſcopi compellunt nos ad conjunctionem proſpicere. Et ſecundi quidem Cilices, quod & tu Deo Amiciſſime, jam fortaſſis audiſti, & pacificati ſunt, & Antiocheni amplexi communionem. Et apud nos peragere hæc ipſa feſtinant. Ego verò remanſi cum duobus Deo Amiciſſimis Epiſcopis tantùm, non minor zelo, ut arbitror, pietatis à tua Sanctitate, deliberans unà cum eis, neque præter Domini Chriſti facere voluntatem, neque Eccleſiam Dei, & fideliſſimos & amatores Chriſti Populos prodere. Tuæ ſit orationis, Domine, mihi de reliquo, ut ſicut deſiderii noſtri eſt, ita hæc pia dirigatur intentio.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt Helladii Reſcriptum ad ſupra memoratas Alexandri litteras. Notanda ſunt hæc verba: *Quæ nuper nobis per Epiſcopum Meletium tuæ Sanctitatis porrecta ſunt Scripta.* Et hæc: *Et quæ locutus ſum Reverendiſſimo illi & optimo.* Edicunt Meletium non fuiſſe contentum Alexandri litteras tranſmittere, ſed acceſſiſſe Tharſum, & multa locutum ad pervertendum Helladium. Hinc Helladius reſcripſit. Attamen manſit propenſus in pacem. Et dat varias ſuæ converſionis rationes. Primò, quod ejus degradatio fuiſſet injuria Eccleſiæ, utpote illam devolvens in indignum forſitan Succeſſorem. Secundò, quod omnes ejus Clerici, ac plerique Comprovinciales Epiſcopi ipſum ad pacem compellerent. Tertiò, quod Secundæ Ciliciæ Epiſcopi eſſent non dumtaxat amplexi pacem ac Joannis Patriarchæ gratiam, ſed etiam eadem ſua Senſa ac opera potenter ſuaderent Epiſcopis Primæ Ciliciæ. Quartò, quod omnes jam perſuaſi eſſent exceptis ſe ac duobus. Quintò, quod ipſe cum illis eſſet quidem boni zeli, ſed non poſſet Eccleſiam aut Dei Populos perdere. Propter hæc & alia, cenſet diſpenſatoriè tolerandam pacem, & condeſcendendum.

Quæſtio eſt, quomodo Helladius potuerit intrare pacem, & à Joanne Patriarcha admitti in gratia? Ratio dubitandi eſt non modica. Etenim ipſe eſt unus iſtorum quatuor, quos Sanctus Cyrillus excluſit à pace, quos immobiliter fixit in inflicta ipſis per Epheſinam, & Conſtantinopolitanam Patriarchæ Maximiani Synodum degradatione: Et pro quibus nullas Pauli Emeſeni Epiſcopi preces voluit admittere. Reſpondeo, hanc gratiam proveniſſe à Xiſto Tertio Pontifice, & ab Appellatione, quam ad ipſum interpoſuerunt Helladius, Eutherius, & plures alii iſtius Rebellionis Epiſcopi. Omnia iſtius Appellationis Poſtulata Xiſtus exaudire non potuit: Exaudivit tamen aliqua. Præfatam Sancti Cyrilli duritiam circumduxit, à pace excluſit ſolum Neſtorium, cunctis aliis Degradatis reſeravit reparaturæ gratiæ januam dummodo aperirent oculos, ac pœniterent. Et Helladius aperuit oculos.

---

## CAPUT CLXV. —253

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam Tharſenſi reſcripſit, vituperans quidem Scripta ipſius, admonens verò eum, ne deſereret ea, quæ ſemel Deo amabiliter judicaſſet.*

JUdicium quidem de talibus, Deo Amiciſſime Domine, tuæ eſt per omnia Deo Amabilitati conveniens, per omnes ſpiritales vivendi virtutes. Ego autem rogo, ut illud mente percipiat Deo amabilis Anima tua, quod ubique per Orbem tempore iſto publica exercitur audacia ab ægrotantibus ea hæreſi, quæ nuper emerſit, aut

ei præbetur locus ab eis, qui eſſe ſani videntur. Et clarè illud Propheticum opere perpetratur:
num. 25. *Quia & ipſi commiſcebantur meretricibus, & cum conſecratis Idolo ſacrificabant. Et intelligens Populus*, quin immò, ut veterius reperatur, Sacerdotes, qui intelligunt, *compelluntur fornicari*. Quid igitur, quæſo, convenit ulterius ſuſtinere eos, qui ſecundùm veritatem pro pietate certant, niſi utique ut pellantur, & exilientur, & perſecutionem ſuſtineant, omnemque ſpeciem tormentorum, juxta Apoſtoli ſententiam, qui ait:
2. Tim. 3. *Omnes enim, qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patientur. Mali verò homines & deceptores proficiunt in pejus, errantes, & in errorem mittentes?* Sed ecce, ut ſcripſimus pridem, Sereniſſimus & Manſuetiſſimus Imperator noſter, dum certè ſicut contra hæreticos ad eum accuſatores noſtri retulerint, nihil nobis propoſuit aliud, niſi ut aut communicemus Orthodoxiæ Proditoribus, aut ſegregemur ab eis. Nos autem, qui pro pietate certamus, quid oportuit ſuſtinere? Requiem, honorem, gloriam, per manſionem temporalem, & ut complexè dicamus, præſentis temporis fruitionem, an omnem ſpeciem tormenti & pœnæ? Nullus enim, dum pro pietate certaret, diſtributis unquam deputatiſque tormentis abſceſſit, ſed è diverſo ſuo quidem Propoſito ad dira omnia præparatur. Neceſſitate verò corruptibilis corporis, una vel ſecunda pœna ad finem pervenit. Meliuſque jam fuerat à principio nos exiviſſe, nec multos ad pietatem in nobis attonitos roboraſſe, quam nunc ad tam manſuetam clementemque propoſitionem torpeſcere.

Et hæc nunc mihi non ad tuam Religioſitatem dicta ſint, ſed ad meam meditationem, propter ſecundas has litteras. Tria ſunt ab Antiocheno commiſſa: Communio cum hæretico, rectæ fidei Anathematiſmus, orthodoxi hominis depoſitio. Quid horum, quæſo, excuſare valebimus, & pro quibus ei communicare vitabimus? Nam duo quidem manifeſta ſunt, quod ab eo in Deum commiſſa ſint, tertium verò in hominem: Verùm quia Dei Sacerdos eſt læſus, & hoc quodammodo refertur ad Deum. Illud verò Heli cogita-
1. Reg. 2. to Sacerdotis: *Si peccaverit*, inquit, *homo in hominem, orabunt pro eo*. Quomodò igitur eſt poſſibile, ut nos pro pietate certantes deſeramus quæ prima, & quæ neceſſariora ſunt cauſæ, & pro iniquitate, quæ in perſonam commiſſa eſt, reſiſtamus? De pietate quidem pro nihilo taceamus, objiciamus verò non nos eſſe in dejectione participes, ex quo ſemel ejus communionem fuerimus amplexi? Ego verò ordine & conſequentia progrediens, credo in Dominum Chriſtum, quia etſi exilium nobis minentur & mortem, communicare ei nullatenùs ſuſtinebo, quando & decies millies Orthodoxus eſſe prætendatur. idcircò præcipuè, quia communicavit hæretico, & abjuravit rectitudinem fidei.

Qui verò nunc boni ſunt circa vos, per ſuos proprios, per quos ad nos Scripta miſerunt, & ipſam, tempori ſuccumbentes, addixere perſonam: Quidquid ipſi perſonæ ſcripſerint pridem, quando meliorem de ea gerebant ſpem, tuam non latuit Sanctitatem. Nonne autem ſtupendum ſeu mirum, quod nobis in præſentis certaminis tentatione contingit idem, falſa eorum, qui nos amare videntur, miſericordia, veritate verò oderunt? Et reprehenſiones, & contumeliæ, & ſubſannationes, & exprobrationes eorum, quæ circa tempora immutantur: Nec pro veritate certant. Et blandimenta propriorum, & ipſe circa eos nec rationabilis, neque neceſſarius noſter affectus. Per hæc namque univerſa & tentati & probati ſunt, qui Chriſti Martyres, Confeſſoreſque ſunt pietatis effecti. Et alii quidem vicerunt, nonnulli autem plerumque ſuccubuerunt. Quem namque eorum non circumdedit multitudo Affinium, Conjugum, Filiorum, Fratrum, Parentum, Amicorum, Vicinorum, Sodalium, affectus firmitatem monſtrantium, & à conſtantia circa Dominum revocare tentantium?

Non habemus pecunias, & munera, & naves plenas oneribus, quæ mittamus; ſed habemus orationes, & lachrymas, & gemitus compunctionem, & ad Dominum vigilias. His namque armatur veritas, illis autem multitudo contra veritatem. Sed ſub debito ſunt, inquiunt, Eccleſiæ noſtræ. Ergone ob hoc deſpicienda eſt pietas? Undè verò debent? Nunquid deliciati ſumus ex eis? Nunquid donavimus noſtris? Nunquid noſtra ſolvimus debita? Quod etſi eis theſauros decem millia congregemus, nonne bonum eſt, ut verba Domini Chriſti teneamus in mente: *Quid enim prodeſt homini, ſi totum Mun-* Math. 16.
*dum lucretur, animæ verò ſuæ faciat detrimentum?* Inſtant enim nobis cogitationes hujuſmodi, quas per gratiam Dei alteris cogitationibus ſobriis, & verbis Scripturæ deſtruimus. Bonum verò eſt in ſtatu ſiſtentibus illa Divina Monita meditari, Pſal. 19.
quæ inquiunt: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Et contra me*, inquit, *garriebant qui ſedebant in porta. Et in me pſallebant, qui bibebant vinum.* Pſal. 68.
*Ego verò & oratio mea ad te, Deus: Tempus beneplaciti; Deus*. Et illud Hieremiæ: *Ego autem*
*non deſtiti poſt te conſequendo, & diem hominis non* Cap. 17.
*deſideravi. Et quia non ſunt condigna paſſiones hu-* Rom. 8.
*jus temporis ad futuram revelari in nobis gloriam*.

Quæ autem nuper magnis contra me elicuerunt ſtudiis, requies mihi ſunt & libertas, ſi hoc permiſerit Deus, ab hoc prælio non dicendo. Quam enim ſpeciem contrarietatis adverſùm me Antiochenus non exercuit? Nonne militum Magiſtros, & judices adversùs meam armavit Humilitatem? Nonne Martyris Eccleſiam à me abſtulit, in quam ferè trecentas auri libras expendimus, & Eccleſiam ſub debito fecimus? Nonne invaſit Parochias meas? Nonne militarem commovit Cohortem contra Epiſcopum ſenem, eoque expulſo introduxit ſacrilegum? Nonne alibi fornicarios, & criminum ſtigmatibus inuſtos ordinavit? Nonne hanc omnem, quod ad ſe attinet, Regionem adversùs nos invitavit? Et per eum, qui me confortavit, gaudium, &

coro-

Google

corona, & exultatio, & exercitium, & unctiones mihi hæc omnia facta ſunt, ut experimento diſcerem, quia in multa probatione tribulationis abundantia gaudii noſtri eſt. Ad recommemorandam verò Religioſitatem tuam & eorum, quæ ab Epheſo pridem ſcripſimus ad ſanctas Dei Orientales Eccleſias, transſcribens ex chartis Eccleſiaſticis, quæ apud nos ſunt, exemplar tuæ Sanctitati direxi.

## Hìc illud non poſui, quia ſupra jacet.

### SCHOLION.

ALexander Helladium per litteras ac Meletii Legationem tentaſſe non contentus, per præſentes litteras facit ſecundam inſtantiam, omni conatu ſtudens firmare in pacis odio, ac retrahere ab omni Joannis Patriarchæ, ac præſertim Sancti Cyrilli communione. Nec mirum. Etenim Helladii Reſcriptum fuerat fluctuatione plenum, manifeſtè emiſſum à ceſpitante animo. Hinc Alexander non exuit omnem ſpem, ſed cenſuit denuò tentandum. Duæ præſertim rationes Helladium inflectebant ad diſpenſatorium deſcenſum in hanc non plenè rectam pacem: Spes ſui Populi ſervandi à gravioribus malis, & Reverentia Principis. Eas Alexander per præſentem epiſtolam machinatur infirmare. Ad primam reſpondet Populum iſta via nullatenus ſervandum, ſed manifeſtè præcipitandum in Hæreſim. *Ego autem rogo*, inquit, *ut illud mente percipiat Deo amabilis Anima tua quod utique per orbem tempore iſto publica exeritur audacia ab ægrotantibus ea Hæreſi, quæ nuper emerſit, aut ei præbetur locus ab eis, qui eſſe ſani videntur*. Affirmat Cyrilli Capitula eſſe evidenter novam Hæreſim, & ipſam ab ejus Sectatoribus defendi & propagari cum publica audacia, & eidem ab Orthodoxis præberi diſſimulationis fomenta. Quod nempe Orthodoxi illi Cyrillum non cogerent ad ſua Capitula diſertè anathematizanda. Affirmat hiſce facinoribus non poſſe amore pacis conniveri, ſed ad ipſa evertenda eſſe ſuſtinendum exilium, perſecutiones, omnem ſpeciem tormentorum. Hac unica via ſervandum Populum.

## CAPUT CLXVI. —254

*Epiſtola Theodoreti*, inquit, *Epiſcopi ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, quam ſcripſit poſtquam ingreſſus Antiochiam Joanni eſt collocutus, & præfatus Senex Deo Amiciſſimus ejus, id eſt, Theodoreti, colloquium non eſt paſſus ulterius.*

EGo, etiamſi me tua Religioſitas perſequatur, & pellat, & utatur vectibus contra nos, non deſinam procidens ſupplicare, & pro-



volvi pedibus ejus Sanctitatis, & tenere illa genua, quæ in orationibus expendiſti, & ad quorum obſequium pertinet univerſa peragere, & quibus teſtimonium perhibent ea, quæ nuper ſunt acta. Poſt turbas enim decem millia, & non pauciores perturbationes, quas ſuſtinui, videns in magno periculo animas, quæ commiſſæ ſunt nobis, in domo facto colloquio univerſa nobis per gratiam Dei votivè peracta ſunt. Servo autem narrationem collocutioni futuræ. Invenimus enim & ſatisfactionem, quæ tuæ mundæ conſcientiæ ſatis ſit, & ab omni eam dubitatione valeat prævenire: Cui & Iſauri cedentes & Cilices, amplexi ſunt communionem ad Dominum meum Sanctiſſimum Epiſcopum Joannem. Spero autem, concedente Deo, ad tuam venire Sanctitatem circa diem menſis hujus vigeſimum. Omnem, quæ cum tua Religioſitate eſt, in Chriſto Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt, plurimùm ſalutamus.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola, ac ejus Epigraphe nos docent, quod Theodoretus Antiochiam iverit, multa tractarit cum Joanne Patriarcha, ac redierit in ejus gratiam. Nempe Joannes conſenſit, ut nemo cogeretur admittere damnationem Neſtorii. Secundò, quod Alexander uſque tunc fuerit ſenex eximiæ pietatis, & grandis meriti apud omnem Eccleſiam. Tertiò, quod hunc Theodoreti acceſſum & Acta adeo indignè acceperit, ut illum deinceps nec aſpicere dignatus fuerit. Quartò, quod Theodoretus cunctis nervis ſtuduerit illum placare, & ad ſana conſilia inflectere. Quintò, quod pacem amplexæ eſſent duæ Ciliciæ & Iſauria. Tanta eſt virtus pœnalium Legum, & ſervilis timoris.

## CAPUT CLXVII. —255

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, qua reſpondit indicans quidem cauſas, quæ id non ſinerent fieri, rogans verò ne ob hoc ſibi de cætero inſtaretur.*

ARbitror quod Religioſitas tua non ſolùm nihil omiſerit eorum, quæ ad ſalvationem pertinent infelicis animæ meæ, ſed & ſupergreſſa ſit illum Paſtorem velociſſimum, qui in Evangelio legitur. Ille enim ſemel ivit ad ovem, quæ perierat, inquirendam; tua verò Sanctitas & Harbath, meum montem, & Hierapolim, & Zeugma, & Antiochiam nunc adiit ad animam meam, quæ periit, inquirendam. Quieſce igitur, quæſo, de cætero & ipſe fatigari, &

contererere vos. Ego enim non quomodo agant Cilices & Iſauri, intendo, ſed ſi omnes qui fuerunt à ſæculo, bomines à mortuis reſurgentes Ægyptiæ abominatioois impietatem, Pietatem vocent, digniores eos fide nullarenns duco à ſcientia, quæ mihi Deo largiente donata eſt. Et nihil horum, quæ ſcripturus ſum, dicerem, ſicut teſtis eſt veritas, niſi talia nobis, quaſi exquiſita propter nos ſatisfactione, per Epiſtolam tua Sanctitas indicaſſet.

Arhitror autem quod ego potiùs locum habuerim tuæ ſcribere Sanctitati, depoſuiſſe quidem me talem proventum, inveſtigaſſe autem veritatem. Pro talihus cauſis ſancti Monachi, qui ſunt Alexandriæ, Epiſtolas direxerunt per Chometum bis, qui in Ægypto fuerunt, Acacio Reverendiſſimo Diacooo & Xenodocho, & Scyllacio Religioſo Presbytero & Archi-Mandritæ, & Agapio Revereodiſſimo Presbytero & Gazophylaci, execrantes impietatem Cyrilli, & peſtilentiam quæ comprebendit Eccleſiam Dei, & ſibi indicari rogantes, ſi aliqui Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum per Orientem relicti ſunt, qui non ſunt bujus temporis facti: Ut ſi remanſeriot, ſcriberent iiſdem Monachis, ut venirent, & habitarent ſub umbra eorum. *Hic namque*, inquiunt, *ab altis Sedibus Deus paſſibilis prædicatur*. Deo Amiciſſimus Preshyter, & Archi-Mandrita Parthenius & mibi & tuæ Religioſitati direxit Epiſtolam, quia cum fiducia nunc io Conſtantinopolitana dogmatizantes Eccleſia dicunt, quia *Ille immortalis eſt mortuus*. Et ante paulùm, quam ſuſciperem tuæ Religioſitatis Epiſtolam, undecimo quidem die, veniens indicavit, quod propter hanc hæreſim ab ipſa Eccleſia infinitæ multitudines ſe ſepararint. Andreas verò Deo Amiciſſimus Epiſcopus ante bos mibi dies per Epiſtolam ſcripſit, quod in tota Pontica Regione Deus paſſibilis prædicetur. Deo Amiciſſimus & Sanctiſſimus Epiſcopus ex Ægypto tuæ Religioſitati per Epiſtolam indicavit: *Rabbulas de vobis quidem ſapit, quod pietatem cognoveritis; de nobis verò ubique ſcribit evidenter nos bæreticos nominans.*

Qui ſunt à ſecunda Cilicia, mibi Synodicum direxerunt, io quo & Cyrillo dederunt Anathema, excommuoicantes eos, qui eum ut Epiſcopum babent. Simili mihi Epiſtola indicavit Helladius, quod ſimul & ipſe decreverit unam ſententiam in his, quæ Deo Amiciſſimis ſecundæ Ciliciæ Epiſcopis placuerunt. Et quia nonnulli illius Regionis Epiſcopi altera ſapiunt, fui permutatione tempori ſervientes, quinque Epiſtolas habeo Deo Amiciſſimorum Presbyterorum Photii atque Martyrii: Duas quidem communiter ſcriptas, in quibus Orthodoxam Epiſtolam, tres verò à ſolo Deo Amiciſſimo Photio, in quibus eam oominavit Hæreticam. Deo Amiciſſimus Zebinas, qui in Antiocbia fuit, Propoiannus Eurethæ, Euſtolianus in Aoazarbo cum reliquis Epiſcopis coram Eccleſia anathematizavit Cyrillum, & Communicantes Cyrillo. Veruntamen & comperi nunc: Aurelius Flavius eſt. Potui ex bis, ut prædixi, tuæ Religioſitati inveſtigandæ veritatis dare conſilium; ſed præſenti tempore judicavi tacere. Et per ſanctas orationes tuas, omnes bi qui condemnaverunt impium Cyrillum, ſicubi dixerint Orthodoxum, permutati ſunt: Circa hanc partem illorum fortè ponentur à me, quorum Sanctus meminit Paulus.

Rogo igitur Religioſitatem tuam, quia nec inſanus ſum, nec delirus, ut parcas ſenectuti meæ: Si enim verè noſcet Sanctitas tua in orationibus ita mea genua laboraſſe, ut ipſe dixiſti. Ego enim antè trigiota aonos, dum Julianus quidam, vita Evangelica vivens, Apollinaris morbo langueret, & nominaretur ſuper Oblationem in Eccleſia Chalenti, & vicino Monaſterio, uſque *laboravi*, *dum* auferretur nomen, ſcitet etiam illud, quia decem millia mortes ſuſtire paratus ſum, quam tali communioni præbere conſenſum.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola nos docet primò, quod Theodoretus pro deducendo ad pacem ſuum Metropolitam fuerit Zeloſiſſimus, ac nullis laboribus pepercerit. Secundò, quod Metropolita non ex ſimplicitate aut ioſirmitate deliquerit, ſed ex plena malitia. Hoc demonſtrant hæc verba: *Si omnes, qui fuerunt à ſæculo, homines à mortuis reſurgentes Ægyptiæ abominationis impietatem, Pietatem vocent, digniores eos fide nullatenus duco à ſcientia, quæ mibi Deo largiente donata eſt.* Eſt natura privati Spiritus, qui in animabus ſemper Hæreticis domioatus fuit, & hodie dominatur in Lutheranis, ac præſertim Calviniſtis. Epiſtola tertiò docet, quod item S. Cyrillus, ejus Capitula, & inita ab ipſo pax habuerint in Egypto Inimicos: Etiam inter Monachos. Non dumtaxat ſunt adverſati Capitulis, ſed execrati ſunt eorum impietatem & peſtilentiam, quæ eis videbatur per ipſa invaſiſſe Eccleſiam. Et ad Orientales Monachos ſcripſere *ſibi indicari rogantes ſi aliqui Epiſcoporum per Orientem relicti ſunt, qui non ſunt bujus temporis facti: Ut ſi remanſerint, ſcriberent iiſdem Monachis ut venirent & habitarent ſub umbra eorum.* Oderant præſertim duodecimum Capitulum. Lucet ex hac querimonia: *Hic namq; ab altis Sedibus Deus paſſibilis prædicatur.* Ex quo etiam diſcimus, quod iſta Propoſitio per omnem Orientem habuerit Adverſarios & Execratores. Etenim etiam Parthenius, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter & Archi-Mandrita, datis & ad Alexandrum & ad Theodoretum litteris, queſtus eſt, quod plures tunc illic prædicarent hunc Articulum: *Immortalis eſt mortuus.* Et quidem cum fiducia. Nempe ob Sancti Patriarchæ Procli Authoritatem, qui illum ſuo ad Armenios Tomo, aut tunc aut ſtatim poſt inſeruit. Etiam Andreas Samoſatenſis Epiſcopus averſabatur, lamentans illum doceri & prædicari per omnem Ponticam Diœceſim. Nempe ob Authoritatem

Firmi

Firmi Cæſareenſis Exarchi, ac præſertim Melitinenſis Acacii. Et hæc omnia Alexandrum obdurabant in ſua pertinacia. Ex iiſdem interim videmus quod Sancti Cyrilli Capitulis etiam tunc eſſent potentes ac numeroſi defenſores.

Hæc Ægyptii Epiſcopi ſcripta ad Theodoretum verba, *Rabbulas de vobis quidem ſapit, quod pietatem cognoveritis; de nobis vero ubique ſcribit evidenter nos Hæreticos nominans*, ſunt ambigua. Eodem modo reſpondet ad ſecundam Helladii rationem. *Manſuetiſſimus Imperator noſter, dum certè ſicut contra Hæreticos ad eum accuſatores noſtri retulerint, nihil nobis propoſuit aliud, niſi ut aut communicemus Orthodoxiæ Proditoribus, aut ſegregemur ab eis*. Theodoſii Sacra mandabat cunctis iſtius Factionis Epiſcopis, ut aut Joanni Patriarchæ communicarent, aut exirent ſuis Eccleſiis. Alexander affirmat eſſe Sacram prævaricatoriam, ac patenter adverſam Divinis Legibus: Utpote quæ mandet, ut Orthodoxiæ Proditoribus communicent, ut ab eis ſeparentur. Addit Prævaricationem non Principi imputandam, ſed ſuis, qui ipſi calumnioſa impreſſerunt, Accuſatoribus. Et ex iſtis concludit non priori ſed poſteriori Sacræ juſſioni pacis eſſe obediendum. Eam per Sarcaſmum appellat *manſuetam & clementem Propoſitionem*.

Porro Alexander, ut Helladio perſuadeat ac firmiter imprimat hæc omnia nequaquam eſſe diſpenſatoriam condeſcenſionem, ſed prævaricatoriam cum Hæreticis confuſionem, ac omnis juſtitiæ violationem, Joannem Patriarcham accuſat de tribus: *De communione cum Hæretico*, Sancto nempe Cyrillo, *de rectæ fidei Anathematiſmo*, nempe de admiſſis ejus Cyrilli Capitulis, *& de Orthodoxi hominis*, utique Neſtorii, *depoſitione*. Eundem accuſat de aliis inſuper, degradationem promerentibus, delictis. Primò, quod ſingularem Sacram, quæ ipſum jubebat expelli à Principe, impetrarit. Secundò, quod ad illius Sacræ violentam executionem armarit Militum Magiſtros, ac Reipublicæ Judices, id eſt Prætorii Præfectum ac Provinciæ Præſidem. Tertiò, quod Hierapolitanæ Eccleſiæ abſtulerit Oppidum ac Eccleſiam Sancti Sergii Martyris, ac ibi novum Epiſcopatum erexerit. Eccleſiam, in quam inſtaurandam ac ornandam non ita pridem expenſæ erant trecentæ libræ auri. Quartò, quod illi abſtulerit alias inſuper Parochias: Nempe ad novo iſti Epiſcopo dandum Clerum ac Populum. Vel certè quod in aliis Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcopalibus Parochiis conſecraſſet Epiſcopos, ac exercuiſſet alios Juriſdictionis Actus. Quintò, quod Abbibum, Dolichienſem Epiſcopum, ſenem ac infirmum, per militarem violentiam ejeciſſet ac ipſi ſuper-ordinaſſet Sacrilegum. Licet non per mores aut contrariam vitam, tamen Sacrilegum propter hoc Superordinationis Adulterium. Sextò, quod fœdiſſimos homines conſecraſſet in Epiſcopos: Utique Marinianum ac Athanaſium. Propter hæc patenter indignum, propter tria priora crimina affirmat Joannem eſſe incapacem Chriſtianæ, Epiſcopalis præſertim, communionis. Et multa jactat de ſuo Martyrio. Gloriatur ſe antiquis Martyribus non inferiorem. Porrò ſuperius exſtant plures hujus Factionis ex Epheſo ad ſuos Orientales Collegas epiſtolæ: Quam hic laudet Alexander, ignoro.



Ambiguum eſt quinam intelligantur per voces, *de nobis*, an Metropolita Alexander cum ſuis, an verò Ægyptii. Certè Ægyptius Epiſcopus videtur de Ægyptiis ſcripſiſſe ac intellexiſſe. Et tunc ſenſus eſſe videtur, quod Rabbulas etiam fuerit execratus Capitula, & omnes propter ipſa Ægyptios dixerit & duxerit Hæreticos. Et hinc naſcitur alia quæſtio quomodo igitur Rabbulas, dum Theodorum Mopſueſtienſem anathematizavit, Capitula canonizavit. Reſpondeo diſtinguenda tempora. Quod Rabbulas Capitula aliquando damnarit, non eſt dubitandum, etiam ob ipſa Epheſi degradavit Sanctum Cyrillum & Memnonem. Poſtmodò tamen mutavit ſenſa & Acta. Ex quibus præſertim fundamentis, & quo diſtinctè tempore, ignoro.

Epiſtola videtur ſcripta poſt inflictum Theodoro Anathema. Alexander videtur affirmare Rabbulæ mutationem eſſe parvi ponderis: Eſſe non converſionem, ſed prævaricatoriam præverſionem. Rabbulam eſſe Vertumnum, qui ante ſcripſerit omnes Ægyptios propter Capitula eſſe Hæreticos. Eſt tamen res incerta. Etiam rationes quædam ſuadent Epiſtolam eſſe priorem iſto anathemate. Quidquid ſit Alexander affirmat & primæ & ſecundæ Ciliciæ Epiſcopos eſſe iſtiuſmodi prævaricatores & Vertumnos: Et demonſtrat ex lucidis documentis. Affirmat eſſe ex illis, quorum meminit Sanctus Paulus. Utique in Epiſtola ad Galatas. *Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico: Prævaricatorem me conſtituo*. Magnum hiſce peſſimis litibus fundamentum fuit, quod Sancti Cyrilli Capitula in pacis Tractatu indeciſa manſerit: Nec probata, nec abjecta. Hinc quiſque de illis perrexit abundare in ſuo phantaſmate. Quæ Alexander addit de Juliani, Apollinariſtæ Monachi, recitato ad oblationem nomine, oſtendunt duo. Primò, quod Monachi ex tunc habuerint proprias Eccleſias. Secundò, quod claros ſuæ profeſſionis viros recitarent ad ſua Sacrificia. Etiam vivos. Nam Julianus omninò videtur tunc vixiſſe.

## CAPUT CLXVIII. --256

*Epiſtola*, inquit, *Theodoreti ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua ſignificavit, quod Cilices & Iſauri ſubſcriptis conditionibus Antiocheno ſint adunati.*

SEu ſuſcipiat, quæ à nobis vel apud nos aguntur, Sanctitas tua, ſive etiam non, nos non quieſcimus, illa facientes tota virtute, quæ

coram terribili illo Tribunali damnationem qualemcumque nobis non inferant. Etſi in aliis enim negligentes & faſtidioſi ſumus, nullamque rerum Divinarum facimus curam, ſed in talibus & oramus & ſatagimus, ne ſtudioſis bonorum multò infirmi ſimus. Innoteſco igitur Sanctitati tuæ, quia Cilices & Iſauti & Eulogias Antiochiam direxerunt, & in litteris ſuis ut Epiſcopos nominarunt & Alexandrinum & Conſtantinopolitanum. Adjicientes non ſe communicare depoſitioni Sanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii. Hæc mihi indicaverunt nonnulli communium Amicorum, mandantes ut etiam nunc tuam deprecer Sanctitatem, & ad ſanctos pedes tuos cadam, & perſuadeam, quatenùs his, quæ cunctis placuerunt communiter, acquieſcas. Putant enim me cuncta poſſe apud Sanctitatem tuam. Undè iterum rogo animam tuam Sanctam, ut ſuſcipias hanc deprecationem meam, & condeſcendas pro Eccleſiæ pace.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola docet modum, quo utriuſque Ciliciæ ac Iſauriæ Epiſcopi acceſſerint ad pacem, & redierint in Joannis Patriarchæ gratiam. Palmaris conditio fuit, quod Sanctum Cyrillum & Sanctum Proclum agnoverit pro veris Epiſcopis. Hinc utrumque in ſuis litteris nominarunt Epiſcopum. De Capitulis tacuerunt. Neſtorii damnationem ſunt conſtanter averſati. Et quò Joannem plenè placarent, ei miſerunt Eulogias, ſeu munera. Communes amici ſperabant Alexandrum non fore penitùs alienum ab his diſpenſatoriis conditionibus: Item crediderunt Theodoretum apud illum poſſe omnia. Hinc cenſuerunt ejus pertinaciam adhuc ſemel tentandam. Et Theodoretus tentavit per præſentem Epiſtolam. Notanda ſunt verba: *Ne ſtudioſis bonorum multò infirmi ſimus*. Forſitan legendum eſt, *infimi ſimus*.

---

## CAPUT CLXIX. --257

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit Deo Amiciſſimo Epiſcopo Theodoreto, inſinuans quia nihil intereſſet apud ſe, quod Cilices & Iſauri Antiocheno communicaſſent, quando ipſe omnia ſuſtinere pro pietate delegerit.*

AB initio ego nec vos nec Cilicas ſum ſecutus. Et maximè vos, qui aliquando quidem ſuper nubes volatis, aliquando verò ad illius genua ut dedititii obſervatis. Quippe Orbis terrarum notatus à vobis eſt, & utraque propria eſtis voluntate perpeſſi. Vos autem dixi, ut facerem commune, quod tuum eſt. Sed à principio memetipſum à Cyrillo impio ſeparavi, & à communionibus eorum, qui uſque ad præſens pro ſua impietate certant, vos maximè ſuæ hæreſis Cooperatores accipientes. Nihil enim nunc uſque nos latuit eorum, quæ ab illo conſcripta ſunt, ſed inter manus habemus & ea, quæ Berrhæenſis ſcripſit Acacius. Et ea quæ per Emeſenum Paulum, & quæ adversùs tuam Religioſitatem ſcripſit, & quæ ad Clericos ſuos Conſtantinopoli remorantes, & quæ ad Melitinenſem Acacium, poſtquam cum Paulo fœdus communionis iniit. Ubi & acriter pro ſua hæreſi agit. Antiochenum namque nec habui hæreticum unquam, nec habeo. Etſi propter tempus inter utramque in nonnullis variari partem potuerit..

### Et poſt alia.

Conjuro igitur te per ſanctam Trinitatem, ut ad me deſinas. Spero ſiquidem in eo, qui Crucifixus eſt. Quippe apud me valere fecit amplius pietatem: Et quatuor Gubernatores, & alios Mundi Judices quietè ſuperavit. Nec permiſſurus me ſcandalizari per te. Ego enim cum tanto jam gaudio me expulſuros excipiam, ut ſi àuri mihi ulla copia, exceptis vaſis Eccleſiaſticis, eſſet, plures eis Eulogias, quàm pro bonis nunciis darem. Nam quia Eccleſia noſtra nec habet quodcumque, nec habuit, neque ego accepi, neque tribui cuilibet uſque ad obolum unum, ſæpè me arbitror intimaſſe. Unde nec Codicem quemlibet ejicere pertuli. Sed nec unum per gratiam Chriſti obolum ex Eccleſiaſtica facultate. Sed ex his, quæ mihi direxerint Amici, habeo ad animalium conductionem. Et ſic ſum quotidie quaſi in ſrixoria poſitus, Domino teſte. Abſque enim neceſſitate irrefutabili Paſcua non relinquo, Dei judicium metuens, ne & hìc inter tentationes ab eo conſtitutus, & in futuro rationem relictionis exſolvam. Neceſſitas autem & hìc nos à dubitatione, & illic à damnatione liberos præſtat. Non igitur hujus rei gratia tua Religioſitas fatigetur, ſed oret pro nobis tantummodò.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola non eſt integra. Dumtaxat ſunt duo ejus fragmenta. Primò, Theodoretum graviter culpat de inconſtantia: Affirmat eſſe Vertumnum. Secundò, damnat omninò Cyrilli circa Neſtorii quæſtiones Scripta: Non dumtaxat Capitula, ſed etiam pacificatoriam Epiſtolam ad Eulogium Presbyterum, Epiſtolam ad Theognoſtum, Charmoſynum, ac Leontium, ac Epiſtolam ad Melitinenſem Acacium. Quoniam in iſtis omnibus confirmat Capitula, profitens ſe ab illis nec receſſiſſe nec recedere, nec receſſurum. Etiam damnat Berrhæenſis

ſis Aeacii ad Cyrillum litteras. Etiam litteras, quas Cyrillus per Emeſenum Paulum ſcripſit adverſùs Theodoretum. Quænam ſit hæc Epiſtola, ignoro. Certè in pacificatoriis litteris nulla fit Theodoreti mentio. Certè ſuam adverſùs Theodoreti Calumnias pro ſuis Capitulis Apologiam Cyrillus non miſit ad Joannem. Præſertim non miſit per Paulum. Alexander ſecundò affirmat Theodoretum eſſe factum Cooperatorem Cyrillianæ Hæreſis. Hoc eſt probatorem Capitulorum. In quo fuit valde deceptus. Theodoretus enim ſemper permanſit pertinax Capitulorum hoſtis. Tertiò affirmat, quod Joannem Patriarcham nunquam habuerit, nec modo habeat pro Hæretico, tamen adjungens: *Etſi propter tempus inter utramque in nonnullis variari partem potuerit*. Secundum fragmentum eſt varia profeſſio contumaciæ. Addit quædam benè notanda de immaculatis antiquorum Epiſcoporum manibus in bona Eccleſiaſtica.

## CAPUT CLXX. —258

Theodoreti ad Neſtorium, inquit Irenæus, ſanctiſſimum, ut perſuaderet ſanctiſſimum Alexandrum adunari Antiocheno.

*Domino meo, & ſecundùm veritatem Deo amiciſſimo, atque ſanctiſſimo Patri & Epiſcopo Neſtorio Theodoretus in Domino ſalutem.*

PEſſimè quidem ægrotavi, poſtquam redii à Germanicia, amplius verò me conficiunt, & validiùs cruciant ea, quæ geruntur circa Dominum meum ſanctiſſimum Epiſcopum Alexandrum. Nec enim Domini verbis acquieſcere patitur dicentibus: *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro Ovibus ſuis*. Nec juramentis Beati Pauli, quibus uſus eſt ad ſuadendum nobis, quod anathema fieri à Chriſto juraverit pro impiis Judæis; ſed vult commiſſa ſibi Paſcua perdere. Et ultiones ob hoc debitas pro nihilo deputat. Unde iterum tuam Sanctitatem rogo, ut ei ſcribas, & ejus Sanctitatem perſuadeas Paulum audire dicentem: *Quia non quæro quod mihi ſoli expedit, ſed quod pluribus, ut ſalventur*. Et acquirere, ut puſillum delinquat. Sic enim ponamus, quaſi & hoc fiat, ut à multo Delicto cæteros liberet. Scis enim clarè quod dico, Deo Amiciſſime Domine: Et noſti cauſas mei doloris. Unde nec pluribus verbis indigeo, ſed tuæ ſupplico Sanctitati, ut eum vehementiùs increpes. Arbitror enim, quia ſi id fiat, non refutabit noſtra colloquia, atque ita, Deo favente, difficilia cuncta ſolventur.

Joan. 10.

1. Cor. 10.

Dubitare me fateor, an Epiſtola Theodoreti ſit credenda, qua hortari narratur Neſtorium, ut ejus correctione Alexander, id eſt, quaſi alter Neſtorius corrigatur, dum tria & eadem uterque proponeret. Id eſt, ut Cyrilli Scripta decernerentur Hæretica; Ut non damnarentur Neſtorii Dogmata; Ut ejus dejectio ſolveretur. Alioquin ut, quod erat reſiduum, non communicarent his, qui iſta renuerent. Theodoretus autem contrario evidenter tramite means, perſpicuè ad id quærere colloquium apparebat Alexandri, ut ei de communione cum Joanne ineunda *perſuadere* poſſet. Tale igitur erat, ſi credendum eſt, quod Neſtorio ſuadere ſuſceperat, ac ſi diceret: Increpa Alexandrum, cum communicat tibi ac tuis, & non potius Communicatoribus Cyrilli, Depoſitoribus tuis, & Anathematizantibus tua Dogmata. Niſi fortè, ut aſſolet, Theodoretum magnæ utilitatis ſpes, & nimia charitatis intentio aſſumptæ rei difficultatem non ſivit intendere. Nihil namque ampliùs erat agendum, quam quò ſuas partes Neſtorius ipſe diſſolveret, & ſui cauſa diſruptos Eccleſiæ reſtitueret. Una quippe cauſa erat Alexandri, & cæterorum partis ejuſdem: Et quod in illo obtineretur à Neſtorio, Eccleſiæ tot Epiſcopis non abſque Gregibus ſuis Theodoretus magno utique charitatis cupiebat inſtinctu.

Undè neceſſariò & illud evenerant, ut *charitas* in illo jam cœpta haberi firmaretur, ab ipſo authore deſtructa. Quod ſi per hanc obtineretur Epiſtolam, de fructu ejus omnes,

puto,

puto, Catholici lætarentur. Quin etſi, ut contigit, impetrare non poſſet, ille interim vir ita excitavit, quidquid pro Eccleſia contra hæreſim facere valuit, ut nihil, quod fieri deberet, omitteret. Quæ uſque adeò mihi Summum tenere videtur intentio, ut nec optato fine melior eſſe potuerit, nec eo, quod evenit, debeat judicari deterior. Neque illud autem credo; quod talia Scripta Theodoretus, ſi tamen ejus ſunt, quod ubique dicendum eſt abſque ſuæ opinionis apud aliquos offuſcatione, legenda crediderit. Sed quid mirum, ſi æſtimationem apud quoſdam deſpexit pro tali negotio, pro quo deſpicere poſſet & vitam? Nonne apud Sapientes & juſtos hinc clarus eniteſcet.

Sciendum namque eſt uſque adeò veritatis eſſe ſententiam, qua hi, qui per animi tumorem ex ſua corripi perſona non ſuſtinent, ſeu ad recertandum continuò irritantur, detorta in alterius perſonam correptione monendi docentur, ut eam Sanctus Joannes, præclarus Eccleſiæ Doctor, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & utatur multoties, & valdè commendet, Scripturæ Divinæ explanando ſententias. Itaque quantumlibet quis præfationem laceret hujus Epiſtolæ; quæ fortè ſola falſantis eſt, illius tamen calumniarum tenebris involvere non valet charitatem, ſi Theodoretus hortando Neſtorium, qualiter ad Eccleſiam revocaret Alexandrum, obliquè ipſi Neſtorio monſtrare cupivit, quia & ſemetipſum debuit Eccleſiæ reddere pœnitendo.

## SCHOLION.

QUod Theodoretus, licet & Maximiani & Procli Epiſcopatum diſpenſatoriè admiſerit, Neſtorii tamen damnationem nunquam, niſi tandem compulſus à Chalcedonenſi Synodo, admittere voluerit, eſt longè certiſſimum. Et hac in re Collegas habuit Iſauros, Cilices, ac plures alios Orientales Epiſcopos. Interim, quod præſens Epiſtola ab ipſo prodierit, eſt difficile creditu. Certè rationes, quas adjunctus Scholiaſtes adducit, non ſunt frivolæ. Relinquo aliis judicium.

## CAPUT CLXXI. --259

*Epiſtola*, inquit, *Meletii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, qua ſcripſit, quod hi quidem, qui erant ex ſecunda Cilicia, communicaverint, alii verò Cilices & Iſauri ſimiliter ſint tranſgreſſi, quæ piè judicaverunt olim.*

GRatias Domino Deo, qui per ſingulas generationes elegit eos, qui protegunt veritatem, ut quæ perire periclitatur in plurimis, in paucis ejus tuitione ſervetur, demonſtrationem donans per iſta pleniſſimam, eò quod impoſſibile ſit omninò conſpirationem mali hujus ex toto exterminium fieri. Manet verò in paucis teſtimonium, quod hæc Deo ſint placita, etſi omnes pariter ad contraria ſtudia convertantur. Gratias autem Domino Deo, qui hæc ſemper quidem ad munimen pietatis diſpenſat, & nunc verò tuam Sanctitatem ad ſimile pro nobis obſequium, ut dum periclitetur pietas in omnium voluntate, apud Religioſitatem tuam maneat Myſterium veritatis. Verumtamen Humilitatem noſtram ſimilibus Paulo illi Beato ad tuam verbis uti Sanctitatem convenit, & dicere: *Omnes nos Cilices reliquerunt, præſens ſæculum diligentes, & abierunt unus-quiſque poſt cor ſuum.* Magis autem tuam quidem Sanctitatem valde iſta dicere convenit, quæ & antè hoc aliis præfulgebat, quando videbantur defendere pietatem; & nunc in univerſam terram ſola præfulget. Nos autem ſolum grates convenit reddere omnium Domino Deo, qui reliquit nobis tempore Chriſtianorum penuriæ Sacerdotem, & cunctorum ſimul bonorum ſolitudinis Summitatem, & Baſim, & Robur, & Fundamentum, tuam Sanctitatem, ut nulla exurgente tempeſtate turbemur. Qui & hoc præſtet, ut uſque ad finem nobis tua Sanctitas conſtet. Eſt enim Dominus omnium, quò perficiat, ad confuſionem quidem uniuſcujuſque ruentium, & ad munitionem permanen-

**manentium: Si tamen adhuc aliquis eſt relictus. Sicut enim video, Sacerdotum nullus remanſit ubique, niſi tua Sanctitas. Sed dignare, quæſo, & pro Humilitate noſtra orationes facere conſuetas, ut digna efficiatur omni, qua dignum eſt, voluptate tentationes ſufferre pro Chriſto.**

Irenæus continuò interpoſuit, inquiens pro eo qui compoſuit.

Sapienter quidem Deo Amabilis iſte Sacerdos Epiſtolam intimavit huic magno veritatis Athletæ. Erant verò omni verbo ſuperiores ejus meritorum divitiæ, & pietatis deſiderium. Omnia enim quæ præſentis ſunt ſæculi, damnum putabat, ut lucrifaceret Chriſtum, juxta vocem Pauli Apoſtoli, omnia poſtponens charitati, quam habebat ad Deum. Unde uſque in finem perſtitit incommotus idem pietatis Propugnator egregius: Quin immò turris Adamantina, quam tantæ amicorum ſimul & hoſtium phalanges ab Jeſu charitate dividere nullatenus valuerunt. Sed opus eſt in ejus laudibus immorari, dum liceat ex litteris, quæ ſequuntur, addiſcere quæ Paſtor Cyri Theodoretus ad Antiochenum ſua Epiſtola indicaverit, quantaque & ipſe eum ſemper veneratione coluerit, qui adversùs eum tales inimicitias exercebat. Inquit enim. *Recolat Sanctitas tua & illa verba, quæ ab ea olim dicta ſunt nobis. Quia Dominum Alexandrum omnes pariter ferimus & portamus, & ei importunitatem quamlibet inferri à quocumque non ſinimus.* Hæc enim clara voce ſic dixit. Iſte verò in ſuis litteris poſuit, ſicut continuò videbimus. Veruntamen nos non ex his hunc Sanctum Senem miramur, per quæ eum quidam vel verbis vel litteris laudaverunt, ſed ex confidentia circa Deum, & pro veritate certaminibus, ſicut ipſæ res prædicant.

## SCHOLION.

**HÆc Epiſtola eſt Mopſueſtienſis ac facinoroſi Meletii. Demonſtrat ipſum in Cilicia Alexandrum in Euphrateſia Provincia manſiſſe ſolum extra Eccleſiæ Communionem & pacem. Chriſti Domini hæreditatem, quam Deus Pater promiſit futuram à mari uſque ad mare, crediderunt ad ſe ſolos decreviſſe. Horrenda mentis cæcitas. Communis paſſim omnibus Hæreticis. Quæ quidquid varii dixerint de hujus Alexandri Sanctimonia, nec ſolet, nec poteſt eſſe primum peccatum.**

---

## CAPUT CLXXII. ---260

*Epiſtola Deo Amiciſſimi Epiſcopi Theodoreti ad Joannem Antiochenum, cauſa Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri.*

**NOn per neglectum diſtuli ad tuam Sanctitatem litteras deſtinare, ſed neſciens nunc uſque quid ſcriberem. In ſuo ſiquidem tenore permanſit Dominus meus ſanctiſſimus, & Deo Amiciſſimus Epiſcopus Alexander, credens eum ſummæ eſſe juſtitiæ. Cujus rei gratia neque amicos affatus, neque preces admittit, ſed Evangelicorum tranſgreſſionem Mandatorum deputat diſpenſativam condeſcenſionem. Quia igitur eum clarè à principio, Domine, noſti, ſed & aliam virtutem viri expertus es, quæſo Sanctitatem tuam, ut patienter agas, & eos qui ei tentant importuni eſſe, prohibeas. Hoc enim coram veritate dico, quia & tuæ Sanctitati decus plurimum providebit, nec non lætificabit ipſum, qui nullam conſolationem ulla habet ex parte.**

**Nec enim colloqui, nec ſcribere patitur Dilectoribus ſuis, nec ab eis excipere litteras: Unumque nunc habet tantummodò votum, ut quacumque occaſione à cura liberetur. Conſequens verò eſt, ut & emolliatur temporis ſpatio. Si verò idem ipſe perſtiterit, nec hinc Sanctitati tuæ ulla læſio erit, nec nobis, noſtrove in commune Collegio. Quæ enim per Dei gratiam docet, ſunt Orthodoxa, & convenientia Eccleſiaſticæ fidei; perturbare autem neque valet, neque tentaturus eſt. Quoniam ſilentium tenet, Eccleſiæ pacem in nullo contaminans. Si verò ejectus fuerit, cognoſcet Sanctitas tua, quod maxima læſio indè contingat. Apertè ſiquidem diviſio ex hoc Eccleſiaſtici Corporis fiet Conſtantinopoli,**

& in

## CAPUT CLXXIV. --262

*Domino meo per omnia Reverendiſſimo, & Admirandiſſimo, & Magnificentiſſimo Tito Meletius.*

QUoniam quidem providentia Dei, ſieur in litteria ipſe prædixiſti, ò Admitandiſſime Domine mi, omnes homines ſalvare velit, conſtat, ſed non utique Divinam voluntatem, ſicut videmus, ſequuntur hominum voluntates, quarum nos dominos faciens Deus, ſicut cuique videtur, eis uti permiſit, ad probandam rationalis animæ vel benevolentiam, vel malevolentiam circa Deum. Sic namque Cain quidem fratricidium præſumpſit, parum cogitans Divina Præcepta. Sodomitæ verò ad omnes impietatum & iniquitatum declinaverunt ſpecies, nullam facientes memoriam voluntatis Divinæ. At Populus Judæorum crucifigere omnium Salvatorem Chriſtum minimè formidavit, dum certè debuerit eum, qui ex eis ad omnium ſalutem apparuit, cum feſtinatione recipere: Sicut & volebat ejus Diſpenſationis intentio. Et ut breviter dicam, omnis Scriptura Divina talibus exemplis referta eſt, per quæ clareat quod innumeri ſemper exſtiterint, qui præter Divinam voluntatem ad deteriora dilapſi ſunt. Omninò autem *pauci*, qui ſalutem ſecundùm Dei obtinuerunt voluntatem. Non tamen ob hoc aut mali præferendi ſunt optimis, aut optimi criminis rei eſſe putandi ſunt, eò quod non ſint malis admixti.

In nullo enim reprehendimus Abel, quia Cain moribus non aſſenſit. Nec nos tanquam de inſania incuſamus eum, qui reliquos ſui temporis univerſos non fuerit imitatus. Nec Abraham deliraſſe putavimus, qui ex omnibus generis ſui ſolus Deo complacens factus eſt, & Idololatriæ errori peregrinationem pro pietate præpoſuit. Nec Loth ab eo quod decet exceſſiſſe dicemus, qui ſolus ex omnibus Sodomitarum renuit opera. Nec deſpiciemus Moyſen, qui Regali obſequio præpoſuit pro pietate pericula. Nec prætaribimus tres Pueros, qui ſoli ex omnibus noluerunt imaginem Nabuchodonoſor auream ſimiliter aliis adorare, ſed pro benevolentia ſui erga Deum flammas elegere fornacis. Sed nec Apoſtolos, tanquam gentis nulla pars fuerint, qui cum duodecim numero eſſent ex omni populo Judæorum, in illum ſoli crediderunt, qui ab iſtis Deceptor, & Dei Adverſarius vocabatur. Et certè hoc ipſo eis ad præſens nihil aliud promittentem, niſi tribulationes, & perſecutiones, & mortes. Sed nunquid eis infructuoſa vel præſenti in tempore facta eſt diligentia competens?

Et certè vide, quod Abel quidem majorem fiduciam poſt mortem poſſidet apud Deum. Et Noe mirè ſalvatus eſt à totius Mundi naufragio. Vide Abraham, qui principium & radix correctionis omnium factus eſt, & propter virtutem Pater cunctorum fidelium meruit appellari. Vide Loth, qui ignem largiſſimum evaſit. Vide Moyſen, cui totius Iſraelitici Populi commiſſus eſt Principatus, & figuris honoratus eſt veri Paſtoris. Vide Pueros, qui Babylone ſuper omnes apud Chaldæos ſunt Prælati mirabiles, & honoribus primis ac maximis benigni apud alienos effecti ſunt. *Dignitas eadem obvenit* Sanctis Apoſtolis: Quare *& ipſi facti ſunt*; qui & apud omnes, & Imperatores, & privatos, ſive ſubjectos, tanta veneratione colantur, ut pro ſummo beneficio habeant, qui omnibus dominantur, ſi Pauli Scripturæ quiſque ſciat attendere ad conſonantiam plurimorum: Et quæ ad ſe attinebat diligentiam virtutis, nullius putaret eſſe juvaminis. Neque aliquoquam dignus exiſteret & *idoneus*, *niſi* eorum quiſque penè particeps eſſet. Nunc autem quia & ſoli apud ſemetipſos virtutes diligentes vita tali, apud omnes veneratione coluntur, & in futura vita ſuſtinent beato & infinito lumine comprehendi.

Non igitur vel nunc abjectos faciet apud Deum paucos, qui tota pendent benevolentia circa eum, & ob hoc vituperantur, injuriantur, effugantur conſpiratione plurimorum. Etſi enim nos, ſicut illi pauci ac beati, non ſumus, ſed tamen illos modis omnibus imitari jubemur. Cujus rei gratia ſicut in ſimulacris & Imaginibus ſimilitudines corporum, ſic illorum virtutes Divinis inſcriptæ ſunt litteris, ut nos eorum exemplar attendentes, Facta ipſorum confidenter æmulemur. Et non arbitremur nos novi aliquid inſtituere præter illa, quæ apud veteres geſta ſunt, etiamſi id ab omnibus incuſetur. Et ne nos putes hæc nunc vanè percurrere, & ut ſcias ex ipſa neceſſitate & Deo devincta conſcientia nos ad imitationem cogi Priſcorum, & ipſam cauſam breviter audi, pro qua non inconſequenter nos ab Antiocheni ſeparandos communione putavimus.

Dogmata Cyrillus expoſuit omni impietate repleta. Propter ipſa eum Epheſi Antiochenus depoſuit ut impium, participes adſciſcens ad hoc plurimos alios è diverſis Provinciis, & omnes Orientalis Regionis Epiſcopos. Abjuravit ejus ubique Doctrinam, ut errori Apollinaris per omnia conſonantem. Imperatore præſente juravit, ſicut ipſe Chalcedone ſcripſit Epheſi Conſtitutis, quorum Reſcripta ſalva ſunt apud nos, quod nec ſi pœnituiſſet Cyrillus, & ſua Capitula rejeciſſet, eum ad communionem recipere acquieſceret, qui Princeps exſtaret hæreſios. Depoſuit eum rursùs in Tharſo, & cum ſeptem, qui pro eo adſcenderunt Conſtantinopolim, factis Synodalibus litteris, quas & cuncti ſubſcripſimus. Super hæc permanſit Cyrillus, non ſolùm ſuorum Scriptorum nihil abjurans, ſed & prædicans ea cum majori fiducia: Et ille, qui coram Imperatore juraverat nec pœnitentem Cyrillum ſe ad communionem recepturum, ad eum in Ægyptum miſit ſupplicem Paulum; Sicut & illud, quod apud nos eſt, exemplar oſtendit. Et ipſe

nbique

ubique Cyrillus affirmat, tam per ea quæ ſcripſit Conſtantinopoli degentibus Clericis ſuis, quam per illa quoque quæ ad Acacium Melitinenſem, qui exprobraverat ei quaſi à ſuis receſſerit, & ad communionem fuerit ab Antiocheno receptus.

Taceo de ejuſdem Cyrilli litteris ad Acacium Berrhæenſem ſcriptis, inconvincibilem habentibus inſtantiam, tam pro iiſdem Capitulis, quam pro omnibus, quæ priùs & poſtea impiè expoſuit. Poſt quæ Antiochenus Paulum in Ægyptum direxit, tam Dogmata Cyrilli ſuſcipiens, pro quibus eum ſecundò damnaverat, quam rectitudinem fidei anathematizans in Scripto, & omnia faciens ſicut ei placuit. Et horum teſtis eſt ipſe Cyrillus, qui ejus ſatisfactionem ſuſcepit, qui in ſuis ad Acacium Melitinenſem litteris hanc eandem commemorans Epiſtolam ad Acacium Berrhæenſem quam fecit, mox intulit inquiens, *Quia niſi Antiocheno ea, quæ à me ad Acacium ſcripta ſunt, placuiſſent, non utique à principio Paulum direxiſſet ad me*. Interpretatur verò Cyrillus idem in eiſdem litteris ſuis Epiſtolam, quam detulit Paulus, quæ ſursùm ac deorsùm ab Antiocheno profertur, ut nihil omninò à Capitulis differentem, ſed eadem intentione conſcriptam, & malè ex invidia intellectam ab eis, qui eam Orthodoxam quidem dicunt, ſed his, quæ ab eo priùs ſunt expoſita, eſſe contrariam, nec non & doctrinæ Neſtorii conſonantem.

Verùm nos hæc omnia omittentes, hujuſmodi conditionem dedimus Antiocheno, ut aut ſuaderet Cyrillum anathematizare omnia ſua, & ſola Apoſtolica doctrina eſſe contentum circa eorum, quæ ſcripta ſunt, intentionem, & ſic conjungerentur Eccleſiæ, aut ipſe Antiochenus anathematizaret in Scripto Cyrillum cum impiis Dogmatibus ejus, contra quæ priùs ſæpè decrevit, & nomen Deo amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii, qui pro ſola pietate tanta perpetitur, ſanctis inſcriberet Dyptichis. *Sed nihil* horum facere voluit. Propter hæc nos diſſentimus ab eo, atque ab ejus communione disjungimur. Si enim pro incongruis ille perſiſtit, quantum eſt ut nos pro pietate perſtemus? Pro qua utique & à communione ejus avertimur, non ab illa fide recedentes, cum qua eum euntem ad Epheſum, & ab Epheſo revertentem ſuſcepimus, ſed ipſam ſervantes ut Apoſtolicam, & à beatis Patribus traditam, quam à Magno Theodoro, qui ea, quæ illi tradidere, tradens claruit, accepimus.

Et ignoſce, quæſo, nobis non valentibus decipere conſcientiam noſtram. Si autem propter hæc tranquilliſſimus Imperator præcepit nos ab Eccleſiis ejici, facito quod juſtum eſt, nec malevolentiæ gratia differas ad finem, quæ ſunt præcepta, perducere. Ego enim mox ut ipſam videro authenticam Sacram, nec enim Reſcripto ero contentus, & ut didicero quæ illi relata ſunt, ne fortè adversùm nos Clementibus mentiti ſint Auribus Adverſarii veritatis, & invenero quod omninò me exire ab Eccleſia jubeat, glorificans & nunc, ſicut priùs, in quo me reperiri contigerit ſchemate, abſcedo ab Eccleſia, Imperatorum legibus omnibus modis cedens. Paratus ſum per gratiam Dei, non ab Eccleſia egredi ſolùm, ſed etiam decies millies mori, quàm poſſim apud Chriſtum lædere meam conſcientiam. Nec enim licet minorem me inveniri ab illo infante annorum ſeptem, qui cum beato Babyla propter Chriſtum capite cæſus eſt, cui totius Eccleſiæ, & Eccleſiæ, cujus Theodorus exſtitit Doctor, commiſſus eſt Præſulatus.

Ut verò & illud propter prædicta commemorem, ſcito, Admirandiſſime Domine mi, quia etſi non pro ipſo bonæ cauſæ merito ſtarem, & ipſe terror tam civitatis, quam Territorii hujus me in hac adversùs Joannem diſcordia detinere ſufficeret, qui ſi me ei tantummodò communicaſſe cognoſcerent ante Sacram, me & vita privaſſent. Nec enim cujus ſint diſcipuli, neſcis, vel quomodo pro zelo dogmatum Divinorum univerſi moveantur, ita unanimes exiſtentes, tanquàm ſi una ſit anima omnium. Pro qua re omnibus modis eſt tutius ex neceſſitate repelli, quam vel abſque ipſa nocere apud Deum conſcientiæ ſuæ, & ab eis, qui nunc mihi ſubjecti ſunt, vitam inſtar canis amittere. Si verò quiſquam nos abruptè in quibuſcumque accuſare voluerit, pro nihilo deputamus. Calumniari namque, & contumeliam facere facile eſt, & omnibus adjacet; Non omnium verò eſt dicere veritatem.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola demonſtrat Meletii & eruditionem & inflexibilem pertinaciam. Demonſtrat ipſum ferè ſolum perſtitiſſe in pervicacia. Nam prima ejus pars multis Sanctorum Exemplis ac teſtimoniis ſuadet hanc ſolitudinem & duritiam eſſe opus Divinæ Gratiæ. Tanta fuit hominis cœcitas. Secunda pars eleganti compendio exponit omnia Joannis Patriarchæ Acta adverſus Sanctum Cyrillum ac ejus Capitula: Acta & in Epheſina Synodo, & poſt ipſam. Laudat etiam Tharſenſem Synodum, in qua Joannes denuò damnavit Cyrillum innovans omnia ſua Geſta apud Epheſum. De hac Synodo affirmat plura. Primò, quod Cyrillum denuò degradarit. Secundò, quod non ſolum ipſum degradarit, ſed etiam ſeptem alios, qui pro ipſo ac ejus Epheſinis Actis adſcenderant Epheſo Conſtantinopolim: Utique ſeptem Epheſinæ Synodi Legatos ad Principem. Septem Epiſcopos. Et horum primus erat Arcadius, Celeſtini Pontificis ac Sedis Apoſtolicæ Legatus. Proinde Joannes etiam in hunc miſit manus ſuæ violentiæ. Cur Philippo, Romanæ Eccleſiæ Presbytero pepercerit, ignoro. Meletius tertiò affirmat quod profana hæc Synagoga etiam Synodales Litteras confecerit & quod omnes præſentes Epiſcopi illis ſubſcripſerint: Hæ litteræ perierunt, aut latent.

Meletius cum ſumma indignatione etiam affirmat, quod Joannes poſt iſta omnia Paulum Emeſe-

meſenum in Ægyptum legarit ſupplicem; quod Cyrillus ſuis Capitulis permanſerint pertinax; & quod Joannes illa ſuſceperit: Illa, pro quibus illum ſecundò damnarat. Quod ita fidei rectitudinem anathematizarit: Et quidem Scripto. Probat hæc ex variis Sancti Cyrilli ad varios epiſtolis, quarum hæc compendium eſt: *Interpretatur verò Cyrillus id in eiſdem litteris ſuis Epiſtolam, quam detulit Paulus, quæ ſurſum ac deorſum ab Antiocheno profertur, ut nihil omninò à Capitulis differentem, ſed eadem intentione conſcriptam* &c. Hæc eſt fidei profeſſio, quam Joannes Antiochenus per Paulum Emeſenum tranſmiſit Cyrillo, & quam Cyrillus probavit & admiſit ut plenè Orthodoxam. Et ipſum Joannes meritò proferebat ubique. Eam poſtmodo canonizavit Chalcedonenſis Synodus: Et quidem in ipſa profeſſione Fidei. Et quidem quod Sanctus Cyrillus perſtiterit firmus in ſuis Capitulis, eſt plenè verum. Reliqua Meletii aſſerta ſunt penitùs falſa. Nam nec unquam Sanctus Cyrillus ſcripſit aut dixit iſtam Epiſtolam eſſe eandem cum ſuis Capitulis.

Meletius lucidè exponit conditiones, quas in Berrhæenſi apud Acacium Synodo Orientales Epiſcopi poſtularunt à Joanne ſuo Patriarcha: *Hujuſmodi conditionem dedimus Antiocheno, ut aut ſuaderet Cyrillum anathematizare omnia ſua & ſola Apoſtolica doctrina eſſe contentum circa eorum, quæ ſcripta ſunt, intentionem, & ſic conjungerentur Eccleſiæ, aut ipſe Antiochenus anathematizaret in Scripto Cyrillum cum impiis dogmatibus ejus, contra quæ prius ſæpe decrevit, & nomen Deo amiciſſimi Epiſcopi Neſtorii, qui pro ſola pietate tanta perpetitur, Sanctis inſcriberet Dyptichis. Sed nihil horum facere voluit. Propter hæc nos diſſentimus ab eo, atque ab ejus communione disjungimur*. Per Apoſtolicam doctrinam intelligit Nicænum Symbolum. Hoc enim ſolum admitti, & Sancti Cyrilli Capitula projici ſuaſit primum Theodoſio Auguſto Berrhæenſis Acacius. Et Theodoſius poſtulavit ab Epheſina Synodo: Et in hac poſtulatione Factio dudum perſtitit.

Porrò Meletius ſibi ipſi non conſtitit. Nequaquam voluit eſſe contentus Nicæno Symbolo. Etenim addidit: *Servantes fidem ut Apoſtolicam, & à beatis Patribus traditam, quam à magno Theodoro, qui ea, quæ illi tradidere, tradens claruit, accepimus*. Admitti voluit Nicænum Symbolum, & intelligi juxta expoſitionem facinoroſi ſui Anteceſſoris Theodori. Addidit ſe pro illa paratum trucidari, & non tacuit cauſam: *Cui totius Eccleſiæ, & Eccleſiæ cujus Theodorus extitit Doctor commiſſus eſt Præſulatus*. Et adjungit de ſuis Subditis: *Ipſe terror tam Civitati quam Territorii hujus me in hac adversùs Joannem diſcordia detinere ſufficeret, qui ſi me ei tantummodo communicaſſe cognoſcerent ante Sacram, me & vita privaſſent. Nec enim cujus ſint Diſcipuli, neſcis*. Ex quibus diſcimus non ſolùm Meletium, ſed & omnem ejus Parochiam fuiſſe imbutam pertinaciſſimè, & corruptam Theodori erroribus, ideoque fuiſſe & omninò Neſtorianam.

Quæ de Septenni Puero, Sancti Babylæ Antiocheni Epiſcopi in Paſſione Socio ſcribit, firmant Sententiam, quæ duos affirmat iſtius nominis Antiochenos Epiſcopos & Martyres. Eſt non modica Quæſtio. Videatur Cardinalis Cæſar Baronius in Notis ad Romanum Martyrologion, & Godefridus Henſchenius in vitis Sanctorum. Porro hæc omnia contigerunt ante anathematizatum à Rabbula Edeſſeno, ac Acacio Melitinenſi Epiſcopo Theodorum: etenim poſt hoc Anathema Meletius non præſumpſerit ſimilia evomere. Et de Recentibus ob Theodorum motibus Sanctus Cyrillus Scripſit ad Sanctum Proclum: *Orientales Epiſcopi, Dei Gratiam, ſive occaſione ſive veritate unicum Chriſtum & loquuntur & prædicant, & impias Neſtorii verboſitates anathematizant, & interim multa tranquillitas eſt ibi & in fide quotidiè confirmantur, etiam illi qui aliquando dubitabant*. Utique hi Factioſi. Proinde omnes hi motus ſunt taliter Facti, ac ſimili arte cœptum eſt iſtud anathema: Et Proclum Cyrillus rogat, ne damnando Theodori perſonam, detur anſa ex qua illi reſuſcitentur. Ante harum litterarum notitiam nemo intellexit iſtam Sancti Cyrilli Epiſtolam.

## CAPUT CLXXV. --263

*Epiſtola*, inquit, *Zenobii Epiſcopi Zephyrii ad Deo Amiciſſimum Epiſcopum Alexandrum, inſinuans exiiſſe ab Eccleſia Deo amiciſſimum Epiſcopum Meletium*.

PErſonali quidem præſentia tuæ Sanctitatis benedictione repletus ſum, quando ſolus benè ab Epheſo remeaſti, ſicut ipſæ res omnibus oſtenderunt; litteris verò tuæ non ſum fruitus Sanctitatis. Unde nunc præſumere ſum coactus, ut litteras incipiam tuæ Sanctitati dirigere. Et rogo ut des mihi veniam. Multa enim, & amabilis Deo Conſtantia tua hoc me præſumere præparavit. Hic enim nullus pro pia fide perſiſtit, ſed univerſi tempori ſerviunt, & pariter ſimulatores effecti ſunt, qui videbantur eſſe conſtantes. Solus inter hujus Ciliciæ Epiſcopos perſtat ad finem Dominus meus Deo amiciſſimus Epiſcopus Meletius, qui ejectus eſt militari ſuper inducta Cohorte, juxta eorum, qui ſunt Antiochiæ, juſſionem. Ora igitur, Domine, & nos fieri dignos tam ejus celeriter comitari veſtigia, quàm tuæ etiam Sanctitatis, ut poſſimus in die Domini Chriſti vos interceſſores pro noſtra Puſillitate proferre.

### SCHOLION.

PLura ſunt in Orbe Zephyria. Quod præſens fuerit in ſecunda Cilicia ſuadent hæc verba:

*Solus inter hujus Ciliciæ Epiſcopos perſtat Meletius*, At certum eſt fuiſſe in prima Cilicia. Etenim Hypatius Zephyrii Epiſcopus, qui adſuit ac ſubſcripſit Chalcedonenſi Concilio, etiam ſubſcripſit Synodalibus Primæ Ciliciæ Litteris, quas Pelagius Metropolita reſcripſit quæſtoribus Leonis Augusti circa auctoritatem laudati Concilii. Et Mopſueſtienſi Synodo, ad quam Imperator Justinianus juſſerat convenire omnes omninò Secundæ Ciliciæ Epiſcopos, nullus adfuit Zephyrii Epiſcopus. Quid opus multis? Infra audiemus diſertè, quod Zenobius fuerit Zephyrii in Prima Cilicia Epiſcopus. Fuit unus iſtorum, qui ejici ac deportari maluerunt quàm pacem admittere. Et fuit ejectus. Ejus in Cathedram videtur ſucceſſiſſe præfatus Hypatius. Proinde præfata verba *hujus Ciliciæ* ſupponunt non pro prima aut ſecunda, ſed pro tota Cilicia. Et affirmant ex ejus Epiſcopis nullum ſecum permanſiſſe conſtantem, id eſt pertinacem niſi ſolum Mopſueſtienſem Meletium. Hæc verba: *Militari ſuper inducta Cohorte, juxta eorum qui ſunt Antiochiæ, juſſionem*, diriguntur adverſus Joannem Patriarcham.

## CAPUT CLXXVI. --264

Deprecatio Joannis Epiſcopi Antiochiæ contra Deo Amiciſſimum, inquit, Meletium Epiſcopum.

*Piiſſimis & Amatoribus Chriſti Imperatoribus noſtris, Flaviis Theodoſio & Valentiniano, Triumphatoribus, Victoribus, Auguſtis, poſtulatio & deprecatio à Joanne Antiochenæ Dei Eccleſiæ Epiſcopo.*

GEneris veſtræ Pietatis Imperium in excelſum tulit, & hanc provexit ad gloriam fides in Deum. Qua Sanctiſſimam & Catholicam ſemper augeri vultis Eccleſiam, & cuncta, quæ in ea exurgant, zizania deſideratis abſcindi. Quia igitur hoc utimini zelo, ò Piiſſimi & boni Victores Imperatores, & eos qui obliterare volunt Patrum Doctrinam, alienos à Sacerdotali exiſtere dignitate poſt nos, quibus Canones de hac re concedunt judicium, decreviſtis, expelli verò à ſanctiſſimis Eccleſiis & urbibus, in quibus videntur exiſtere, & talis ad Orientem Sanctio veſtra pervenit. Hanc promulgavimus Magnificentiſſimo & Glorioſiſſimo Præſidi utriuſque Militiæ, & Ex-Conſuli Dionyſio. Et conſonans ejus accipientes Præceptum prævalere potuimus malignitati Meletii, qui pridem Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit, ſubjicientes eum depoſitioni. Introduximus autem & præfecimus ipſi populo è Gregibus Chriſti Chomatium Deo amiciſſimum Epiſcopum. Præfatus verò Meletius major eſſe legibus veſtris, & tranquillitate Romana volens, in partibus ejuſdem Territorii deliteſcit, concuſſionem, perturbationemque ſanctis Dei Eccleſiis ingerens, & præſumens poſt dejectionem Sacerdotale Miniſterium. Et juſtum eſt ſupplicare, ut qui peregrinus eſt à ſancta diſciplina & Eccleſia, peregrinus fiat & ab univerſa Provincia Cilicum, præcedente pia Sanctione ad Magnificentiſſimum & Glorioſiſſimum Magiſtrum Militiæ Orientis veſtri; Ita ut indè quidem pellatur, deducatur verò, ubi veſtræ Pietati placuerit. Et hoc impetrato, conſueta vota ſolvemus pro permanſione & Victoria Imperii.

### SCHOLION.

CHomatius, quem in ejecti Meletii locum Joannes Patriarcha ordinavit, in Antiochena Domni Patriarchæ contra Ibam Ædeſſæ Metropolitam Synodo, ac in Mopſueſtenæ Eccleſiæ Dypticbis, ex Juſtiniani Imperatoris juſſu prolatis in Mopſueſtena Synodo, conſtanter appellatur Thomas. Porrò admirandum eſt, quod Joannes, dum Meletium è Mopſueſtienſi Territorio rogavit ejici, non allegarit legem, qua Arcadius ac Theodoſius, Auguſti, non ita pridem confirmarant Imperatoris Gratiani Legem, quæ degradatum, ac inquietum adhuc Epiſcopum mandat relegari ad centum millia ab illa Civitate, quam inquietat. Nec illam poſſit ignoraſſe: Ipſam enim laudat Theodoretus in litteris ad Anatolium Patricium. Ex hoc Joannis Libello etiam diſcimus, quod Patriarcha Antiochenus omnes omnium ſuarum Provinciarum Epiſcopos non dumtaxat debuerit prævìè confirmare, ſed etiam potuerit propriis manibus conſecrare. Videnda eſt epiſtola Sancti Innocentii primi Pontificis ad Sanctum Patriarcham Alexandrum.

Adn. Nor. Recitatur in Act. X. Synodi Chalced.

## CAPUT CLXXVII. --265

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Meletii ad Deo Amiciſſimum Alexandrum, quam ſcripſit, poſtquam militum ſuperventu expulſus eſt.*

ET cui priùſquam tuæ Sanctitati, quæ circa nos geruntur, referri conveniens ſit? Sive enim congaudere oportet de his, quæ nobis à Chriſto donata ſunt, ſive etiam pro his, quæ reſidua ſunt, orare, ad eam neceſſe eſt ut ad Patrem pro cunctis filiorum bona referri. Dignatus eſt enim nos Dominus Chriſtus orationibus tuæ Sanctitatis incorruptum ſibi Ovile uſque ad exitum cuſtodire, quod nobis indignis & pro virtute

tute

Digitized by Google

tute commiſit, & permiſit rurſus auſerri, quando id benè ſe habere judicavit. Nec enim quod ejus deſierit unquam providentia, etſi ad præſens eſſe difficile videatur. Et quidem Diabolus ab olim grande habuit prælium contra eum, & nunc illud perturbare omninò per Miniſtros ſuos ſtuduit, non ſolùm inimicos armando, ſed & ex nobis ipſis ad hoc quoſdam Miniſtros accipiens: Qui & obſervavit Dominicum diem, & ſub uno cunctos ad introeundum contra nos concurrere præparavit.

Dominus autem Chriſtus, qui contra eum ſemper ejus convertit inſidias, & propriis diſpenſationibus ſubjicit, & nunc ei inutilem fecit univerſum contra Eccleſiam impetum, dum nos perturbari non ſivit, ſed omnem Eccleſiam in ſua devotione conſtruxit, ita ut non ſolùm clareret malum, ſed & civitas tota cum Provincia univerſa conſonam pro fide acciperent voluntatem, Ipſis quoque à pietate alienis, id eſt, Judæis, & hæreticis aliis, non parvo quodam contra Adverſarios odio motis, nec circa nos parvum quemdam oſtendentibus affectum, dum certè nos latentes ſæpiùs degeremus, ne quiſcumque putaret, quod à nobis inſtigarentur ad hoc. Quod & valdè ſuſpecti inimici dexteræ Altiſſimi non ab Eccleſia nos tantùm, ſed & à civitate repulerunt, nec uſquam juxta eam manere ſinentes. Sed hæc quidem à Domino Chriſto etiam nunc cuncta pro noſtra ſunt diſpenſata Humilitate. Nos verò magis pluribus debitis ſumus obſtricti, quos dignos majoribus fecit, quàm noſtræ virtutis eſt.

Undè modis omnibus deficimus ad ſolvendum. Quam enim Deo poſſumus gratiarum actionem reddere, qui nimietate elementiæ ſuſtinere tentamenta pro ſe & noſtram dignatus eſt Parvitatem? Non quo grave aliquid pateremur, quia perfectiora ſufferre ſumus indigni, ſed & Propoſitum tantummodò haberemus, quod & maximum nimis eſt ad nos, qui ſumus voluntatis omninò deſpectæ. Sed rogo ut orare digneris, quatenus uſque ad finem digni efficiamur gratia Domini Chriſti, ut ſicut ei placet, ita reſiduum præſentis ſæculi tranſigamus. Dominum meum & ſanctiſſimum Epiſcopum Acilinum plurimùm ſalutamus.

## SCHOLION.

HÆc epiſtola ſcripta eſt è latebris Mopſueſteni Territorii, antequam Meletius à Theodoſio Auguſto relegaretur in ſecundam Armeniam. Docet nos quod Meletius ad Comitem Titum verè ſcripſerit omnem Mopſueſtienſem Populum ſibi fideliter adhærere, paratum etiam ad arma. Verum Comitis arma fuerunt validiora. Secundò nos docet, quod uſque tunc Acilinus, Barbaliſſi Ex-Epiſcopus, Hierapoli manſerit apud Alexandrum. Et tunc omninò in Mopſueſtienſi Eccleſia factum eſt de Sancti Cyrilli ac ſcelerati Theodori nominibus, quod apud quintam Synodum habemus in Mopſueſtana Synodo: E Sacris defunctorum Epiſcoporum Dyptichis raſum Theodori, ac ejus in locum inſcriptum nomen Sancti Cyrilli. Et è vivorum tabulis raſum eſt nomen Meletii. Factum eſt ad firmitatem pacis. Etenim palmaris Articulus, quem factioſi Epiſcopi in pace averſabantur, erat Sancti Cyrilli communio: Eum cenſebant Hæreſiarcham, ideoque multifaria mortis genera, quam iſtud contagium malebant admittere. Alter pacis Articulus, quem pari pertinacia illi deteſtabantur, erat damnatio Neſtorii. Et inter præcipua adversùs illum fundamenta, hoc ad Comitem Titum ſcripſerat Meletius: *Nec enim cujus ſint diſcipuli neſcis*. Agebat de ſuo Populo, affirmabat eſſe Theodori, qui Neſtorium docuerat Diſcipulos, ideoque ab hujus amore ac defenſione nunquam avellendos. Proindè ad iſtum Populum circa hæc duo componendum, facta eſt iſta mutatio: Sic enim à Theodori communione divulſus eſt, & compulſus ad Sancto Cyrillo non dumtaxat communicandum, ſed etiam ad ejus communionem quotidie in Sacroſancto Sacrificio profitendum.

Aliqua tamen videntur validè obſtare. Primò, quod iſta nominum tranſmutatio fieri non potuerit, niſi ex authoritate, aut ſaltem ex conſenſu Patriarchæ Joannis: At verò hic Theodorum conſtantiſſimè defendit, & illi à Rabbula inflictum anathema nunquam voluit admittere. Ejuſdem animi fuit ejus Nepos ac Succeſſor Domnus. Secundò defuncti nomen è Sacris tabulis radere, eſt ipſum damnare, ac anathematizare: At verò hæc Meletii ejectio facta eſt antè inflictum Theodoro per Rabbulam anathema. Tertiò, vivus inſcribi non poterat in defunctorum tabulis: At verò clarum eſt Sanctum Cyrillum tunc adhuc vixiſſe.

Reſpondeo tertium argumentum eſſe nullius ponderis. Etenim Sanctus Cyrillus potuit primùm inſcribi in Vivorum tabulis, poſtmodo transferri in tabulas Defunctorum. Quod hæ tabulæ frequenter mutarentur, ſeu novæ deſcriberentur, demonſtrant Acta Mopſueſtienſis Synodi. Quapropter iſta omnia videntur non ſimul facta, ſed ex aliquo intervallo temporis.

Degradati Meletii nomen fuit ſtatim ejectum. Hoc jubebat degradatio. Et ejus in locum videtur ſuffectum nomen Sancti Cyrilli viventis. Ob dictam rationem. Iſtud poſtmodò tranſlatum ex more eſt in Defunctorum tabulam. Exinde ſucceſſit Rabbulæ ac Melitinenſis Acacii in Theodorum Anathema. Et magnus ille ac novus motus Orientalis Eccleſiæ. Nec dubitandum eſt, quin Mopſueſtienſis Populus fuerit inter illos, qui in ſuis Eccleſiis exclamabant: *Creſcat fides Theodori. Ita credimus, ſicut Theodorus*. Porrò Meletius tunc exulabat Melitinæ apud Acacium. Nec ſe continebat. Hinc vario fræno debuit comprimi. Ad Mopſueſtenorum igitur plenè pacificandam Eccleſiam, poſſit Acacius, non à Joanne, ſed à Theodoſio Auguſto, qui Theodori anathema confirmarat, impetraſſe, ut ejus nomen raderetur.

tur. Et tunc Sanctus Cyrillus ſucceſſit, non in ſolius Meletii, ſed inſuper in nomen Theodori. Et hinc vides, quam miſeras anchoras habent conjecturæ, quas circa ejecti Theodoriani nominis tempus adducit in Diſſertatione de quinta Synodo Joannes Garnerius. Hujus Meletii nullam habet notitiam: Cenſet Thomam proximè ſucceſſiſſe Theodoro. Eſt venia dignus: Quia ignoravit has Caſſinenſis epiſtolas.

## CAPUT CLXXVIII. --266

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri ad Meletium Deo Amiciſſimum Epiſcopum, quam reſcripſit ad præfatas litteras poſt exitum ejus.*

SI eſſet mihi deſiderium meum adimplere poſſibile, litteris non erat opùs, ſed adventus præſentia; vel potiùs juxta Pſalmiſtam, columbæ pennas expeterem, ut veniens requieſcerem juxta habitaculum Coronati, & viderem, juxta Prophetam, Sanctitatem tuam ſicut in ſolitudine uvam, aut ut magis propriè dicatur, ut acinum botri cunctorum totius Ciliciæ Sacerdotum, quem exterminaverunt vulpes, quæ propemodum, ſecundùm veritatem, vineas deleverunt. Non exterminaverunt autem, eò quod benedictio Domini ſit in eo. Verè enim præſenti in tempore ſufficeret tuæ Sanctitatis adſpectus adamante nos facere firmiores. Nam ſi cogitatio tantùm tuæ, ſecundùm Domini certamina, Sanctitatis omnibus nos circumdat Domini armis, ut nullo modo emiſſis variis multimodiſque ſagittis vertamur in fugam, quomodò non nos omni modo roboraſſet talis adſpectus, qui nos non per verba, ſed per res ipſas armaret, & in ſemetipſos exponeret, quid ſit: *Ne diſperdas in finem?* Intendiſti enim, Domine per omnia Deo Amiciſſime, indeclinabiliter in Authorem fidei, & Conſummatorem Jeſum, & ſunt repoſitæ tibi coronæ. Non expulſionis tantùm, non enim te ad definitum præparaſti tormentum, ſed clarет quod præparatus ſis omnia ſuſtinere. Sic contra impietatem paraſti temetipſum. Undè & ille, qui donis ſuis noſtros ſupervincit labores, tuæ Sanctitati coronam juſtitiæ reddet, circa varietatem tui Propoſiti paſſionum, ſpiritalium munerum Divinitate effulgentem. Certaſti enim bonum revera certamen, & curſum conſummaſti, fidemque ſervaſti. Undè & quod iſta conſequitur, Deus qui mendax non eſt, illud tuæ Sanctitati retribuet. In quod hic jam bona conſcientia tua intendendo lætatur, & gaudio Sancti Spiritus adimpletur.

Poteſt autem Sanctitas tua noſtram conſolari abſentiam attentioribus orationibus, donec donet & nobis per clementiam ſuam Dominus veſtris comitari veſtigiis. Certus enim ſum veraciter, quod ego intentionem habeo hanc, ut tuam Sanctitatem ſequar, & unà eos, qui priùs certarunt, & coronati ſunt. Pauci quidem, ſed apud Deum pretioſi. Melior namque eſt unus Domini voluntatem faciens decem millibus injuſtorum. Fruenſque ſanctis orationibus tuis non deſciſcam à veſtro conſortio: Nec à veſtra ſeparabit me charitate tribulatio, aut anguſtia, aut perſecutio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius. Maximè quia Religioſitas tua, quæ portum Dei voluntatis obtinuit, majorem circa nos habet curam, tanquam qui adhuc marinis undis obſiſtimus, & omnimodis malorum ſpirituum tentamentis nunc quidem tentantium nos minis, nunc verò ſubruere adulationis blandimentis. Undè & talem mihi poſui legem, ut fugiam cunctorum, loqui mihi volentium, & adſpectum & verba, & ipſam quoque memoriam. Quod non ex propria aſſumpſi ſententia, ſed ex Divinis Scripturis edoctus. Nec enim Dominus reſpondit perverſis, cum judicaretur, ſed ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce. Non enim quò dicant aliquid, ſed quò capiant, collocutiones & alloquia nobiſcum conferre captant. Docemur verò & in veteribus Scriptis, quod Ezechias pius poſt Rapſacis, Dei Adverſarii, voces Magiſtris militiæ tacere præceperit, nihilque Dei Adverſariis reſponderi. Undè & nos, repellentes eorum colloquia, qui in Ægyptum corde ſunt reverſi, & qui non ſolùm dicunt, Demus initium, & redeamus in Ægyptum, ſileamus, & tantam miſericordiam ſuſtineamus à Deo, qualiacumque ſæva ſuperinducere adversùm nos conceſſi fuerint æmuli. Quæ omnia ſuſcipiamus cum lætitia, & cogitemus, quod ſicut Beatus inquit Paulus, non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in eos, qui ſtigmata Chriſti, quorum tu dignus effectus, in ſuo circumferunt corpore. Undè rogo, ut digneris nos per venerabiles litteras tuas juvare ad inſtantia certamina. Dominus meus Deo amiciſſimus, & ſanctiſſimus Acilinus, quia tecum coronatur, ſalutat & complectitur Religioſitatem tuam.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola docet primo, quod è cunctis Secundæ Ciliciæ Epiſcopis ſolus Meletius manſerit pertinax adverſus pacem. Secundò, quod hac de cauſa ejectum Alexander crediderit coronatum Martyrem. Per Coronatum omninò ipſum intelligit. Hinc dicit de ejecto Acilino: *Quia tecum coronatur*. Tertiò, nos docet veram Chriſtianæ Gratiæ efficaciam: *Intendiſti indeclinabiliter in Authorem fidei. Donis ſuis noſtros ſupervincit labores. Nec à veſtra ſeparabit me Charitate,*

*tribu-*

*tribulatio*, *aut anguſtia &c.* Ex quibus vides iſtas Sancti Auguſtini Phraſes fuiſſe ſemper communes, etiam Orientali Eccleſiæ.

## CAPUT CLXXIX. —267

*Interpretatio*, inquit, *Præcepti Magiſtri Militum Dionyſii*, *quam ſcripſit ad Clariſſimum Judicem ſecundæ Ciliciæ*.

DIvina authoritas per annotationem terribilem Meletium, quondam Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopum, in Melitina degere Armeniæ Provinciæ civitate præcepit. Suſceptis igitur præceptionibus noſtris, lectis verò & Divinis Reſponſis, quæ in miſſis præfulgent, obſervare debes quæ ab Immortali ſancita ſunt Vertice, utens militari ſolatio ad iter idem, ſi tale ſolatium neceſſarium fortè perſpexeris, admonendo utique noſtrum Vicarium, ut competens ſolatium deputetur, ad quem de hac parte ſcripſimus. Quamvis competenter ſufficere Civiles Ordines arbitremur.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola, ſeu præceptum oſtendit preces, quas adversùs latitantem in Mopſueſtienſi Parochia, ac iſthic turbida molientem Meletium Patriarcha Joannes fecerat, fuiſſe exauditas ab Auguſto Theodoſio. Porrò ille relegatus eſt Meletinam, cuſtodiendus ab Acacio iſthic Epiſcopo, conſtantiſſimo defenſore initæ pacis ac Epheſini Concilii. Divina id fecit providentia, quod Meletius illic propriis oculis ac auribus audiret & videret ſuum Theodorum anathematizari. At an ipſe quoſdam iſthic anathemati recalcitrantes Epiſcopos non accenderit aut foverit, novit Divina Sapientia. Porrò *prima authoritas*, *Divina Reſponſa*, *immortalis Vertex*, aliaque id genus ſunt Romani Auguſtæ Majeſtatis tituli, adversùs quos aliquando non defuit murmuratio. Nec ſine rationibus. Olent enim paganam ſuperbiam, quæ Auguſtos Principes dementabat in Deos. *Annotatio terribilis* eſt modica per propriam Principis manum ſignata Scheda, qualem Theodoreto miſit ipſe Theodoſius, dum ipſum intra Cyrenſem Civitatem circumſcripſit exilio. Erat executorium prioris Sacræ commonitorium.

## CAPUT CLXXX. —268

*Domino meo Deo Amiciſſimo*, *& Sanctiſſimo*, inquit, *Patri Alexandro Epiſcopo Titus*.

QUemadmodum Sanctitatem tuam ſemper peculiari amore dilexerimus, & magnopere obſequi ei ſategerimus, arbitramur & ipſam clarè noſſe rebus ex ipſis. Quia igitur & nunc ex eadem voluntate detinemur, & ſecundùm Chriſtum Religioſitatem tuam egregiam deſideramus exiſtere, dignare, ſanctiſſime Domine, vel nunc, cum ſuſceperis litteras noſtras, communicare Sancto Catholicoque Concilio, ſecundùm Divinas & adorabiles litteras. Nam & ſanctiſſimus Theodoretus, & ſanctiſſimus Helladius, & alii, qui ad modicum voluerunt ſeparare ſeipſos ab hoc Sancto Concilio, agnoſcentes quod eſt inrecuſabile, & quod eſt impoſſibile, & quod placitum Deo, & quia univerſali Synodo oporteat obedire, & Imperialibus Sanctionibus, à diſcordia quidem receſſerunt, communicarunt autem Sanctæ & Catholicæ Synodo. Hoc autem facere tuam Sanctitatem præ omnibus oportebat, quæ manifeſtè novit res, & tempore eſt provecta. Rogamus igitur, ne deſpicias precatorias præſentes litteras noſtras, nec des locum Diabolo, volenti diſcordias contra ſanctam conſubſtantialemque immittere Trinitatem; ſed ut conculces aculeos ejus, & concordiam Synodi Sanctæ recipias. Nam ſi poſt has litteras meas Sanctitas tua in dilatione perſtiterit, eiſque communicare noluerit, claret quod non ſit de cætero neceſſarium Divinis litteris. Utique apertè præcipiunt, ut hi qui Sanctæ Synodo communicare noluerint, in exilium à ſanctis Eccleſiis repellantur.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt plena reverentiæ erga Alexandrum. Erat enim Epiſcopus ſenex doctus, & per omnia venerabilis. Hinc ipſum Joannes Patriarcha non primum, ſed inter poſtremos juſſit ejici. Speravit aliorum exemplo terrendum & corrigendum. Hinc ad ipſum Comes miſit has ſuas humaniſſimas, ac ſimul divinas ac adorabiles litteras. Credo fuiſſe illas, quas Joannes ſpeciatim contra Alexandrum, Helladium ac Theodoretum impetrarat. Hinc Titus horum exemplo conatur iſtum inflectere. Præſens item Epiſtola oſtendit Titum Comitem fuiſſe virum non parvo fructu Chriſtianum.

## CAPUT CLXXXI. –269

*Domino*, inquit, *meo ſanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Patri Epiſcopo Alexandro Dionyſius.*

DIvina & immortalis Veritas pacem deſiderat, adhibet verò plurimam curam, & ſuæ Pietati decentem circa rectæ Fidei cultum. Scientes igitur intentionem pii Principis noſtri, priùs per has litteras noſtras tuam Religioſitatem duximus ſalutandam, & adhortandam, ut quæ decent faciat: Inter hæc verò & illud eſt, ut communicet Sanctitas tua Deo amiciſſimo Epiſcopo Joanni. Hæc namque cauſa pacis erit omnibus ſanctis Eccleſiis. Nec enim volumus Eccleſias ampliùs perturbari, & animas imperitorum perverti, quid faciant neſcientes, dum perturbatio detinet vos, qui pacem prætenditis univerſis. Dignare igitur, tantùm memor & amicitiarum noſtrarum & adhortationis, omnem triſtitiam deponere, & convenire in idem Religioſiſſimo Viro: Ne cogamur Divina & Imperialia Conſtituta executioni mandare. Salvam Religioſitatem tuam, & orantem pro nobis ſalvet omnium Deus, Domine ſanctiſſime Pater. Ignoſcere mihi habet Religioſitas tua, ſi quid facere compellendus ſum, Divinam formulam ſequens, ſi huic Epiſtolæ conſentire nolueris.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola oſtendit Alexandrum fuiſſe virum ſummæ Authoritatis & famæ. Hinc enim non ſolus Comes & Vicarius Titus, ſed etiam ipſe Magiſter Militum Dionyſius, antequam ad executionem procederet, illum duxit monendum cum grandi reverentia.

---

## CAPUT CLXXXII. –270

*Epiſtola*, inquit, *Deo Amiciſſimi Epiſcopi Alexandri, quam reſcripſit ad litteras ſupraſcriptas, in cauſa eadem ſuum demonſtrans Propoſitum.*

BEnevolentiæ quidem circa meam Vilitatem retributiones clemens Deus præſtet veſtræ Clementiæ. De cauſa verò, quæ vertitur, quoniam noſtræ vitæ caput eſt pietas, coram terribili Tribunali Chriſti omnem reſervo ſatisfactionem. Ut verò etiam Magnitudini veſtræ in brevi reſpondeam, indico quod ille, qui nunc contra nos quatuor Imperiales has litteras clementer obtinuit, & antè Epheſum, & in Epheſo, & poſt Epheſum hæreticum ſciebat Ægyptium. Quod manifeſtè cognoſcere licet ex litteris ejus, quæ uſque nunc apud plurimos ſalvæ ſunt. Poſtquam verò ſuſcepit Hypomnyſticum per Admirandiſſimum Ariſtolaum, ut & Cyrillo communicaret, & Neſtorium deponeret, & anathematizaret ejus doctrinam, dum ſit Orthodoxa, ſicut ipſe per plura Scripta confeſſus eſt, cedens Hypomnyſtici minis, fecit univerſa. Et nunc adversùm nos uſque ad ſanguinem pugnat, eò quod parati ſimus per virtutem Dei contra Cyrilli hæreſim repugnare uſque in finem, & orthodoxam fidem abſque permiſtione ſervare, non ineundo communionem, neque cum hæretico, neque cum communicantibus ei. Habemus namque præ oculis illam terribilem vocem Domini Chriſti, quæ per Apoſtolum Gentium Paulum dicta eſt: *Quoniam ſi nos, aut Angelus de cælo evangelizaverit vobis præter id, quod evangelizavimus, anathema ſit.* Galat. 1. Undè quæſo, ut quando tibi placuerit illam perſecutionis, quæ contra nos lata eſt, formam promulgare, mihi veſtra jubeat Magnitudo, ut ſub ſilentio & abſque ſtrepitu abeam, & hoc modo, quæ ſancita ſunt, impleam. Quando enim de pietate proponitur, obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola oſtendit finalem Alexandri contumaciam, fundatam in conſuetis contra Sanctum Cyrillum ac Patriarcham Joannem querimoniis. Oſtendit impetratam à Joanne ſpecialem ſacram fuiſſe contra quatuor, non dumtaxat contra tres memoratos Epiſcopos. Exiſtimo quartum fuiſſe Meletium. Epiſtola item oſtendit Alexandrum fuiſſe ſimilem Moabitis, quorum ſuperbia fuit major eorum viribus. Hinc enim, qui tanta de mille mortibus toties jactarat, jam in extremo ſupplicat non palam ejici, ſed ſub ſilentio, ac ſine ſtrepitu dimitti.



Digitized by Google

## CAPUT CLXXXIII. —271

### Præceptum, *inquit*, Glorioſiſſimi loci Servatoris Titi ad Clariſſimum Lybianum Euphrateſiæ judicem.

*Flavius Titus, Glorioſiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum, implens locum Magiſtri militiæ Poteſtatis, Flavio Lybiano, Clariſſimo Præſidi Euphrateſiæ Provinciæ.*

DIviniſſimi Principes noſtri, ut hi qui non aſſentiunt Deo amiciſſimo Epiſcopo Joanni, perturbant autem ſanctas Eccleſias, dum pacem renuunt Orbis, à locis propriis amoveri, propria lege præceperunt, ſicut & veneratio adorabilium, præfulgentiumque litterarum manifeſtiùs edocebit. Quia igitur Alexander Hieropolitanus Epiſcopus à ſorte Reverendiſſimorum Epiſcoporum ſemetipſum fecit alienum, nec enim patitur præfato Archi-Epiſcopo in Divinis communicare Myſteriis, curet Charitas tua, hac authoritate ſuſcepta, eundem Alexandrum, ſi in Propoſito ipſo perſtiterit, loco proprio amovere, eumque in ejus loco ſuſcipere, quem ſanctorum Epiſcoporum Synodus probaverit ordinandum. Si verò id tuam virtutem, quod non arbitramur, excedit, dum Devotiſſimi milites in ea conſtituti ſint civitate, uteris eorum ſolatio. Etenim quæ oportet ad ipſos quoque direximus, ut cum deliberatione communi noſtra Præcepta feſtinetis implere. Si verò & majori opùs eſt manu, aut ſi hæc res & noſtram præſentiam poſtulaverit, ſufficies continuò indicare. Nam dum id clarè conſtiterit, Divinis Præceptionibus miniſtrantes cum ſufficienti ſolatio continuò veniemus. Quò autem Tu mox ad præfatam civitatem vadas, & noſtra Præcepta implere feſtines, Hypatium ſpecialiter deputari præcepimus, cui & Mandata dedimus, ut non ſolùm Te cogat noſtris Præceptionibus obedire, ſed & de tua nos præſumptione, ſi ita contigerit, noſſe faciat. Ultio enim contrà neglectum tuum competens conſequetur.

### SCHOLION.

HÆc epiſtola eſt executoria Sacræ adverſus Alexandrum Juſſionis. Et docet plura. Primò, quod Alexander fuerit tantæ opinionis ut Provinciæ Præſes Lybianus videatur ipſum timuiſſe, aut cum ipſo conveniſſe: Hinc Titus Comes cum hiſce litteris legavit Hypatium, qui Lybianum ad exequendum cogeret. Et graves minas addidit. Secundò, quod degradati Alexandri Succeſſor debuerit non per ſolum Patriarcham Joannem ſuffici, ſed eligi per omnes Provinciæ Epiſcopos. Quod nempe eſſet Metropolita. An illic etiam Provinciales Epiſcopi non à ſolo Clero ac Populo, ſed etiam à cunctis iſtius Provinciæ Collegia eligerentur, eſt alibi diſcutiendum. Tertiò, quod Provinciæ iſtius Præſes Hierapoli non reſideret. Reſidebat Samoſatæ. Hæc enim olim fuerat Metropolis. Porrò Auguſta Euphrateſia Provincia olim vocabatur Comagena. Poſtmodo ab alluente nobiliſſimo flumine dicta eſt Euphrateſia. Cæſar Auguſtus, dum Armeniam cum ſignis Marco Craſſo ereptis recuperavit, & ſuum nomen addidit, appellans Auguſtam.

---

## CAPUT CLXXXIV. —272

### *Relatio*, inquit, *Lybiani Euphrateſiæ Judicis ad Magnificentiſſimum Vicarium Titum.*

PRæceptum Magnificentiæ veſtræ decimo ſeptimo kalendas Maii per Hypatium, qui eſt ex ordine Magiſtri militiæ, noſtræ eſt redditum Parvitati, cui Divinæ & adorabiles litteræ præfulgebant, jubens Reverendiſſimum & Deo Amiciſſimum Alexandrum, Hierapolitanum Epiſcopum, aut communicatorem Sanctæ Synodi fieri, aut ab Epiſcopatu quieſcere. Inſinuo igitur, quod ſuam prædictus, quæ in ſe eſt, opere declaraverit voluntatem, & Hierapolim dereliquerit, Epiſcopatum tenere minimè delectatus, Domini magnificentiſſimi, & per cuncta Sanctiſſimi.

### SCHOLION.

HÆc Relatio nos lucidè docet horum omnium tempus. Hæc enim omnia facta ſunt ſub Epiſcopatu Sancti Procli. At verò Sanctus Proclus eſt anno iſtius ſæculi trigeſimo quarto pridie Idus Apriles, factus Epiſcopus; ideoque Titus Comes Mandatum, quo Alexandrum Metropolitam juſſit extrudi, dedit anno ſequenti ſub exordium Aprilis, & Hypatius illud Lybiano Præſidi in manus tradidit die decima quinta ejuſdem menſis. Et ſtatim poſt facta eſt executio. Et quoniam Alexander fuit ultimus inter omnes expulſus, aliorum expulſio non eſt penitus ignoti temporis. Eodem anno, die tertia Auguſti, Theodoſius Imperator cunctos Neſtorii libros damnavit ad ignem, & ipſum deportavit Oaſin. Exinde quidam Theodori Mopſueſtienſis

ſia libros tranſtolerunt in varias linguas, & ſic evenerunt cuncti motus abundè deſcripti in ſuperioribus.

## CAPUT CLXXXV. –273

*Relatio*, inquit, *ſecunda Euphrateſiæ Judicis, qui perturbationem civitatis agnoſcens propter exitum Sanctiſſimi Epiſcopi Alexandri factam, direxit Magnificentiſſimo Comiti Orientis, tranſmittens & Populi acclamationes, tam ad ſe, quam ad Magnificentiſſimum Comitem Titum factas, & ad ipſum quoque Antiochiæ Præſulem.*

Hierapolis & devotioni ſerviens, & pio deſiderio ſtimulata, Divino quidem motui ceſſit, & Præcepto Magnifico gemens. Nunc verò expetit miſericordiam, qua diligatur ejus deſiderium, expanſa ſuper Alexandro ſene, & luctus quidem ſuſcitans per plateas, inundans autem lachrymis ſolum, & ferè in ipſam jam Divinitatem quid auſa præſumere. Nec enim conſuetas actiones exhibet gratiarum. Et receſſit claudens ſanctas Eccleſias, & tale quid agens, quale cui veniam competat impartiri. Quoniam percutiente conſcientia vel quid perpetrent neſciunt, anhelantes defectum, ne illum, quem valdè complectuntur, amittant. Hoc quidem per Puſillitatem meam pervenit ad finem. Nam Sacra quidem loca reſerata ſunt, & conſueta complentur. Quod autem reliquum fuit, petitiones ſub conjuratione depoſitas inſpexi omnium, qui boni videntur, & qui pro Patre precantur, ac ſupplicant ut ab illo paſcantur, qui eos à pueris Magiſter miniſſimus educavit. Eidem namque nec vitam ſe vivere arbitrantur, niſi ſuper eos Epiſcopatum Deo Amiciſſimus Alexander teneat, cujus vitam quidem mirantur, obſtupeſcentes Sacerdotii pietatem, & pietatis pondus diligentes, & doctrinas juſtitiæ ſuis circumferentes in linguis, colligenteſque cuncta, quæ multa ſunt, ad roborandum ſui amoris ardorem: Adjicienteſque præfatis, quod ante tempus ſuum de hac vita recedant, & niſi efficiatur quod petere inſtant, in ſemetipſos mali aliquid perpetrabunt, pueri ſimul ac ſenes, mulieres ac virgines, & omnes maturæ ac ſenilis ætatis, ſi defuerit adhuc ad ſanctæ Eccleſiæ præſidendum, qui eam eſt habere fortitus, dum necdum quieverit lege naturæ. Dum tuæ interſit Magnitudinis, cujus operis eſt, quidquid illud mali ſit, diſcutere à Subjectis, & ea, quæ plena ſunt triſtitiæ ac difficultatis, abigere, & pacem lætitiamque civitatibus introferre, ea quæ ſubſecuta ſunt indicavi, ut quidquid ſteterit, fiat. Cæterum dum pridem talia facere inſtituiſſent, Reverendiſſimus Alexander Relationem fieri non permiſit, Domine Admirandiſſime & Magnificentiſſime. Oro Deum, ut tu, Domine mi, incolumis & per omnia felix temporibus longis perdures, communis Salvator, & beneficiorum Præſtitor.

### SCHOLION.

HÆc Epiſtola denuò oſtendit Alexandrum fuiſſe magni nominis Epiſcopum. Hinc Populus & per acclamationes, & per duras contradictiones, & per ceſſationes à Divinis in ipſum demonſtrat tantum affectum. Harum acclamationum originem exponit in Miſopogone Imperator Julianus. Hic nunquam, aut rariſſimè Theatra, frequentiſſimè Deorum Templa adibat, ideoque Antiochenæ civitatis fidelem populum induxit adversùs hæc murmurantem. *Veniſtat in Templa, non Agreſtis tua cauſa populus, immo etiam Magiſtratus complures in Templa confluunt, & acciperis cum plauſu & clamore magnificè in Templis, ut in Theatris.* Et ipſe reſpondet: *Vos rarò in Templa Deorum cauſa convenitis, & cum mea cauſa veniſtis, omnia miſcetis & turbatis. Decebat enim bonos ac modeſtos viros, cum ſilentio precantes, bona à Diis petere.* Antiocheni murmurabant, quod Julianus Theatra non adiret, ideoque ipſi acclamare non poſſent; Et quod ad ipſi acclamandum cogerentur Templa adire, & iſthic acclamando agere contra morem. Et ipſe eos arguit, quod Templa ſuis clamoribus profanarent. Ex quibus diſcimus, quod Populares acclamationes à Theatris duxerint originem. Hinc pervenerunt ad Senatum, ad Epiſcopales Synodos, ad Eccleſias, ad quemvis locum. Eis varia maledicentia convitia admiſcere, eſt antiqua in Romano Imperio petulantia. Hinc igitur etiam Hierapolitanus Populus conjecit plura in Comitem Titum, ac Joannem Patriarcham. Hinc Præſes Lybianus ejus pro ejecto Alexandro deprecationem nec ad hunc, nec ad illum retulit, ſed ad Comitem Orientis.

## CAPUT CLXXXVI. –274

*His Irenæus illa ſubjecit. Ideò poſuimus, ne quis miretur, cur hic voces Populi minimè ſcripſerit.*

MAnifeſtat quidem Relatio illius Provinciæ Judicis illam plurimam civitatis lamentationem, quin immò & confuſionem, quam pro reparatione illius Deo Amiciſſimi Paſtoris

Grex

Grex Chriſtum diligens ſuſtulit. Multò ampliùs verò ea, quæ ab univerſa Multitudine acclamata ſunt, circa eum quanto affectu conſtringerentur, oſtendunt, deſiderii æquitatem, & orbitatis amaritudinem, & anguſtiæ rationem. Etſi ſuperfluum duxerimus eaſdem voces adſcribere, quippè ut nimis plurimas exiſtentes, & contra aliquos blaſphemias valde multiplices continentes. Unde & bonus Joannes omninò formidans, atque eos, qui his uſi ſunt, metuens, has protulit voces, & per hanc allocutionem ſcriptam eis conſolationem, ſeu potiùs deceptionem obtulit.

## SCHOLION.

HOc Irenæi Scholion demonſtrat Clamatas ab Hierapolitano Populo in Joannem Patriarcham & Comitem Titum fuiſſe omninò fœdiſſimas. Hinc ipſas, non ſolus Lybianus Præſes, ſed ipſe etiam Irenæus, licet ſimilium amantiſſimus, erubuit Chartis indere. Nec mirum. Clamabantur enim à Populo, qui unanimi conjuratione, volebat violentis manibus ſemet-ipſum invadere. Horrenda furioſitas. Palam Diabolica. Nam talem nec apud Donatiſtas legimus.

---

## CAPUT CLXXXVII. –276

*Hypomnyſticum Deo Amiciſſimo Clero Hierapolitano, & Chriſti Amatoribus Plebibus, ab Joanne.*

AUdivi ſupplicationem veſtram, quam per acclamationes in Eccleſia feciſtis ad nos, & Magnificentiſſimum & Glorioſiſſimum Comitem Dominum Titum. Et ego ipſe hæc eadem opere provenire oro vobiſcum. Cognoviſtis enim procul dubio propoſitum noſtrum, quia nihilominùs ad illum ſuavem hominem deprecandum, pro quo ipſi rogaſtis, ut vagæ ſuæ phantaſiæ præferret Eccleſiaſticam pacem, quam totus Orbis cum pietate amplectitur. Sed quod patitur, quia ſic averſus eſt ab omni medicamine, ut nec colloqui cum Dei Sacerdotibus ſuſtineret, neque ullatenùs ad eorum virorum veniret affatus, quorum precibus Mundus ipſe ſalvatur. Eligens enim optimos Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum ſæpiùs deſtinavi, qui eum commovere potuiſſent, ne infeſtaret Eccleſiaſticam pacem, quam Mundo Deus inopinatè largitus eſt; ille verò ex arrogantia, & ea, qua detinetur, obſtinatione aures obſurdans inexorabilis perſtitit. Quin immo permanſit mala ſibimet coacervans, dum nos ab hac viri malevolentia ſumus inſontes, & nunc ad ſatisfactionem veſtram, & ut poſſit videre Amatrix Chriſti Eccleſia veſtra, quod non occaſione captata quaſi contriſtantem adversùm nos, & tantas nobis contumelias ingerentem, quantas ipſum decebat inferre, dum nos per gratiam Dei nihil læderemus, ex eis à ſua illum removerim Eccleſia; ſed quia nobis inobediens exſtitit, volentibus ut noſtrum fieret membrum, & Eccleſia veſtra toti communicare demonſtraretur Eccleſiæ. Unde circa eum cuncta ſervavimus, quæ ad remedium pertinebant. Sed & nunc quæ nobis ſufficere dignum eſt peragentes, ſpondemus, quia ſi poſſibile fuerit, ut correctione reſipiſcens deponat ſuperbiam priſtinam, parati ſumus excipere, & ad vos cum noſtra atque illius feſtivitate remittere: Si autem jam ſemel ſtatuit præcipitare ſeipſum ad communionis quidem læſionem, perditionem verò animæ ſuæ, nos quidem & Deo & hominibus ſatisfecimus; vos vero, quod vobis ipſis expedit, quæſo, perquirite.

Erubeſcant jam veritatis inimici, qui credentes præfatis ſub nomine Theodoreti Epiſtolis, eum Neſtorianæ impietatis volunt criminari fautorem, cui tale teſtimonium præbet Joannes Archi-Epiſcopus, nimiùm cunctis Neſtoriani erroris fautoribus inimicus. Sicut ipſi quoque apertiſſimè clamant, dum contra obſtinationem pertinaciamquè Alexandri veraciter dicit. *Ut nec colloqui cum Dei Sacerdotibus ſuſtineret, neque ullatenus ad illorum virorum veniret affatus, quorum precibus Mundus ipſe ſalvatur. Eligens enim optimos Deo Amiciſſimorum Epiſcoporum ad eum ſæpiùs deſtinavi, qui eum commovere potuiſſent, ne infeſtaret ſeu violaret Eccleſiaſticam pacem, quam Mundo Deus inopinatè largitus eſt.* Quod per nullum Epiſcoporum feciſſe, niſi per Theodoretum & Andream, ſicut ex ſuperioribus claret, poterit inveniri. Ex his verò & illud verum roboratur, quod à nobis intentio Theodoreti integerrimè comprehenſa ſit.

SCHO-

## SCHOLION.

HOc Hypomnyſticum, ſeu epiſtola docet primò, quod præfata curioſitas non ſolum Hierapolitanum Populum, ſed etiam Clerum invaſerit. Secundò, quod contumelioſæ exclamationes ſint factæ in Eccleſia. Nempe adversùm iſthie publicatas, quæ Alexandrum mandabant extrudi, Joannis Patriarchæ, & Comitia Titi litteras. Tertiò, quod hanc pacem Dominus Deus ſit inopinatè largitus Eccleſiæ. Et ita palam eſt. Nata enim inter Cyrillum & Joannem, ipſorumque Diœceſes Diſcordia tantas undeqnaque vomebat flammaa, ut nunquam viderentur extinguandæ. Hæc Epiſtola quartò oſtendit ineffabilem Joannia Patriarchæ prudentiam ae patientiam. Etenim præfataa acclamationes ſcribit non adversùm ſe, aut Comitem Titum contumelias, ſed fuiſſe factaa ad ſe & ad illum precea. Et Alexandrum appellat ſuavem virum. Et illi dummodo Eccleſiæ pacem admittat, promittit reditum. Hae animi ſui moderatione conatur iſtam componere Eccleſiam. Attamen in tranſitu non prætermittit queri de contumeliis. Adjectum Scholion rectè oſtendit Theodoretum fuiſſe inter electiſſimos totiua iſtius Diœceſis Epiſcopos. Item oſtendit Samoſatenſem Andream tune fuiſſe adbuc ſuperſtitem.

## CAPUT CLXXXVIII. —277

*Interpretatio*, inquit, *Sacræ, quæ promulgata eſt Magnificentiſſimis & Glorioſſimis Præfectis de exilio in Petram Magnificentiſſimi Comitis Irenæi.*

DAmnato Principe portentuoſæ culturæ Neſtorio, juſtum eſt, ut impiæ ejus culturæ partieipes ſentiant validiſſimam pœnam. Ob hoc Irenæum, qui maledictum Neſtorii cultum non ſolum ſecutus eſt, ſed & inſtituit, & ſtuduit multas eum eo Provineias, eò quod ipſe tali culturæ præeſſet, evertere, nudatum eunctia dignitatibus, & inſuper ipſa propria facultate; & Photium verò, eiſdem impietatibus implicatum, adæquè facultate nudatum, quæ & in publicam proficiet rationem, in Petris exiliari decrevimus, ut paupertate perpetua & locorum ſolitudine erucientur, Iſidore Pater honorandiſſime. Glorioſa igitur atque Magnifica Autboritas tua huie noſtro Decreto pragmatieo competenter obediet, deputato ſufficienti ſolatio, ut ad præfatum exilii tramitem præfati Religionis noſtræ violatores abigantur.

## SCHOLION.

HOc exilii Decretum eſt manifeſtè latum in Irenæum adbuc Laicum. Etenim nullam Epiſcopatus malè adepti, nullam facit degradationis memoriam. Proindè latum eſt ſtatim poſt confirmatam Neſtorii damnationem, & per Principem confirmata Acta Epheſini Concilii. Tunc innotuerunt Irenæi facinora: Innotuit, quod non dumtaxat Neſtorianæ perfidiæ Sectator eſſet ſed etiam Autbor. Videtur fuiſſe Syrus, & habitaſſe apud Antiochiam, atque ita iſthie unà cum Neſtorio adbuc Presbytero fabricaſſe Hæreſim. Etiam innotuit, quod unà cum Neſtorio Epiſcopo ſtuduiſſet unitas Provineias inficere ac evertere. Utique apud Epheſum. Iſtbic enim multarum Provineiarum Epiſcopos ſtabilivit partim in Hæreſi, partim in Factione Neſtorii. Et hine idem eſt, eum Neſtorio, ſortitus exilium. Nempe in Petras Arabiæ. Et illius executio fuit demandata eidem Orientis Præfecto Iſidoro. Nec ſolummodo relegatus fuit, ſed inſuper exutus cunctis fortunia, tranſcriptia in Fiſcum. Quia fuerit adjunctus illi Photius, non poſſum certò aſſerere. Poſſit fuiſſe Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter, una cum Anaſtaſio Presbytero Legatus à Neſtorio in Lydiam, ae aliaa Aſiaticæ Diœceſis Provineias, ad iſtbie ſeminandum ſceleratum Mopſueſtienſis Theodori Symbolum. Attamen plura diſſuadent. Primò, quod hie proſcriptus Photius fuerit vir opulentus: Quod rarò tunc eadebat in Clericum. Deinde, quod ejus opes non in Eccleſiam tranſcribantur, ſed in Rempublicam. Tertiò, quod nulla etiam fiat mentio de ipſius Presbyteratu, aut degradatione.

## CAPUT CLXXXIX. —278

*Interpretatio*, inquit, *præfati Præcepti.*

QUæ ſint, quæ de Irenæo & Photio ſunt ſancita à Divino & Immortali Vertice, præfulgens Divinarum litterarum tenor oſtendit. Magnificentia igitur tua his, quæ ſunt decreta Divinitùs, abſque mora obediens, ad loca, in quæ juſſi ſunt duci, cum competenti ſolatio præparet Veredos duos cum duobus Patippis, Oreſti & Stephano, qui ſingulariter directi ſunt ad peragenda quæ Divinitùs decreta ſunt, quæque noſtris præceptionibus continentur, coadjuvantibus eos ex Syria, tam Regionum judicibus, quam Provinciarum quarumque Ordinibus: Inſuper & Defenſoribus, & reliquo ſolatio vel auxilio, & Decurionibus vel Curialibus.

## SCHOLION.

HOc eſt præceptum, quo Præfectus Iſidorus præcedentem Sanctionem juſſit per neſcio, quem Magnificentiſſimum Domioum mitti in executionem. Et vides hic Veredum diſtingui & Parippum. Horum diſcrimen exhibet Lexicon Juridicum Simonis Schardil: Ver. *Veredi*, & *Parippus*. De his varia eſt apud antiquos mentio. In Theodoſiano Codice ſub titulo *de publico curſu* extat, Imperatoris Juliani Lex: *Parippum cum videri & habendum eſſe, qui aſurpato uno vel duobus Veredis, quos ſolos Evectio continebit, alterum, tertiumvè extra Ordinem commoveat*. Et Imperatores Valentinianus & Valens in lege ad Voluſianum Urbis Præfectum: *Parippum vel Avectarium nullus accipiat, niſi cum noſtræ Serenitatis arbitrio Magiſter Officiorum textui Evectionis addiderit*. Et hujuſmodi Evectio erat adeò honorifica, ut dari non poſſet, niſi per ipſum Principem. Et hinc videmus Irenæum fuiſſe cum honore relegatum. Ei enim datus fuit Veredus cum Parippo. Et adjunctus famulus. Etiam Photio. Et hinc videtur nullatenus fuiſſe præfatus ille Neſtorii Presbyter.

At ecce dum Irenæus per Syriam tranſit, moritur Cyrus Tyriorum Epiſcopus, primæ Phæniciæ Metropolita, atque ita eligitur à Tyriis in ſuum Antiſtitem, & à Theodoreto conſecratur. Quorum arte aut ſtudio proceſſerit hæc electio, ignoro. Interim Theodoſius Auguſtus acquievit, atque ita Irænеus evaſit iſtud exilium. Nec mirum. Etenim perpetua Romani Imperii conſuetudo, & Catholicæ Eccleſiæ diſciplina, non ſolis exilii, ſed & Capitalis ſupplicii, imò & læſæ Majeſtatis, etiam ob perduellionem, reis permiſerunt quamcumque pœnam permutari in Eccleſiaſticam Tonſuram: Monachalem, Clericalem aut etiam Epiſcopalem. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Etenim in Chronico ſcribit Victor Tomionenſis Epiſcopus: *Avitus, vir totius ſimplicitatis in Galliis Imperium ſumit, Ricimirus Patricius Avitum ſuperat, cujus innocentiæ parcens, Placentiæ Civitatis Epiſcopum fecit*. Ita ſcribit ad Conſulatum Joannis & Varami. Et ad Conſulatum Ruſtitionis: *Joannes, qui & ante Juſtum ad Imperium erat electus, Heracleæ Thraciæ Epiſcopus ordinatur*. Et Theodorus Lector in primo Collectaneorum libro: *Marcianus Zenonis congener, adversùs illum conſpiravit. Acri igitur prælio inter Zenonem & Marcianum conſerto, Marcianus longè ſuperior evaſit. Et cunctos, qui à partibus Zenonis ſtabant, in fugam verſos, intra Palatium obſedit, Romulo & Procopio, ejus fratribus ipſum adjuvantibus. Poſtridiè verò capti ſunt, cum in Balneo Zeuzippi lavarent. Et Marcianum quidem Zeno in Presbyterum ordinari juſſit*. Iſta enim Ordinatio faciebat inhabilem ad Imperium, imo & ad omnem uſum gladii: Ponebat Principem extra omne periculum. Hinc igitur & Theodoſius conſenſit in ordinationem Irenæi.

## CAPUT CXC. –279

*Quanti*, inquit, *à ſanctis Eccleſiis exierunt, nolentes ſuam conſcientiam vulnerare, neque acquieſcere Factis Cyrilli, ſeu ejus ſuſtinere communionem.*

I.

ALEXANDER Epiſcopus Hierapolis Euphrateſiæ, qui & exiliatus eſt in Famothin, Ægypti metallum.

II.

ABBIBUS Dolichli, quo ejecto ab Eccleſia alter ordinatus eſt à Joanne.

III.

DOROTHEUS Marciano-Politanus, Metropolitanus Mœſiæ. Iſte ejectus, exiliatus eſt in Cæſarea Cappadociæ.

IV. & V.

VALEANIUS, & Eudocius Mœſiæ, qui ſub eodem Dorotheo exiſtentes ultrò ab Eccleſiis receſſerunt.

Adn. Nor. Martianus Abryti ſupra pag. 73. Sed hic acceſſit ad Synodum: nam legitur To. 4. Côç. pag. 913. in Conciliis, &c.

VI.

MELETIUS Mopſueſtenus ſecundæ Ciliciæ. Hic exiliatus in Melitina Armeniæ civitate defunctus eſt, multa millia paſſus ab Acacio ejus Eccleſiæ Præſule.

VII.

ZENOBIUS Epiſcopus Zephyrii, primæ Ciliciæ, qui ultrò quidem reliquit Eccleſiam, poſt hæc verò in Tiberiadem relegatus eſt. Sed & indè fugatus, dum ſe hunc ipſum denunciaſſet exiſtere.

VIII.

EUTHERIUS Epiſcopus Thyanenſium, Metropolitanus Cappadociæ ſecundæ, qui ab Eccleſia ejectus, relegatus eſt quidem Schytopolim. Similiter & indè fugatus, in Tyro defunctus eſt.

IX.

ANASTASIUS Tenedi, qui ultrò ceſſit Eccleſia, & eos, qui erant per exilia, circumcirca iniens, ita defunctus eſt.

X.

PAUSIANUS Hypatæ, qui & ultrò ceſſit Eccleſiæ.

XI.

BASILIUS Metropolitanus non acquievit;

Qui

Qui multa millia paſſus non acquievit, ut cum reliquis eum, qui non deliquerat, condemnaret.

XII.

JULIANUS Metropolitanus Sardicenſis, qui & ipſe ſe inſontem à fraterna punitione ſervans, ad multa millia periculorum pervenire prælegit.

XIII.

THEOSEBIUS Epiſcopus Cii, qui erubeſcentibus eum ejicere habentibus poteſtatem, in ſua eſt defunctus Eccleſia. Nec tamen Neſtorii depoſitioni conſenſit. Nec communicare ullatenus pertulit his, qui Cyrillo adjuncti ſunt.

XIV.

Adn. Not, Sub Irenæo Epiſcopo Hæretico.

ACILINUS Barbaliſſi, Euphrateſiæ. Hic à Caſtro quidem fugatus eſt, dum communicare Antiocheno non acquieſceret; poſt hæc autem communicavit quidem, non tamen & Homicidio aſſenſit.

XV.

MAXIMINUS Demetriadis Theſſaliæ, qui mox ſeipſum poſt factam in Neſtorio iniquitatem ab Eccleſia ſeparavit.

## SCHOLION.

HOc Caput eſt ſummi ponderis. Revelat & docet res huc uſque pœnitùs incognitas. Primò, quod Sancti Cyrilli judicium, quo quatuor Metropolitas à pace excluſerat, non habuerit effectum in omnibus. Etenim Helladius Tharſenſis fuit admiſſus in pacem, & permanſit Epiſcopus. Nempè ob ſuam Romanam appellationem, & Romanum Reſcriptum, quo Xiſtus Tertius Pontifex non ſolùm iſtud Sancti Cyrilli, nec ſolum Conſtantinopolitani Concilii, ſed etiam Epheſini Concilii Decretum circumduxerat. Ex quò lucidiſſimè patet, quod Orientalis Eccleſia ſemper conſtantiſſimè crediderit Generalium Synodorum ſancita ſubeſſe Romano Pontifici, ideoque hunc eſſe omnibus iſtis ſuperiorem. Dorotheus & Eutherius manſerunt pertinaces, ideoque & perierunt cum perditionis filio. At quid factum eſt de Himerio? Etenim de ejus pertinacia ac exilio nulla hic eſt memoria. Nulla item de ejus converſione. An forſitan ante hæc omnia fueſit mortuus, ignoro. Quidquid ſit, Nicomedienſis Eunomius adfuit Chalcedonenſi Concilio.

Hoc Caput ſecundò docet, quod plures alii fuerint à pace excluſi. Porrò Hierapolitanus Alexander Dux totius pertinaciæ, in Egyptum, Marcianopolitanus Dorotheus in Cappadociæ Metropolim, Mopſueſtienſis Meletius fuit relegatus Melitinam: Nempe, ut firmè cuſtodiretur a Sancto Cyrillo, Firmo, & Acacio, iſtic Epiſcopis. Multa millia, quæ Meletius dicitur ab Acacio paſſus, haud dubiè paſſus eſt propter petulantiam: Forſan paratam adversùs anathema, quod Acacius Theodoro Mopſueſtienſi inflixit, ac ejus dogmatibus. Etenim præſens Relegatorum Catalogus uti & Capitis titulus eſt Irenæi opus, ideoque mirandum non eſt quod Sanctum Cyrillum ac ejus communionem dicteriis laceret, hos autem Schiſmaticos ornet encomiis. Memoratus hic Baſilius fuit Lariſſæ Epiſcopus, Metropolita Theſſaliæ. In ſua Illyriciana Diœceſi habuit conſortes Julianum Sardicenſem cum ipſo Demetriadis Epiſcopo. Erroris & pertinaciæ iſtic originem ignoro. Opinor proveniſſe ex eo, quod Orientales Illyrici Antiſtites tunc non rarò adirent ſolemnes Synaxes Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Synodos. Ita illi virus è Neſtorio hauſerant. Hinc non ſine cauſis Apoſtolica Sedes improbavit iſtos acceſſus, ideoque iſtic poſuit ſuum Vicarium. Quidquid ſit, hoc tempore Saturninus, quem à Maximiano Conſtantinopolitano conſecratum Marcianopolitanus Populus bis abjecerat, tandem accepit pacificam poſſeſſionem iſtius Eccleſiæ. Alexandro Panolbius, Panolbio Joannes, Joanni ſucceſſit Stephanus, qui adfuit Chalcedonenſi Concilio.

---

## CAPUT CXCI. —280

*Lex quæ contra Neſtorium propoſita eſt.*

IMperatores, Cæſares, Theodoſius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, ſemper Auguſti. Debita à nobis Piiſſimæ Religioni cultura. Et cætera, quæ poſita ſunt priùs, quibus jubetur ut Neſtorii vindices vocentur Simoniani, ut libri ejus urantur, ut nuſquam talibus liceat convenire, ut proſcribatur qui eis locum conveniendi ubicumque præbuerit. Quod hìc ponitur ab Irenæo.

## SCHOLION.

HÆc Theodoſii Lex extat in tertia parte Epheſini Concilii: Et, licet non plena, in Theodoſiano Codice. Præſens fragmentum eſt ex alia translatione. Hæc haud dubiè nos docuiſſet aliquid, ideoque dolendum eſt, quod non habeamus integram.

CAPUT

## CAPUT CXCII. —281

Synodica, *inquit*, Helladii, & aliorum Ciliciæ Epiſcoporum, qui ſcribentes poſtea Principi direxerunt, veniente ad hoc cum Decreto Imperiali Admirandiſſimo Tribuno & Notario Ariſtolao.

*Religioſiſſimis & piiſſimis Imperatoribus noſtris, dignè honoratis à Deo, Theodoſio & Valentiniano Auguſtis, Helladius, Cyrillus, Valentinus, Minodorus, Jatianus, Epiſcopi primæ veſtræ Ciliciæ.*

Adn. Nos. leg. Helladius Tharſi, Cyrillus Adenorū, Valentinus Malli, Minodorus Maſronianus ex pag. 369. Epiſc. Pompejopolis ex Syn. Chalced. T. IV. p. 601. E Jatianus Auguſtæ.

SCientes, ò Amici Dei, & Amici Chriſti Imperatores, veſtrum circa pietatem Zelum, quod ab initio habuiſtis erga Eccleſias Dominatoris Chriſti ſtudium & providentiam, & Dominatorem Chriſtum glorificantes perſiſtimus, quod tam pio dignos fecit Imperio, & pro veſtra diuturnitate atque victoria non deſinimus exorare. Hac nobis actionis gratiarum præditis voluntate, hæc ipſa gratiarum actio præſenti in tempore magis ſuſcepit augmentum. Adveniente ſiquidem ad veſtræ Ciliciæ Provinciam Clariſſimo viro Ariſtolao, Tribuno & Notario, verum ſecundùm piam ſanctionem veſtram & ipſo quoque nobis declarante ardorem, fervoremque veſtrum circa Orthodoxorum piam Religionem, & quod ab unitione Eccleſiaſtica nihil ampliùs ſtudeatis, pronam noſtram quoque voluntatem, & obedientiam, quam circa veſtræ Deo Amabilitatis pias ſanctiones habemus, oſtendimus. Juxta enim Divinas Præceptiones veſtras communionem cum Sancta Synodo, quæ in Epheſo facta eſt, amplectimur, & Neſtorium, qui quondam fuit feliciſſimæ Conſtantinopolis Epiſcopus, habemus depoſitum, & anathematiſmo ſubjecimus ſuper omnibus, quæ impiè coram Eccleſia docuit, ſeu in ſcriptis expoſuit, ſeu ſemotim locutus eſt, ſequentes Sanctos Epiſcopos Xiſtum Romæ, & Proclum magni nominis Conſtantinopolis, & Cyrillum Alexandriæ, & Joannem Antiochiæ, & omnes reliquos Religioſiſſimos Epiſcopos, in omnibus quæ piè definiuntur ab eis, coanathematizantes ipſum Neſtorium, & eos qui eadem, quæ ille, impiè aſſerunt. Id eſt, Neſtorianos, quos juſtè veſtrum ſic cognominavit Imperium.

### SCHOLION.

HÆc eſt Synodalis Epiſtola, ideoque docet primò, quod ad admittendam pacem Helladius congregarit Synodum ſuæ Provinciæ. Secundò, quod omnes ejus Epiſcopi in pacem conſenſerint, excepto uno Zenobio Zephyrii Epiſcopo. Tertiò, quod Sacram faciendæ pacis Juſſionem Ariſtolaus Tribunus detulerit ad Helladium. Forſitan ex ſingulari reverentia: Quod Cilicia eſſet Provincia admodum devota ac utilis Romano Imperio. Quartò, quod Cilices admiſerint omnes & ſingulos pacis articulos. Etiam damnationem Neſtorii: Quam tamen Joannes Patriarcha diſpenſatoriè permiſerat ſingulorum arbitrio. Quintò, quod hæc omnia fuerit facta ex Decretis etiam Xiſti Pontificis. Haud dubiè in Orientem ſcripſerit varias litteras, quas temporis injuria nobis abripuit. Notandum eſt, quod Helladius Proclum Conſtantinopolitanum præponat Cyrillo Alexandrino, ac Joanni Antiocheno. Etenim Pacta, quæ de ſervando Conſtantinopolitani Concilii ſecundo Canone Proclus fecit cum Antiochena Eccleſia, non cum Joanne fecit, ſed cum ejus Succeſſore Domno. Ita Theodoretus diſertè ſcribit ad Sanctum Flavianum, Succeſſorem Procli. Proinde hinc diſcimus, quod Proclus ſtatim à ſui Epiſcopatus exordio cœperit urgere & obſervare iſtum Canonem, & tandem per iſta Pacta confirmarit, atque ita os clauſerit omnibus contradictionibus. Diſcimus, quod plures Eccleſiæ Proclo etiam antè pacta obedierint. Ex his, Procli gratia capturus, ſe cum omni ſua Synodo adjunxit Helladius. At certum eſt, quod Sanctus Cyrillus iſta omnia probaris. Etenim ſimilibus Juvenalis Hieroſolymitani Epiſcopi prætenſionibus ſe conſtanter objecit & in Epheſino Concilio, & poſtmodò apud Sanctum Leonem Pontificem. Et Dioſcorus omnia, quæ poſtea declamavit adverſùm iſta Pacta, haud dubiè declamavit ex Dictis & Factis Sancti Cyrilli. Porrò Helladius poſt hanc pacem non diu ſupervixit: Erat enim admodum ſenex. Et habuit Succeſſorem Marianum. Liquet hoc ex Baſilio Seleucienſi Epiſcopo, in ſecundo libro de vita & miraculis Sancti Martyris Theclæ. Refert illic litem iſtius Mariani cum ſuo Anteceſſore Dexiano, & affirmat illum ob patratam irreverentiam fuiſſe percuſſum à Martyre, & ita defunctum. Hic eſt Dexianus, qui cum Joanne Antiocheno adfuit Epheſi, & poſtmodò pertinax adhæſit præſenti Schiſmati. Hinc etiam diſcimus ipſum fuiſſe veraciter converſum. Eum enim Baſilius inſigniter deprædicat.

## CAPUT CXCIII. --282

Has Irenæus litteras multiloquè impetens ſic adjecit : Epiſtola, *inquit*, Helladii, quam priùs ſcripſerat, quando Sacra contra eos promulgata, ex neceſſitate Communicatoribus Ægyptii communione conjuncti ſunt.

*Domino meo Deo Amiciſſimo & Sanctiſſimo Epiſcopo Neſtorio Helladius in Domino ſalutem.*

ETſi ab initio uſque ad finem multitudo peccatorum prævaluit, ut omnia nobis in contrarium, quàm orabamus, verterentur, verumtamen nos in æqua circa tuam, Religioſiſſime, Sanctitatem voluntate perſiſtimus, & pro pietate certare tuam novimus Sanctitatem. Ac propter ipſam ea, quæ apud tuam Sanctitatem, feſtiva voluptate ab ipſa credimus ſuſtineri. Unde beatificantes animam tuam, quæ tantis ac talibus tentationibus probata perclaruit, Deo Amiciſſime, oramus circa amorem Divinum tui inveniri participes in Judicii die. De aliis verò audiſti utique, Sanctiſſime. His qui circa Deo Amiciſſimum Theodoretum ſunt, nos quoque connumera, ideò magis quæ eligimus eligentes, nè deteriora proficiant; Maximè quia hæ, quæ directæ ſunt, litteræ omnem ferunt in ſemet-ipſis traditionis Apoſtolicæ acribiam. Pro nobis verò ora Domine.

Qui tanquam de hypocriſi accuſant Theodoretum propter illa, quæ ex ejus nomine poſuit Irenæus, ſatis terreri debent, ne ipſi potiùs ut reverà hypocritæ ſuo in ſupremum diem judicio condemnentur. Nam de illis quidem Perſcriptis graviter queſti, de iſtis Helladii nomine poſitis hactenus interim ſilent, nec condemnanda prætendunt. Unde benedicendus eſt Deus, qui in hoc quoque ſecundo non celat veritatem, clariùs in die judicii propalandam. Ecce enim ſuæ damnationi accumbunt, ecce Dei Adverſarii eſſe produntur. Videte attentiùs, quæſumus: Nonne per Imperatorem Juſtinianum, omni conſpirata totius ſæculi Poteſtate, toto tricennali ferè tempore id egerunt, ut Theodori, & Ibæ & Theodoreti Scripta acerrimè condemnarent? Quare de hac Helladii Epiſtola omninò tacuerunt, niſi quia Helladius nominatim receptus in Chalcedonenſi Concilio omninò non legitur, nec aliquid illic actum de eo, per quod, ſi condemnetur, præfatæ Synodi ſubruatur authoritas, per quam Neſtoriani Complices adſtruuntur erroris? Nam ſi Irenæo, qui & illas ex Theodoreti nomine poſuit, creditur, ecce Epiſtola Helladii, illa continens, quæ magno ſtrepitu in aliis accuſantur, & nunc uſque à nullo fuit ſpecialiter impetita. Sed ſoli hoc merentur ab æmulis, per quos illorum deſtrui poſſe putatur authoritas, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus perpetuis ſubſtantiis agnoſcendum, in una verò perſona, eademque ſubſiſtentia, Synodica definitione docuerunt. Sed nunquid eorum fraudes, quæ etiam peccatoribus, & puſillis & tardis hominibus, immò & omni Orbi patent, occultæ erunt eidem Domino Jeſu Chriſto, qui omnia novit, & judicaturus eſt omnes? In quo, quæſo, jam puri ſint, qui fraudulentiſſimi ſunt in quo ſe putant adjutores Dei, & vindices veritatis? Duo adverſa ſunt veritas & falſitas, ſicut dolus & puritas. Si dolus adjuvat veritatem, poteſt adjuvare puritas falſitatem, ac per hoc conſonare virtus & vitium: Et virtus *virtuti* eſſe contraria.

ria. Quæ dum ſint impoſſibilia, neceſſariò arbitror ſequi, ut non ſit veritas, quæ dolo defenditur atque dilatatur.

## SCHOLION.

HAnc Epiſtolam Irenæus ſuæ Tragædiæ indidit, quò oſtenderet & Helladium & Theodoretum, dum pacem amplexi ſunt, fuiſſe prævaricatores & Vertumnos. Et Epiſtola oſtendit Theodoretum Factionis illius, quæ Neſtorii damnationem nunquam admittere voluit, fuiſſe Principem & Coripbæum. Interim vana eſt Irenæi calumnia. Etenim nterque optimo jure reponere poterat, qnod in Libro de Pudicitia Tertullianus: *At enim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam ornaret nocens. Non ſuffundor errore, quo carui: Quia caruiſſe delector. Nemo proficiens erubeſcit*. Porrò adjuncti Scbolii Autbor, fuit Magnus Theodoreti Encomiaſtes, ac non bene affectus quinto Concilio. Affirmat ipſum fuiſſe procuratum ac impetratum per Acephalos, ad arietandam ac infirmandam Autboritatem Chalcedonenſis Concilii: Et hinc ab illo invaſas perſonas, non quæ magis aut minùs Neſtorio adhæferant aut faverant, ſed quas laudata Synodus admiſerat, aut non damnarat. Affirmat Helladium non minùs, quàm Tbeodoretum aut Ibam, pertinaciter pro Neſtorio egiſſe: Et probat ex præſenti Epiſtola. Et querit rationem, cur non hæc ſola Ibæ Epiſtola, ac quædam Theodoreti Scripta fuerint damnata per quintam Synodum? Et reſpondet: quia Chalcedonenſis Synodus nullam fecit Helladii memoriam, ideoque per ejus latus non potuit invadi aut lædi. Quæ omnia non carent omni fundamento. Sunt res longæ, & alterius loci.

## CAPUT CXCIV. –283

*Epiſtola*, inquit, *Cyrilli ad Ariſtolaum Tribunum, quam ſcripſit rogante Beroniciano Epiſcopo Tyri, formas dans anathematiſmi, qui ab eis fieri debuiſſet.*

DOminus meus Religioſiſſimus Epiſcopus Beronicianus ſcripſit ad me, quod pium Decretum Deo Amicorum Principum tuæ Admirabilitati ſit traditum, per qnod præcipitur, ut univerſi Religioſiſſimi Epiſcopi Orientis anathematizarent impium Neſtorium, & omnes ejus contra Chriſtum blaſphemias dicere Simonianam,



ſeu Neſtorianam hæreſim. Hoc eſt, ut arbitror, & aliud nihil. Significavit autem, quia parati ſint univerſi æſtimationes vel opiniones ſuas à tali ſuſpicione liberare, eò quod ſint omnibus modis liberi ab illius blaſphemiis. Ego pacem, quæ per Chriſtum præſtita eſt Eccleſiis, firmari volens, oro quidem ut cuncti hanc habeant intentionem, & à Neſtorii vocum novitatibus ſint mundi.

Quia verò dicunt, quod nihil ampliùs expetere debeamus ſuper ea, quæ Imperiales & piæ litteræ continent, & hoc petunt à tua Virtute, dignare, omnium juvando opinionem, præparare illos anathematizare Neſtorium, & polluta ejus Dogmata, eumque habere dejectum, credentes unum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, utique Unigenitum ejus Verbum inhumanatum & incarnatum, non in duos filios incidendum, ſed eundem ex Deo ineffabiliter genitum ante omne tempus, & in ultimis ſæculi temporibus eundem ſecundùm carnem ex muliere, ita ut & una ejus perſona ſit. Sic enim Dei Genitricem intelligimus Sanctam Virginem, eò quod ſit idem Deus ſimul atque homo. Quippe qui inconvertibiliter, & inconfusè incarnatus & inhumanatus eſt Unigenitus. Eſſe verò eum paſſibilem quidem humanitatis natura, pati verò eum impoſſibile natura Divinitatis. Pati eum propria carne ſecundùm Scripturas.

Adn. Nor. Lex edita Ann. 435. ex cap. ult. de Hæret. Cod. Theod.

His namque conjunctis Anathemati adverſùs Neſtorium, omnia de cætero, ut tamen arbitror, vacabit incuſatio, & munda erit conſcientia hominum, ut nec hi, qui per civitates ſunt Populi confligant ulteriùs contra ſe, vel omninò ſcandalizaos aliquid in Magiſtris confitentes, quod cuncti teneamus in nobis rectam & inaccuſabilem fidem. Hæc enim ſcripſit Domino meo Epiſcopo Beroniciano. Arbitror verò, quod ad idem reſpiciat virtus Imperialium Decretorum, & nihil bis, quæ præcepta ſunt, adjecerimus.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola ſcripta eſt ſub finem anni trigeſimi quinti, aut ſub exordium trigeſimi ſexti ſæculo quinto. Etenim per ipſam laudata Lex ſuit data anno trigeſimo quinto, die tertia Auguſti. Epiſtola nos docet plura magni ponderis. Primò, quod Lex prodierit ob non plenè à quibuſdam Orientalibus Epiſcopis adimpletas pacis conditiones. Hæ erant tres: Admittere damnationem Neſtorii, anathematizare ejus Dogmata, & admittere Ordinationem & Succeſſionem Maximiani. Theodoretus ac alii plures duas priores omninò averſabantur. Quin & Joannes Antiochenus circà illas connivebat. Et ſub iſta connivencia plures admiſit ad pacem. Ex Theodoreti conſilio. Hoc aliis Epiſcopis graviſſimè diſplicuit, & ipſorum Populis. Hinc etiam poſt initam pacem Civitates contrà Civitates, &

Populi adversùs Populos, quod ſcandalizans aliquid audirent in Magiſtris Epiſcopis, confligebant. Hinc præfati Epiſcopi retulerunt ad Principem. Et Theodoſius Legem emiſit, quæ Neſtorium æquiparavit Simoni Mago, & ejus Dogmata juſſit appellari hæreſim, non dumtaxat Neſtorianam, ſed etiam Simonianam; Et ejus Sectatores ac defenſores dici non dumtaxat Neſtorianos, ſed etiam Simonianos. Et ejus damnationem admitti, ac ipſum ab omnibus ſolemniter anathematizari. Inſuper omnia ejus Scripta exuri. Sic ſperavit ceſſaturum omne illius patrocinium, omnem ſequelam, omnem memoriam. Imitatus eſt magnum Conſtantinum, qui ſimili remedio ſtuduit eradicare omnem Arii memoriam, Arianos ſanciens dici Porphyrianos.

Epiſtola ſecundò docet, quod hujus Legis publicatio ac executio fuerit demandata Ariſtolao Tribuno: Et quod ipſe ſingulas Orientales Eccleſias adierit ad iſtam profeſſionem coarcturus earum Epiſcopos. Forſitan etiam Clericos ac Populos. Tertiò, quod omnes iſti Epiſcopi fuerint prompti ad obedientiam, proteſtantes ſe mundos à talibus ſuſpicionibus, & velle ſuas opiniones aut æſtimationes ab illis liberari. Quartò, quod alii meliores Epiſcopi iſta generali Proteſtatione ac etiam Profeſſione non fuerint contenti, ſed in ipſa exprimi voluerint certos Articulos, quibus Neſtorius manifeſtè abjiceretur. Quintò, quod alii interceſſerint, provocantes ad Sacræ Juſſionis textum, & aſſeverantes nihil præter ipſum poſſe exigi. Sextò, quod huic Interceſſioni, licet aliquid fundamenti haberet, Sanctus Cyrillus nequaquam acquieverit, ſed neceſſariò addendos cenſuerit hoſce articulos: Chriſtus Dominus eſt ipſum Unigenitum Dei Verbum, at inhumanatum ac incarnatum: Habet duas Nativitates: Æternam ex Deo Patre, & temporalem ex homine Matre. Eſt unica Perſona. Propria Sancti Cyrilli, quæ in litteris ad Beronicianum Epiſcopum expreſſit, verba ignoro. Hæc eſt eorum ſubſtantia. Iſta ad Beronicianum Epiſtola non modico eruditionis damno latet aut periit. Per iſtud additamentum Cyrillus ſperavit ex omnibus cordibus evellendos Capitales Neſtorii errores: De duobus Filiis ac Dominis, abnegata voce *Dei-Para*, de abjecto duodecimo ſuo Capitulo, quod ipſum Deum Verbum aſſerebat in aſſumpta natura paſſibilem, ac paſſum.

Huic Legi adjectum fuit Decretum, quo Neſtorius è ſuo Monaſterio fuit deportatus in Oaſin. Affirmat hoc ex ipſius Neſtorii libro Evagrius Epiphanienſis: *Refert etiam Neſtorium quadriennio in ſuo monaſterio commoratum, omni honore ac reverentia affectum fuiſſe; poſtea autem Edicto Imperatoris in locum, qui Oaſis dicitur, eſſe relegatum*. Et quod hæc omnia emanarint ad Joannis Patriarchæ Antiocheni, haud dubiè per Sanctum Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum adjuti, ſuggeſtiones ac preces, teſtatur in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius; *Quartò Neſtorii depoſitionis anno, Joannes Antiochenus Epiſcopus, amore Dei detentus, videnſque multos Antiochenorum viros egregios, à Neſtorio adulterina doctrina infectos, ſcribit, rogans Imperatorem, hunc ab Oriente pellendum. Imperator autem Neſtorium quidem exilio relegavit apud Oaſin*. Errat hæc eſſe facta ante Eccleſiarum pacem. Item errat Theodori Mopſueſtienſis anathema proceſſiſſe ab illo Edeſſeno Epiſcopo, qui fuit Rabbulæ Clericus. Hic enim non fuit niſi poſt Ibam Succeſſor. Porro hæc omnia facta ſunt ante iſtud anathema.

Quæſtio eſt, quomodo Beronicianus poſſit tunc fuiſſe Tyri Epiſcopus? Rationem dubitandi facit Theodoſii Imperatoris Lex, qua Irenæum Beroniciani Anteceſſorem, juſſit ejici. Etenim Lex, aut certè promulgatorium Edictum habet hanc ſubnotationem: *Lata ſunt hæc in Eccleſia Monachorum in Deſertis degentium, die vigeſima tertia ....... Indictione prima, anno Diocletiani centeſimo ſexageſimo ſexto*. Et marginale Scholioo addit: *Apud Romanos eſt decima octava Aprilis*. Erat Chriſti Domini annus quadringenteſimus quadrageſimus octavus. Et quod anno quadrageſimo nono Irenæus adhuc fuerit Epiſcopus, eſt ſupra demonſtratum. Et fuit ordinatus ante pacem Eccleſiæ, anno trigeſimo fecuodo. Quomodo igitur Beronicianus poſſit anno trigeſimo quinto fuiſſe Epiſcopus? Certè ex ſuperioribus conſtat Beronicianum Irenæi non Anteceſſorem fuiſſe, ſed Succeſſorem. Reſpondeo eſſe nodum inſigniter difficilem. Irenæi promotio fuit obnoxia multis vitiis, multis contradictionibus. Nec per Patriarcham facta eſt, nec per Provinciæ Epiſcopos, ſed per Theodoretum, neſcimus quo jure aut titulo. Ex ejus item occaſione Berytenſis Eccleſia videtur rebellaſſe adversùs Tyriam Cathedram, ac ſe erexiſſe in Metropolim. Proinde Joannes Patriarcha tunc, præſertim poſt initam pacem, damnaſſe iſtam Ordinationem, & Irenæo ſuperordinaſſe Beronicianum. Poſſit hic cum illo uſque ad laudatam Theodoſianæ Legis executionem contendiſſe, & ambo in contentione ſediſſe. Et hinc Beronicianus pro pace, quam Irenæus deteſtabatur, fuit zeloſiſſimus, & fidiſſimus Sancto Cyrillo. Ego uſque ad invenienda alia documenta, neſcio aliud.

*Adn. Nor. ετυς ϛλθ· anno 164. Ibid. Ann. Chr. 448.*

*Adn Nor. Beronicianus fuit anteceſſor Irenæi: ex eodē Irenæoid colligitur T. 1. pag. 389 ea Cap. 197. T. 1. pag. 394. Tyrus erat ſub Epiſcopo Orthodoxo.*

CA·

Digitized by Google

## CAPUT CXCV. —284

**Idem Irenæus, ubi propter iſta injuriavit Orientis Epiſcopos, ait:** ***Epiſtola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, per quam cauſatur, quod Orientales anathematizaſſent quidem Neſtorium, ſed eadem, quæ & ille, illi prædicarent. Formas autem & quomodò de cætero Anathematiſmus experi debeat.***

PAcem quidem deſiderare ſummum bonum eſt atque præcipuum: Et oporteret, dico, ut qui ſapere Chriſto placita volunt, continent circa hoc ſtudium ſuum, non remiſsè, ſed fortitet. Verumtamen non ob hanc cauſam deſpici oportet pietatis in Chriſto virtutem. Poſſimus quidem & aliter diligere pacem, & bona, quæ ex ipſa ſunt, obſtupeſcere nimis, deducere verò ad medium non ea, quibuſcumque roboratur, & inconcuſſibilis fit, ſed potius illa, quæcumque eam reſolvunt & evertunt, & circa eam, quæ compoſita eſt, permanere non ſinant. Hæc ſcribo contriſtatus valdè. Dicuntur enim quidam illic Religioſiſſimorum Epiſcoporum impium quidem Neſtorium anathematizare, & dementiſſima dogmata ejus, tentare verò rursùs quaſi ex permutatione ea, quæ ejus ſunt, ſapere & loqui, & diſſolvere conſcientiam fratrum, pro quibus Chriſtus eſt mortuus.

Miror autem, quomodo, dum ſint ſapientes, lateat eos, quia ſi quæ ejiciunt, dogmata ſapiunt, ſemetipſos anathematizant. Dicitur namque, & hoc pro veritate, etſi eſſe videtur onerosum, & hos, qui neſcio quomodo ea quæ Neſtorii loqui audent, clarè dicere: *Non præſumpſi*. Volo namque in talibus ad credendum tardus exiſtere pro magnitudine mali. Tua autem Sanctitas, ſi tamen omninò ſunt aliqui tales, dignetur eos monere atque confundere, & ſiſtat ſapientes vocum novitates Neſtorii, & loquentes. Nam quomodò anathematizant eas, vel quomodò pacem permanere deſiderant, repugnantes ei, eamque evertentes ut iniquam.

Sufficiebat quidem inſuſpectis anathematizare tantùm impium Neſtorium, & dogmata ejus, ſeu contra Chriſtum blaſphemias, quoniam verò veriſimile eſt, quod deludant quidam hanc rem, dicantque, *Ob hoc ejectus eſt ſolum, quod Dei Genitricem minimè fateretur, & aliud nihil*, ideò arbitror eſſe dicendum, quoniam non hæc ſola dejectionis fuit cauſa dictio, ſed etiam plurimæ, contra dogmata veritatis elevantes aculeum. Oportet igitur profiteri, quia & anathematizant Neſtorium, & polluta ejus atque inſana dogmata, & eum depoſitum habent, credentes unum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei utique Unigenitum.

Et cætera ita ſequuntur his verbis ſubjuncta, ſicut in Epiſtola ad Beronicianum, uſque ad locum, ubi habet: *Et inaccuſabilem fidem*. In quo & finitur.

Et poſt hæc Irenæus multa contra Orientis Epiſcopos ait. Et teſtimonia Ligiorum revocans ad medium, poſtremò adjecit: Oſtenſum quidem eſt integrè per ſupraſcriptas litteras, quia qui doctrinam Neſtorii damnaverunt, ſemetipſos alienos ab Eccleſiaſticis pronunciavere doctrinis. Per quæ enim contra illum ſunt viſi decernere, ipſam clarè abjuraverunt veritatem. Joannes verò, & certè nihil neſciens horum, dum præfatas Cyrilli litteras ſuſcepiſſet, per omnem viam venit & artem, donec Conſacerdotes ſuos ad illud impelleret perditionis abruptum. Sed nec hoc Ægyptium valuit ſatiare, aut ſaltem ſiſtere latrantem contra veritatem. Volebat enim Homicidio ſuo univerſos de cætero per Orientem ab Apoſtolicis quidem dogmatibus abſcedere, & ab ipſis quoque, quæ ipſe per Paulum quidem in Scripto confeſſus eſt, unam verò naturam clarè, & quæ ſunt talia prædicare, nihil ulteriùs contra expoſitorum rurſus ab eo Capitulorum veſaniam recertantes. Nihil igitur ob hoc curans vel de eis, quæ ab eo pro acquirenda gratias ejus impudenter & impiè acta ſunt, mittens ad Regiam Civitatem, eoſque ad ſolatium conſuetè aggregans, quorum patrocinio & à principio fretus inierat bellum contra Neſtorium, aſſumit etiam nunc ſui Propoſiti participes. Hi igitur ſcientes quæ ab Orientalibus paulò ante fuerant acta, & quia omnia priùs ſibi propoſita ignominiosè opere compleverunt, alteram continuò contra eos, Cyrilli conſilio, ædificavit factionem, longè deteriorem prioribus. Etenim Maximum quemdam, Monachi habitu circumpoſitum, & ferventer Apollinarii errore languentem, cum litteris Imperialibus, & Præceptis Præſectoriis, & virtute maximè plurima, ad Orientem dirigunt, ut quaſi per Joannis concordiam ejus jam ſtudium monſtrantes, hæreſis quidem languorem diſſeminent per Orientis Eccleſias, præparent verò anathematizari qui Orthodoxiæ egregio-

rum Prædicatorum luminaria fuere clariſſima, & Apollinarii deliramenta, & præcipuè novæ hujus venena hæreſios detexerunt. Sed hi quidem, qui propter iſta directi ſunt, valde Orientem perturbaverunt: Et ſi propter ſanitatem Populorum nihil amplius perficere valuerint, ſalutem ſaltem ſuam fuga lucrati ſunt. Joannes autem colligens Orientis Epiſcopos, ſubjectis Synodicis litteris eſt uſus.

## SCHOLION.

HÆe Epiſtola videtur ſcripta poſt emiſſam ac publicatam Legem, laudatam in præcedenti Epiſtola. Et poſt factam ejus executionem. Eſt enim ſcripta poſt admiſſam ab omnibus Orientalibus Epiſcopis damnationem Neſtorii, & anathematizata ejus Dogmata. Docet Conſilium, quod de addendis ad præceptam à Theodoſii Lege profeſſionem, & exprimendis quibuſdam Capitalibus Neſtorii Articulis Sanctus Cyrillus Ariſtolao dederat, non obtinuiſſe, ſed manſiſſe ſine effectu. Utique ob multorum Epiſcoporum contradictionem, proclamantium ſe cogi non poſſe ultra Legis terminos. Hinc illi etiam poſt iſtam profeſſionem perrexerunt pacem fovere ac venerari, & ſimul prævaricari: Venerari verbo & lingua, prævaricari veritate & opere. Projicere Neſtorium, & retinere ejus Dogmata. Et dicere de illo: *Ob hoc ejectus eſt ſolùm, quod Dei Genitricem minimè fateretur, & aliud nihil.* Hinc illi vocem iſtam profeſſi ſunt, à re in ſuis cordibus alieni. Immò etiam quædam manifeſtè Neſtoriana loquebantur: Et redarguti reponebant: *Non præſumpſi*. Hoc eſt nihil impegi in Principis Legem. Quæ omnia Sancto Cyrillo graviſſimè, & meritò diſplicuerunt. Hinc ad Joannem Patriarcham ſcripſit duo. Primò, quod facta Profeſſio pro inſuſpectis Epiſcopis ſufficiat, nequaquam pro ſuſpectis. Secundò, quod hi omninò cogendi ſint ad novam Profeſſionem, armatam Additamentis, expreſſis in Epiſtola ad Beronicianum Epiſcopum, uſque ad verba: *Inaccuſabilem fidem*. Ex qua diſcimus, quod in iſta Epiſtola Sanctus Cyrillus poſuerit totam Profeſſionis formulam, quam à ſuſpectis Epiſcopis & Clericis volebat exigi & fieri. Dolendum eſt, quod iſta epiſtola lateat, aut perierit.

Hoc ipſo tempore Sanctus Cyrillus ad Venerabilem Maximum, Antiochenæ Eccleſiæ Diaconum & Archimandritam ſcripſit hanc Epiſtolam: *Cognovi ex dilecto Monacho Paulo Pietatem tuam uſque ad hanc diem recuſare Communionem Religioſiſſimi Epiſcopi Joannis, eò quod aliqui ſint in Eccleſia Antiochena, qui vel adhuc cum Neſtorio ſentiunt, vel ſenſerunt quidem, nunc autem fortaſſe ab eo abierint.* Maximus retulerat duos eſſe exceſſus non dumtaxat in Diœceſi, ſed in ipſa etiam Antiochena Eccleſia. Primò, quod quidam, qui antea cum Neſtorio palam ſenſerant, jam id negarent, & ex iſta ſimplici negatione citra ullam caſtigationem, à Joanne Patriarcha admitterentur ad integræ communionis gratiam. Secundò, quod alii Neſtorium quidem abnegarint, at Neſtoriana palam ſenſerint, & tamen à Joanne admitterentur. Sunt iſti ipſi, de quibus agit præſens Epiſtola. Et propter iſtam conniventiam Maximus, haud dubiè cum ſuo Monaſterio, ſeparabat ſe à Joannis communione, atque ita parabat exordia novi Schiſmatis. Hinc illi Sanctus Cyrillus reſcripſit, ut ſtatim rediret ad communionem ſui Patriarchæ, & diſpenſatoriè diſſimularet reliqua. Et addit cauſam: *Res eget magna moderatione*. An Joannes ſuſpectos Epiſcopos & Clericos ad novam cum laudatis Additamentis Profeſſionem coegerit, ignoro. Videtur non coegiſſe. Immò nec ab omnibus exegiſſe Profeſſionem, qua Neſtorii damnationem admitterent, & ipſum pro degradato haberent. Liquet ex Theodoreto, qui ipſam non admiſit, niſi tandem apud Sanctum Leonem Pontificem, & Chalcedonenſe Concilium. Et habuit Collegas. Interim ex his motibus tandem erupit aliud malum, quo aliqui vulgarunt & ubique diſſeminarunt Scripta Mopſueſtienſis Theodori. Et tandem poſt utriuſque partis ultrò citroque multas accuſationes, emerſit Eutychiana Hæreſis.

## CAPUT CXCVI. --285

*Epiſtola ſcripta Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo ab Orientali Concilio pro Theodoro & Diodoro, quondam Epiſcopis.*

SI quidem ſobriè agere velint, qui turbis & juvenilibus levitatibus contra commune corpus Eccleſiæ nunc neſcio undè poteſtate ſumpta utuntur, & ſuas quidem Patrias relinquentes, venientes verò ad Imperii urbem, & calumnia adverſùm proprios Epiſcopos eorum, qui illic ſunt, ſordidantes auditus, non utique nunc neceſſarium fuerat.

His dictis, duas ponit Epiſtolas Joannis Antiocheni Pontificis, & totius ſub eo Concilii Orientis, pro piæ memoriæ Diodoro & Theodoro Epiſcopis, & mediam ſolius Joannis, dicens:

SCHO-

Digitized by Google

## SCHOLION.

ORientis Concilii Epiſtola, cujus hoc eſt fragmentum, ſcripta eſt, dum novum de Theodori Mopſueſt.enſis ac Diodori Tharſenſis Epiſcopi anathemate Schiſma illic graſſaretur, & quidam ad Dioſcorum, Patriareham Alexandrinum, ac Archimandritam Eutycheten delapſi Monachi accuſarunt ſuos Epiſcopos de Neſtorio, ideòque diſcurſarunt per omne Orientale Imperium, nunc Alexandriam, nunc Conſtantinopolim, ſecum deportantes integra plauſtra accuſationum. Proinde ſcripta eſt poſt quadrageſimum quartum iſtius Sæculi annum, quo Sanctus Cyrillus obiit. Antea ſcribi non potuit. Sanctus etiam Cyrillus, licet Theodoti ac Diodori anathema tandem admiſerit, nequaquam tamen admiſit iſtas calumnias in Orientales Epiſcopos. Dioſcorus eis ſuas aures præbuit. Proinde non Joannes, ſed Domnus Patriarcha ſcripſit iſtam Epiſtolam. Et quia omnis calumnia fundabatur in Theodoti ac Diodori Patrocinio, Epiſtolæ annexuit duas ſui Anteceſſoris pro illis Epiſtolas, forſitan etiam ſcriptas ad Sanctum Proclum, quarum fragmenta habemus apud Facundum Hermianenſem. Idem Facundus nobis cuſtodivit fragmentum Epiſtolæ, quam Domnus eadem de re ſcripſit ad Imperatorem Theodoſium: Continet eaſdem querimonias, ideoque ſuadet etiam præſens fragmentum eſſe ex alia Epiſtola ejuſdem Domni. Domnus Conſtantinopolim hac de re ſcripſit duas Epiſtolas: Aliam ad Principem, aliam ad Proclum. Et quia in priori revelata facie accuſavit Eutycherem, ejus iram non modicè incurrit. Attamen vivente Proclo calumniæ non obtinuerunt. Hic enim nec ſuas dedit, nec Principis, apud quem poterat omnia, aures eis permiſit. Succeſſor Sanctus Flavianus ex rationibus non fuit iſtius potentiæ, ideoque tunc calumniæ, ac per ipſas Eutychiana blaſphemia, incœperunt vigere.

---

## CAPUT CXCVII. ---286

*Epiſtola Joannis ad Proclum, per quam gloriatur, quod totum perverterit Orientem. Et Perſonam verò in ipſis litteris accuſavit.*

ET priùs & nunc ſuſcipientes Piiſſimi & Amatoris Chriſti Principis de pace Eccleſiaſtica Sanctionem per conſpicuum, fideliſſimumque Tribunum & Notarium Ariſtolaum, agnovimus & nunc & priùs, quæ ſit Secta Neſtorii, quam contra rectam Patrum fidem noviter advenit: Et ipſum quidem ab eis dejectum. Quæ autem malè ſapuit vel dixit ſeu in Conſcriptis, ſive in Expoſitionibus, hæc omnea abjecimus & anathematizavimus, & qui eum excipiunt, & qui ea eadem, quæ ille, alienè à pia confeſſione ſapiunt. Quod fecerunt omnes Religioſiſſimi Orientis Epiſcopi, ſicut & hi, qui ubique ſunt id eſt, tam nos, quam cuncti, qui undique in Epheſum convenerunt Deo Amiciſſimi Epiſcopi, quibus aſſenſimus Neſtorium deponentes dejectum.

Et complacemus atque ſentimus, ut nihil neque adjiciatur, neque dematur de expoſitione in Nicæa à ſanctis Patribus facta, ſed ut permaneatur in ea. Et ut *omnibus præfulgeat* venerabilis hæc ipſa de fide confeſſio Sanctorum Patrum, qui in Nicæa congregati ſunt, quam roboravimus etiam nos, & confirmantes per Dei gratiam permanebimus, in qua & nati, & nutriti, & baptizati ſumus, eò quod ipſa trahat firmitatem credulitatemque in ſemetipſa, exiſtentem in Scripturis Divinitus inſpiratis, & his quæ Prophetæ, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli prædicarunt: Nec non & omnes Glorioſi Patres, qui poſt eos uſque ad Nicænum Concilium omni ſpirituali Chariſmate micuerunt, & qui poſt ipſos quoque uſque ad nos ipſos fuerunt.

Adjicere verò aliquid ei, aut auferre ab ea, vel divertere, impium periculoſumque judicamus. Non eſt enim tutum auferre terminos, quos poſuerunt Patres noſtri. Anathematizamus igitur eos, qui alienè ab ipſa exponunt coram Eccleſia, vel qui malè interpretantur hanc ipſam, vel qui eam ſtudioſè corrumpunt. Et qui circa eam non fortè ex ignorantia tale aliquid patiuntur, quale hæretici pertulerunt. Id eſt, Arius, & Sabellius, & Photinus: Et ante eos Valentinus, & Marcion, & Manichæus, & Paulus Samoſatenus, ſeu Simon, & quicumque his ſimilis Sectæ ſunt. Uti verò & volumus & commendamus univerſis, illis verbis, & illo ſenſu qui in præfato Symbolo continetur: Nec ullatenus abſcedere præter eum. Qui verò id corrumpit, hunc eſſe ab omni Chriſtiana confeſſione & communione *alienum*. Intelligimus verò eam, traditamque recipimus circa intellectum & verbum, & ſermonem, ſicut hi, qui ante nos fuerunt, Deo Amiciſſimi Epiſcopi: In Occidente quidem Damaſus, Innocentius, Ambroſius, & alii Patres; In Hellade verò & Illyrico Methodius, & alii Patres, qui pietate claruerunt; & in Africa Cyprianus; in Alexandria Alexander, Athanaſius, Theophilus; in Conſtantinopoli Nectarius, Joannes, Atticus; in Ponto qui circa Baſilium atque Gregorium; in Aſia Amphilochius, Optimus; in Oriente Euſtatius, Meletius, Flavianus. Et omnes, quicumque ſimiliter talibus pietate micuerunt.

Habet verò expoſitio fidei ſic: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei genitum ex Patre, Unigenitum, id eſt, de ſubſtantia Patris, Deum ex Deo,*

*Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, incarnatus, & inhumanatus eſt, Paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, adſcendit in cœlos, ſedit ad dexteram Patris, venturus eſt judicare, vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.*

*Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, & quia ex non Entibus factus eſt, aut ex altera ſubſiſtentia, dicentes eſſe vertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.*

Hæc ad eorum ſatisfactionem, qui ſatisfactione indigent, per tuam direximus Sanctitatem. Nos enim omnia, quæcumque oportuit fieri ante quatuor annos, mox ut venit ab Ægypto ter Beatus Paulus, & fecimus, & egimus, & diximus. Sed neſcio undè nobis & Eccleſiis ab olim procuratus eſt malus iſte circuitus, qui revolvitur mordens, non ſolùm, quantùm videtur, nos, ſed & eos, qui ubique ſunt, niſi nunc Deus per veſtram Deo Amabilitatem reſtinguat incendium.

Adn. Nor. A. C. 437. Scripta eſt hæc Epiſtola.

Hi qui ex Paralia ſunt Deo Amiciſſimi Epiſcopi, his conſona componentes & ſubſcribentes direxerunt. Illi qui ex ſecunda Phœnicia venientes propter Ordinationem Religioſiſſimi Epiſcopi Theodori, qui tua dignus eſt Sanctitate, quemque te arbitror noſſe, illum dico, qui eſt, à ſecunda Cathedra, id eſt, Conſeſſu, ipſi quoque ſubſcripſerunt. Cilices utrique ab anno præterito bis convenientia & conſona per conſpicuum Tribunum Ariſtolaum compleverunt. Arabes per Metropolitanum ſuum, qui hic adfuit, Religioſiſſimum Epiſcopum Antiochum, his acquieverunt. Meſopotamia, & Oſrhoena, & Euphrateſia, & Syria ſecunda, omnia quæ fecimus, unanimiter vindicarunt. Ab Iſauris quæ facta ſunt olim, veſtra Deo Amabilitas longè antè ſuſcepit. Primæ Syriæ hæc ipſa nobiſcum per ſemet & ſapiunt & ſubſcripſerunt univerſi. Qualiter autem Deo Amiciſſimus, qui apud nos eſt, Clerus & audierit hæc, & tuam Religioſitatem laudaverit propter has tuas beatas curas, adjacet tuæ Sanctitati à clariſſimo & Fideliſſimo Tribuno & Notario Ariſtolao diſcere, quem ſicut Filium proprium adſpeximus, & per eum nota fecimus univerſa.

Ceſſent igitur, quæſo, hæc de cætero uſque in finem per te, & ſapientiam tuam, & ſudores, & labores ſingulorum dierum, qui ſemper Eccleſiis profunt, pro quibus conſtituat te nobis Deus Eccleſiæ Propugnatorem in longa & pacifica tempora, ut paulùm ex his improviſis malis reſpirantes, quæ propter maledictum Neſtorium Mundus expertus eſt, adversùm Gentiles Phœniciæ poſſimus obſiſtere, & Palæſtinæ, & Arabiæ, & adversùm cuncta Judaica, & maximè quæ ſunt Laodiceæ. Subitò enim impii Judæi Archi-Diaconum, mirabilem virum, in Theatrum deducentes punivernnt. Inſuper & contra eos, qui in Cilicia effrœnatè reſiſtunt. Sunt namque adhuc rebellantium ex conſpiratione Neſtorii contra venератorem veſtrum Domnum Chonetum, quem juvare dignare. Præſtet verò Deus miſericordiam & adjutorium ſuum Magnificentiſſimo & Glorioſiſſimo Præpoſito Domino Felici, qui clara corona indutus eſt, eò quod tali operatione magnam hyemem tempeſtatemque ſedaverat.

## SCHOLION.

IRenæus fuit ex pertinacibus Diodori ac Theodori Defenſoribus. Etenim Theodoretum graviter increpat, quod in neſcio quo ſcripto, cujus Aſſertiones variorum Patrum teſtimoniis roborarat, omiſiſſet iſtorum duorum teſtimonia. Rei ſeriem ſupra audivimus. Hinc igitur idem Irenæus in ſuperiori Scholio affirmat à Cyrilli Sectatoribus erectam fuiſſe novam Factionem, & adjungit de venerabili Diacono ac Archimandrita Maximo: *Etenim Maximum quendam Monachi habitu circumpoſitum, & ferventer Apollinaris errore languentem, cum Litteris Imperialibus, & Præceptis Præfectoriis, & virtute maximè plurima, ad Orientem dirigunt, quaſi per Joannis concordiam ejus jam ſtudium monſtrantes, Hæreſis quidem languorem diſſeminent per Orientis Eccleſias, præparent verò anathematizari, qui Orthodoxiæ egregiorum Prædicatorum Luminaria fuere clariſſima, & Apollinaris deliramenta, & præcipuè novæ hujus venena Hæreſios detexerunt.* Per magna iſta Luminaria intelligit Diodorum ac Theodorum. Nova Hæreſis ſunt apud ipſum Sancti Cyrilli Capitula.

Et quidem quod Venerabilis Maximus fuerit non ſolummodò adversùs Neſtorium, ſed etiam adversùs Theodorum, ac Diodorum zeloſiſſimus, varia in iſtos fines itinera confecerit, eſt demonſtratum in ſuperioribus. Nam & Sanctus Cyrillus de ipſo ſcribit in litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: *Religioſiſſimus ac Reverendiſſimus Diaconus & Archimandrita Maximus ad me pervenit, & talem virum aſpexi, ſicut oportebat in longo tempore deſiderantem videre.* Exponit ejus zelum, & zeloſiſſima contra Neſtorium, Theodorum, ac Diodorum ſtudia, & proſequitur: *Cum autem me adhortatus eſſet memoratus Religioſiſſimus Diaconus & Archi-Mandrita Maximus, ut interpretarer Fidei Symbolum, à Sanctis Patribus Nicææ congregatis expoſitum, ad hoc me contuli. Affirmat enim verſutè quoſdam ſimulare hoc & dicere, & ipſum ſequi, non tamen adhuc cogitationes rectas habere, immò potiùs ea, quæ ſunt rectè & conſtanter dicta, ad id quod ſibi videtur, detorquere.* Ad ejus ergo preces atque hortationes Sanctus Cyrillus expoſuit Symbolum, Expoſitionem dedicavit Archi-Mandritis Antiochenæ Eccleſiæ, & cum debitis admonitionibus tranſmiſit Joanni Patriarchæ. Porrò Expoſitio non ſolum Neſtorium, ſed etiam Theodorum damnat: Et laudat Sancti Procli Litteras non dumtaxat ad Armenios, ſed etiam ſcriptas ad Orientales. Utique de cauſa Theodori.

Digitized by Google

dori. Quapropter compoſita eſt, poſtquam Sanctus Cyrillus damnarat non ſola Theodori Capitula, ſed etiam Perſonam. Quod videtur non eſſe factum ante trigeſimum ſeptimum iſtius Sæculi annum.

Per præſentem igitur Epiſtolam Patriarcha Joannes reſpondet præfatis querimoniis. Et non Sancto Cyrillo, ſed Sancto Proclo reſpondet: Quia nempè etiam hic ipſi fecerat ſimiles querimonias. Reſpondet varia. Primò, compendiosè exponit initæ pacis ſeriem, exordiens à prima Legatione Ariſtolai. Secundò, quod impias, quas antea non adverterat, Neſtorii blaſphemias, jam perſpectas habeat: Et quas Scripto, & quas Verbo docuit. Tertio, quod ejus & dogmata & Perſonam jam ſolemniter anathematizarit. Quartò, quod anathematizarit non ſolum ipſum, ſed & omnes, qui ſimilia docent & ſapiunt. Quintò, quod ejus Epheſinam damnationem ſolemniter admiſerit. Sextò, quod ipſe ſolus hæc omnia non fecerit, ſed etiam omnes cum ipſo Orientales ſui Patriarchatus Epiſcopi. Quod tamen accipiendum cum temperamento. Etenim Theodoretus non fecit. Nec alii quidem Epiſcopi, quos poſtmodò ad illa compulit octavâ Actio Chalcedonenſis Concilii.

Exinde Joannes adducit varia Nicæni Symboli Encomia, quæ Sancto Proclo perſuadeant in ſua Diœceſi vigere plenam ejus authoritatem ac reverentiam. Primò, quod ſit Regularum omnium Regula, quæ omnibus Synodalibus ac aliis Eccleſiaſticis Actis debeat præfulgere, ac ſemper præfulgeat. Secundò, quod hanc præfulgentiam omnis ſua Diœceſis illi ſemper detulerit. Tertiò, quod omnes in ipſo baptizati ſint, vivant, & baptizent. Quartò, quod ſit piiſſima fides, quam tradiderunt Prophetæ, Evangelia, Apoſtoli, ac omnes Eccleſiæ Patres uſque ad iſtam Synodum. Quintò, quod ipſi nihil poſſit addi vel demi, eſt enim Regula circum-ſcriptiva ac deſtructiva omnium Hæreſium. Sextò, quod omnis ſua Diœceſis anathematizet omnes Hæreticos, quibus iſtud Symbolum dixit Anathema: Nempè Arium, Sabellum, Photinum, Simonem Magum, Marcionem, Valentinum, Manichæum, Paulum Samoſatenſem, & omnes ejuſmodi. Quo ſenſu dicat Photinum damnari ab iſto Symbolo, ſupra expoſui. Ex quo vides iſtam Phraſim tunc viguiſſe per omnem Eccleſiam. Septimò dicit, quod omnis ſua Diœceſis damnet omnem pravum intellectum ac Intellectores iſtius Symboli. Octavò, quod ipſum intelligat ac tradat juxta unanimem ſenſum SS. Patrum: Et Græcorum & Latinorum.

Et his omnibus Joannes non contentus, adjecit Nicænum Symbolum, & totum inſeruit ſuis litteris. Et quidem contrà Canonem & morem iſtius temporis. Iſto enim tempore Nicænum Symbolum adhuc erat ex illis, de quibus Sanctus Joannes Chryſoſtomus toties dixit ad Populum: *Norunt Initiati*. Et hinc quæſtio eſt, quæ ratio Joannem ad iſtam inſertionem permoverit. Reſpondeo, quod ſupra ab Euſebio Doryleenſi ac Joanne Caſſiano laudari audierimus Antiochenum Symbolum; Hoc eſt, ſingulare Symbolum, quo Antiochena Eccleſia utebatur in Sacris Miniſteriis. Forſitan aliqui, rerum non plenè periti, poſſint fuiſſe ſuſpicati, quod ipſe uteretur alio Symbolo, & Nicænum negligeret. Hanc igitur famam averſurus Joannes adduxit Symbolum, atque ita oſtendit Antiochenum ab ipſo non eſſe diverſum: Ipſum includi in Antiocheno. Nempè Antiochenum erat ipſum Nicænum, ſed cum quibuſdam Additamentis. Hinc Joannes adjungit: *Hæc ad eorum ſatisfactionem, qui ſatisfactione indigent, per tuam direximus Sanctitatem.*

Hæc verba, *Nos enim omnia, quæcumque oportuit fieri, ante quatuor annos, mox ut venit ab Ægypto ter Beatus Paulus, & fecimus, & egimus, & diximus*, demonſtrant tempus præſentis Epiſtolæ. Etenim Paulus Emeſenus ex Ægypto in Syriam rediit ſub exordium anni trigeſimi tertii, ideoque hæc Epiſtola fuit ſcripta anno trigeſimo ſeptimo. Joannes hic affirmat & alia. Primò, quod Ariſtolaus Tribunus cum ſuperius laudata Principia Sacra iverit per omnes & ſingulas ſui Patriarchatus Provincias, & quod omnes earum Epiſcopi exactam deſuper Profeſſionem fecerint. Secundò, quod iſta Profeſſio fuerit à multis facta ante quatuor annos, ſtatim ad Pauli Emeſeni regreſſum, ideoque quod ejus iſta ſit innovatio, illis non fuerit neceſſaria. Tertiò, quod hæc neceſſitas invecta ſit per neſcio quem malum gyrum, qui non dumtaxat Orientalem Diœceſim, ſed omnem mordeat ac incendat Eccleſiam: Niſi tamen Proclus exſtinguat hoc incendium. Reſpicit jactatum in Theodorum anathema, ipſum exaggerat, & expoſtulat Procli auxilium. Hæc tamen non ſcripſit ex plena fide. Etenim iſtius innovandæ Profeſſionis neceſſitas nequaquam ex illo anathemate, ſed partim ex plurium Orientalium Epiſcoporum adversùs pacem rebellione, partim ex aliorum circa pacis articulos contemptu, duxit originem.

Porro Joannes hic enumerat omnes ſuæ Diœceſios Provincias, & ſunt hæ: Duæ Syriæ, Duæ Phæniciæ, Duæ Ciliciæ, Iſauria, Euphrateſia, Arabia, Oſrhoena, Meſopotamia, ac Paralia. Hoc eſt Cyprus. Etenim Paralia eſt idem quod Maritima. Paralos Salaminia erat famoſiſſima triremis ſpecies, ideoque ab illa omnis Inſula accepit nomen *Paralia*. Iſtas igitur omnes Provincias Joannes Patriarcha ad novam iſtam Profeſſionem compulit. Et addit tria notanda. Primum eſt, quod Neſtorium palam appellet Maledictum, & affirmet, quod propter ipſum Mundus multa mala incurrerit. Ex quo lucet ipſum fuiſſe plenè illuminatum & converſum. Nam & ſupra audivimus, quod ipſe Legem, qua Neſtorius in Oaſin deportatus fuit, impetraverit. Secundum eſt, quod Sanctus Proclus fuerit fidus hujus Profeſſionis Author: Et de tanto in omnem Eccleſiam munere Joannes agit illi gratias. Tertium eſt, quod Neſtoriana lues

ae turbulentia tunc plenè necdum ceſſarent in Cilicia. Haud dubiè in Secunda. Propter Mopſueſtienſes, plene corruptos ac accenſos à Meletio. Quas turbas excitarint, quis fuerit Domnua Choneua, & quas afflictinnes ab illis ſuſtinuerit, ignoro. Qualemcumque horum memoriam debemus Caſſinenſi Codici.

Porrò laudatus hic Theodorus eſt Damaſci Epiſcopus, ſecundæ Phœniciæ Metropolita. Succeſſor Joannis, qui cum Joanne Patriarcha fuerat apud Epheſum. Hic Theodorus adfuit Chalcedonenſi Concilio, ac Antiochenæ item Synodo, quam Patriarcha Domnus egit in cauſa Athanaſii Parrhenſia Epiſcopi apud Euphrateſios. Cur Damaſci Epiſcopus dicatur à Secunda Cathedra, ſeu Conſeſſu, exponit in ſuo ad Octavam Synodum, & per Baanem Patricium legi juſſo, Epanagnoſtico Imperator Baſilius, Thomam Tyri Metropolitam appellans Proto-Thronum Antiochiæ. Ad candem Synodum Elias, Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani Vicarius ac Legatus dixit: *Sanctiſſimus Thomas Metropolita Tyri, ſicut & vobis notum eſt, Primæ Sedis exiſtens Sedis Antiochiæ, quæ Patriarcha privata, ipſe locum tenet Sedis illius, uſque dum fiat Patriarcha in eadem Sede. Ob hoc non oportuit eum deferre litteras miſſas ab alio aliquo, cum ipſe authoritatem & poteſtatem haberet in eadem Sede.* Thomas non habebat ſuæ Legationis ac vicis teſtimoniales litteras, ideoque octava Synodus detrectabat illum admittere: Hæc Eliæ interceſſio fecit admitti. Eadem Synodus dat ipſi hunc titulum: *Thomas Metropolita Tyri, primus Seſſor, & Primas Sedis Theopoleos Antiochiæ.* Anaſtaſius Bibliothecarius dat hoc marginale Scholion: *Primum Seſſorem, ideſt, Proto Thronum dicit eorum Epiſcoporum, qui ad Antiochenam pertinent Eccleſiam.* Quod ipſum repetit in Eccleſiaſtica hiſtoria etiam Martyr Theophanes. Etiam Joſeph, Michaelis Alexandrini Patriarchæ Archidiaconus ac Legatus, dixit ad eamdem Synodum: *Thomas Sanctiſſimus Præſul Tyri, Primæ Metropoleos Antiochenſium Throni, qui etiam res Eccleſiaſticas ejus diſponit, eſſe quod non ſit ibidem Patriarcha.* Hinc igitur Joannes Patriarcha in hiſce litteris Theodorum Damaſci Epiſcopum, ſecundæ Phœniciæ Metropolitam, dicit eſſe illum, qui eſt *à Secunda Cathedra ſeu Conſeſſu.*

Certè Caſſinenſi Codici debemus magnas gratias: Etenim huc uſque ignoravimus, quod iſta primæ Phœniciæ dignitas eſſet adeo antiqua. Etiam ignoravimus, quod hæc dignitas eſſet ſecundæ Phœniciæ. Ego ſane opinatus huc uſque fui iſta eſſe commenta recentiorum Græcorum. Quæ ſit prima eorum origo, neſcio dicere. Eſſe poſſit Juvenalis Hieroſolymitani Epiſcopi conatus ad invadendas ambas Phœnicias. Ad eas ſibi firmiter alligandas Joannes Patriarcha, aut ejus Anteceſſor Theodorus poſſit eis dediſſe iſta privilegia. Eſt conjectura. Notanda ſunt præſentis Epiſtolæ verba: Qui ex ſecunda Phœnicia venientes, &c. demonſtrant dignitatem Antiocheni Patriarchæ. Oſtendunt quod hic, Metropolitas conſecraturos, eorum civitates non acceſſerit, ſed quod earum Electum, unà cum Clero ac Populo, ad ſuas manus evocaverit. Quam dignitatem oti antiquam, nempe natam ex Apoſtolico Canone, etiam laudat Sanctus Innocentius primus Pontifex in litteris ad Sanctum Patriarcham Alexandrum. 59. 1.

Ex præfata Antiochenarum Provinciarum enumeratione diſcimus & quædam alia. Primò, quod tres Palæſtinæ tunc eſſent penitùs divulſæ ab iſto Patriarchatu, & quod pro Patriarcha venerarentur Hieroſolymæ Epiſcopum. Etenim Joannes Patriarcha nullam de ipſis facit memoriam. Attamen Juvenalis poſſeſſio non fuit firma. Eam enim adeò tunc oderat Venerabilis Gennadius, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Preſbyter & Archimandrita, ut ſuo Epiſcopo Sancto Proclo, ipſam admittenti, communicare noluerit, longè minùs ipſi Juvenali. Quod etiam Sanctus Cyrillus ipſam non probarit, docet auxilium & conſilium, quod ab ipſo imploravit Gennadius. Attamen Cyrillus, utpote pacis amantiſſimus, ei ſuaſit, ut diſpenſatoriè communicaret, & propter hanc quæſtionem non laceraret Eccleſiam, expectans meliorem anſam judicandæ Juſtitiæ. At iſtud tempus nunquam advenit. Etenim Chalcedonenſis Synodus firmavit Juvenalis invaſionem & ambitum. Secundò diſcimus, quod Arabia ac duæ Phœniciæ tunc evaſerant Juvenalis manus, & firmè manſerint apud Antiochenam Eccleſiam. Attamen nec Juvenalis iſtic quievit. Nam & hanc Quæſtionem deduxit ad Chalcedonenſem Synodum. At cauſa cecidit.

Quæſtio eſt, quis ſit ille Magnificentiſſimus ac glorioſiſſimus Præpoſitus Dominus Felix, cujus hic laudantur opera? Et quæ opera laudantur? Reſpondeo vigeſimo octavo iſtius Sæculi anno Felicem unà cum Tauro fuiſſe Conſulem: Et hìc videtur laudari Præpoſitus Sacri Cubiculi. An ſit idem, non poſſim aſſerere. Attamen Felix ille omnino poſſit ad iſtam Præpoſituram profeciſſe. Quod ſi verum ſit, Chryſoneti immediatè ſucceſſit non Chryſaphius, ſed hic Felix. Quodnam ejus opus hic laudetur etiam non liquet. Videtur laudari protectio Domni Chonei, cujus rei ſeries etiam nos latet. Interim notanda eſt Irenæi procacia, qui Joannem Patriarcham in ſuis litteris culpat de quatuor. Primò, quod omnes ſuæ Diœceſis Epiſcopos ad novam profeſſionem coegerit. Secundò, quod hac via omnem Orientem ſeduxerit. Tertiò, quod de hoc facinore glorietur, & ſe commendet apud Proclum. Quartò, quod Neſtorium dicat maledictum. Etiam iſta Gentilium ac Judæorum audacia nos huc uſque latuit.

CA-

## CAPUT CXCVIII. –287

Poſtquam longo multiloquio præcipuè Joannem Sanctæ memoriæ, & ejus Co-Epiſcopos maledixit, hic ipſe Irenæus,

*Epiſtola*, inquit, *Cyrilli ad Imperatorem, accuſantis contra eos, qui circa Antiochenum Joannem, eò quod quaſi anathematizare*, inquit, *viſi Neſtorium, ea ipſa ſentiunt, quæ & ille, eò quod Theodori & Diodori Scripta mirentur*.

ÆTernam vitam providere à terra eſt inculpabile *iter* ad Deum, Patremqne, qui in cœlis eſt, inquiens: *Hæc eſt autem ſola & æterna vita, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Sed neſcio quomodò quidam ſingunt quidem rectis circa hoc pedibus ambulare, dum claudicent, & veritatis viam deſerentes vertautur ad alteram, quæ ad exterminium, perditionemque perducit. Adhærent enim qunrundam Coolcriptioaibus interdictis. Et ut clarè dicam rei naturam, ſiqnidem ſcriptum eſt, *Et loquebar de teſtimoniis tuis coram Regibus, & non confundebar*, Theodorus quidam fuit, & antè hunc Diodorus Epiſcopus, hic quidem Tharſi, ille verò Mopſueſtiæ. Hi Patres fuerunt Neſtorii blaſphemiæ. In libris enim, quos compoſuerunt, agreſti inſania uſi ſunt contra omnium noſtrum Salvatorem Chriſtum, ignorantes ejus Myſterium. Voluit igitur impius Neſtorius ea, quæ illorum ſunt, ad medium deducere, & à Deo Sacra privains eſt Aola. Dum verò anathematizaſſent, quæ ejus ſunt, nonnulli Orientis Epiſcopi, altero modo hæc ipſa rurſus inducunt, dum ea, quæ ſunt Theodori, admirantur, & eum rectè ſapere dicunt, & conſonè Patribus noſtris, Athanaſio, dico, & Gregorio, atque Baſilio. Sed mentiuntor contra Sanctos Viros. Scripſerunt enim quantacumque Theodori & Neſtorii malis ſunt adverſa ſentientes. Quia igitur didici, quod de his & veſtris piis Aoribus ingerant quædam, rogo ut animas veſtras intactas omninò, impollutaſque ſervetis à Theodori & Diodori impietatibus.

Sicut enim ſupra jam dixi, Neſtorius ea, quæ ipſorum ſunt, eſt locutus, & ob hoc ut impius condemnatus eſt ab univerſali Synodo apud Epheſum congregata juxta Dei voluntatem. Quoniam verò ſimulant quidem ſe Symbolum confiteri, quod expoſitum eſt in magna & antiqua Synodo Nicæna, declinant verò ejus falſa interpretatione virtutem, rogaverunt Archi-Mandritæ Orientis Orthodoxi interpretari à me idem Symbolum, quod & interpretatum eſt. Et neceſſarium fuit, ut in veſtras pias & Chriſti amicas Aures perveniret hoc opus. Veſtræ ſiquidem Tranqoillitati ineſt inter alia bona & hoc, ut in ſermonibus de recta fide ſine ceſſatione delectari velitis.

Sanctam Epiſtolam pro ſuis Patribus ad hoc præcipuè protulit Irenæus, ut Neſtorium probaret non eſſe novitatis authorem, dum conſter, quod multæ hæreſes Patrum pro ſe ob hoc ipſum proferant lectiones, nec tamen ob hoc eorum Principes non ſint novitatis authores. Nam ut de aliis interim ſileam, Euſebius in opere Apologetico pro Origene & dogmatibus ejus, id eſt, pro Præexiſtentia & Reſtitutione compoſito, quod Martyris & ipſius Euſebii Cæſarcenſis nominibus prænotatur, multis valdè præcedentium Patrum teſtimoniis uſus eſt pro prædictis erroribus. Nec tamen idcircò ab Eccleſia Dei vel Origenes abſolvitur, quaſi non fuerit novitatis Inventor, ſed illi pariter addicuntur.

Similiter Ariani & Macedoniani abutuntur teſtimoniis Dionyſii Alexandrini Pontificis, & cum eis etiam Donatiſtæ Sancti Martyris Cypriani, & octoginta ſex Co-Epiſcoporum ejus, Concilio facto: Et de omnibus his idem, quod dixi, ſervat Eccleſia. Et Pelagius, Diabolici author erroris, etiam Beati Joannis Conſtantinopolitani Præſulis, & Mediolanenſis Ambroſii, & aliorum, ipſiuſque Auguſtini, laudabilis tantæ Expugnatoris hæreſios. Nec tamen ob hoc vel ipſi Neſtoriani dicere potuerunt, quod nullus prædictorum fuerit novitatis inventor. An fortè idcircò alios novitatis repertores aſſerunt nominari, quia de præcedentium Patrum nominibus, Scriptiſque mentiuntur? Sed contra hoc nobis teſtis eſt illa vetuſtas & conſonantia Codicum, cui qui non credit, nec contra Manichæos de novi teſtamenti librorum invenit quod adſtruat veritate. Si ergò verè Manetis blaſphemias execrantur, quomodò ei in maxima & ſumma ſuæ hæreſis confirmatione poterunt conſonare? Cur ergo ipſi novitatis inventores noſtros Patres accuſant, dum longè antiquiores ab Epheſino, ſed & alii ab ipſo quoque Nicæno Concilio Magiſtri Clariſſimi, verè ac propriè, id eſt, ſummi ac ſempiterni



Digitized by Google

Dei Genitricem Beatam Virginem, quæ ſubſtantialem Patri Filium peperit, dicant, & quæ ille ipſe in noſtram naturam ſuſcepit, ejus dici per unitionem in unam perſonam ſubſiſtentiamque definiant, quæ primus prorſus Neſtorius abjurando damnatus eſt? Et ne nunc quidem correctus eſt, ſicut ejus, quantùm ſuprà poſuimus, ipſo Irenæo dicente, ad Theodoretum Scripta teſtantur, quæ contra fidem pacificæ Alexandrini Pontificis ſcripſit Epiſtolæ. Hæc breviter diximus ad id ſolum, quia non ob hoc negandus fuit Neſtorius novitatis inventor, quia Theodorus & Diodorus à Cyrillo eadem ſapuiſſe dicti leguntur.

## SCHOLION.

HÆc Epiſtola eſt palam ſcripta, poſtquam non ſolus Theodorus, ſed etiam Diodorus cœpit anathematizari, & poſtquam Sanctus Cyrillus definivit non ſola eorum damnanda eſſe dogmata, ſed etiam Perſonas. Docet primò, quod quidam Orientales Epiſcopi, licet Neſtorium iteratò anathematizaſſent, pergerent defendere ejus dogmata: Sub nomine & authoritate Diodori & Theodori. Secundò, quod Diodorum ac Theodorum æquarent Sancto Athanaſio, Magno Baſilio, Nazianzeno ac Nyſſeno Gregorio, ac dicerent ab illis doceri paria ac eadem. Tertiò, quod eidem Epiſcopi aſſiduè proclamarent ad Nicænum Symbolum, at ipſum ne quiter intelligerent ac exponerent. Quartò, quod Venerabilis Maximus, Antiochenæ Eccleſiæ Diaconus & Archi-Mandrita, ad hos dolos eruendos rogarit à Sancto Cyrillo exponi Symbolum. Quod ipſum ſupra audivimus à Sancti Cyrilli litteris ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum. Quintò, quod non ſolus Maximus, ſed cum ipſo ac ipſum omnes Orientales Archi-Manditæ iſtam Expoſitionem rogaverint. Quod fuerit eorum ad Sanctum Cyrillum Legatus. Quod hucuſque ignoravimus.

Et ex hoc diſcimus quædam alia. Primò, quod Maximus iſtorum omnium Legatus fuerit, non dumtaxat ad expoſtulandam iſtam expoſitionem, ſed etiam ad agendum contra Diodorum ac Theodorum. Secundò, quod tantis precibus, tantaque auctoritate inflexus Cyrillus cœperit anathematizare eorum non ſolos articulos, ſed etiam Perſonas. Tertiò, quod Orientales Epiſcopi tunc ad Principem Legatos miſerint, acturos pro utroque iſto Hæretico. Quartò, quod ab eodem Maximo victus Sanctus Cyrillus Principem per præſentes litteras inſtruxerit, eidemque miſerit ſuam Expoſitionem Symboli. Epiſtola videtur poſtulaſſe Legem, damnatricem utriuſque perſonæ. At videtur non impetraſſe. Conjecturæ rationes adduxi ſuperiùs. Adjunctum Scholion rectè demonſtrat Irenæum vanè aliquid pro ſuo Neſtorio venari ex prioritate Diodori ac Theodori. Eodem modo hodiè Lutherani & Calviniſtæ ajunt ſe non eſſe Novatores, eo quod ſequantur Joannem Hos, Joannem Wicleff, Albigenſes, Berengarium, alioſque Auctores Sacramentariæ Blaſphemiæ. Vanè. Etenim ſequi oportet illud, quod noſtri Majores à ſuis, illi ab Apoſtolis, Apoſtoli acceperunt à Chriſto, Chriſtus autem accepit à Deo. Quidquid non eſt tale, eſt novum, ideoque & falſum.

## CAPUT CXCIX. —288

*Pars, inquit, Theodoti Ancyræ ad Sanctum Vitalem Monachum, qui erat in Cappadocia.*

ETſi enim Cilicum quidam vobis impietate communicant, quos ante Neſtorium decepit Theodorus, ſed non oportet tuam Religioſitatem poſt tantam virtutem, & tot tempora vitæ Monachicæ, ſubduci novitatibus dogmatum, quæ ſuperductæ ſunt pietati ex quæſtione juvenili, non ex noſtra priſtina fide. Diſpenſationis enim Chriſti miracula fides quidem fecit omnium lucrum, quæſtio autem hoc lucro quærentem privavit. Præfuit verò huic ineffabilium & omnem ſuperantium rationem Myſteriorum Unigeniti quæſtioni priùs quidem Theodorus, poſt illum verò Neſtorius, quem nunc ſequuti ſunt Thyanenſes.

## SCHOLION.

THeodotus Ancyræ Epiſcopus eſt magnus ille Doctor, qui unà cum Melitinenſi Acacio Epheſi diſputavit cum Neſtorio, ipſumque convictum redegit ad patentes Blaſphemias, & ad cujus teſtimonium Epheſina Synodus damnavit Hæreſiarcham. Per præſentem Epiſtolam docet primò, quod Theodorus non ſolum Mopſueſtiam corruperit, ſed omnem ſecundam Ciliciam. Secundò, quod Cilices virus traduxerint etiam in ſecundam Cappadociam: Utique per Metropolitam Eutherium. Tertiò, quod illic multos corruperint. Etiam hunc Vitalem, magnæ virtutis Monachum. Quartò, quod virus à Theodoro venerit in Neſtorium. Paulus Samoſatenſis, Antiochiæ Patriarcha, in Oriente poſuit primam ejus radicem. A Paolo in Lucianum, à Luciano in Diodorum, à Diodoro in Theodorum, à Theodoro venit in Neſtorium. Hunc igitur Vitalem Theodotus ſtodet ad ſanam

fidem

ſidem reducere. Per Juvenilem Quæſtionem intelligit novitatem vocum, & firmat jam dictam præſcriptionem: Quidquid in Chriſtiano Dogmate eſt juvenile aut novum, eſt falſum.

---

## CAPUT CC. —289

*Pars*, inquit, *Epiſtolæ Rablulæ Edeſſeni, ſcriptæ ad Ægyptum, ſignificans quod qui ab eis oppugnabatur, id eſt, Neſtorius eos qui circa Beatum Theodorum ſecutus, ſic uſus eſt coram Eccleſia doctrinis.*

EPiſcopus enim quidam Provinciæ Cilicum, vir veriſimilis dictu, & ſufficiens ad perſuadendum, altera quidem pro Tribunali præſerebat ad placendum Populo, altera verò per Dæmonis capturas ſerebat in Scriptis. Quin quorumdam ſuorum librorum principiis Anathematiſmum legenti circumponebat, ne aliis proderet Scripta. Iſte primus expoſuit non eſſe Dei Genitricem ſecundùm veritatem Sanctam Mariam, tamquam Deo Verbo non recipiente eam, quæ ſecundùm nos eſt, genituram. Hoc nunc uſque latent, ne tempore diuturniore roboratum firmius putaretur, ſecundùm diſpenſationem Dei oblitus Neſtorius, novæ inciſionis author, in publicum protulit.

Idem Irenæus & ad hoc his teſtibus utitur, ut quaſi talem faciat Syllogiſmum.

Ecce his tribus teſtibus eſt credendum, quod Neſtorius Theodorum in ſua prædicatione ſecutus ſit. Rurſus quod Theodorus ea ipſa docuerit, quæ omnes Clariſſimi Patres, teſtis eſt Synodus Orientis. Igitur, *inquit*, Neſtorius eadem prædicavit, quæ cuncti Clariſſimi Patres. In his ideo erravit, quia temperantiam non attendit Eccleſiæ Dei, qua uſa Synodus Orientis ad Imperatorem Theodoſium in Epiſtola pro Theodoro & Diodoro Epiſcopis, quam & ipſe Irenæus poſuit, inter alia inquit: *Si quis verò, Imperator Sancte, immanifeſtum de tali dicat inveniri in ejus, aliorumve Conſcriptis, nec hoc jam nunc eſt neceſſarium retractare. Quorum enim in Sacerdotio & Sacris operibus optimum finem vita ſuſcepit, his priſtinam gloriam dedicamus, & non eos eſſe judicamus ab eis, ex quibus eos audacter quidam reprehendere volunt.* Apertè Synodus Orientis Dicta Theodori ſub ſana exceptione ut laudavit, ita & Clariſſimis oſtendit conſonare Doctoribus, dicens: *Ex quibus quidem defunctos Magiſtros Eccleſiæ temperantia laudet, ex quibus judicare non debeat.* Id eſt, ex his, quæ communia omnium ſunt, non ex his, ſi qua non inveniuntur eſſe communia. Quoniam verò præfatus Irenæus dicit, quod Joannes & Co-Epiſcopi ejus eadem, quæ Neſtorius, ſentientes, ſub hypocriſi ejus dejectioni conſenſerint, quædam teſtimonia ex libro Eutherii, cohæretici ejus, contra unitivam Beati Cyrilli Epiſtolam, ubi & ejuſdem Neſtorii teſtimoniis utitur, hic tranſcribenda proſpexi, per quæ etiam nunc Catholicorum & hæreticorum differentia dignoſcatur, & maximè circa fidem, de qua nunc ſpecialiter ſermo eſt.



### SCHOLION.

EPiſtola hæc tota exſtat in Actis quinti Concilii. Hoc fragmentum eſt alterius ac melioris translationis, & adjunctum habet inſigne Scholion, ideoque duxi vulgandum. Docet Theodorum fuiſſe adeò vaſrum, ſibique adeò malè conſcium, ut non dumtaxat ſuos arcanos Diſcipulos, ſed quoſvis etiam Lectores ſub anathemate conſtringeret ad ſilentium. Hinc fieri potuit, ut plures per Orientem Epiſcopi ipſum aliquandiu crediderint innocentem. Epiſtola videtur ſcripta antè jactum in Theodorum anathema. Rabbulas videtur per ipſam petiiſſe conſilium, atque ita anathematizaſſe ex judicio Cyrilli. Adjunctum Scholion denuò oſtendit Irenæum vana ſectari, dum ex priore Diodori & Theodori Doctrina ſtudet abluere Neſtorium.

*Huic hujus operis Scholio immortuus eſt Frater CHRISTIANUS LUPUS, Anno Incarnati Verbi M.DC.LXXXI. Menſis Julii die decima. Cui ignoſce, ſi quod durius, humano more, inter ſcribendum exciderit verbum: Cenſurare ullum noluit: Docere omnes voluit: Diſcere à nullo erubuit.*

## CAPUT CCI. —290

*Epiſtola Eutherii, quondam Thyanenſis Epiſcopi, ad Alexandrum Hierapolitanum, contra pacem ſcripta Eccleſiæ Dei, quæ facta eſt inter Cyrillum & Joannem Epiſcopum.*

MOvet me ad ſcribendum cooſuetè à Deo-Paſſianis adversùs pietatem pugna conſcendens. Nnnc verò dno me iſta compellnnt intacitum movere ſermonem contra ens, qui impiis aſſenſerunt. Unum, quia Oriens benè degens in pace priùs, nunc ſicut & cæteræ Provinciæ perturbatur. Et quia is, qui hujus perturbationis eſt eauſa, ut admirabile aliquid, Delictum ſunm per Epiſtolam laudat. Scribit namque ad Cilicum Patres: *Si quis verò, quod abſit, ab hoc bono avertitur, hic manifeſtus eſt, quod ab olim, & à principio non ea quæ Domini ſunt, ſed quæ ſua quæſierit.* A quo inquirere bonum eſt: A te interim quæ Dnmini ſunt quæremus, quæ in Epheſo perdidiſti, non veniens tempore definito, atque nunc in Ægyptum dirigens contra fidem perpetraſti. Taceo interim quæ contra perſonam, quæ in invidia eſt, fueris machinatns, ſciens quod juriſdictio, quæ pro pietate movebatur, illius defenſioni proficeret. Sæpe enim potente perſona pietas ntitnr circa fidem pro ſuo contra impietatem ſtatn, quoties ſe viderit impugnari. Sicut quondam ſanctæ memoriæ Meletio Antiocheno Epiſcopo, & ante ipſum immortalis memoriæ Alexandrino Epiſcopo Athanaſio. Dic igitur nobis, quando tu ea quæ Domini ſunt quæſieris, præteritis temporibus, an præſentibus? Sed ne ſerutatores tuæ converſationis putes, contra Ægyptii impietates ſine pudore debellatus es. Ex tuo & ejns novello negotin, qualiter de præteritis dijudicatio nulla ſit, hoc nobis oſtende. Et utrum correctio cujuslibet putanda ſit, judicemus: Illins ne, qui deliquit atque correptus eſt, an tua qui dijudicaſti & corripuiſti? Dic quis alterum ſit lucratus? Quis ſit peccati abſque ſua confuſinne correptor? Quis imitatus Petrum, & ad pœnitentiam paratè ſuſceptus? Perſcrutemur, ſi placet, & eorum, quæ ad te ab Ægyptio ſcripta ſunt, virtutem.

Videamus ſi pacem, quam redditam proſperè Mundo anonntias, rixæ adjectione factam non reperimus in te. Et veni, ut attingentes ipſarum principium litterarom, Ægyptiacæ illius interim dejectionis ſpecimen videamus. Qualiter in ipſis Epiſtolæ procemiis Salvatoris quidem Chriſti præteriens faciat mentiooem, Imperialem verò mox dilatet landem. Et hoc oamque impiorum eſt proprium deſpicere qnidem patientiam Salvatoris, obſeqni verò eorum, qui io terra prævalent, Poteſtatibus. Sed mihi dooa, ut de vanis illius circa hæc ſermonibns taceam, ipſam virtntem earnndem inſpiciens litterarum. Quod verò eſt deterius, qui deludit irreprehenſibile Domini cooſilium, ſemetipſum cælitus Conſiliarium Divinæ gubernationis efficiens. Nam ſeoſum, quem volentes ejus adhibent blaſphemiis, nomine pacis appellat, & ipſam à Salvatore attributam quadam quaſi lege pronunciat. Adhuc autem conſpectinoe digna eſt & ipſa ioſioceritas adulationis ad Principes. Miratnr enim eorum pietatem à Parentibus traditam, & per hoc eos ſuadere volens hanc ejus ſuſcipere impietatem, quæ illis Beatis adverſa eſt. Unde coronas iterum plectit ei, qui occurrit ad ipſum, & auget ejus ſuperbiam contra fidem. Ipſe namque Epiſtolæ verborum crepitus interpretatnr illius animæ crudum tumorem. Quæ commemorari eſt bonum. Nam quo quidem modo Eccleſiæ ſint diviſæ, ſuperfluum dictu eſt. O protervia! Inſontem ſemetipſum cenſet, & ſola, qua contra alios dicat, interminatione ſeu comminatione contentus, probatinnem culpæ alterius putari vult, quod ad accuſandum pronè paratus ſit. Ubi ſuot nunc, qni tuba canunt hujus pœnitentiam? Ubi ſunt illuſionis hujus Impudentes Præcones? Quid loquimini contra illum, qui ab eo & apertè theatrezamioi? Videte qnam de vobis exhibet pompam: Et eos lætiſſimo riſu tradncit, qui pridem quidem bellati ſuot contra eum; nunc verò ejus facti ſunt fœderati. Quid enim dixit? *Quoniam verò ſuperflua omninò & inopportuna Eccleſiarum diſcordia facta eſt.* Nunc nobis eſt præcipuè ſatisfactum. O incongruitas! Superfluam dicit ſuæ diſcordiæ increpatinnem impiæ culturæ ſuæ diſcoopertionem. Sed & ſatisfactionem ſuperfluitatis hujns annunciat. Dic, ò Optime, hujus ſatisfactionis ſpeciem, de forma hypocritarum ſubſannationem triumphi in eos, qui tibi prodidere veritatem. Scribe tuorum ſuppplicum confeſſionem. Scribe occnltas Judæ nnnc cootra Divinitatem nundioas. Dic proditionis & modum.

*Domino meo*, inqnit, *Religioſiſſimo Epiſcopo Paulo chartam nobis offerente, irreprehenſibilem confeſſionem fidei continentem, & hanc à Sanctitate tua, & ab his, qui illic ſunt, Religioſiſſimis Epiſcopis compoſitam confirmante.* Intende, quæſo, confeſſionis conjunctioni. Ait enim: *Irreprehenſibilem confeſſionem fidei continentem.* Judex etiam nunc ſit fidei, qui damnatus eſt. Judicat Judices, qui addictus eſt. Et exigit teſtimonium quaſi veracior. Ait enim: *Et hanc à Sanctitate tua, & ab his, qui illic ſunt, Religioſiſſimis Epiſcopis compoſitam confirmante.* Quantam ſimulatiooem demonſtrat abſconditam? Confirmante, inquit, erroris eorum correctionem, Geſtorum contra me ab eis pœoitentiam, præcedentis errorum confeſſionis incoogruitatem, mei Magiſterii utilitatem, meorum Capitulorum cooſervationem. Etenim expetam, inquit, eos fidei hujus teſtimoninm, nt eorum contra expoſitiooem meam calumnia publicetur. Dico & *irreprehenſibilem eorum Confeſſionem*. ut adverſantes

mihi,

Google

mihi, accuſatos nuper, credidiſſe convincam. Sed quid me detinet impœnitens Ægyptii elatio, dum me abſtrahat jam fratricidii perpetratio. Video namque illos hæreditate ejus, qui iniquitatem ipſam paſſus eſt, adornari, & illius niteſcere floribus. Dicite enim mihi, cujus doctrinas & exponitis, quo priùs hæc eſtis prædicante confeſſi? Et ſi quidem talia plurimos latent, fingite ſolos veſtra vos diſcere; ſi verò clara ſunt omnibus, cur occiditis hæreditatem, quam diripitis? Veruntamen legamus, & horum demonſtrationem videamus.

*Confitemur*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore, ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundùm Deitatem, ultimis verò diebus eundem ipſum propter nos, & propter noſtram ſalutem, ex Maria Sancta Virgine ſecundùm humanitatem. Conſubſtantialem Patri eundem ſecundùm Divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem*. Hæc nunc ſcripſiſtis vos. Audite & ejus Dicta, qui expugnatur à vobis, quàm clarè eadem dixerit. Sequens enim Sanctos Patres, qui Nicææ convenerunt, & coram Eccleſia circa illorum expoſitionem verbum faciens, ſic ait: *Vox ſignificans & Divinitatem & humanitatem, id eſt, id nomen, quod eſt Chriſtus, Patres vera dicere facit utraque. Conſubſtantialis Patri Chriſtus, verum eſt. Etenim ſecundùm Divinitatem conſubſiſtit. Conſubſtantialis nobis ſecundùm humanam naturam, verum eſt. Et homo eſt enim*. Vides quomodo unius linguæ ſint prædicationes. Cur igitur abnegatis Prædicatorem veritatis? Cur qui ei aſſenſiſtis, contra ipſum, cui conſenſiſtis, furiosè pugnatis? Cur refutatis eum, cum quo ipſa ſentitis, & alii, qui blaſphemat, communione jungimini? Non mihi ſitis verbis Orthodoxi, & operibus blaſphemi. Res pietatis oſtende, & vera eris de pietate conſcribens.

Sed dic, inquiunt, & reſiduæ confeſſionis identitatem: Et de Virgine Sancta præcipuè. *Confitemur enim nos*, inquiunt, *Sanctam Virginem Dei Genitricem, eò quod Deus Verbum incarnatus ſit & inhumanatus, & per ex ipſa conceptionem univerit ſibi templum ex ipſa ſuſceptum*. Ego tibi oſtendam & hujus confeſſionis ſimulitudinem: Etſi ab acribia recidiſti. Participatus namque eſt cum hæreticis, cumque orthodoxis, quæ de Virgine ſapis. Et audi qualiter nec hoc Prædicator veritatis omiſerit. Sermonem namque de inhumanatione coram Eccleſia faciens, & infirmioribus auribus condeſcendens, ſic ait: *Oportet id & clariùs dicere, ut omnibus ſit perſpicuus ejus, quod dicitur, intellectus*. Liber generationis Jeſu Chriſti. *Non ait*: Liber generationis Dei Verbi. *Neque*: Liber generationis hominis. *Nam ſi diceret*, Liber generationis hominis, *Chriſtum purum nobis hominem demonſtraſſet; ſi verò dixiſſet*, Liber generationis Dei Verbi, *puram nobis induceret Divinitatem. Comprehendit igitur utraſque naturas in appellatione Chriſti, ut nullum ſine altero intelligatur. Hinc Sanctæ Virgini convenit quidem & ex eo, quod Chriſti facta ſit mater, ut duplici nomine appelletur. Quoniam verò oportet & propter eos, qui clariorem appellationis hujus exigunt intellectum, & maxime filios exiſtentes Eccleſiæ, & Dicto ad eos uti manifeſtiore, ideò & nunc quæ pridem breviore appellatione de Beata illa & Sancta Virgine prædicabantur, hæc manifeſtioribus appellationibus confitemur: Quoniam Sancta Virgo Dei Genitrix eſt, & hominis Genitrix. Dei Genetrix quidem, eò quod templum illud, quod in ea à Spiritu Sancto creatum eſt, unitum ſit Deitati; hominis verò Genitrix, eò quod aſſumpſerit noſtræ naturæ primitias Divina natura*. Quis igitur præfatæ confeſſionis expoſitionem ſecutus eſt? Tu qui Dei Genitricem dixiſti tantummodo, an & iſte, qui Dei Genitrici conjunxit hominis Genitricem? Perimis confeſſionem fidei, quam priùs expoſueras. Dixiſti namque ex ipſa genitum Chriſtum ſecundùm humanitatem. Noli igitur perimere priora fugiendo quod ſequitur.

Adn. Nor. Sermo Neſtorii pag. 18 recitatus.

Quod verò non ſecutus ſis Patres Orthodoxos, & maximè beatæ ac ſanctæ memoriæ Epiſcopum Tharſi Diodorum, audies à beato condeſcenſoriè quidem dici Dei Genitricis vocem concedente, non verò abſcidi ab ea & hominis Genitricem dogmatizante. Inquit enim: *Verumtamen dicatur propter unitionem Maria Dei Genitrix. Deus enim fortis eſt ſemen Abrahæ per unitionem ad Deum Verbum. Fatenda verò & hominis Genitrix. Sic enim propter naturam hominis Genitrix eſt Maria*. Dei verò Genitrix, *non tanquam naturæ ſit partus, ſed quia is, qui eſt ex Deo, homo natura, Deo Verbo conjunctus eſt*. Vidiſti ſubtilitatis expoſitionem. Cur igitur non ſecutus es Sanctos Patres? Major enim eſt accuſatio illa. Quia & dum promiſiſſetis pariter omninò nihil adjicere fidei Sanctorum Patrum, qui Nicææ congregati ſunt, vocem, quæ ab illis dicta non eſt, adjeciſtis, ſecuti plures conſonantes illorum; nunc verò & Patribus illuſiſtis, & diſcipulorum non eſtis ſecuti veſtigia. Omnia autem feciſtis ſoli placere feſtinantes Ægyptio. Unde & fictas illius aſſentationes vos ſuſcepiſtis ſoli, dum ſanctas ad decipiendum vos appellaverit voces.

*Has*, inquit, *adeuntes ſanctas voces*. O multiformis error, Impiiſſime & veritatis inimice! Nunc ſanctæ ſunt pietatis voces, nunc dixiſti fidei verba, nunc tibi eſt rectæ glorificationis confeſſio prædicata. Tandem tege impudicentiæ faciem. Nonne impugnatus à te Doctor hæc te imbuit priùs? Lege infelix inſcriptos ad te apices. Vide, impudentia plene, clariùs tibi explanatas has ſanctas voces, & aut temetipſum ut fidei adverſarium increpa, aut ironiam ſanctæ hujus appellationis denuda. Quid enim tibi ſcripſit, etiam quando ei contumelias ingeſſiſti? *Et mihi*, inquit, *aures ad fraternam medicinam præſtiteris. Ipſas tibi illorum Sanctorum voces proponens, liberabo te à calumnia contra eos & contra Divinas Scripturas per illos*. Credo, *inquiunt*, in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium ejus Unigenitum. *Attende quomodò priùs ponentes*,

Dominus, & Chriſtus, & Unigenitus, & Filins, *quæ nomina Divinitati & humanitati communia ſunt, quaſi quædam fundamenta, tunc inhumanationis, & reſurrectionis, & paſſionis ſuperædificant traditionem, ut præpoſitis nominibus quibuſdam utrarumque naturarum ſignificativis, neque eam, quæ filiationis & dominationis ſunt, incidantur; nec ea, quæ naturarum, in ſingularitate filiationis confuſionis enterminio periclitentur.*

Nonne hæc tibi ſcripta ſunt priùs? Sed iſtis & ea, quæ ante nupee laudata ſunt, confer. *Confitemur*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, Deum perfectum, & hominem perfectum.* Hic intende, quia eductus es olim quod ut fundamenta ſint Divinitatis & humanitaris nomina. Dic verò & reliqua: *Ante ſæcula quidem ex Patre genitum ſecundùm Divinitatem; in ultimo verò dierum propter nos, & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine ſecundùm humanitatem. Conſubſtantialem eandem Patri ſecundùm Divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem. Duarum enim naturarum unitio facta eſt, propter quam unum Chriſtum, unum Dominum, unum filium confitemur.* Secundùm hanc inconfuſæ unitionis intelligentiam diſcute & hìc rurſus conſonationis virtutem. *Ut præpoſitis*, inquit, *nominibus quibuſdam communibus utrarumque naturarum ſignificativis, neque ea, quæ filiationis & dominationis ſunt, incidantur; nec ea, quæ naturarum, in ſingularitate filiationis confuſionis enterminio periclitentur.* Vides quomodo tibi eundem quidem ex indiviſa & ſingulari filiationis intelligentia clariùs ſcripſit. Ad hæc ubi tuam factam laudem ſuſcipiemus? Hæc ipſa enim & odiſti, & miraris: Et anathematizas, & ſacra dicis. Sed inquit: *Nunc admiror, ex quo vocem Dei Genitricis accepi: Tunc enim non ſolùm tacebatur, ſed è contrario etiam projiciebatur. Chriſti enim Genitrix & non Dei Genitrix dicebatur.* Hæc eadem. Oſtenſum quidem tibi eſt & ex prædictæ vocis vi. Quin potiùs vocum expugnabilis ratio. Quia verò his litteris intendens abſcindis conſequentiæ rationes, ego tibi expediam Epiſtolæ verba, oſtendamque illum virum hanc vocem nullatenus repuliſſe.

Ait enim hæc ipſa. *Ubique*, inquit, *Divina Scriptura, quotieſcumque Dominicæ diſpenſationis memoriam facit, generationem paſſionemque non Divinitatis Chriſti tradit, ſed humanitatis. Ita ut vocetur junta ſcrupuloſiorem appellationem Sancta Virgo Genitrix Chriſti, & non Genitrix Dei.* Secundùm ſcrupuloſiorem, inquit, appellationem Ubi autem quæritur quod ſcrupuloſius eſt, ibi non omnioò perimitur quod ſimplicius eſt. Utrumque enim ſuſcipientium commenſuratur auditus. Sic enim ad eos & poſtea dictum eſt: *Quia propter eos, qui clariorem appellationem hujus expetunt intellectus.* Et id quod eſt: *Veruntamen dicatur propter unitionem & Dei Genitrix. Si non junta hæreticum ſenſum.* Sufficiat igitur & iſta convictio frandis, quæ contra illas litteras facta eſt. Incongruum namqne eſt relinquentes nos importabilem tuam contra Salvatorem blaſphemiam, de ſimpliciori Virginis appellatione contendere.

Adn. Nnr. Neſtorius ibid.

Ipſa enim, quæ viſus es admirando laudare, mox pace niſus evertiſti. Nam ſi quidem ſolùm vocaſſes ſacras illas voces, & continuò tacuiſſes, multorum ſubprepſiſſes auditibus. Quo verò compellit te ultio veritatis? Simulationis tenebras amiſiſti.

Age igitur, & nos rurſùs utamur gladiis contra te. Et priùs quidem ſibimetipſi repugnare monſtremus tuæ temeritatis inſaniam. Nam qui in ſuperioribus Epiſtolæ partibus decentia tempori pacis & ſapere te & dicere promiſiſti, mox ex inſidiis erigis prælium, & veſpas agreſtes appellas eos, qui ad tuarum conſcripſerunt blaſphemiarum convictionem. Ubi autem ſunt etiam nunc, qui tuba canunt hanc pacem: qui eum, *qui* contumelias ingerit, prædicant pœnitentem? Quid erratis, immò verò quid tentatis decipere? Non ſunt hæc verba pœnitentis. Sed nec iterum dicere; *Sic & nos ſapere invenientes.* Pro eo ut dicat: *Non nunc hæc ex pœnitentia ſapimus, ſed ſemper ita ſapuimus, & ſumus vanè depoſiti.* Dic & aliud huic demonſtrationi conveniens. Oportebat namque clarè intelligere, quod omne ferè nobis fuerit de fide certamen. Certamina prætendit, ò homo, & tu pacem nominas prælium. Ille exſpoliatur ad luctamen, & tu profers de pace leges. Si autem mihi hæc dicenti non credis, vide & ipſos ſudores ejus certaminis. Vide impietatis ſomenta. Defige mentem blaſphemiis ejus captionibus.

Ecce enim ſequens impia Capitula ſua, rurſus ipſa defendit & confirmat apud nos. Interim namque Emmanuelis appellatione in generatione ſecundùm carnem denuò utens carnalem ac non Deo decibilem generationem Virginis recommemorat. Deindè ad reliqua, velut quadam conſequentia ad ipſam editionem Capitulorum pergens introducit ſcribens temperationis confuſioniſque unitionem. Audi enim quæ poſt hæc verba poſuerit. *Qui verò*, inquit, *deſuper ac de cœlo deſcendens Deus Verbum exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & vocatus eſt Filius hominis, perſtans eſſe quod fuit, id eſt, Deus, inconvertibilis namque eſt & immutabilis ſecundùm naturam, ut unus jam intelligendus cum propria carne de cœlo dicitur deſcendiſſe. Nominatus verò eſt & homo de cœlo perfectus exiſtens in Deitate. Et perfectus idem ipſe in humanitate.* Attende ſubtilitatem verborum: Vide ſermonum longitudinis intellectum. Quia inquit: *Deſuper ac de cœlo deſcendens Deus Verbum.* Et quid poſt panca? *Ut unus*, inqnit, *jam intelligendus*, O optime, & quomodo jam cum carne eſt? Jam non ſolum Verbum intelligitur, ſed caro & Verbum. Inſeparabilitee quidem ut una perſona contemplandus, non verò unum Veebum, vel unus Sermo intelligendus. Quid adopetis converſionis credulitatem? Quid corrumpis Scripturam, quæ furto non ſubjacet? Quid nomen fugiens *Chriſti*, ad hoc Divinæ naturæ circumvolveris, ut eam diſpenſationis paſſionibus ſubdas? Sequere Apoſtolum Paulum, & ne illudas Chriſtum, qui in eo locutus eſt. Non ait: *Ipſe de cœlo deſcendens Deus Verbum exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* Sed

quid

quid dicit? *Hoc ſentiatur in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui in forma Dei exiſtens non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Quæ verba & Sanctorum Patrum, qui apud Nicæam convenerunt, ſecuta eſt fides.

Solus verò intellectus veſtri Apollinarius inſtitutor, nominum remutationem contra eorundem Sanctorum Patrum Nicænam confeſſionem, & contra ipſam Divinam Scripturam fraudulenter induxit, pro *Domino & Jeſu Chriſto*, & *Filio*, quæ ſunt duarum naturarum ſignificativa nomina, *Deum Verbum* tantummodo exponens. Ut dum ſolam Divinam naturam perſonæ ſignificat, tanquam quæ ſuperet alteram, ipſam prædicet pro perſona, & contemperet ambas in unam benè ſonantem naturam. Hanc namque intentionem & tui ſequuntur multiloquia verbi. *Deus*, inquis, *Verbum ut unus jam intelligendus cum propria carne.*

Dic & reliqua. *De cœlo*, inquit, *dicitur deſcendiſſe. Nominatus verò eſt & homo de cœlo, perfectus exiſtens in Deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate.* Et quid eſt, quod in Divinitate & in humanitate cognoſcitur eſſe perfectus? Quid eſt alterum, quod præter illas, quæ unitæ ſunt, naturas inducitur? Quid eſt præter ipſas, quod in ipſis ſpeculandum ſit? Nam quod in aliquo eſt perfectum, alterum præter ipſum eſt in quo oſtenditur eſſe perfectum. Quomodo nobis in tres duas ſcidiſti naturas? Dic quid ſit præter Deitatem & humanitatem alterum quod in eis perfectum debeat ſpeculari? Ne tranſeas quod eſt tuum. Noli ſugere convictionem. Habes demonſtrationem præ manibus. Profer expoſitionem Capitulorum. Oſtende inde manifeſtè quod quæritur, clamans *naturalem & ſecundùm ſubſiſtentiam* unitionem. Hæc tibi enim objectum ſolvunt. Hæc tibi ædificant circa materiarum modum præter naturas ex naturis figuram. Figuram, quæ ex eis & fit, & in eis eſt contemplanda. *Perfectus*, inquis, *exiſtens in Deitate. Et perfectus idem ipſe in humanitate.* Putaſne, Perfectus Deus Sermo ſecundùm te in Divinitate, an potiùs confiteberis ſecundùm nos Divinitate perfectum? Et rurſus: Putaſne, Perfectus idem ipſe, ut inquis, in humanitate, an potiùs iterum credens nobiſcum perfectum Deum in homine perfecto? Deum namque tantùm & hominem glorificamus. Nihil alterum præter unitas agnoſcentes naturas.

Dic verò & quod ſequitur. *Et tanquam in una*, inquit, *perſona intelligendus.* Quæ eſt latrantium tanta veſania? Non enim ſufficit, quod in naturis inducitur aliquid alterum, id eſt, ex naturale, & ſecundùm ſubſiſtentiam unitione figura quædam; ſed & in ipſa figura alterum quoddam peregrinum & inconſtans dogmatizat. *Et ut in una*, inquit, *perſona intelligendus.* Non jam dixit unam contemplari debere perſonam, ſed alterum in perſona intelligendum. O intolerabilis iſta confuſio! O hæc contemplantia naturarum! Sed nos hanc ſimiliter inſilientem deſpiciamus ejus blaſphemiam. Intendamus verò, quommodò naturas Dominicas completivas filiationis inducat. Nam dum perfectum ſupponit in eis alterum, introducit ex eis compoſitionem factam, qua filius perficeretur. Et ubi eſt inhumanationis filii perfectio? Ubi permanſio indefecta filiationis ante ſæcula? Ubi eſt quem conſubſtantialem Patrum fides abſque mendacio dixit? Non ſine cauſa, ut arbitror, qui vocati à te ſunt veſpæ, de cœlo te ominari carnem dixerunt. Nam ſi & caro implet filiationem, perfecta verò & ante adventum filiatio fuit, neceſſe eſt conſempiternam dicere huic perfectioni & carnem. Conſempiternam verò dicens, conſubſtantialem quoque dicturus es. Conſubſtantialem verò dicens, cœleſtem ſapere convinceris. Ne deſpicias. Non eſt tibi aculei parva plaga veſparum. Strangulat enim tuæ impietatis fauces, ut aut neges filietatem ante inhumanationem fuiſſe perfectam, aut hoc volens dicere, fatearis illud nolens, quod carnem ſentias eſſe cœleſtem. Expedit porrò tibi accipienti plagam magis benignè ſuſcipere veſparum doctrinas, quam vanitatem tantæ impietatis amplecti. Reliqua enim verba ſæpius forſan dixeris pietatis. Si verò impudenter agis, & hoc diſce, te ipſum rurſus in blaſphemiis permanentem, latrantemque deterius.

*Unus enim*, inquit, *Dominus Jeſus Chriſtus. Etſi non ignoratur differentia naturarum, ex quibus unitionem dicimus ineffabilem factam.* O inſania! O inſipientia! O amari & venenoſi latratus! Quomodò dulce & amarum contemperavit in idem? Quomodò mel veneno conjunxit? Scimus, Seductor, quod unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus: Et quod non ignoretur differentia naturarum. Dic autem nobis, quid tibi vult illud, quod ais: *Ex quibus unitionem dicimus ineffabilem factam.* An utique iterum illud, quod ex naturis plena eſt filiatio? Etſi enim ſimulas non dicere nunc unitionem naturalem, volens ineffabilem nominare, ſed tamen altero verbo idem compoſuiſti. Hoc ipſo namque quod dixiſti, *Ex quibus*, alterum rurſus præter naturas ſignificas, quod ex ipſis eſt. Vides quomodo in eiſdem volueris? Nec lates irridens. Nos namque ò Mirabilis, non ex ipſis unitionem dicimus factam, ſed ipſarum tantummodò naturarum confitemur unitionem. Sic enim & perfectionem filiationis, quæ eſt ante ſæcula, abſque repugnatione prædicamus. Et gratiam, quæ nobis ex inhumanatione donata eſt in glorificatione ſervamus. Non enim ipſe indiguit ad plenitudinem filiationis primitiis noſtris, ſed nos indigentes adoptionem digni facti ſumus ab ejus carne ſuſcipere.

Ad prædicta & illud pariter videamus, quod non ſolùm Capitulorum impietati hæc Epiſtola convenit, ſed etiam, ſicut diximus pridem, & illas voces, quas Sacras vocavit, evertit. Audi enim Deum perfectum, hominemque perfectum. Perfectum è contrario prædicavit, veriſimilem ſeductionem commutans, ac dicens: *In Divinitate perfectum, & in humanitate perfectum.* Et

rurſus hæc dicens, quarum *naturarum* è contrario docuit obtegens confuſionem, *unionem* dicit ineffabilem. *Ex quibus*, inquit, *unitionem dicimus ineffabilem factam*. Surſum atque deorſum adjectione ſyllabarum temperans blaſphemiam. Huc enim ex Arii & Eunomii Magiſterio adductus eſt contentioſus hic Dæmon, impudentiſſima beſtia, inverecundus draco. Et quaſi parva fuerit præcedens impietas, ejus additamentis aliis quod dirum eſt, ſupernutrit.

Et verbis rurſus transformatis impietatem colorans, ad intentionem ſuam paſſibilis apud eum Divinitatis recurrit. Quid enim dixit ad hæc? *Impaſſibilem Dei Sermonem ſubſiſtere confitemur univerſi*. Etſi omni ſapientia diſpenſans ipſe Myſterium, ſibimetipſi impartire videatur eas, quæ contigerunt carni propriæ, paſſiones, impaſſibilem Dei Sermonem ſubſiſtere confiteris. Et cur præcedens eum paſſibilem dogmatizas? Dic quid tibi velit, quod inquis, ſibimetipſi impartire paſſiones, niſi utique illud, quia voluntariè paſſus ſit? Novimus enim tuorum verborum conſuetudinem. Sed poſſibile eſt, ut quidam ſimul cum blaſphemo irridentium contendat adversùm nos, quod *impartire* iſte impius dixerit, quaſi proprias facere. Ad quos dicimus nos, quia primùm vocem, quæ dicitur, *Impartit*, non id ſolùm ſignificare putetis, quod pertinet ad propria facere, ſed etiam comparticipationis eſt res. Impartire namque quaſi inter ſe & alterum partiri aliquas res, corrupto per compoſitionem ſermonis verbo nominatur. Si igitur ſibimetipſi impertit, conſtat quia id ita dicitur, ſicut voluntariè vel ſpontaneè paſſionem participat. Confirmat verò, quod & nunc paſſum Deum Verbum dogmatizet iſte Adverſarius legum, poſiti ab eo ſuper hoc Scripturæ teſtimonii lectio. Quale eſt, inquit, illud quod per Prophetæ vocem præconatur ut ex ipſo? *Dorſum meum dedi ad verbera, & maxillas meas ad colaphos, faciem verò meam non averti à confuſione ſputorum*. Obſtupefacit me illius ſenſus incongruitas. Si enim Verbum carnis paſſiones proprias facit (concedatur enim quia id quod eſt *Impertit*, ita ponit, ac ſi dicat, Proprias facit paſſiones) quomodo ad id teſtimonio utitur iſto, ut carnales has paſſiones ſuſtinere dicatur? Aliud quippe eſt propria facere verbera carnis, & aliud ipſum verbera pertuliſſe, & ipſum fuiſſe colaphizatum, ipſumque conſputum. Scripturæ ſiquidem teſtimonio Deum Verbum per ſemetipſum prædicat pertuliſſe. Quomodò enim eum, qui ſemel impaſſibilis exſtat, & incompoſitus, & liber à formis, Creatorque formarum, aut ut ex partibus compoſitum, & membris conſtantem, quicumque eorum qui benè ſapiunt, ſuſpicetur, niſi ejus inſeparabile templum, quod conſtat dorſo, & maxillis, & facie, quæ conſputa eſt, ut prædixi? Iſte verò figurans inſigurabile, ipſi paſſiones impertit univerſas. Si enim, ſicut dixi, ex ipſo, quod ſibimetipſi paſſiones carnis impertit, ante præconatum eſt, *Dorſum meum dedi ad verbera*, &c. alteras præter carnem convincetur habere Deus Verbum figurales figuras, quæ paſſiones carnis in participationem recipiant.

O inſuperabilis inſania! O innumerabilis contaminatio! O ineffabilis temeritas! Divinitatem figurat impius, & flagellat. Obſtupeſco de contaminata hujus temeritate formidans. Et tremo dum loquor. Sed parco jam mihi, reliquorum jactans alienationem, & deſolationis abominationem, quæ & iterum circa Apollinarii phreneſim nihil ſe de Sanctorum Patrum fide corrumpere irriſoriè jactitat, & ſimiliter contra Spiritum Sanctum illius blaſphemias ſolitè ſequitur. Lugeo autem ſolos, qui cum eo contra Divinitatem manus extenderunt. Qui invocas Chriſtum, & ejus perfert hoſtem, quam is in vos habet juriſdictionem? Quam excuſationem, qui addictis impiis paci, impietatis hujus eſtis refugæ facti? Projicientes fructus, foviſtis radicem. Quin imò & fructus recepiſtis, & radicem complectimini. Quas fraudes veſtras ad memoriam reducemus? Illaſne, quibus tardiùs perveniſtis ad Epheſum? An deceptiones, quas in ipſa Epheſo perpetraſtis? An de proditione facta Conſtantinopoli? An de irriſione Tharſi compoſita? An de ſubdola aſſentatione Antiochiæ geſta? Nonne illum, quem punire meditabamini, feſtivis muneribus alliciebatis? Nonne Patres Orthodoxos per Scripta ſubegiſtis, jurationibus inducente te? Nonne Conſtantinopolitanos & Antiochenos Populos fovebatis? Digna ſunt impietati Ægyptiacæ, quæ à vobis ſunt perpetrata. Conſonant ſibi ad invicem nundinæ veſtræ: Quæcumque enim deſiviſtis blaſphemare per linguam, hæc ſtudetis ſimulatione firmare. Sed vos, qui horum non eſtis participati peſtilentia, inviolatum ſervate bonum Depoſitum, quod & accepiſtis, in quo & baptizati eſtis, per quod & ſalvamini, declinantes omne impietatis Collegium: Maximè ne communicetis infeſtè illis, qui polluti jam fuerint. Hi enim dum rectæ fidei ſe ſimulent aſſertores, impietati miniſtrant. Ad eos benè teſtificatur clamans Scriptura Divina: *Non poteſtis duobus Dominis ſervire. Unus enim Dominus, una Fides, unum Baptiſma*. Unus quippè per omnia, & ſuper omnia, & in omnibus Deus, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Ipſi gloria in ſæcula. Amen.

---

## CAPUT CCII. --291

*Presbyter Claudianus.*

PRæſumentes de Sanctitate tua, quippe tanquam de noſtro fratre, quia omnia etiam, quæ efficibilia ſunt, ut noſti, potes complere, Religioſiſſimum Presbyterum Paulum virtute Eulogiarum illuc ſumus parati dirigere, præſumentes, ut diximus, de Deo, & de tua, Domine, Religioſitate.

CAPUT

## CAPUT CCIII. —292

Epiſtola, *inquit*, Epiphanii Archi-Diaconi, & Syncelli Cyrilli, ad Maximianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua magis convincitur intentio Cyrilli, & eorum qui circa eum.

*Domino meo Sanctiſſimo, & Deo Amiciſſimo Epiſcopo, Patri Patrum, & Archi-Epiſcopo Maximiano Epiphanius tuus.*

QUæ nobis ſæpiùs à tua ſcripta ſunt Sanctitate, non erant ita perturbatione plena, ſicut quæ nunc tranſmiſſa ſunt Domino meo per omnia Sanctiſſimo, Sanctitatis veſtræ Fratri, Cyrillo. Quæ plus eum fecerunt incidere ægritudinis recidivam. Et Admirandiſſimi Tribuni Ariſtolai, & quæ meæ Humilitati directa ſunt. Et ad utraque, petita venia refero, tam quæ olim facta ſunt, quàm quæ nunc denuò definita, & in quibus contriſtatus eſt Sanctiſſimus & Deo Amiciſſimus Frater veſter Cyrillus: Inſimiliter Clariſſimus Tribunus Ariſtolaus. Nam dum priùs id Orientales expeterent, ut Capitula, quæ Sanctiſſimus Frater veſter Cyrillus expoſuit, hæc ipſa anathematizans idem extra Eccleſiam Catholicam faceret, in hoc idem Dominus meus Sanctiſſimus Pater Cyrillus recertabat, atque dicebat, quod ſancta & magna Synodus agnoſcens, quorum veritatem ſancivit, ea rectæ & ſanæ fidei eſſe, & Joannem cum reliquis ſegregationi ſubjecit. *Et quomodò*, inquit, *ego cum eis faciam pacem, & evertam Synodale Judicium?* Admirandiſſimus autem Tribunus Ariſtolaus inſiſtebat ei, ut Divinitùs ſancita peragaret. Et hoc ex neceſſitate diſpoſuit per omnia Sanctiſſimus Dominus meus Cyrillus, ut ejus quidem Sanctitas anathemate interpoſito dicat, quod non juxta hæreticum intellectum hæc ipſa expoſuerit, ſed quidquid videtur reprehenſibile eſſe, zelo & calore circa Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui abnegatus eſt à Neſtorio, dictum ſit: Orientales autem cuncti anathematizent Neſtorium, ejuſque ſententiam, & ita ſuſcipiantur ad pacem. Hoc autem mandante Magnificentiſſimo Ariſtolao eis, qui circa Joannem ſunt & Dominum Acacium, quod deberet Dominus Acacius Joannem compellere, direxerunt Paulum, vitantes hoc, ut de illo nihil in memoria aberret, ſed illa quieſceret. Igitur Domino meo Sanctiſſimo Patre Cyrillo magna ægritudine detento, placuit iſta differre. Poſt aliquot autem dies oſtendit Magnificentiſſimo Tribuno Paulus Epiſcopus litteras piiſſimi Joannis, quod Epiſcopi Orientis, & qui alterius ſunt, hæc fieri non ſinant: Quæ & habebant quaſdam illius impii, id eſt, Neſtorii paginas. Dum rurſus Magnificentiſſimus Ariſtolaus hæc per litteras intimaret, increpitans eis ſcripſit. Verum Magnificentiæ ejus *reſcriptum eſt*, quod quædam decreta fuerint nuper ab Epiſcopis *qui* Antiochiæ convenerunt, & Alexander Epiſcopus cum certa formula, quæ eſſet prolata, ad ejus eſſet Magnificentiam deſtinandus. Hæc igitur addiſcens Dominus meus Sanctiſſimus Cyrillus circa tuam quidem Sanctitatem valdè contriſtatur, quod pro ejus non poſueritis animam tuam, qui ſæpè laborat, Sanctitate. Et quia inſuper & cum Domino Philippo & Domino Claudiano non curet, quomodo hinc exire faciatis Ariſtolaum Clariſſimum virum: Sed præter ipſorum conſilium, ajens, nihil feceris. Et iterum recidivam incurrit.

Nunc igitur, Domina mi Sanctiſſima, impone tibi omne in hac cauſa ſtudium. Scriptum eſt & à Domino meo, Fratre veſtro, & Dominæ Ancillæ Dei Reverendiſſimæ Pulcheriæ, & Præpoſito Paulo, & Romano Cubiculario, & Dominæ Marcellæ Cubiculariæ, & Dominæ Droſeriæ. Et directæ ſunt benedictiones, dignæ eis. Et ei, qui contra Eccleſiam eſt, Chryſoreti Præpoſito Magnificentiſſimus Ariſtolaus paratus eſt ſcribere de nonnullis, quæ Angelus tuus debeat impetrare. Et ipſi verò dignæ tranſmiſſæ ſunt Eulogiæ. Scripſit autem Dominus meus Sanctiſſimus, Frater veſter, & Domno Scholaſtico, & Magnificentiſſimo Arthebæ, ut ipſi conveniant & perſuadeant Chryſoreti tandem deſiſtere ab oppugnatione Eccleſiæ. Et ipſi verò benedictiones directæ ſunt. Feſtina igitur & tu ipſe, Sanctiſſima, ſupplicare Dominæ Ancillæ Dei, Pulcheriæ Auguſtæ, ut iterum ponat animam ſuam pro Domino Chriſto. Puto enim quod nunc non ſatis curet pro Sanctiſſimo veſtro Fratre Cyrillo: Ut & omnes qui ſunt in Palatio Regia. Et quidquid avaritiæ eorum deeſt. Quamquam non deſint & ipſi diverſæ benedictiones. Ut ſcribat increpativè Joanni, quo nec memoria illius Impii fiat. Scribatur verò & Magnificentiſſimo Ariſtolao, ut inſtet ei celeriter. Et roga Dominam Olympiadem, ut & ipſa coadjuvet nos. Et ut inſuper roget Marcellam & Droſeriam: Quia ſatis jam patienter auſcultant. Et ſtudium namque eſt Orientalium nonnullorum, ut impium Neſtorium recipiant. Etſi non voluerit, nocte ac die pro temetipſo curans, multos habes perturbare Sanctorum. Et Dominum meum Sanctiſſimum Dalmatium Abbatem roga, ut & Imperatori mandet, terribili eum conjuratione conſtringens: Et ut Cubicularios omnes ita conſtringat, ne illius memoria ulterius fiat. Et Sanctum Eutychen, ut concertet pro nobis, & Domino meo, Fratre veſtro Sanctiſſimo ac Reverendiſſimo. Clericos noſtros inſeparabiles habeat Sanctitas tua. Et ſuper hoc enim hic aliqui contriſtantur, quod

contra

contra promiſſiones, quas ſecit Angelus tuus, Eulogio Alexandrino Presbytero geras. Subjectus autem Brevis oſtendit, quibus hinc directæ ſint Eulogiæ, ut & ipſe noveris, quantum pro tua Sanctitate laboret Alexandtina Eccleſia, quæ tanta præſtat his, qui illic ſunt. Clerici enim, qui hìc ſunt, contriſtantur, quod Eccleſia Alexandtina nudata ſit hujus cauſa turbelæ. Et debet præter illa, quæ hinc tranſmiſſa ſunt, Ammonio Comiti auri libras mille quingentas. Et nunc ejus denuò ſeriptum eſt, ut præſtet. Sed de tua Eecleſia præſta avaritiæ, quorum noſti, ne Alexandrinam Eccleſiam contriſtent: Quæ præter præmiſſa getat Sanctitas tua. Ut noſti, Inquere Ammonio Comiti, & ſuadeat ei ea, quæ ſeit Religioſitas veſtra. Et ſac illum ſcribeſe hue, ne ſit etiam de hoe triſtitia. Magnificentiſſimus Ariſtolaus, qui pro tua Sanctitate laborat, contriſtatur omninò, quod ci talia ſcripſeritis. Roget itaque Sanctitas tua Dominam jugalem ejus, ut ſcribat ei, rogans illum, ut perfectè laboret. Et ut Reverendiſſimus Eutyches ſcribat ei. Feſtinet autem Sanctitas tua ſogare Dominam Pulcheriam, ut ſaciat Dominum Lauſum intrare, & Præpoſitum ſicri, ut Chryſoretis potentia diſſolvatut, & ſie Dogma noſtrum roboretut. Alioquin ſempot tribulandi ſumus.

Adn. Nor. Nota munera miſſa ab Cyrillo.

---

## CAPUT CCIV. —293

### Incipiunt Epiſtolæ, quas inveni in Codicibus Dioſcorianorum, quarum ſignum à Capite.

*Domino meo Dilectiſſimo Fratri, & Comminiſtro Donato Cyrillus in Domino ſalutem.*

CONvenit & omninò peculiariter tuæ me Religioſitati ea, quæ Eccleſiarum ſubſecuta ſunt pacem, facere nota. Fuit igitur Dominus meus Admirandiſſimus Tribunus & Notarius Ariſtolaus ad Antiochiam, Imperiales ſyllabas ferens, quæ jubebant Reverendiſſimum Antiochenæ Eecleſiæ Epiſcopum Joannem anathematizare quidem polluta Neſtorii Dogmata, acquieſcere verò & dejectioni ejus ad ſimilitudinem Synodi, ac tunc quærere, ut eſſet ſibi nobiſcum una communio. Et virtus quidem eorum, quæ ſeripta ſunt, hæc fuit. Quidam verò Orientalium Epiſcoporum, nondum, puto, eundem judicantium, vel etiam patrocinium illi præbentium, qui rectam fidem noſtram contriſtat non mediocriter, & gloriam Salvatoris omnium noſtrum Chriſti non mediocriter offendit, præparaverunt ad me ſcribere Religioſiſſimum Berrhæenſium Epiſeopum Acacium fatua quædam, quaſi ipſa depoſcerent: Oportere quidem cuncta, quæ à nobis adversùs Neſtorium ſcripta ſunt, ſolvi, & ut infirma projici; conſentire verò ſoli fidei Symbolo, quæ à Sanctis Patribus noſtris In Nicæna definita eſt civitate.

Scit verò Sanctitas tua, quod tales rurſus eorum propoſitiones & in Epheſina fuerint civitate. Ego verò ſcripſi ad hæc, quod rem quærerent, quæ fieri non poſſet. Scripſimus enim rectè quæ ſcripſimus, rectam immaculatamque aſſerentes fidem, & nihil omninò negamus ex noſtris. Nec enim, ſicut ipſi dicunt, aliquid excedenter eſt dictum, ſed ubique juxta rectitudinem, & veritatis virtuti concurrentia ſunt. Illos autem potiùs oportere à *non* neceſſariis *ceſſare*, ſed circa id *acquieſcere* quod benè habens placuit, & ipſi Piiſſimo, & Deo Amiciſſimo Imperatori, & Sanctæ Synodo, ut Neſtorii verboſitates, & contra Chriſtum factas blaſphemias anathematizent, fateantur verò & eum ſe habere dejectum, & Ordinationi conſentiant Sanctiſſimi & Religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani. His igitur litteris à me directis ad eos conſpicientes quod eis communio minimè redderetur, niſi perducerent ad finem, quæ ab eis fieri oportebat, mittunt ad Alexandriam Emeſenorum Epiſcopum Reverendiſſimum Paulum, ferentem litteras ad me, communicatorias quidem, non tamen valde competenter dictatas. Simulabant enim & reprehenſiones inferre, tanquam non rectè quædam dicta & geſta in Sancta Synodo fuerint. Et Epiſtolas quidem tales minimè attendi, ſed dixi quia illi, qui & veniam poſtulare in his, quæ acta ſunt, debuerunt, quoniam & ſecundas injurias inferunt. Excuſante autem prædicto Religioſiſſimo Epiſcopo, & eum Sacramento affirmante, quod talem non habuerint intentionem, ſed potiùs ex ſimplicitate ad has venerint litteras, pro charitate & iſtud omiſimus.

Non autem priùs ei Miſſas nobiſcum celebrare conceſſi, niſi libellum dans in Scripto anathematizaſſet Neſtorii Dogmata, & confeſſus fuiſſet eum ſe habere depoſitum, & conſentire Ordinationi Reverendiſſimi & Religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani. Interrogabat quidem tanquam pro omnibus, qui in Oriente ſunt, Religioſiſſimis Epiſcopis tales libellos dans, ut nihil ultra hæc aliud poſceremus. Conſenſi verò nullatenus, ſed enim ſimul direxi cum Domino meo Admirandiſſimo Tribuno & Notario Ariſtolao duos è Clericis noſtris in Antiochiam, tradens eis chartam, dicens: Quia ſi ſubſcripſerit Religioſiſſimus Epiſcopus Antiochenorum Joannes, & receperit eam, tunc ei date communicatorias litteras. Anxiabatur enim pro tarditate præfatus Admirandiſſimus Tribunus Ariſtolaus. Subſcribente igitur Religioſiſſimo Epiſcopo Joanne, & his, qui cum eo ſunt, Clarioribus, & anathematizantibus Neſtorii Dogmata, & confitentibus eum ſe habere depoſitum, conſentientibus quoque Ordinationi Religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani,

miani, communionem reddidimus. Hæc namque illis & in Ephefina Metropoli propoſita ſunt à Sancto Concilio.

Noverit verò & illud Sanctitas tua, quod inſtiterit quidem à principio plurimùm, rogans Reverendiſſimus Epiſcopus Paulus pro his, qui depoſiti ſunt: Helladio dico, & Eutherio, & Himerio, & Dorotheo. Et rogabat vacare ea, quæ decreta ſunt ſimiliter eis, prætendens non aliter Eccleſiarum pacem poſſe definiri, niſi adjicerentur & hi. Ego verò dixi, quod impoſſibilem rem tentaret, & impoſſibile hoc eſſet obtineri unquam à nobis. Permanſerunt igitur in eo, quo nunc ſunt, habitu: Et nulla eorum mentio facta eſt in compoſitionibus de pace Eccleſiarum. Scripſerunt verò eandem Epiſtolam, quam direxerunt ad me, & ad Religioſiſſimos & Sanctiſſimos Epiſcopos, tam Xiſtum magnæ Romæ, quàm & Maximianum Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanorum. Et neceſſarium fuit, ut de his ſubtiliter doceretur Perfectio tua, ne fortè aliquando multiloquiis aſſueti, alia pro aliis ſeminantes, perturbent aliquos fratrum, quaſi nos ea, quæ adversùs Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, negaremus.

Direxi autem paria Epiſtolarum, tam ſcriptæ à me ad Reverendiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Joannem, quam & ejus, quæ ab eo ad me ſcripta eſt, anathematizando Neſtorii blaphemias, & aſſentiendo ejus dejectioni, ad inſtructionem integram tuæ Perfectionis. Et alias nemo proferat præter iſtas Epiſtolas. Saluta Fraternitatem, quæ apud te eſt. Te, quæ nobiſcum eſt, in Chriſto ſalutat.

---

## CAPUT CCV. —294

*Epiſtola ejuſdem ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum.*

REverendiſſimus & Religioſiſſimus Diaconus & Archi-Mandrita Maximus venit ad me. Et dum talis ſit vir, vidi eum ſicut oportuit. Eum qui per multum tempus videri deſideratus. Admiratus verò ſum & zelum ejus, & rectitudinem, & aculeum pietatis, quæ in Chriſto eſt. Ita enim cogitat, & plenam curis habet mentem, ut & omnem laborem velit ſuaviter ſuſtinere, quatenus mala doctrina Neſtorii radicitùs ab Orientis partibus exſtirpetur. Legit autem mihi & tuæ Sanctitatis Epiſtolam, ſcriptam ad Reverendiſſimum & Religioſiſſimum Epiſcopum Antiochenorum Joannem, multa fiducia & Dei amore plenam. Scripſi verò ei & ego tales Epiſtolas. Sed ut videtur, deteriora vicerunt. Fingentes enim ſe ea, quæ Neſtorii ſunt, odiſſe, altero rurſus ea detinent modo, quæ ſunt Theodori admirantes, qui certè æqua, immò multò deteriori potiùs impietate languebat. Non enim Theodorus Neſtorii Diſcipulus fuit, ſed iſte illius: Et quia ambo quaſi ex uno ore loquuntur, atque unum conſpuunt mali ſenſus ex corde ſuo venenum.

Scripſerunt igitur ad me Orientales: *Quod non oporteat ea, quæ ſunt Theodori, accuſare. Ut non,* inquiunt, *& ea, quæ ſunt Beati Athanaſii, & Theophili, & Baſilii, & Gregorii, accuſentur. Quæ enim locutus eſt Theodorus, hæc & illi.* Ego verò iſta ſcribentes non pertuli, ſed fiducialiter dixi: Quia Theodorus quidem blaſphemam habuit & linguam, & ei calamum miniſtrantem; illi verò totius Orthodoxiæ fuerunt Magiſtri, & enituerunt in iſtis. Sic verò eos, qui ab Oriente ſunt, affecerunt, ut & exclamationes in Eccleſiis à Populis fierent: *Creſcat Theodori fides. Sic credimus, ſicut & Theodorus.* Et iſta, qui eum quondam lapidibus inſectati ſunt, in Eccleſia, quæ apud eos eſt, breve aliquid ſubloqui præſumentem. Sed ſicut vult Magiſter, ita ſapit & Grex. Ego quidem nec quievi increpare ea, quæ ab ipſis ſcripta ſunt, nec quieſcam. Quoniam verò oportuit, velut contradictiones in Scripto apud eos eſſent, intendens in Theodori & Diodori Codicibus, qui ſcripſerunt non de Incarnatione, *ſed magis contra Incarnationem*, elegi quædam Capitula, & quo fuit poſſibile modo egi contra ea, ubique pronuncians abominatione plenam eorum eſſe ſententiam. Hortante autem me præfato Reverendiſſimo Diacono & Archi-Mandrita Maximo interpretari Symbolum fidei, quod expoſitum eſt à Sanctis Patribus, qui Nicææ convenerunt, & ad hoc diſpoſui memetipſum. Aſſeverat enim, quod quidam verſutè fingunt ſe dicere illud & ſequi, ſed non ſenſibus rectis utantur, ſed diſtorquentur potiùs eis, quæ rectæ & indeclinabiliter directa ſunt, ad id quod ipſis videtur. Ut verò tuam non lateat Sanctitatem, direxi codicem ſimul & Tomum. Quæ legens conſuetas pro me preces offerre dignetur.

Qui talia pro ſe Scripta proferre conſueti ſunt, ex ipſis quoque alieni à Chriſti Eccleſia demonſtrantur: Poſito priùs, quod reverà Cyrilli ſint, & quod talia ejus Scripta & Geſta probanda ſint. Vident quod poſt damnationem Neſtorii & hæreſis ejus ipſe Princeps totius excluſionis eorum, deteriora dicens à Neſtorio ſcripſiſſe Theodorum, à communione tamen ejus judicium ſe minimè ſeparavit: Dum certè hos ipſos, id eſt, Orientales Epiſcopos, ipſumque Adn. Nor. Hic Scholiaſtes fuit Defenſor trium Capitulorum contra Syn. V.

Con-

Digitized by Google

Concilium tota cauſa diviſiſſe legatur, non ſolùm judicandi Theodorum, ſed & ita ejus, quæ accuſabantur, Scripta laudandi, ut in Eccleſiis à Populis clamaretur Orientis: *Creſcat Theodori fides. Sic credimus, ſicut ipſe*. Iſti autem, qui ſe quaſi Cyrilli ſequaces extollunt, uſque adeò ſe ab ejus judicum communione diviſerunt, ut non ſolùm Scriptis & nomini Theodori anathema in Scripto dicerent, ſed & non judicantibus & anathematizantibus ea. Et hoc tunc fieri cœpit, quando non, ut pridem, ſolius Orientis, ſed totius eum vindicabant Orbis Eccleſiæ. Nonne ſi hoc ſanè factum dicatur, pro antiqua communionis talium tolerantia, quæ nunc intolerandiſſima judicatur, conſequentiſſimè & ipſe Cyrillus juſtè damnatus proponetur? Longè igitur rectiùs facimus, qui utrumque defendimus ab eis: Nec unum acerbè damnando, nec alteri rationabiliter parcendo. Hoc authores eorum, id eſt, clariores ſequaces Dioſcori obruit. Si enim tunc Cyrillus Beatiſſimus, & per talia reclamans, toleravit tamen ſolius Orientis Concilium, quomodò veſtri Authores Chalcedonenſe totius Orbis Concilium anathematizare præſumpſerunt, & ab Eccleſiæ ubique diffuſæ ſemetipſos communione ſejungere? Jam ſi hæc idonea non ſunt ad utriſque partibus oſtendendum, quod timore Divini judicii ſchiſma relinquere, atque ad Chriſti debeant Eccleſiam remeare, quid unquam dici poterit, quod gehennæ metus, & æternæ vitæ deſiderium humanis poſſit animis commendare? Per Chriſtum, quæſumus, univerſi qui legitis, ſtudete meminiſſe quæ diximus: Et quia ob hoc ipſum & cætera Scripta ſimilia in hoc Synodico vertimus in latinum.

## CAPUT CCVI. —295

*Epiſtola quædam Lamponi Presbytero & Clericis.*

DEgente me in Ælia, vir quidam præcipuus eorum, qui in Palatio militant, Epiſtolam mihi obtulit multorum verſuum, & grandem atque ſignatam, quaſi qui acceperit eam ab Orthodoxis Antiochiæ. Subſcriptiones verò erant in ea multorum valde, & Clericorum, & Monachorum, & Laicorum. Impetebat verò Orientis Epiſcopos, quaſi tacuerint quidem pridem Neſtorii nomen, & fingunt ſe ei adverſos, tranſilierunt verò ad Theodori de inhumanatione Codices, in quibus multæ deteriores jacent à Neſtorii blaſphemiis. Pater enim fuit malæ Sectæ Neſtorii, qui impius loquendo ea, quæ illius erant, ad iſta, in quibus nunc eſt, perveniſſe veriſimiliter mihi videtur. Et ſcripſimus Glorioſiſſimo Epiſcopo Antiochenorum, ut Theodori impia Dogmata in Eccleſia nemo loquatur.

Veniens verò Alexandriam Reverendiſſimus *Diaconus* & Archi-Mandrita Maximus multùm clamavit contra eos, qui ſunt in Oriente, dicens quod Orthodoxi nullum illic habeant locum, neque fiduciam ad loquendum quæ rectæ ſunt fidei. Dixit autem quod ſimulent Eccleſiæ ſe Symbolum confiteri, quod in Nicæa eſt à Patribus editum, interpretentur verò id malè. Et hortatus me eſt, ut omnem expoſitionem eorum, qui Nicææ convenerunt, elatè interpretater, quod non ſubreperent altera pro alteris, exponens. Quod & feci. Deportate igitur Tomos, ut offerantur & Piiſſimis Dominabus, & Amatori Chriſti ac Piiſſimo Domino. Feci enim in membranis fieri Tomum. Contrecta igitur eum, quando benè ſe habere conſpicitis, opportunè proferre. Oportet enim nos ubique pro recta fide certare, & eam, quæ contra Chriſtum excitata eſt, impietatem, quantùm poſſibile eſt, tentare ut è medio auferatur.

CAPUT

## CAPUT CCVII. –296

*Epiſtola ejuſdem Joanni Epiſcopo Antiocheno.*

LIteras à tua Perfectione tranſmiſſas, plenas feſtivitate multa, etiam ſuaviſſimè nunc ſuſcepi. Quod enim bonum, aut quid jucundum, niſi habitare fratres in unum? Per unanimitatem & eandem circa Chriſtum voluntatem in charitate conjunctos ad invicem, diruptis è medio ſcandalis, quæ neſcio qualiter ſubintroducta ſunt, quæ gratia Salvatoris per tuam Sanctitatem perempta quidem ſunt olim, perimentur verò & in reliquis. Et hoc eſt, arbitror, quod à Deo dictum eſt voce Prophetica: *Ambulate per portas meas, & lapides ex hac via projicite*. Contingat igitur ut cuncti, quæ meliura ſunt honorantes, vel nunc tandem contra veritatem contendere deſinant, & addicta verboſitate Neſtorii, rectum & immaculatum reſonant fidei verbum. Et hi quidem, qui ad hoc olim vocati ſunt, plurima valdè nos, ut dixi, feſtivitate repleverunt. Det verò omnium Deus tuæ Perfectionis orationibus & educationem, adductos ad manſuetudinem capere noſſe quod utile eſt. Si verò quidam ſævè contendunt, Eccleſiæ manſuetudinem non culpabunt. Sed ſibimetipſis, quod paſſuri ſunt, baurientes, à vobis audient:
Eſai. 50. *Abite in lumine ignis veſtri, & flamma quam accendiſtis*. Oportet enim diſtortis jam non manſuetè concurrere.

## CAPUT CCVIII. –297

*Epiſtola ejuſdem Maximo, Joanni, Thalaſſio, Presbyteris & Archi-Mandritis.*

EGregius quidem zelus Religioſitatis eſt veſtræ, & omni laude ſtudium plenum. Zelantes enim Deo zelatis, ut ſcriptum eſt, ut non & nunc ab his, qui ea, quæ ſunt Neſtorii,
Pſalm. 68. ſapiunt, exhonoratus inquiat: *Suſtinuimus qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & conſolantem, & non inveni*. Et hi quidem, qui Dogmatibus Religionis, ſive Dei culturæ obſiſtunt, contra ſtimulos calcitrant, & in ſuiſipſorum nocent animabus offendentes in Chriſtum, & contra eum calumniis ſe oblectantes. Alienum verò eſt ab anima Sacerdotis, & quæ Populis præſidere ſortita eſt, lingua quidem anathematizare polluta & contaminantia Neſtorii Dogmata, refertam verò eis habere mentem, & evertere animas Fratrum, pro quibus Chriſtus eſt mortuus.

Scripſi ergò & Domino meo Admirandiſſimo Tribuno & Notario Ariſtolao, quæ utique ſcriptura eſt Religioſitas veſtra. Scripſi verò & aliis quibuſdam. Cognoſcens verò & hoc à Reverendiſſimo Presbytero & Archi-Mandrita Adamantio, cujus & mores, & converſationem, & diſciplinam cum intellectu & rectitudine circa fidem miratus ſum, & quaſi omnes in uno præſentes adſpexi. Quoniam verò mihi multi Orthodoxorum & Religioſiſſimorum Epiſcoporum ſcripſerunt oppoſita ſibi, ſeu Populis, qui ſub eorum manu ſunt, ab inſenſatis Neſtorianis *obtrudi*, colligens ea librum brevem ſcripſi de Incarnatione Unigeniti, ut in tribus Capitulis redigens omnem de fide ſermonem. Et primùm quidem eſt, quod Sancta Virgo ſit Dei Genitrix. Secundum, quia unus eſt Chriſtus, & non duo. Tertium verò, quia manens impaſſibilis Dei Sermo pertulit propria carne pro nobis. Igitur Religioſitas veſtra præparet eum ab Orthodoxis legi. Placebit enim, ſicut arbitror, omnem ferè illorum ſolutam habens excuſationem. Pro me verò facere Orationes ne pigeat vos. Multa enim undique ſe effundens negotiorum coarctio inſtar fluctuum conflictum habet intolerabilem: Credo autem & per orationes Religioſitatis veſtræ erit iterum tranquillitas & pax.

## CAPUT CCIX. –298

*Ejuſdem Cyrilli Epiſtola Ariſtolao Tribuno & Notario.*

PLurum Sanctionum, quæ nuper ad Admirabilitatem tuam ſunt tranſmiſſæ, virtutem addidicerunt omnes, tam qui ſunt in magna Alexandria Zelotæ, quam qui per univerſam quoque Ægyptum Epiſcoporum Religioſiſſimi, & rurſus orationes pro donis obtulimus intentiſſimas Deo de victoria, & permanſione amicorum Chriſti, & Religioſiſſimorum Principum noſtrorum, quos & contingat magnificari contra hoſtes, & corroborari adversùs omnem reſiſtentiam manum, ut ſimus omnes in pace atque lætitia. Eſt verò id & tuæ Admirabilitatis ſtudio dignum. Oportuit enim ut tibi, qui talis es, & qui multùm intendis quod pium eſt, & habes fervidum zelum, dico autem, pro pietate & immaculata fide committeretur & hoc. Et orabam quidem, ut omnes per Orientem Religioſiſſimi Epiſcopi nec ſuſpecti à principio ullatenus fierent de malo ſenſu Neſtorii, ſed ſinceram & omni inquinamento liberam opinionem, & ipſum cor habuiſſent. Sic enim verbum veritatis rectè tractantes curam decentem probatiſſimi induiſſent. Sed, ut addiſco, lingua quidem nonnulli, & quod attinet uſque ad ſermonem, anathematizant veſaniam Neſtorii, audent verò rurſus ea & ſapere & loqui, quæ ejus ſunt. Et incredibile quidem

eſt,

Digitized by Google

eſt, ſi ſint quidam tales ullatenus eorum, qui ſortiri ſunt Sacerdotium.

Quia verò multa eſt confuſurratio, & non deſpicienda, immò & omni reverentia dignæ ſunt perſonæ hæc teſtantium, dignetur tua Virtus ſemetipſam Deo commendandam cura attentiori intendere, ut præcipuè qui in ſuſpicione ſunt hujuſmodi mali, anathematizent contaminatum Neſtorium propter multas blaſphemias ejus. Non enim id tantùm dixit, quia Sancta Virgo non eſſet Dei Genitrix, ſed & alia ſuper hæc adjiciebat mendacii patrocinia contra rectam & Apoſtolicam traditionem. Duos enim nominabat Chriſtos Filios: Unum quidem ſemotim ex Deo Patre Verbum, alterum verò præter eum ſemotim, illum ex ſemine David, & quem Divinitatis Organum nominabat. Et dividens ubi-
Ephеſ. 4. que, & quaſi oblitus Beati Pauli dicentis: *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*. Non enim in Deum & hominem baptizati ſumus, ut in duos per differentiam Filios, ſed in unum Chriſtum. Id eſt, Unigenitum Dei Verbum inbumanatum & incarnatum. Ut ſit idem ipſe Deus ſimul & homo. Ut ex Deo quidem Patre genito Deo unico, ex Sancta verò Virgine eodem ſecundùm carnem.

Non igitur patiatur Admirabilitas tua, eos, qui alia ſapiunt, & nequidquam garriunt illic. Unus eſt enim, ſicut dixit, Jeſus Chriſtus Dominus, & ejus una perſona: Inhumanati ejus, qui natura & verè eſt Filius. Eundem verò dicimus impaſſibilem quidem eſſe ſecundùm Divinitatem, pati verò propria carne ſecundùm Scripturas. Cujus enim proprium eſt corpus, illius eſſe dicuntur & quæ carni ejus contigerunt, paſſiones. Impaſſibilis ergo ſecundùm Divinitatem ſubſiſtens in propria carne pertulit propter nos, & pro nobis. Sic & univerſa dicuntur, ut vivificante Deo unitam ſibi carnem & propriam ejus, & nos in ipſo & morte & corruptione potiores efficiamur. Si verò & anathematizant quidem voce & lingua, & ſapiunt altera, videant impendens ſibi à Deo periculum, & prolatum terminum ab univerſali Concilio, quod in Epheſo congregatum eſt. Definivit enim, ut qui ea, quæ ſunt Neſtorii, loquuntur aut ſapiunt, ſive Epiſcopi fuerint, ſive Clerici, à Sacerdotio repellantur. Ne dicant, quod eam, quæ in Epheſo congregata eſt, Synodum neſciant: Ut non eos abnegemus & nos tamquam neſcientes Epiſcopos eſſe.

## CAPUT CCX. --299

*Hanc ſequitur illa, quam & Irenæus poſuit, ab eodem Cyrillo ad Ariſtolaum ſcriptam. Epiſtola ejuſdem Joanni Antiocheno contra Theodoretum.*

EGo quidem abſterſiſſe à ſe maculam Neſtorii vocum novitatis unà cum aliis Religioſiſſimis Epiſcopis ſuſpicabar Reverendiſſimum Epiſcopum Theodoretum. Credebam namque, quod poſtquam ſemel ſcripſit & amplexus eſt pacem, ac recepit à me ſalutationis pacem, quæ pacationi videbantur officere, abſtulerit & ipſe de medio. Sed mihi tradidit Reverendiſſimus Presbyter Daniel, *quod* nunc uſque perſiſtit. A plurimis enim recedens, permanet forſan in ejus blaſphemiis. Et clarum eſt, ſi nec anathematizavit eas, *quod* neque pertulit ejus dejectioni ſubſcribere. Et mihi det fiduciam Sanctitas tua ex charitate dicenti: Quam ob cauſam ſic pertinaces ſunt aliqui, ut non ſequantur probabilem tuæ Rengioſitatis intentionem, neque in his, quæ cum Orbe feciſti? Sed quaſi quidem dehonorantes congregationem ſint, ita quod ſibimetipſis videtur confirmant. Et ſi ea, quæ didici vera ſunt, debet intrare in experimentum tuæ Religioſitatis aculeorum prædictus Religioſiſſimus vir.

## CAPUT CCXI. ---300

*Epiſtola ejuſdem Moſæo Epiſcopo Antaradi.*

EGo quidem ſemper tuæ Religioſitati ſcribere non omiſi & litteras ab ea directas accipere. Quæ verò mota ſunt inter hæc, taciturnitatis cauſa ſunt facta mihi & tibi. Quæ & det Deus radicitùs cadere, atque è medio fieri. Volunt quidam ſpinas, quæ inter erigunt ſepem, & diſruptionem, qua noſtri affectus ad invicem convenire non valeant. Perturbaverunt enim me omninò, qui circa Reverendiſſimum Archi-Mandritam Maximum, ſcribentes quædam, quæ ad ſummam blaſphemiam pertinent, & dicentes quod illa ad eos à tua Religioſitate ſint dicta. Oportet verò nos, ut ſicut ad corda ſcientem ſuper omnia Deum ſic purè accedamus, & non ut lingua quidem confiteamur contradictionem pollutorum Dogmatum Neſtorii, in anima verò aliud habeamus. Et hæc ſcribo, his quidem quæ dicta ſunt non valde credens, ſed opinionem tuam

Reli-

Digitized by Google

Religioſitatis præmunire volens. Valde verò ſum delectatus inſpiciens ea quæ à tua Religioſitate ſunt ſcripta, & per Dominum meum deſideratiſſimum filium veſtrum Thomam.

## CAPUT CCXII. —301

*Epiſtola ejuſdem Acacio Melitinenſi.*

LAtere tuam non oportuit Sanctitatem, quæ forſan & didicit: Quod venerint omnes Religioſi Orientis Epiſcopi in Antiochiam, dirigente eis Tomum meo Sanctiſſimo Epiſcopo Proclo, bonis ſenſibus & rectis dogmatibus plenum. Erat namque ſermo multus & longus de diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti: Subdidit verò & nonnulla Capitula ex Codicibus excerpta Theodoti, & Neſtorii malis ſenſibus convenientem habentia intellectum. Et hortatus eſt, ut anathematizarentur ab eis. Ipſi verò non paſſi ſunt. Deinde ſcripſerunt ad me, quia ſi anathematizari contigerit Scripta Theodori, omninò percurrere hanc maculam & ad Sanctos Patres noſtros: Athanaſium verò dico, & Baſilium, & Gregorium, & Theophilum, & cæteros. Scripſerunt enim, inquiunt, & ipſi quædam Theodoro conſona. Erat neceſſarium ſcribere, & non qualiacumque, ad eos: Quæ & nota tuæ faciet Sanctitati Reverendiſſimus Presbyter Daniel, qui Alexandria navigat advenire. Et per ſingula integrè novit ea, quæ mota ſunt.

## CAPUT CCXIII. —302

*Epiſtola Acacii Melitinenſis ad Cyrillum poſt Synodum Epheſi habitam.*

QUoniam didici, quia per Dei gratiam prævaluiſti per orationes, & abſque corporis præſentia, quæ ſtudebatis pro Eccleſiis obtinere, & litteræ Piiſſimi & Amatoris Chriſti Imperatoris directæ ſunt ad Clariſſimum per omnia virtutum Virum, Tribunum Ariſtolaum, præcipientes ei, ut cogat unumquemque Epiſcoporum in ſua Eccleſia anathematizare polluta Neſtorii & Theodori impietatis dogmata, gratias agens adorando Domino Deo, & multùm pro tuo ſtudio orans, ſcribo priùs quidem ſalutans Reverentiam tuam, & rogo zelum tuum, qui circa Deum eſt, ut æquè quidem pro cunctis Eccleſiis curas, & neque quamlibet Eccleſiam deſpicias, ſed aut per verba ipſorum præſentia, aut quoſdam dirigendos cum Admirandiſſimo & Clariſſimo Tribuno fideles & zelantes viros ex tuis ſodalibus cogas unumquemque publicè anathematizare Neſtorii & Theodori Dogmata & præcipuè dicentes duas naturas poſt unitionem, ſemotim quamque operantem. Expertus namque eos, qui ſunt in Germanicia, inveni quidem illos dicere duos filios, olim duas naturas dicere minimè devitantes. Unde non concedatur dici ab eis & doceri, quod unaquæque natura ſecundùm ſemetipſam operetur: Et hæc quidem ſuſceperit paſſiones, illa verò impaſſibilis manſerit. Nihil eſt enim aliud niſi rurſus duos filios confiteri, duaſque introducere perſonas. Rogo igitur compaſſibilem & Deo deditam animam tuam, ut pro cauſa invigiles, à Domino Chriſto tempus accipiens, & obtineas ſanctis Eccleſiis abſque ſcandalo & macula unitionem.



Poſt hanc jacet deſcripta, ut ajunt, ad hanc longa Epiſtola, cujus initium: *Res quidem eſt inter Fratres collocutio dulcis*, &c. Quam poſuimus olim ab alio translatam, ut erat.

## CAPUT CCXIV. —303

*Epiſtola ejuſdem ad Succeſſum Epiſcopum Dio-Cæſareæ, Iſauriæ Provinciæ.*

PErlegi quidem Commonitorium, quod à tua eſt Sanctitate tranſmiſſum, nimiùm verò ſum gratulatus: Quod & dum valeas nobis aliiſque prodeſſe, ex multo amore doctrinæ hortari digraris, ut ea quæ tenemus omninò, & benè ſe habere perſpicimus, hæc ipſa & ſcribamus. Sapimus ergo de Salvatoris noſtri diſpenſatione ea, quæ & Sancti Patres, qui ante nos fuerunt. Legentes enim labores illorum, ſic noſtra coaptamus nunc, ut illos ſequamur, & nihil novi eorum dogmatum rectitudini invehamus. Quia igitur tua Perfectio percunctatur, utrùm dici oportet ſuper Chriſto duas naturas, an non, arbitratus ſum reſpondere ad iſta.

Diodorus quidam Pneumato-Machus, id eſt, Spiritui Sancto repugnans erat, qui, ut dicunt, circa tempus Orthodoxorum communicavit Eccleſiæ: Deponens, ut putavit, Macedonianæ hæreſis maculam, languorem incurrit in alterum. Sapuit enim & ſcripſit, quod alter quidem ſemotim ſit Filius, qui eſt ex ſemine David, ex Sancta Virgine genitus, alter vero propriè Filius, Sermo qui ex Deo eſt Patre. Velut ovis autem pelle obumbrans lupum, ſimulat quidem unum ſe dicere Chriſtum, referens nomen ad ſolum

Dei Patris Verbum genitum, ex Deo Unigenitum. Ut verò in ordine gratiæ deputat hoc, ut ipſe dicit, & ei qui eſt ex ſemine David. Et Filium vocat. Unitum verò non ſicut nos glorificamus, ſed circa dignitatem ſolam, & circa authoritatem, & ſecundùm honoris æqualitatem.

Hujus Diſcipulus fuit Neſtorius. Et ex illius obtenebratus Codicibus ſimulat quidem ſe unum & Chriſtum, & Filium, & Dominum confiteri, partitur verò & ipſe in duo unum impartibilem, hominem dicens Deo eſſe conjunctum æquivoca nuncupatione, æquo honore, dignitate. Quin etiam voces, quæ in Evangelicis prædicationibus de Chriſto ſunt poſitæ, definit ac dicit has quidem coaptari debere homini, manifeſtum eſt utique quod humanas; illas verò Deo Verbo ſingulariter convenire. Manifeſtum eſt utique quod Deo decentes. Et quoniam ſequeſtrat multipliciter, & quaſi à parte ponit ut hominem ſemotim eum, qui eſt ex Sancta Virgine genitus, & ſemotim ſimiliter & à parte Filium eum, qui eſt ex Deo Patre, Sermonem. Ob hoc Sanctam Virginem dicit non eſſe Dei Genitricem, ſed Genitricem potiùs hominis. Nos verò non ſumus ita hæc ſe habere diſpoſiti, ſed à Divina Scriptura, & à Sanctis Patribus ſumus edocti unum Filium, unum Chriſtum, & Dominum confiteri. Id eſt, ex Deo Patre Sermonem; genitum quidem ex ipſo ante ſæcula, Deo decenter & ineffabiliter; in noviſſimis vero temporibus ſæculi eundem propter nos genitum ſecundùm carnem ex Sancta Virgine. Et quia Deum inhumanatum & incarnatum genuit, idcircò eam & Dei Genitricem nominamus.

Unus eſt igitur Filius, unus Dominus Jeſus Chriſtus, & ante incarnationem, & poſt incarnationem. Non enim alter eſt Filius ille ex Deo Patre Sermo, alter verò rurſus hic ex Sancta Virgine, ſed ipſe ille, qui ante ſæcula, & ſecundùm carnem ex muliere genitus creditur. Non tanquam Divinitas ejus initium quoque eſſe acceperit, vel certè ad ſubſiſtendi principium per Sanctam Virginem ſit vocata, ſed quia potiùs, ſicut dixi, ante ſæcula exiſtens Verbum ex ipſa ſecundùm carnem natum eſſe dicatur. Propria namque erat ejus caro, ſicut cætera uniuſcujuſque noſtrum: Et proprium ejus corpus. Quoniam verò quidam objiciunt nobis Apollinarii Sectas, & dicunt: Si unum dicitis per unitionem integram & conſtrictam Filium ex Deo Patre Verbum inhumanatum & incarnatum, forſitan & illud utique ſomniatis, & cognoſcitis ſapiendum, quod confuſio, aut contemperatio, aut confermentatio facta ſit Verbi ad corpus, ſeu certè corporis translatio in Divinitatis naturam.

Ob hoc igitur & valde ſapienter repellentes calumniam dicimus, quia Sermo, qui ex Deo Patre eſt, inæſtimabiliter atque ineffabiliter univit ſibi corpus animatum anima intellectus capaci, & proceſſit homo ex Virgine, non per mutationem naturæ ſecundùm nos factus, ſed magis diſpenſativa benevolentia. Voluit enim fieri homo, & ſecundùm naturam Deus eſſe non perdidit. Sed etſi in his, quæ ſecundùm nos ſunt, depoſitus eſt menſuris, & portavit formam ſervi, & ſic permanſit in excellentiis Deitatis, & in Dominatione naturali. Adunantes igitur nos ſanctæ carni, habenti animam intellectualem, ineffabiliter ac ſublimiter intellectum ex Deo Patre Verbum, inconfuſè ac inconvertibiliter unum Filium, & Chriſtum, & Dominum confitemur. Eundem Deum & hominem, non alterum & alterum, ſed unum & eundem, hoc & illud exiſtentem & intelligendum.

Igitur aliquando fidem, ut homo diſpenſativè, humanè loquitur, aliquando verò ut Deus facit cum poteſtate Deo decente ſermones. Dicimus verò & illud, diſquirentes bona arte in carne diſpenſationis modum, & ſubtiliter Myſterium calculantes videmus, quod is, qui ex Deo Patre eſt Sermo, inhumanatus eſt & incarnatus, & non ſibi ex Divina natura ſanctum illud corpus plaſmavit, ſed magis ex Virgine id accepit. Alioquin quomodò factus eſt homo, niſi quia corpus portavit humanum? Advertentes igitur, ut dixi, inhumanationis modum, videmus quia duæ naturæ ad invicem convenerunt unitione indiſrumpibili inconfuſè atque inconvertibiliter. Caro enim caro eſt, & non Deitas, etſi Dei facta eſt caro. Similiter verò & Verbum Deus eſt, & non caro, etſi carnem diſpenſativè propriam fecit. Quando igitur intelligimus hoc, nihil nocemus ei, qui eſt in unitate, concurſui. Et ex duabus naturis factum fuiſſe dicentes, verumtamen poſt unitionem non dividimus naturas ab invicem, nec in duos incidimus Chriſtum, & ut Patres dixerunt, *dicimus* unam naturam Verbi incarnatam.

Igitur quod quidem pertinet ad intellectum, & ad ſolum animæ oculorum viſum, quomodò *fit* inhumanatus, duas naturas dicimus eſſe unitas, unum verò Chriſtum, & Filium, & Dominum Dei Verbum inhumanatum & incarnatum. Et ſi videtur, ad exemplum ſuſcipiamus compoſitionem ſecundùm nos ipſos, qui homines ſumus. Compoſiti enim ſumus ex anima & corpore. Et videmus duas naturas, alteram quidem corporis, alteram verò animæ; ſed unus homo ex ambabus circa unitionem: Et non ex eo quod ex duabus naturis ſit homo compoſitus, duo homines unus efficitur, ſed unus homo, ut dixi, ſecundùm compoſitionem ex anima conſtat & corpore. Nam ſi auferimus quod ex duabus diverſiſque naturis unus & ſolus ſit Chriſtus indiſruptus exiſtens, unitionem dicunt Orthodoxæ fidei repugnantem. Si una natura eſt totum, quomodo inhumanatus eſt, aut qualem carnem propriam fecit?

Quoniam verò in ipſo Hypomnyſtico talem ſermonis inveni ſententiam, quod poſt reſurrectionem ſanctum corpus Salvatoris omnium noſtrum Chriſti in totum *fit* ſola Divinitas, oportere arbitratus ſum & ad hoc reſpondere. Scribit

Beatus

Beatus Paulus, cauſas inhumanationis Unige-
niti Filii Dei nobis enarrans, aliquando quidem:
Rom. 8. *Quod enim impoſſibile erat legi, in quo infirmatur,*
*mittens Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis*
*peccati, peccatum damnavit in carne, ut juſtifica-*
*tio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm car-*
Hebr. 2. *nem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Aliquan-
do verò: *Quia igitur pueri communicaverunt carni*
*& ſanguini, & ipſe ſimiliter communicavit eiſdem.*
*Ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis Im-*
*perium*, id eſt, Diabolum, *& liberaret eos,*
*quicumque timore mortis per totam vitam obnoxii*
*erant ſervituti. Non enim Angelos apprehendit.*
*Unde debuit per omnia Fratribus ſimilari.* Dicimus
igitur quoniam ex tranſgreſſione in Adam corru-
ptionem pertulit humana natura, & quaſi tyran-
nidem ſuſtinet animus noſter ex voluptatibus,
ſeu motibus carnis inſitis in naturam, *neceſſarium*
*fuiſſe*, ut humanam carnem corruptioni ſubje-
ctam, & voluptatis amore languentem, pro-
priam faceret. Et quoniam vita eſt & vivificans,
deſtrueret quidem corruptionem, quæ in ea eſt,
increparet verò in natura inſitos motus, hos vi-
delicet qui ad amorem provocant incongruæ vo-
luptatis. Sic enim congruebat in ea mortificari
peccatum. Recordemur verò & Beati Pauli,
legem peccati vocantis motum, qui nobis eſt in-
ſitus. Igitur quoniam caro humana propria Ver-
bi eſt facta, quievit quidem corruptionem ſuffer-
re. Et quia peccatum neſcit ut Deus, ipſe eam
faciens propriam, & ſuam, ſicut dixi, monſtra-
vit, *illa* deſiit & voluptatis amore languere. Et
non ſibimetipſi id impetravit, Sermo unicus Dei
eſt enim, qui eſt ſemper, ſed utique nobis. Si
enim ſubjecti ſumus his malis, quæ ſunt ex
tranſgreſſione Adæ, venient modis omnibus in
nobis & ea, quæ ſunt in Chriſto: Id eſt, incor-
ruptibilitas mortificati peccati.

Ergo factus eſt homo, non hominem recepit,
ut videtur Neſtorio. Et ut factus homo credere-
tur, dum certè permaneret quod erat, utique
Deus ſecundùm naturam, ob hoc & eſurire dici-
tur, & laborare, & ſuſtinere. Suſtinere verò
& ſomnium, & perturbationem, atque triſti-
tiam, & alias irreprehenſibiles paſſiones. Ut
autem rurſus ſatisfaceret videntibus ſe, quia ho-
mo ſimul erat & verus Deus, Divina operabatur
ſigna, increpans mare, ſuſcitans mortuos, &
alia inopinatò perficiens. Suſtinuit verò & cru-
cem, ut carne patiens mortem, & non Divini-
tatis natura, fieret primogenitus ex mortuis, &
iter perveniendi ad incorruptionem panderet hu-
manæ naturæ, & Infernum ſpolians misereretur
animabus, quæ illic tenebantur obtruſæ. Poſt
reſurrectionem verò idem quidem corpus, in quo
paulò antè pertulerat, verumtamen non habebat
in ſeſe infirmitates humanas. Non enim de cæ-
tero eſurit, aut famis, vel laboris, aut cujusli-
bet talium eſſe ſuſceptibile dicimus, ſed de cæte-
ro incorruptibile. Et non hoc tantùm, ſed &
vivificum: Vitæ ſiquidem corpus eſt. Id eſt,
Unigeniti. Effulſit verò & Deo decentiſſima glo-
ria: Et intelligitur Dei corpus.



Igitur & ſi quis dixerit id Divinum, ſicut &
hominis humanum, orationis decore non de-
viat. Undè arbitror & Sapientiſſimum Paulum
dixiſſe: *Si verò & cognovimus ſecundùm carnem* 2. Cor. 5.
*Chriſtum, ſed nunc non cognoſcimus.* Dei enim,
ſicut dixi, corpus exiſtens proprium omnia hu-
mana tranſcendit. Translationem verò vel tran-
ſitum in Divinam naturam corpus ex terra pati,
poſſibile non eſt, ſed eſt impoſſibile. Alioquin
Divinitati derogabitur quaſi factæ, & quaſi reci-
pienti id in ſeipſam, quod ejus ſecundùm natu-
ram proprium non ſit. Æquum namque eſt dice-
re, quod mutata caro in Divinitatis naturam, &
dicere, quod mutatum ſit Verbum in humanam
naturam. Nam ſicut impoſſibile eſt hoc, incon-
verſibilis namque & immutabilis eſt, ita & alte-
rum. Nec enim dici poteſt in Divinitatis ſub-
ſtantiam vel naturam poſſe quamlibet ex creaturis
tranſire: Creatura verò & illa caro. Ergo eſſe
quidem corpus Chriſti Divinum, quia Dei eſt
corpus, & ineffabili gloria illuſtratum, incor-
ruptibile, ſanctum, vivificum; quod verò Di-
vinitatis mutatum ſit in naturam, neque Sancto-
rum Patrum ſapuit ullus, neque nos ita ſenti-
mus.

Non ignoret verò & illud Sanctitas tua, quod
Beatæ memoriæ Pater noſter Athanaſius, qui
fuit tunc Alexandrinus Epiſcopus, motis tunc
temporis aliquibus, ſcripſit Epiſtolam ad Epicte-
tum Corinthi Epiſcopum, per omnia recta fide
refertam. Quoniam verò & ex ipſa convinceba-
tur Neſtorius, & rectæ fidei Aſſertores legentes
hanc ipſam, vincebant eos qui ſimilia ſapere vo-
luiſſent, ad convictiones ſuas ex ea quid dicere
non habentes, amarum quiddam machinati ſunt,
& impietate hæretica dignum. Corrumpentes
enim eandem Epiſtolam, & alia quidem ſubtra-
hentes, alia verò adjicientes ediderunt, ita ut
videretur ille prædicandæ memoriæ vir conſona
ſenſiſſe Neſtorio & ſimilibus ejus. Erat igitur
neceſſarium, ne fortè & illuc perferantur quibuſ-
cumque corrupta, de exemplaribus, quæ apud
nos ſunt, paria ſumpta tuæ Religioſitati dirige-
re. Etenim Reverendiſſimus & Religioſiſſimus
Emeſenorum Epiſcopus Paulus, ad Alexandriam
veniens, movit de his ſermones, & inventus eſt
habens quidem exemplar illius Epiſtolæ, ſed cor-
ruptum ab hæreticis & infectum, ita ut ſupplica-
ret, quatenus ex noſtris exemplaribus Reſcri-
ptum dirigeretur his, qui ſunt Antiochiæ: Quod
& deſtinavimus.

Sequentes igitur per omnia Sanctorum Patrum
ſententias, contra Neſtorii dogmata ſcripſimus
codicem, & contra aliorum quorundam Capitu-
lorum, quæ ſunt vituperanda, virtutem: Et
iſta tuæ Religioſitati tranſmiſi, ut ſi qui ſunt alii
conſideles, & unanimes Fratres noſtri, quibus
quorundam multiloquio ſit ſubreptum, & pu-
tent quod pœnituerimus de his, quæ contra Ne-
ſtorium ſcripſimus, ex lectione addiſcant, quia
benè & rectè corripuimus & increpavimus ut er-
rantem. Et nunc nihilominùs reſiſtimus ubique
ejus blaſphemiis repugnantes. Tua verò Perfe-

ctio, quæ & ultra *valet intelligere, tum ſcribendo, tum orando nos quoque juvabit.*

Aliorum quorundam Capitulorum, quæ ſunt vituperanda, virtutem dupliciter interpretari quis poteſt, ut etiam dicatur contra alios quoſdam, qui accuſati erant illorum Capitulorum virtute: Ut de ſuis id intelligatur dixiſſe Capitulis. Ubique tamen de omnibus hujuſmodi Scriptis, ubi una ſonat ex duabus dicta natura, hoc generaliter dico, quia multa ſatis potui non perfectiſſimæ acribiæ Dicta monſtrare contra eos, qui velut ex hujus viri authoritate opiniones impetunt & memorias Patrum. Niſi quia nunc hoc propoſitum non eſt: Exnodicum quippè, non Apologeticum ſolum ſcripſimus. Et hìc, prout inveniuntur apud diverſos diverſa, abſque integrioris inquiſitionis præjudicio collocamus.

## CAPUT CCXV. ---304

*Epiſtola ſecunda ejuſdem Sanctiſſimi Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ ad eundem Sanctiſſimum Epiſcopum Dio-Cæſareenſem Iſauriæ.*

CLarsm quidem ſemetipſam conſtituit veritas diligentibus eam, abſcondit verò, ut æſtimo, & tentat latere intelligentias Verſutorum. Non enim dignos ſemetipſos pronunciant, ut eam clatis oculis cernant. Et immaculatæ quidem fidei dilectores quærunt Dominum in ſimplicitate cordis, ut ſcriptum eſt; qui autem per diſtorta, & aſpera itinera meant, & cor habent ſiniſtrum, ſeu vanum, ſicut in Pſalmis ſcriptum
Pſal. 100. eſt, pervorſis intellectibus multiplices coacervant ſibimetipſis occaſiones, *ut pervertant vias Domini rectas*; & avertant animas ſimpliciorum ad ea, quæ non licent, quaſi liceant ſentienda. Et hæc inquam tuæ Sanctitatis Hypomnyſticis agnitis, & inveniens in eis quædam incautè propoſita ab his, qui neſcio qualiter falſæ ſcientiæ diverſalia diligunt. Erant verò hæc.

*Si ex duabus naturis*, inquiunt, *collectus eſt Emmanuel, poſt unitionem verò una natura Verbi incarnata, ſequetur omninò dici oportere pati eum in ſua natura.*

Beati Pstres, qui Sanctum rectæ fidei Symbolum nobis definierunt, inquiunt ipſum ex Deo Verbum, quod ex ejus eſt ſubſtantia Unigenitum, per quod facta ſunt omnia, incarnatum atque inhumanatum, & quemadmodum dicemus neſciſſe illos Sanctos, quia unitum Verbo corpus erat animatum anima intellectuali? Conſequitur ex hoc, ut qui incarnatum dicit Verbum, non abſque intellectuali anima illam fateatur carnem, quæ unita eſt ei. Sic enim, ſicut quidem arbitror, quin potiùs ut cum fiducia dico, & Sapientiſſimus Evangeliſta Joannes Verbum carnem factum dixit, non tamquam, quod abſit, inanimatæ carni unitum ſit, ſeu quod tanquam converſionem mutationemve ſuſtulerit. Manſit verò quod erat, idem natura Deus. Aſſumens verò, ut eſſet homo, ſive ſecundùm nos ex muliere ſecundùm carnem, rurſus unus perſtitit filius. Verumtamen non jam ſine carne, ſicut olim, vel ante tempora inhumanationis, ſed potiùs velut veſtitus etiam noſtra natura. Sed etſi non eſt conſubſtantiale Verbo corpus, quod ei unitum eſt, & in quo intellectualis eſt anima; tamen phantaſia quidem mentis adſpicit ea, quæ unita ſunt, alterius eſſe naturæ, unum verò Filium, & Chriſtum, & Dominum confitemur, ut carnem facto Verbo. Quando autem dicimus carnem, hominem dicimus. Quæ igitur neceſſitas eſt pati eum in ſua natura, ſi poſt unitionem dicatur una natura filii incarnata? Si enim non eſſet in ſermonibus de diſpenſatione id, quod ſolet ſuccumbere paſſioni, rectè diceretur, quod dum non ſit id, quod pati ſolet, omni neceſſitate ſequeretur Verbi naturæ contingere paſſionem; ſi verò in eo, quod dictum eſt, *Incarnatum*, univerſus à nobis ſermo diſpenſationis cum carne habita introductus eſt, incarnatus enim non aliter, niſi *Apprehendens ſemen Abrahæ*, & *Aſſimilatus per omnia fratribus*, & *Formam ſervi accipiens*, vano multiloquio ſunt uſi, qui dicunt conſequi oportere omninò in ſua eum pertuliſſe natura, dum ſubjaceat caro, circa quam conſequentiſſimè paſſio intelligitur contigiſſe, Verbo impaſſibile exiſtente. Sed non ob hoc à paſſionibus excludimus eum. Quia ſicut ejus proprium corpus eſt factum, ſic univerſa quæ corporis ſunt, excepto ſolo peccato, nihilominùs dicentur ipſius per adſcitionem diſpenſativam. Hebr. 2. Philipp. 2.

*Si una*, inquiunt, *natura Verbi incarnata, omni quodammodo neceſſitate conſequitur dicere fermentationem factam & contemperationem, quaſi imminuta & ſubtracta in eo noſtra natura.*

Ignoraverunt iterum, qui recta pervertunt, quod ſecundùm veritatem una natura Verbi ſit incarnata. Nam ſi unus eſt Filius, qui natura & veritate eſt Sermo, qui ex Deo Patre eſt ineffabiliter genitus, deinde circa aſſumptionem carnis, non inanimatæ, quin potiùs animatæ intel-

lectua-

lectualiter, Homo proceſſit ex muliere, non in duas partietur perſonas filius, ſed unus permanſit. Veruntamen non abſque carne, neque foris à corpore, ſed habens id proprium circa unitionem indeciſcibilem. Qui verò hoc dicit, non fermentationem, non confuſionem, non aliud aliquid tale modis omnibus ſignificat. Nec verò id unquam quaſi ex neceſſaria ratione conſequitur. Si enim & unus dicatur à nobis Unigenitus Filius Dei incarnatus & humanatus, non ob hoc, ut illis videtur, fermenti modo commixtus eſt. Neque verò in carnis naturam Verbi natura tranſlata eſt. Sed nec carnis in hujus. Sed in proprietate, quæ eſt ſecundùm naturam, utroque manente, atque intelligendo ſecundùm hanc, quæ à nobis nuper eſt reddita, rationem, ineffabilis & inenarrabilis unitio unam nobis oſtendit Filii naturam, verumtamen, ut dixi, incarnatam. Non enim in ſolis ſimplicibus ſecundùm naturam unum verè dicitur, ſed in illis quoque, quæ compoſitione collecta ſunt. Qualis quædam res eſt homo ex anima & corpore. Quæ quidem diverſæ ſunt ſpeciei, & non conſubſtantialia ad invicem, ſed tamen unita hominis naturam perfecerunt: Etſi compoſitionis rationibus differentia ineſt circa eorum, quæ ad unitionem ſunt conducta, naturam. Superflua igitur loquuntur hi, qui dicunt, quia ſi una natura eſt Verbi incarnata, modis omnibus conſequitur fermentationem fieri & contemperationem, quaſi imminuta & ſubtracta ei hominis natura. Nec enim diminuta eſt, neque ut dixerunt, ſubtrahitur. *Ad pleniſſimè enim declarandum, quod ſit factus homo*, ſufficiè *fateri illud fuiſſe incarnatum*. Si id tacitum fuiſſet à nobis, habuiſſet eorum calumnia locum. Quoniam neceſſariò adjectum eſt id, ubinam mutationis vel ſubtractionis eſt locus?

*Si perfectus*, inquiunt, *Deus Chriſtus, idemque intelligendus homo perfectus, & conſubſtantialis quidem Patri ſecundùm Deitatem, ſecundùm humanitatem verò conſubſtantialis nobis, ubi eſt id ipſum, quod perfectum eſt, ſi hominis natura non ſubſiſtit? Ubi verò & conſubſtantiale nobis, ſi non manſit ſubſtantia, quæ noſtra natura?*

Adn. Nor. In edicto Juſtiniani contra tria Capitula T.5.Conc. p.691.A.

Sufficit & huic ad manifeſtationem ſolutio præmiſſi Capituli, ſeu certè excuſatio ejus. Si enim dicentes unam naturam Verbi, tacuiſſemus non adjicientes *Incarnatam*, ſed quaſi extraponentes diſpenſationem, eſſet eis, & forſan non niſi veriſimilis, ratio interrogare fingentibus: *Ubi eſt in humanitate perfectio, vel quomodo ſubſiſtit noſtra ſubſtantia?* Quoniam verò & in humanitate perfectio, & noſtræ ſubſtantiæ manifeſtatio introducta eſt per hoc, quod dicitur *Incarnatu*, quieſcant incumbere canneæ virgæ. Hoc namque erat refutare diſpenſationem, & incarnationem negare, & ob id juſtè inclamare: *Si à Filio perfecta humanitas auferetur?* Si verò, ut dixi, in eo quod dictum eſt *Incarnatus*, clara eſt atque indubitabilis ſatisfactio, quod homo ſit factus, nihil jam prohibet intelligere, quia unus exiſtens & ſolus Filius Chriſtus, idem Deus & homo eſt, ut in Divinitate perfectus, ita & in humanitate perfectus.

Rectiſſimè ergò & nimiùm ſapienter tua Perfectio rationem ſalutaris paſſionis exponit, non ipſum Unigenitum Dei filium, ſeu qui intelligitur & eſt Deus, pati in ſua natura quæ ſunt corporis aſſeverans, ſed terrena potiùs pertuliſſe natura. Oportet enim neceſſario ambo ſervire uni, & ſecundùm veritatem Filio, & non pati Divinè, & dici pati humanè. Ejus enim paſſa eſt caro. Sed arbitrantur rurſus illi nos eam, quæ apud ipſos Dei paſſio vocatur, inducere per iſta, quæ diximus, & non intelligunt diſpenſationem. Fraudulentiſſimè verò tentant transferre in hominem ſepoſitè paſſionem, damnum ſibi pietatis per ſuam ſapientiam providentes, ut non à Deo Verbo dicamur eſſe ſalvati, tanquam qui proprium pro nobis ſanguinem dederit, ſed ab homine potiùs, qui ſepoſitè ac ſequeſtratim Filius intelligendus ſit. Hoc quicumque ſic ſapit, omnem diſpenſationis cum carne rationem, & Divinum myſterium noſtrum non immanifeſtè ad hominis culturam redigit. Et non cogitat quod eum, qui ex Judæis eſt ſecundùm carnem, id eſt, ex ſemine Jeſſe & David, Chriſtum Dominum gloriæ, & Deum benedictum in ſe & ſuper omnia Beatus Paulus dixerit, proprium illud corpus Verbi pronuncians, quod ligno adfixum eſt, & ipſi per hoc deputaverit crucem.

*Addiſco autem quod ſuper hæc & aliud ſit, quod in quæſtionem venit: Quod qui carne nuda pati Dominum dixerit, irrationale dicit; & qui dixerit cum animu intellectuali eum fuiſſe perpeſſum, ut ſit ſpontanea paſſio, nihil prohibet ut dicat humanitatis eum pertuliſſe natura. Si verò ita, quomodo non debimus duas naturas poſt unitionem ſubſiſtere indiviſè? Quare quicumque dixerit*, Chriſto igitur paſſo pro nobis carne, *nihil alterum dicet, niſi Chriſto igitur paſſo noſtra natura.*

Confligit rurſus hæc nihilominùs propoſitio his, qui unam dicunt naturam Filii incarnatam, & quaſi ſuperfluum ſeu vanum id pronunciare volentes, contendunt ubique duas naturas ſubſiſtentes oſtendere; ſed ignoraverunt, quia quæcumque non circa ſolam contemplationem dividi amant, hæc ipſa utique modis omnibus & in alteritatem partium, & omnimodam ſemotionem diſciſcant ab invicem. Sit verò nobis ad exemplum rurſus ſecundùm nos homo: Duas namque in eo intelligimus naturas: Unam quidem animæ, alteram verò corporis. Sed in puris intellectibus dividentes hæc quaſi in ſubtilibus contemplationibus, vel certè animæ phantaſiis differentiam capientes, non per partes ponimus has naturas, neque abruptè per omnia inciſionis virtutem linquimus inter eas, ſed unius eſſe deputamus, ita ut duæ jam non ſint duo, per ambas autem perficiatur animal unum. Igitur vel ſi dicatur humanitatis natura & Divinitatis ſuper Emmanuele, vel in Emmanuele, ſed ipſa humanitas facta eſt propria Verbi, & unus intelligitur Filius cum ea. Cum verò dicat Scriptura Divinitùs inſpirata carne eum paſſum, meliùs eſt, ut nos ita dicamus, quam *Natura humanitatis*.

Quamvis ſi & hoc ab aliquibus *ſine* malo dicatur, nihil obſit tanti Myſterii ratinnibos. Nam quid eſt aliud humanitatis natura, præterquam caro intellectualiter animata? Et dicimus Dominum carne perpeſſum. Curioſiſſimè igitur dicunt humanitatis eum paſſum fuiſſe natura, à Verbo eam quodammodo deſciſcentes, & extrinſecus ſemoventes atque ſequeſtrantes, ut duo intelligantur, & non jam unus incarnatus & inhumanatus is, qui ex Deo Patre eſt, Sermo. Adjectum verò ab eis, *Indiviſè*, apparet quidem quodammodò apud nos eſſe rectæ culturæ ſignificativum, hi autem non ita intelligunt: *Indiviſè* namque apud eos ſecundùm vocum novitates Neſtorii circa alterum ſuſcipitur modum. Dicunt enim quod æqualitate honoris, eadem voluntate, & una authoritate indiviſus à Deo Verbo exiſtit homo ille, in quo habitavit. Igitur non ſimpliciter proferunt verba, ſed cum quodam dolo atque inſidiis malignis.

---

## CAPUT CCXVI. —305

*Exemplar ab Hypatia, quæ Philoſophiam docebat in Alexandria, ad Beatum Cyrillum Archi-Epiſcopum in Dyptichis.*

LEgens hiſtorias temporum reperi factam Chriſti præſentiam antè annos *quater* centum quadraginta. Fuerunt verò Diſcipuli ejus, qui poſtea Apoſtoli nominati ſunt: Qui & poſt aſſumptionem ejus in cœlos Chriſtianam prædicavere doctrinam. Qui ſimplicitèr quidem & abſque omni curioſitate ſuperflua docuerunt, ita ut invenirent locum plerique Gentilium, malè intelligentes atque ſapientes, hanc accuſandi doctrinam, & inſtabilem nominandi. Quod enim dixit Evangeliſta, *Deum nemo vidit unquam*, quomodò ergò, inquiunt, *dicitis* Deum
Joann. 1. fuiſſe crucifixum? Et ajunt: Qui viſus non eſt, quomodò affixus eſt cruci? Quomodò mortuus atque ſepultus eſt? Neſtorius igitur, qui modò in exilio conſtitutus eſt, Apoſtolorum prædicationes expoſuit. Nam dicens ego ante longa pridem tempora, quod ille ipſe duas naturas Chriſtum ſit confeſſus exiſtere, ad eum qui hæc dixerat, inquam: Solutæ ſunt Gentilium quæſtiones. Dico igitur Sanctitatem tuam malè feciſſe, illi contraria ſapiendo, Synodum congregare, & abſque conflictu dejectionem fieri præparaſſe. Ego verò adhuc paucis diebus ejuſdem Viri expoſitiones inſpiciens, & Apoſtolorum prædicationes conferens, atque intra memetipſam cogitans, quod bonum mihi ſit fieri Chriſtianam, digna effici ſpero Dominici generatione Baptiſmatis.

Accepi exemplar ab Epiphanio Monacho Alexandrino ante ferè annum Chriſtiani Imperatoris.

---

## CAPUT CCXVII. —306

*Cyrilli Archi-Epiſcopi Alexandriæ ex Sermone de fide, cujus initium hoc proœmium.*

EGo contemperatum non recipio. Alienum namque eſt ab Apoſtolica fide, & recta Dei traditione. Contemperatio enim exterminium operatur naturarum. Ineffabilis verò unitio, quam rectè ſapientes confitentur, ambas naturas inconfuſè ſervat.

*Ex eodem.*

Si enim naturæ in unum contemperatæ ſunt, mixtione quæ ſunt ad invicem diverſæ ſubſtantiæ.

*Et in fine ſic ait.*

*Solvite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud.* Et ſolutum quidem eſt Templum triduanæ tempore ſepulturæ, ipſo volente, & rurſus ſuſcitavit illum, & unitus eſt ei ineffabili ratione poſt triduum, non temperatus in eo. Nec extra carnem factus eſt, ſed ſervans in ſeipſo duarum naturarum, quæ ſunt diverſæ ab invicem ſubſtantiæ, inconfuſam proprietatem. Nec enim quoquam mixtæ ſunt aut contemperatæ duæ illæ naturæ, id eſt, ineffabilis Divina natura, & inconfuſa humana, ſed unitæ ſunt inexplicabili & ineffabili modo, qui omnem rationem tranſcendit. Joann. 2.

*Ejuſdem.*

Numquid ſiquidem deſtitit à propria Deitate, etſi evacuavit ſemetipſum, formam ſervi accipiens propter nos, amittens formam Divinitatis, ut ſecundùm te ad Deificandum præpararetur ut homo? Abſit. Sed templum ſibi componens animatum, & perfectus in ſanctæ Virginis vulva, & indutus eo, & unitus ei ineffabili ratione, in ambabus eiſdem naturis non contemperatus, proceſſit homo apparens, intelligendus autem Deus Jeſus Chriſtus.

## CAPUT CCXVIII. —307

*Ejuſdem ex interpretatione Epiſtolæ ad Hebræos.*

SEd non in nobis mortificata lex peccati fuiſſet, ſed nec ipſa cunctis inimiciſſima mors deſtructa fuiſſet, niſi factum fuiſſet verè proprium Verbi id, in qoo illud per ejus virtutem propriam damnabatur. Non enim communis hominis, & ejus qui ſecundùm nos intelligitur, erat poſſe deſtruere mortis imperium: Deſtructum verò eſt id per Chriſtum. Eſt igitor *in* confeſſo, quod certè ſecundùm nos fuerit multùm Deus. Ergo fuit, quoniam homo, multùm valdè ultra nos, ut Deus. Et templum erat ſanctum, quod plenitudinem Divinitatis accepit. Veruntamen per uniionem diſpenſativam unus eſſe creditur ed eum, qui inhabitavit, & dicitur. Sicut enim eſt in nobis Spiritus Sanctus, oſtendens nos vel efficiens Templum Dei; juxta eundem modum & in ipſo dicimus Chriſto habitaſſe quidem in carne, ut in templo, illum Dei Sermonem, ſanctificaſſe varò eam, ut inhabitantem. Dicimus verò, quia licèt dicitur Templum, ſed tamen proprium ejus erat id, quod aſſumptom eſt, ut unum reputetur ad eum. Non quia tranſit ed Deitatis naturam, ſed potiùs compoſitionem circa onitionem diſpenſativam. Deus namque erat in carne propter nos.

## CAPUT CCXIX. —308

Epiſtola Imperatoris Theodoſii ad ſupra ſcripta.

*Imperatores Cæſares, Theodoſius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, ſemper colendi, Auguſti, Deo Amiciſſimo & Beatiſſimo Archi-Epiſcopo Joanni, & ſanctæ Synodo, quæ cum eo convenit.*

PErturbationem & tumultum, qui contigit in Oriente, noſtrum cognovit Imperium à Religioſiſſimo Patre noſtro & Epiſcopo Proclo. Et quia oniverſorum qoietis & pacis providentiam gerimus, maximè autem pro recta fide, quæ nos noſtrumque cuſtodit Imperium, per hanc Epiſtolam ſcripſimus veſtræ Sanctitati, ut patrocinemini paci, & nullius eos momenti deputetis, qui contre ſalutem propriam volunt Religionem ſaluberrimam perturbare. Illa eſt enim noſtræ Diviniteris intentio, ut cum quiete omnes homines degant. Præcipuè autem ſanctæ Eccleſiæ Dei, per quas & nos ſalvamur, & noſtrum creſcit Imperium. Hac itaque voce quieti Eccleſiæ providere. Nos enim aliquid de vobis utilius exſpectamus✠ Deus vos multis *annis* conſervet, Venerandiſſimi Patres.

A cruce uſque ad *Deus*, Irenæus non habet.

## CAPUT CCXX. —309

Translatum ex Codice Monaſterii Acœmetenſis. Epiſtola, *inquit*, Tractoria, ſive Generalis, à ſanctiſſimo & univerſo Concilio.

*Sancta & univerſalis Synodus, quæ in Epheſo congregata eſt ex Decreto Piiſſimorum Principum, unicuique ſanctæ Synodo, quæ per ſingulas Mundi partes eſt, in Domino ſalutem.*

NObis ſecundùm pias litteras congregatis in Epheſia civitate, receſſerunt nonnulli ex nobis, numero paulò amplius quam triginta, Principem ſuæ apoſtaſiæ habentes Antiochenorum Epiſcopum Juannem. Quorum & nomina hæc ſunt. Id eſt, Joannes Antiochiæ Syriæ, Macarius, Julianus, Alexander, Diogenes, Apringius, Placus, Alexander, Theodorus, Heliades, Meletius, Joannes, Paulus, Mathæus, Marcellinus, Helladius, Maximianus, Helladius, Dexianus, Gerontius, Aſterius, Antiochus, Dorotheus, Jacobus, Zebinus, Petrus, Fritilas, Himerius, Theodoxius, Eutherius, Anaſtaſius, Tranquillinus, Baſilius, Pauſianus, Maximus, Daniel, Euſtachius. Qui habentes ſecum quoſdam depoſitos, ante omnia quidem Neſtorii & Celeſtii ſententias vindicantes manifeſtiſſimè demonſtrati ſunt, eò quod nobiſcum contra Neſtorium minimè acquieſcant. Quos & communi ſententie ſancta Synodus & ab omni Eccleſiaſtica communione alienos effecit, & cuncta Sacerdotii operatione privavit, per quam poſſent vel nocere vel juvare.

Quia verò oportuit & eos, qoi defuerunt à Synodo, & perſtiterunt in unaqueqne Provincia, non ignorare quæ de his decreta ſint, notum veſtræ facimus Sanctitati, quia ſive Metropolitanus quis cujuslibet Regionis, ebſcedens ab hoc

ſancto

ſancto & univerſali Coventu, adjectus eſt ad illud Apoſtaſiæ Concilium, vel poſt hæc ſi ſe illi commiſerit, vel ſi ea, quæ ſunt Celeſtii, poſt hæc ſapuit ſive ſapuerit, contra ſuæ Regionis Epiſcopos nihil poterit prævalere, omni Eccleſiaſtica communione à præſenti jam hac Synodo factus extorris, atque privatus effectu. Sed & ipſis ſuæ Regionis Epiſcopis, & affinibus undique Metropolitanis, qui orthodoxè ſentiunt, ſubjacebit, ut in totum & Epiſcopatus gradu privetur.

Si verò aliqui Parochiales Epiſcopi, relicto hoc ſancto Concilio, eidem diſceſſioni adjuncti ſint, aut adjungi tentaverint, aut ſi quis ex his, qui ſubſcripſerunt dejectioni *Neſtorii*, ad Conventum reverſi ſint diſceſſionis ejus, hos omninò, ſecundùm quod huic Sanctæ Synodo placuit, eſſe à Sacerdotio alienos, & ab eodem cadere gradu.

Si verò & quidam Clericorum, qui in unaquaque ſunt civitate, à Neſtorio, vel ab his qui unà ſunt, eò quod rectè ſaperent, ab officio ſuſpenſi ſunt, & hos proprio gradui reſtitui ſanximus.

Communiter verò eos Clericos, qui eadem ſapiunt, quæ hæc Orthodoxa & univerſalis Synodus, jubemus his qui abſceſſerunt, ſive abſceſſuri ſunt, omni modo nun eſſe ſubjectus, neque ullo modo ſubjacere.

Si qui verò abſceſſerint Clericorum, & præſumpſerint, vel clam vel palam, ea quæ Neſtorii, aut ea quæ Celeſtii ſunt ſentire, & hos à ſancta Synodo eſſe depoſitos.

Quicumque verò ob incongrua Facta ab hoc ſancto Conventu dejecti ſunt, ſeu ab Epiſcopis propriis, & his irregulariter citra diſcretionem per omnia ſua Neſtorius, aut hi qui ea quæ ejus ſunt ſentiunt, reddere communionem vel gradum tentaverint, abſque ullo eos eſſe ſolatio, & nihilominùs illos depoſitos permanere ſanximus.

Similiter verò & ſi quicumque voluerint ea, quæ de ſingulis acta ſunt in hac ſancta Synodo Epheſina, quolibet modo commovere, eadem ſancta Synodus definivit, ſi Epiſcopi aut Clerici fuerint, ut omni modo à gradu proprio excidant; ſi verò Laici, ſint communione privati.

## CAPUT CCXXI. —310

*Similiter ex antiquo Acœmetenſi Codice tranſtuli, quæ ita prænotatur, Confeſſio fidei Acacii Epiſcopi Berrhææ.*

CRedo in unum Deum, qui in tribus perſonis agnoſcitur, cauſam factoremque omnium. Unam ſubſtantiam ſempiternam abſque principio, ingenitam, incomprehenſibilem, incontemplabilem, incircumſcriptibilem, immutabilem, immortalem, impaſſibilem, id eſt, quam nec *in* ipſa, nec in alio aliquo dico ſuſceptibilem paſſionis. Undiquo enim impaſſibilis exſtat natura Divina.

Unum ſiquidem Deum dico, qui reverà Deus exiſtit. Gentilitatem verò, qua Deorum pluralitas introducitur, fugio. In tribus autem perſonis agnoſci, everſio Judaiſmi eſt. Patrem namque in Filio, & in Patre Filium, & Spiritum Sanctum in Deo Filio & Patre confiteor.

Confiteor verò Chriſtum coæternum Patri ſecundùm Divinitatem, nec ſubſtantiæ, nec ſubſiſtentiæ modo circa Deitatem Patre minorem.

Similiterque Spiritum Sanctum.

Filium namque dico abſque tempore, & ſine initio genitum, conſempiternum ſubſiſtere Patri. Et Sapientiam, quæ ex Deo & Patre ſemper exiſtit.

Credo & in proceſſionem Spiritus Sancti, quam non dico generationem. Et generationem Filii non dico proceſſionem.

Dum verò exigit eorum conſequentia quæ dicuntur, unum fateur Deum: Non ſubſiſtentias negans, ſed nomine, ſi quod conſubſtantialitatis eſt commune, ſignificans. Cum verò conſubſtantialitatem loquor, non unius perſonæ conſubſtantialitatem dico, ſed trium: Id eſt, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Una ſiquidem perſona conſubſtantialis ſibimetipſi non dicitur, ſed Filii & Spiritus Sancti, & Patris eſt iſtud. Differentia igitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Modus ſubſiſtentiæ ſeu nomen eſt habitus, non autem ſubſtantiæ ſimpliciter ſignificatio. Eſſe igitur Patris eſt Deus, cujus autem ſit Pater. Et eſſe Filii Deus eſt, cujus autem ſit Filius. Sic & Spiritus Sanctus. Quorum verò eſſe eſt idem, ſecundùm meam de conſubſtantiali Trinitate *fidem* ſunt dicta.

Dicam verò & de inhumanatione Dei Verbi propter nos, dè qua nobis maxima quæſtio eſt, non ſolùm contra omnes hæreticos, ſed & contra ipſos quoque, qui putantur Domeſtici fidei.

Ita igitur credo, *juxta* Cyrillum Sanctæ memoriæ: Propter clementiam propriam, multamque benignitatem circa genus humanum, complacuit Dei Verbum in fine dierum ædificare ſibi ex Sancta Maria Virgine Templum, quod erat in præſcientia. Adn. Nor. Cyrillus A. C. 444. Ita hæc expoſitio Symboli non eſt Acacii.

Immaculatum & abſque ullo peccato hoc templum ſumpſit Deus Verbum pro noſtra ſalute ad manifeſtationem ſuæ Divinitatis. Et per illud in ipſo emiſit noſtram ſalutem. Propter ſuam, ſicut dixi, benignitatem, & circa nos regimen, inenarrabiliter & ineffabiliter ſibimetipſi hoc uniens ex ipſo in vulva plaſmationis initio. Dignatuſque eſt illud eundem eſſe Filium ſecum unitione ad ſe, & totius dominationis, atque honoris, & gloriæ, ac virtutis, quam natus aliter habet ipſe, qui Deus eſt Verbum. Ita ne Dei forma & ſervi forma ad unam perſonam,

unum

Digitized by Google

unum Filium, unum Dominum, Chriſtumque pertineant.

Sic Deum hominemque confiteor Chriſtum Filium Dei, unum Filium ex duabus naturis. Ex paſſibili atque impaſſibili, ex mortali & immortali, ex viſibili & inviſibili. Et non inchoantem. Ex incircumſcriptibili & circumſcriptibili. Qui ſine principio quidem ac ſempiternè eſt natus ex Patre ſecundùm Deitatem; idem verò ipſe ex Spiritu Sancto & Maria Virgine diebus noviſſimis natus eſt ſecundùm carnem.

Sed neque carnem dico ex Deo & Patre genitam, neque Divinam quoque naturam ex Sancta Virgine Maria; ſed ſecundùm Divinitatem quidem abſque initio ex Deo Patre eſt genitus, ſecundùm carnem verò in ultimis diebus partu Mariæ Virginis editus.

Sic unum Dei Filium confiteor. Divinitate quidem impaſſibilem, humanitate verò paſſibilem. Sed nec in paſſionibus, nec in vulva illud templum ab inhabitante Divinitate ſejunctum, ſed ex ipſa conceptione unitum. Non tamen cum eo circumſcriptum dixerim Deum Verbum. Incircumſcriptibilis eſt enim Divina natura.

Partus eſt igitur ex Sancta, ut dixi, Maria Chriſtus Filius Dei. Non illa incircumſcripta, ſed illa circumſcripta natura. Dixi namque ſuperiùs Chriſtum Filium Dei & incircumſcriptibilem & circumſcriptum. Secundùm Divinam quidem naturam incircumſcriptibilem, circa humanam verò circumſcriptum. Secundùm quam & in præſepi, & in cunis, & in cruce, & in ſepulchro circumſcriptus eſt Chriſtus Filius Dei; circa illam verò alteram infinitus, & incircumſcriptibilis, & omnia continuit, continetque.

Unum igitur ex duabus dico naturis. Patitur igitur Chriſtus Filius Dei, non Divinitate, ſed humanitate. Id eſt, Chriſtus eſt paſſus in carne. Patitur ſumpta natura; illa verò quæ aſſumpſit, impaſſibilis manet. Deus autem Verbum proprias reputat Templi ſui hominis paſſiones. Circa, dico, & mortem, & reliqua, quæcumque diſpenſativa videntur. Propria ea facit, dum nihil ipſe ſuſtineat. Sed quia ad unam perſonam pertinet ipſæ naturæ, illa impaſſibilis ea, quæ ſunt paſſibilis, propria facit. Nec tamen patitur illud impaſſibile Dei Verbum ſuas faciendo paſſiones, ſed, ut dixi, ſuæ carnis paſſiones adſciſcit.

Aliud verò eſt pati eo ipſo, quod ſuas efficit paſſiones, & aliud ſuas efficere paſſiones. Non alterius, inquam, Filii, ſed naturæ alterius paſſiones. Secundùm nullam ſiquidem patitur rationem, qui naturaliter eſt inſuſceptibilis paſſionis.

Nec Verbum caro factum converſionem ſuſtinuit. Factum namque dicitur, pro ut dicatur, *Accepit*. Et qui erat in forma Dei, ſervi accepit. Hoc enim ſignificat, quod ſequitur: *Et inhabitavit in nobis*. Nec enim Filii unitate diſperditur diſtantia naturarum. Sed ſicut aliud corruptibile corpus, & alterum anima immortalis, ex utriſque verò unus homo conſiſtit, ſic ex mortali atque immortali, & ſine principio Dei Verbi natura unam confiteor Filii perſonam: Et quia impaſſibile Verbum paſſibili unitum experimentum non ſuſtinuit paſſionis. Eſt quidem Filius Dei & paſſibilis & impaſſibilis, ſed paſſibilis quidem carne, impaſſibilis verò Divinitate: Habens ſecundùm carnem temporale principium, abſque initio verò ſecundùm Deitatem.

Hæc ſicut memetipſum habens, ita conſcripſi.

---

## CAPUT CCXXII.

*Epiſtola Eutychetis hæretici, ubi ſcribens ad Papam urbis Romæ Leonem negat in Chriſto duas naturas, id eſt, Divinitatis & humanitatis.*

DE mea in Dominum & Deum omnium Chriſtum ſpe confidens, ante omnia quidem, teſtis Deus Verbum eſt, In ſenſibus hujuſmodi dignoſcens veritatis probationem, invoco autem veſtram Sanctitatem in teſtimonio cordis mei, & ratione ſenſuum meorum atque verborum. Sed peſſimus Diabolus faſcinavit tale ſtudium noſtrum & propoſitum, à quibus vires ejus deſtrui oportuit. His ſtimulans omnem domeſticam ſibi vim, contra me movens Euſebium Epiſcopum oppidi Dòryleenſis, libellum dantem ſancto Epiſcopo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Flaviano, & quibuſdam aliis inventis in eadem urbe, qui propter diverſas cauſas ſuas evenerant, quomodò hæreticum compellavit, non veritate accuſationem movens, ſed perniciem mihi machinans, & perturbationem Eccleſiis Dei. Vocabar ad reſponſionem accuſationis ab ipſorum Sanctitate, ſed gravi ægritudine ſuper ipſam ſenectutem retentus occurri ad purgationem, non ignorans compoſitam factionem contra ſalutem meam. Et quidem libellis ſtatim ſubſcriptione mea his addita obtuli Scripta, oſtendens de ſancta fide profeſſionem meam. Sancto autem Flaviano Archi-Epiſcopo neque libellum ſuſcipiente, neque ut legeretur jubente, audiente tamen, & reſpondente me ipſis verbis fidem, quæ Nicææ expoſita eſt à ſancta Synodo, confirmata verò apud Epheſum, expetebar duas naturas fateri, & anathematizare eos qui hoc negarent. Ego autem metuens definitionem à Synodo, nec adimere nec addere verbum contra expoſitam fidem à ſancta Synodo Nicæna, ſciens verò ſanctos & beatos Patres noſtros, Julium, Felicem, Athanaſium, Gregorium, ſanctos Epiſcopos, refutantes duarum naturarum vocabulum, & non audens de natura tractare Dei Verbi, qui in carnem venit ultimis diebus in uterum ſanctæ Virginis Mariæ im-

immutabiliter, quomodò voluit & ſcit, in veritate, non in phantaſmate homo factus, aut anathematizare ſupradictos Patres noſtros rogabam ut innoteſcerent iſta Sanctitati veſtræ, & quod vobis videretur judicaretis, *profitens* omnibus modis me ſecuturum quæ probaſſetis; ſed nullo eorum quæ à me dicebantur audito, abrupta Synodo publicaverunt dejectionis ſententiam, quam adverſùs me calumniæ factione inſtruebant, ut & ſaluti meæ diſcrimen incumberet, niſi ejus opera Dei, orationibus Sanctitatis tuæ, militaris manus me ab incurſione rapuiſſet. Tunc Duces aliorum Monaſteriorum cogere cœperunt in dejectionem meam ſubſcribere, quod nunquam nec in eos, qui ſe hæreticos profeſſi ſunt, vel adverſùs ipſum Neſtorium factum eſt; In tantum, ut eum ad ſatisfaciendum plebi proponerem fidei meæ confeſſiones, non ſolùm & arcerent eas audìti, verùm & atriperent hi qui contra me ſupradictam factionem meditabantur, ut exinde tanquam hæreticus apud omnes haberer.

Ad vos igitur Religionis defenſores, & hujuſmodi factiones execrantes confugio, nihil & nunc novum inducens contra fidem jam inde nobis ab initio traditam, ſed anathematizans Apollinarium, Valentinum, Manem, & Neſtorium, & eos qui dicunt carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris è cœlo deſcendiſſe, & non è Spiritu Sancto & ſancta Virgine Maria: Et omnes hæreſes uſque ad Magum Simonem. Et nihilominùs tanquam hæreticus de vita periclitor. Et obſecro, nullo mihi præjudicio facto ex his, quæ per inſidias contra me geſta ſunt, quæ viſa vobis fuerit, ſuper fidem proferre ſententiam, & nulla deinceps permittere à factioſis contra me calumniam procedere, & non excuti & eximi de numero Orthodoxorum eum, qui in continentia & omni caſtitate ſeptuaginta annos vitam peregit, ita ut in ipſo exitu vitæ naufragium patiatur. Subjunxi autem his litteris meis utrumque libellum: Et eum qui ab accuſatore meo oblatus eſt Synodo, & qui à me geſtus quidem eſt, non tamen ſuſceptus: Et editionem fidei meæ. Nec non & ea, quæ de duabus naturis à ſanctis Patribus noſtris decreta ſunt.

## CAPUT CCXXIII.

*Item verba Eutychetis.*

TEſtor vos coram Deo, qui cuncta vivificat, & Chriſto Jeſu, qui ſub Pontio Pilato teſtificatus *eſt* optimam illam confeſſionem, ne quid ad gratiam faciatis. Ego enim jam à Majoribus meis ita ſenſi, & à pueritia mea ita illuminatus ſum, quemadmodum ſancta, & ex univerſo orbe terrarum apud Nicæam habita Synodus trecentorum decem & octo beatiſſimorum Epiſcoporum fidem conſtituit, & quam confirmavit ac definivit denuò obtinere ſolam ſancta Synodus Epheſi collecta. Et nunquam aliter ſenſi, quam quemadmodum præcepit recta & ſola vera fides Orthodoxa. Et cunctis, quæcumque ſunt *circa* eandem fidem à ſancta eadem Synodo conſtituta Epheſi, adſentior. Cujus Synodi Dux & Princeps fuit beatæ ac ſanctæ recordationis Epiſcopus Cyrillus Alexandrinorum, & prædicationis ac fidei Sanctorum & Electorum Dei, Gregorii majoris, & item Gregorii, Baſilii, Athanaſii, Attici, Procli ſocius & particeps: Eum & omnes eos Orthodoxos & fideles habui, & honoravi tanquam Sanctos, & Magiſtros meos exiſtimavi. Anathema autem dico Neſtorio, & Apollinari, & omnibus hæreticis uſque ad Simonem, & qui dicunt carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti è cœlo deſcendiſſe. Ipſe enim, qui eſt Verbum Dei, deſcendit de cœlo ſine carne, & factus eſt caro in utero Sanctæ Virginis, ex ipſa carne Virginis incommutabiliter & inconvertibiliter, ſicut ipſe novit & voluit. Et factus eſt, qui eſt ſemper Deus perfectus ante ſæcula, idem & homo perfectus in extremo dierum propter nos & noſtram ſalutem. Hanc igitur meam plenam profeſſionem Sanctitas veſtra, &c.

Eutyches Presbyter & Archi-Mandrites huic libello ſubſcripſi manu mea.

## CAPUT CCXXIV.

*Exemplar Julii Epiſcopi Urbis Romæ, ut aſſerunt Eutychis Scripta, ad Dionyſium Epiſcopum, cujus ſenſu ductus ipſe Eutyches decidit in errorem.*

MIror audiens quoſdam confitentes quidem in carne Dominum noſtrum, incurrentes verò diviſionem malè à Paulianiſtis introductam. Illi enim Paulum Samoſatenum ſequentes, alium quidem intelligunt eum, qui ex cœlo deſcendit, Deum confitentes; alium verò terrenum hominem eſſe dicunt. Et illum quidem infabricabilem. Hunc Dominum, alium ſervum. Impium, ſeu venerentur eum, quem ſervum appellant & fabricatum, ſeu non colant eum, qui nos ſanguine ſuo redemit. Hi verò, qui Deum deſcendiſſe de cœlo confitentur, & carnem factam ex Virgine, & unum eſſe cum carne, fruſtra conturbantur, excedentes in verba impietatis illorum. Dicunt enim & ipſi, ſicut audio, duas naturas. Ad quod Sanctus Joannes evidenter probat *unum* Dominum noſtrum, cum dicat, *Verbum caro factum eſt.* Et Paulus Apoſtolus, cum dicat: *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia.* Joann. 1. 1. Cor. 8.

Digitized by Google

*omnia*. Si enim natus ex Virgine Jeſua nominatur, & ipſe eſt per quem univerſa facta ſunt, una ſcilicet natura facta eſt, quoniam & una perſona, non in duo diviſa, cum nec propria natura corporis eſt, & propria natura Deitas ſit ſecundùm carnem. Sed ſicut homo una natura eſt, ita & is, qui ad ſimilitudinem hominis eſt factus Chriſtus. Quod ſi non agnoſcunt id, quod per adunationem unum eſt, poſſunt & unum in plura partire, & plurimas dicere naturas: Quoniam multiplex corpus, quod ex oſſibus, nervis, & venis, carne & cute, ſanguine & ſpiritu conſtet, quæ omnia diverſa quidem inter ſe ſunt, una tamen eſt eorum natura. Unde & Deitatis natura cum corpore unum eſt. Et hæc in duas naturas dividitur? Nec enim poterat totum filius hominis appellari, qui deſcendiſſet è cœlis, & rurſus filius Dei, qui natus ex femina eſt, ſi duarum naturarum caperet diviſionem; ſed id quidem, quod deſcendiſſet è cœlis, vocaretur filius hominis, non Filius Dei. Et hoc Paulianæ diviſionis eſt. Nos autem Divinæ Scripturæ docent tanquam de uno Domino noſtro ſentire, & cum deſcendiſſet è cœlis & cum in terra natus eſt. Qui igitur ſic ſentiunt, non excedunt ab inconſona contraria ſentientibus, ut cum mente Divinis Præceptis conſentiant, ſermonibus diſcrepent. Neceſſe eſt enim eos, cum duas naturas intelligant, alteram colere, alteram non adorare: Et in Divinam quidem baptizari, in humanam verò non baptizari. Si autem in mortem baptizamur Domini, unam profitemur naturam, & impaſſionabilis Deitatis, & paſſionabilis carnis, ut per hoc ſit Baptiſma noſtrum & in Deum, & in mortem Domini perceptum. Nec enim veremur calumniatores, qui dividunt in duas perſonas Dominum: Nac cum nos unitatem Evangelicam atque Apoſtolicam prædicemus, lacerent nós tamquam dicentes carnem eſſe cœleſtem. Cum nos è contra Divinas Scripturas legamus dicentes filium eſſe non ex cœlo. Nec enim cum dicimus Filium Dei creatum ex muliere, poſſumus reprehendi, tanquam Verbum ex terra dicentes, & non ex cœlo. Dicimus enim utrumque: Et ex cœlo totum propter Deitatem, & ex muliere totum propter Deitatem, ignorantes diviſionem unius perſonæ.

---

## CAPUT CCXXV.

*Exemplar Epiſtolæ tacito nomine factæ ad quemdam Senem, cupientem ſcire, quid contrarium Catholicæ fidei ſenſerit Eutyches.*

Miſit mihi Nobilitas tua exemplum libelli de novæ fidei expoſitione Eutycheria, quem expoſuit ſcribendo ad Beatiſſimum Papam Sedis Apoſtolicæ Leonem. Scribere & dignatus es, ut ſi quid inde ſentirem, Humilitatis meæ litteris indicarem. Quod quidem ipſe pro ſtudio ſanctæ mentis tuæ affectuosè injungere dignatus as, ſed mihi trepidam habenti mentem, & timore repletum cor in hac quæſtione, perículoſum videtur adgredi, præcipiente Doctore & Illuminatore Gentium Apoſtolo Paulo, & generaliter monente ac dicente: *Stultas autem & ineruditas quæſtiones, & contentiones, & pugnas legis devita. Sunt inutiles & vanæ.* Tit. 3. Tamen ipſius Beatiſſimi Apoſtoli Pauli precibus, adjuvante Domino & Deo Jeſu Chriſto, quod potuerit rusticus ſermo, & tenuis meus ſenſus, aggrediar: Non ut magnitudo & majeſtas fidei exigit, ſed ut tenues vires meæ Humilitatis patiuntur. Cum argo percurrerem prædictum exemplar Epiſtolæ vel libellum fidei Eutychetis, inter cætera textus verborum ejus inveni, ubi à ſancto Concilio Epiſcoporum experi à ſe duas naturas in Chriſto conqueritur confiteri. Quod ſi conſulens ſuæ continentiæ, & vetuſtæ in ſe caſtitatis laboribus, confiteri voluiſſet, nunquam ſententiæ ſuæ fidei periculum fuiſſet paſſus. Sed quia in unam Chriſti perſonam, ſecundùm Apoſtolorum, vel Prophetarum, ſeu Evangeliorum traditionem, duas naturas in Chriſto confiteri noluit, in ipſo portu exitus ſui non ſolum ipſe laborum continentiæ ſuæ naufragium paſſus eſt, verùm etiam jam olim bene fundatam Eccleſiarum per Orbem terrarum perturbavit fidem, & ad cumulum perfidiæ ſuæ, Chriſti veneratorem, & bonæ fidei fidelem Prædicatorem, Beatum occidit Epiſcopum Flavianum. Et ille quidem quietis temporibus, nulla exiſtente publica perſecutione, coronam accipiens Martyrii, nunc cum Beato ſuo Magiſtro Apoſtolo Paulo gloriatur, & dicit: *Bonum certamen certavi, curſum* 2. Tim. 4. *conſummavi, fidem ſervavi. De cætero ſupereſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex. Non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt manifeſtationem ejus.*

Et illo quidem cum omnibus Sanctis in Domino gloriante, nobis neceſſe eſt, ſi meremur, ejus ſequi veſtigia, & traditionem fidei, per quam glorioſum meruit exitum, totis fidei viribus & uſque ad mortem tenere, & in unam Chriſti perſonam duas confiteri naturas: Divinitatis & humanitatis, creatricis & creatæ, aſſumptricis & aſſumptæ. Quæ tamen ſubſtantiæ aut naturæ, non confuſæ, ſed unitæ, & in una eademque perſona inſeparabiliter, & in ſua ſemper proprietate ſunt permanentes. Quapropter unicuique ſubſtantiæ, naturæ propria utique aptanda ſunt, id eſt, infirmitatis humanitati, quæ creata eſt; digna, non verò mutabilia Divinitati, quæ creavit. In tantùm enim hæ duæ naturæ in una perſona Chriſti ſimul unitæ ſunt atque conjunctæ, ut idem Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo, aliquando res aut agat aut loquatus humanas, aliquando verò Divinas. Nam denique ut duarum naturarum, id eſt, Divinitatis & humanitatis, in ſe oſtenderet

ret

ret ſubſtantias, navigans dormit in navi ut homo, & procellæ, eminenti vento, vel mari imperat ut Deus, dicens: *Tace, obmuteſce*. Et poſt quadraginta dierum atque noctium jejunium eſurit ut homo, & in ſolitudine quinque millia virorum, exceptis infantibus & mulieribus, de quinque panibus & duobus piſcibus refecit ut Deus. Et quid plura? A Judæis crucifixus, & lancea in latere compunctus, moritur ut homo, & Lazarum quatriduanum de monumento reſuſcitavit ut Deus, authoritate Divina dicens:
Joann. 11. *Lazare veni foras*. Harum ergò, Domine, duarum naturarum in Chriſto traditio eſt fortiter cuſtodienda, ne cum Eutychete aut cæteris ejus Conſentaneis eas in unam confundentes novum incertæ fidei teneamus tramitem. Optimè enim eos dedignaris, quia omne quod confuſum, obſcurum & incertum eſſe cognoſcitur. Siquidem ut datur intelligi, proprias eaſdem naturas Divinitatis & humanitatis imprudenti ſenſu in unum confundere videntur, ut non ſeparantes humanitatis ſubſtantiam à Chriſti Divinitatis natura, ipſa voce Deum paſſibilem pronuncient.

Nam denique Epiſtola, quam dicit Eutyches Julii quondam Epiſcopi urbis Romæ eſſe, quam & ad ſolatium ſuæ perfidiæ, ignoro, forſitan falſam protulit, cujus & pravo ſenſu duci cognoſcitur, in ipſo ultimo textus ſui ita profitetur dicens: *Qui igitur ſic ſentiunt, non excedunt ab inconſona contraria ſentientibus, ut cum mente Divinis Præceptis conſonant, ſermonibus diſcrepent. Neceſſe eſt enim eos, cum duas naturas intelligunt, alteram colere, alteram non adorare. Et in Divinam quidem baptizari, in humanam verò non baptizari*. Vides ergò, quomodo impugnantes & confundentes duarum naturarum ſubſtantiam, Deum paſſibilem pronunciare perfido ſenſu conantur. Nos verò, qui Catholicæ fidei rectum tenemus tramitem, prætermiſſa hac confuſione duarum naturarum, in Dominicam carnem baptizati, propterea eam adoramus, quia à Divinitate ſuſcepta, atque eidem ita unita ſit, ut non alium atque alium, ſed unum eundemque, Deum & hominem, Dei Filium confiteamur. Nam ſi Eutyches, aut cæteri ejus conſentientes hominem ſeparant à Chriſto Deo, illi nos nunquam adoramus aut ſervimus. Aut ſi quis noſtrum purpuram aut Diadema Regale jacentia inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Mox verò ut ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi quis ea ſimul cum Rege adorare contempſerit. Ita Chriſti Domini noſtri perfectam humanitatem, non ſolam & nudam, ſed Divinitati ſuæ unitam, unum eundemque Dei Filium, Deum verum, & hominem verum, ſi quis adorare contempſerit, æternam mortem patietur.

Sequitur & Julius, cujus ſenſu ducitur Eutyches, & dicit. *Si autem in mortem Domini baptizamur, unam profitemur naturam, & impaſſionabilis Deitatis, & paſſionabilis carnis*. Velim pleniùs agnoſcere, quomodò dicant, *Carnis?* Si hæc caro ſine anima eſt, quid eſt caro iſta, niſi terra ſine ſenſu, quæ nec gratias agere valuit, nec crucis pœnas ſentire potuit? Quod autem caro ſine anima ſentire non poſſit, cunctis eſt manifeſtum. Si autem, ut illi ſentiunt, in illa Dominica carne Divinitas pro anima fuit, Divinitatem ergò paſſionibus ſubjiciunt: ſi autem, ut vera ſe habet Scripturarum fideliſſima ratio, ſimul cum carne & humanam ſuſcepit animam, ergò perfectus Deus perfectam ſuſcepit hominis naturam, ut oſtenderet ſe ſimul cum humana carne & humanam ſuſcepiſſe animam, id
eſt, perfectum hominem. Dicit enim: *Paſtor* Joann. 10.
*bonus animam ponit pro ovibus ſuis. Et poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterùm poteſtatem habeo ſumendi eam*. Et in ipſo articulo paſſionis
ſuæ dicit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Matth. 26.
*Et nunc anima mea conturbata eſt*. Non enim Joann. 12.
Deus aliquando perturbatur, ſed ille utique homo, qui eſuriit, qui ſitiit, qui dormivit, qui laſſatus fuit, atque ploravit: Quæ omnia ſine affectibus animæ caro ſola ſentire non potuit. Niſi ille homo perfectus, quem ſuſcepit Deus
perfectus, dicente Hieremia Propheta: *Hic Deus* Baruch. 3.
*noſter, non æſtimabitur alius ad eum. Qui invenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrahel dilecto à ſe*. Et adjecit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Qua *porrò forma* in terra viſus fuerit, & converſatus ſit, Sanctiſſimus Prophetarum Iſajas ple-
niſſimè & apertiùs exponit: *Domine quis credidit* Cap. 53.
*auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Annunciavimus coram ipſo tanquam pueri, ut radix in terra ſitienti. Non eſt ei ſpecies, neque gloria. Vidimus eum, & non habuit ſpeciem, neque decorem; ſed ſpecies ejus ſine honore, & adjecta præ omnibus hominibus. Homo in plaga poſitus, ſciens ferre infirmitates. Quoniam averſata eſt ſpecies ejus, & dehoneſtatus, & pro nihilo æſtimatus eſt. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet. Nos æſtimavimus eum in dolore eſſe, & in plaga, & in vexatione: Ipſe autem vulneratus propter peccata noſtra, & infirmatus eſt propter iniquitates noſtras. Eruditio pacis noſtræ in eum, livore ejus nos ſanati ſumus. Omnes ut oves erravimus, & omnes homines à ſua via erraverunt: Et Dominus tradidit eum pro peccatis noſtris. Ipſe autem malè vexatus conticuit labia ſua, ut ovis ad immolandum ductus eſt. Et ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem autem ejus quis enarravit? Quoniam tolletur à terra vita ejus, & ab iniquitatibus Populi mei ductus eſt ad mortem. Et dabo inanes pro ſepultura ejus, & divites pro morte ejus. Quoniam iniquitatem non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. Et Dominus vult purgare eum de plaga. Si detis pro peccato animas veſtras, videtis ſemen longæ vitæ, & vult Dominus adolere animæ ejus, oſtendere ei lumen, formare per prudentiam, juſtificare juſtum, benè ſervientem pluribus. Et peccata eorum ipſe portavit. Ideò ipſe hæreditatem poſſidebit multos, & fortium partietur ſpolia. Propter quod tradita eſt in mortem anima ejus, & inter iniquos deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum tollit.*

*lit. Et propter iniquitates noſtras traditus eſt.*

Pervide igitur, Domine mi, ſecundùm ſanctæ tuæ mentis ſtudium, quomodò prædicti Prophetæ Hieremias & Iſajas ſibimet conſentientes aſſerant, qualiter perfectus Deus, de cœlo deſcendens pro ſalute generis humani, ſuſceperit hominem, & ſuperiùs ab Iſaja prædictas paſſiones uterque naturæ illius in Chriſto ſuſcepti hominis aſſignet. Nam nunquid Deus, qui eſt inviſibilis, incomprehenſibiliter poterat comprehendi, aut inimicis tradi, aut inter impios deputari, aut mori, aut vita ejus à terra tolli? Sed ille utique, qui, ut ſupra jam diximus, eſuriit, ſitivit, laſſatus fuit, dormivit, atque ploravit, qui etiam in cruce paſſionis pendens, cum vidiſſet in ſe inhabitantem Deum de ſuo exire corpore, lachrymabili voce elamavit poſt eum, Hebraica lingua dicens, *Heli, Heli lammaſabacthani*. Hoc eſt, *Deus meus, quare me dereliquiſti?* Quamvis tertis die eum eſſet reſuſcitaturus. Tamen neceſſe erat illud adimpleri, quod jam prædixerat in Evangelio Jeſus, ſuis Diſcipulis dicens: *Ego à Deo proceſſi, exivi à Patre, & veni in huc Mundum, & iterùm relinquo hunc Mundum, & vado ad Patrem.* Siquidem & in ipſa paſſione, quamvis ille perfectus homo, à perfecto Deo ſuſceptus, impiam moriens in cruce patiatur pœnam, tamen & ipſe impaſſibilis Deus in eodem à ſe ſuſcepto perfecto homine, quamvis paſſionem non ſuſtinuerit, tamen injuriam paſſus eſt. Nam ſicut qui indumentum conſcindit, induto facit injuriam, ita & qui carnem ejus crucifixerunt, Divinitati ejus injuriam intulerunt. Hanc ergò Divinitatis injuriam omnia elementa videntia expaverunt. Nam denique terra contremuit, petræ ſciſſæ ſunt, Sol fugit in noctem, Luna ſanguineo colore fuſcata eſt, & tanquam damnatione perpetua jam Mundus oppreſſus eſſet, avulſæ locis cœleſtibus ſtellæ ruerunt, & elementorum lege confuſa, apertis monumentis, ſepulta jam olim corpora animas receperunt.

Ideò ergò Catholici per Orbem terrarum fideliſſimi Eccleſiarum Doctores ſecundùm Scripturarum authoritatem duas in Chriſto naturas prædicant, Divinitatis *& humanitatis. Quæ utinam conſideraſſet Eutyches*: Et tot annorum continentiæ laboribus *ſe* apertis oculis *non* immerſiſſet, nec Orientis Eccleſiis impiam protuliſſet perturbationem, per confuſas duarum naturarum ſubſtantias Deum paſſibilem pronuncians. Sed cum in iſta ſuam ſententiam Paulus Apoſtolus compleat dicens, *Quia in noviſſimis temporibus recedent quidam à fide*, tamen non ſollicitus præmonet dicens: *Attendite Spiritibus ſeductoribus in hypocriſi mendaciloquorum, cauteriatam habentium conſcientiam.* Niſi enim ſecundùm Apoſtoli Dictum cauteriatam & incertam ſuæ fidei habuiſſet conſcientiam, nunquam tantam confuſionem Eccleſiis Dei excitans ſuæ perfidiæ ſocios feciſſet ſanctos trecentos decem & octo Patres Nicæni Concilii, nec non & Cyrillum, & Athanaſium, Felicem, Gregorium, & Proclum, ſanctos Epiſcopos, qui non utique ejus perfidiam ſequendo, ſed ſuperiùs à mea Humilitate expoſitam fidem docendo inter Sanctos & Electos Dei in numero & libro viventium dinumerati ſunt. Sed ut ſimplicium & imperitorum illudat, & ad ſe ducens adunìat animos, ideò prædictos ſanctos viros, Catholicæ fidei Authores & Prædicatores, ſuæ novæ & noviſſimæ perfidiæ fingit eſſe ſocios. Verè in hunc Eutychetem completa eſt Apoſtoli ſententia dicentis: *Hujuſmodi Pſeudo-Apoſtoli,* 1. Cor. 11.
*Operarii doloſi, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe, ſicut Angelum lucis. Non ergò magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur ſicut miniſtri Juſtitiæ: Quorum finis eſt ſecundùm operationem eorum.* Secundùm hanc ergò Apoſtoli ſententiam, cum ſit miniſter perfidiæ, ſimulat ſe ſocium eſſe miniſtris juſtitiæ, à quibus prædictam fidei noſtræ *non* tenuit, à ſe doctam expoſuit rationem: Inter quorum diſcipulos, & dulciſſimos fideles fidei filios cupio tuam Nobilitatem mecum pariter adſcribi, ut eorum, ſi meremur, ſequentes fidei veſtigia, precibus in futuro judicio miſericordiam impetrare mereamur à triplici pietatis unita majeſtate, hoc eſt, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, cui gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

---

## CAPUT CCXXVI.

*Codice milleſimo trecenteſimo vigeſimo.*

### Commonitorium Papæ Celeſtini Epiſcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem.

*Celeſtinus Epiſcopus.*

### Commonitorium Epiſcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem.

CUm Deo noſtro, ſicut credimus & ſperamus, authore ad deſtinata veſtra Charitas venerit loca, ad fratrem ac Co-Epiſcopum noſtrum Cyrillum conſilium veſtrum omne convèrtite: Et quidquid in ejus *Placito* videritis, facietis. Authoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri debere mandamus. Siquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquuntur, ut intereſſe Conventui debeatis. Ad diſceptationem ſi fuerit deventum, vos de eorum ſententiis judicare debetis, non ſubire certamen. Quod ſi tranſactam Synodum, & rediſſe omnes Epiſcopos videritis, requirendum eſt, qualiter fuerunt res finitæ. Si pro antiqua fide Catholica res geſtæ ſunt, & ſanctum fratrem meum Cyrillum Conſtantinopolim didiceritis profectum, ire vobis illò neceſsè eſt;

ut Epiſtolas noſtras Principi porrigatis. Quod ſi aliter actum eſt, & in diſſenſione res ſunt, ex ipſis rebus conjicere poteritis, quid eum conſilio ſupradicti noſtri Fratris agere debeatis.

*Datum octavo Iduum Majarum, Baſſo & Antiocbo Conſulibus.*

---

## CAPUT CCXXVII.

### TITULI DECRETORUM HILARI PAPÆ.

Synodus habita in Baſilica B. Mariæ.
Adlocutio Papæ Hilati in eodem Conventu.
Epiſtola prima Aſcanii, vel univerſorum Epiſcoporum ad Hilarum Papam.
Epiſtola ſecunda Aſcanii Tarraconenſis Provinciæ.
Subſcriptio Epiſcoporum, qui fuerunt in Synodo.
Præceptum Hilari Epiſcopi ad Aſcanium de eadem cauſa.

### INCIPIUNT REGULÆ PAPÆ HILARI.

Flavio Baſiliſco, & Hermentico Viris Clariſſimis, ſub die 16. calendas Decembris, reſidente Viro venerabili Papa Hilaro in Baſilica S. Mariæ,
Et Maximo Taurinium civitatum, Provinciæ Galliarum.
Ingenuo Ebredunenſi, Provinciæ SS.
Medionenſi, Provinciæ SS.
Saturnino Avenionenſi, Provinciæ SS.
Petro Portuenſi.
Paulino Aquæbienſi.
Primo Attellano.
Gaudentio Abicienſi.
Sothere Neapolitano.
Tiburtio Capuano.
Cademio Scillateno.
Felice Cumienſi.
Eubodio Triſanenſi.
Euſebio Genuenſi.
Majorano Aſtenſi.
Juſto Faberino.
Felice Sipontino.
Concordio Barino.
Uranio.
Caprario Caſitano.
Januario Præneſtino.
Conſtantio Aquinate.
Adeodato Cumano.
Prætextato Interamnano.
Triberio Curium Sabinorum.
Claudio Pauſolano.
Geruntio Camerino.
Adeodato Velliterno.
Lucifero Tyfernia Meauris.
Criſpiano Sub-Auguſtano.
Florentio Galeſino.
Hilario Amerino.
Candido Tiburtino.
Paulo Foro-novano.
Euſebio Sutrino.
Apulegio Tarquinenſi.
Gaudentio Anteatino.
Aſterio Cabinate.
Projectitio Nepeſino.
Aſterio Foro-Clodienſi.
Philippo Numanate.
Gaudentio Veronenſi.
Reſtituto & Octavio, Afris.

*Reſidentibus cum univerſis Presbyteris, adſtantibus quoque Diaconibus, Hilarus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ, Synodo præſidens, dixit.*

QUoniam Religioſus Sancto Spiritu congregante Conventus hortatur, ut quæcumque pro diſciplina Eccleſiaſtica ſunt, cura diligentiore tractemus, ſi placet, Fratres, ea quæ ad Ordinationum tenorem pertinent, juxta Divinæ legis Præcepta, & Nicænorum Canonum Conſtituta, ita jubente Domino in omne ævum manſura ſolidemus, ut nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo vel Divinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis Decreta temerare: Quia nos, qui potiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſis Dei deſides fuerimus inventi. Quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum. Siquidem reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur: Et graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum.

Cavendum ergò in primis eſt, ne ad ſacratos Gradus, quod Geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quiſque uni uxorem non virginem duxit, adſpiret. Repellendi etiam quique in ſecundæ uxoris nuptias contra Apoſtolica Præcepta convenerint. Inſcii litterarum. Nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi. Et hi, qui ex Pœnitentibus ſunt, ad ſacros Ordines adſpirare non audeant. Quiſquis talium Conſecrator exſtiterit, Factum ſuum ipſe diſſolvet: Et quod commiſit illicitè, aut à Deceſſoribus ſuis invenit admiſſum, ſi proprium vult vitare *peccatum*, damnabit. Nos enim in nullum volumus ſeveritatem ultionis exercere: Sed qui caſibus dictis contumacia vel delectu deliquerit, & ipſe, quod perperam fecit, abolere noluerit, in ſe, quidquid in alio non reſecarit, inveniet. Quod ut deinceps poſſit tenaciùs cuſtodiri, ſi placet, omnes cauſas & ſubſcriptiones proprias commodate, ut Synodali judicio aditus claudatur illicitis.

Ab

*Ab univerſis Epiſcopis & Presbyteris adclamatum eſt:*

Exaudi Chriſte, Hilaro vita. Dictum ſexties. Hæc confirmamus, hæc docemus. Dictum octies. Hæc tenenda ſunt, hæc ſervanda ſunt. Dictum quinies. Doctrinæ veſtræ gratias agimus. Dictum decies. Iſta ut in perpetuum ſerventur rogamus. Dictum decies quinies. Per Dominum Petrum ut in perpetuum ſerventur rogamus. Dictum octies. Hæc præſumptio numquam fiat. Dictum decies. Qui hæc violaverit, in ſe inveniet. Dictum ſepties.

*Et facto ſilentio, Hilarus Epiſcopus dixit:*

Præter ea, Fratres, nova & inaudita, ſicut ad nos miſſis de Hiſpaniis Epiſtolis ſub certa religione pervenit, in quibuſdam locis per diverſitatem ſemina ſubinde naſcuntur. Denique nonnulli Epiſcopatum, qui non niſi meritis præcedentibus datur, non Divinum munus, ſed hæreditarium putantes eſſe compendium, credunt ſicut res caducas, ita Sacerdotium, velut legati aut teſtamenti jure, poſſe dimitti. Nam plerique in mortis confinio conſtituti in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſubrogare: Ut ſcilicet non legitima exſpectetur electio, ſed defuncti gratificatio pro Populi habeatur adſenſu. Quod quam grave ſit, exiſtimate. Atque ideò, ſi placet, etiam hanc licentiam generaliter de Eccleſiis auferamus: Ne quod turpe dictu eſt, homini ſe putent, quod Dei eſt, debere. Ut autem quod ad nos perlatum eſt, ad veſtram etiam poſſit pervenire notitiam, Hiſpanorum Fratrum & Co-Epiſcoporum noſtrorum Scripta legantur.

Paulus Notarius recitavit.

*Beatiſſimo, & Apoſtolica reverentia à nobis in Chriſto colendo, Papæ Hilaro Aſcanius, & univerſi Epiſcopi Terraconenſis Provinciæ.*

Quoniam curam Apoſtolatus veſter de provinciarum ſuarum Sacerdotibus gerat, filio noſtro inluſtri Vincentio Duce Provinciæ noſtræ referente cognovimus. Cujus impulſu votum noſtrum in auſum ſcribendi prona devotione ſurrexit. Ergo provinciali litterario ſermone debita Coronæ veſtræ obſequia deferentes, his quæſumus, ut dignatione, qua cæteros, etiam Humilitatem noſtram in orationibus veſtris in mente habere dignemini, Beatiſſime ac Apoſtolica reverentia in Chriſto à nobis colende Pater. Illud ſpecialiùs deprecantes, ut Factum noſtrum, quod tam voto penè omnis Provinciæ, quam exemplo vetuſtatis in notitiam veſtram defertur, perpenſis aſſertionibus noſtris roborare dignemini.

Et cum legeret, ab univerſis Epiſcopis & Presbyteris adclamatum eſt: Exaudi Chriſte, Hilaro vita. Dictum eſt decies. Hæc præſumptio numquam fiat. Dictum ſexies. Quæ Dei ſunt, ab homine dari non poſſunt. Dictum eſt ſexies. Per Dominum Petrum, ut in perpetuum ſerventur. Dictum quinies. Hæc ut ſerventur rogamus.

*Hilarus Epiſcopus dixit*, Lege. *Paulus Notarius recitavit.*

Epiſcopus Barchinonenſium civitatis, Sanctus Nundinarius, ſortem explevit conditionis humanæ. Hic Epiſcopo venerabili Fratri noſtro Hirineo, quem ipſe antea in diœceſi ſua, nobis volentibus, conſtituerat, derelinquens ei, quod potuit habere paupertas, ſupremæ voluntatis arbitrio, in locum ſuum ut ſubſtitueretur optavit. Sed defuncti judicium in ejus meritum non vacillat.

Et cum legeret, Probus Epiſcopus è conſeſſu ſurgens dixit: illud licuit, hoc non licuit. Succeſſores Deus dat. Authoritate veſtra reſiſtite huic rei per Apoſtolatum veſtrum.

*Hilarus Epiſcopus dixit*: Percurre quæ cœperas. *Paulus Notarius recitavit.*

Siquidem omnis Clerus & plebs ejuſdem civitatis, & optimi & plurimi Provinciales, ut idem in ejus locum obſervaret, à nobis ſperaverunt dato conſenſu. Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, ſimul & utilitatem Eccleſiæ memoratæ, optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad Divina migraverat, non minoris meriti ſubſtitueretur Antiſtes: Præſertim cum Eccleſiam illius municipii, in qua antea fuerat ordinatus, ſemper hujus civitatis Eccleſiæ fuiſſe diœceſim conſtet. Ergò ſuppliciter deprecamur Apoſtolatum veſtrum, ut Humilitatis noſtræ *Decretum*, quod juſtè à nobis videtur factum, veſtra authoritate firmetis.

Jam dudum ſanè queſti fueramus litteris noſtris de præſumptione Sylvani Epiſcopi, & miramur quod nulla Apoſtolatus veſtri Reſponſa ſuſcepimus. Nunc hæc eadem ſuggerentes petimus, ut quid ſuper his rebus obſervandum ſit, Apoſtolicis ſermonibus nos dignemini informare. Et ne forſitan per negligentiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatem Humilitatis noſtræ ad vos Scripta non potuerint de hoc negotio pervenire, etiam ſuggeſtionem noſtram malumus iterare.

Et ſubſcriptio. Ora pro nobis. Sanctum Apoſtolatum veſtrum jugi ævo Divina conſervet æternitas nobis omnibus, & Eccleſiæ ſuæ, Domine verè noſter, & Apoſtolice Papa.

Hilarus Epiſcopus dixit: *Alia Epiſtola recitetur.*
Paulus Notarius recitavit.



*Domi-*

*Domino Beatiſſimo, & Apoſtolica reverentia à nobis in Chriſto colendo, Papæ Hilaro Aſcanius, & univerſi Epiſcopi Tarraconenſis Provinciæ.*

Etiamſi nulla ſtaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum reverà nobis fuerat illud privilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni clavibus poſt reſurrectionem Salvatoris per totum orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio univerſorum illuminationi proſpexit: Cujus Vicarii Principatus, ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus & amandus. Proindè nos Dominum in vobis primitùs adorantes, cui ſine querela ſervitis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde Reſponſa quærentes, undè nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione percipitur. Cum hæc ita ſe habeant, eſt tamen inter nos falſus Frater, cujus præſumptionem, ſicut diutiùs tacere non licuit, ita & loqui futuri judicii neceſſitas imperavit.

Sylvanus quidam, Epiſcopus Calagorræ, in ultima parte noſtræ Provinciæ conſtitutus, Divinationes ſibi indebitas uſurpando, Humilitatem noſtram ad hoc uſque perduxit, ut contra ejus vanam ſuperſtitionem Sedis veſtræ unicum remedium flagitemus.

Hic namque jam ante ſeptem aut octo ampliùs annos poſtponens Patrum Regulas, & veſtra Inſtituta deſpiciens, nullis petentibus Populis Epiſcopum ordinavit, Cujus præproperum Factum exiſtimantes fraterna pacifica poſſe admonitione ſanari, profecit in pejus. Denique dum contra vetuſtatem canonum, contra Synodi Conſtituta, alterius Fratris noſtri Presbyterum, ſpiritu tantùm præſumptionis accenſus in eodem loco, qui illi fuerat deſtinatus, cui invito & repugnanti impoſuerat manus, & qui noſtro jam cœtui fuerat aggregatus, Epiſcopum fecit. Hinc factum eſt, ut de ejus miſerrima temeritate ad nos Cæſar-Auguſtanæ urbis Epiſcopus, Frater noſter, univerſa referret: Cujus diligentia & ſollicitudo admodum proſpexerat, ſi in aliquo profuiſſet. Siquidem cunctis in vicinia Epiſcopis, ne ſe ſchiſmatico adjungerent, frequentiſſimè contradixit. Sed obſtinatione damnabili totum, quod erat illicitum, & quod nobis pudor eſt dicere, non erubuit ſolus ille committere. Proinde quia his præſumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri, quæſumus Sedem veſtram, ut quod ſuper hac parte obſervari velitis, Apoſtolicis adfatibus inſtruamur: Quatenus Fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi Conſtitutis, contra rebellionis ſpiritum veſtra authoritate ſubnixi, quid oporteat & de Ordinatore & de Ordinato fieri, intelligere Domino juvante poſſimus. Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus (quod à Sancti Petri Cathedra obtineri catholica audiat Eccleſia) ſi novella Zizaniorum ſemina fuerint exſtirpata.

Et ſubſcriptio: Orantem pro nobis Sanctum Apoſtolatum veſtrum jugi ævo Divina conſervet æternitas.

Ab univerſis Epiſcopis & Presbyteris adclamatum eſt: Ut hæc emendentur rogamus. Dictum eſt ſexies. Ut hæc recidantur rogamus. Dictum ſepties. Ut diſciplina ſervetur rogamus. Dictum octies. Ut antiquitas ſervetur rogamus. Dictum ſepties. Ut Canones cuſtodiantur rogamus. Dictum ſepties. Ut in præſumptoribus vindicetur rogamus. Dictum eſt ſepties. Ordinatio Apoſtolica inlibata ſervetur. Dictum octies. Exaudi Chriſte, Hilaro vita. Dictum eſt quinies. Dignus Papa, dignus Doctor. Dictum octies.

Hilarus Epiſcopus dixit.

*Acceptis quæ recitata ſunt, de omnibus nunc fratres ſpeciales ſententias Domino vobis inſpirante depromite.*

Maximus Epiſcopus Eccleſiæ Taurinatis dixit: In cuſtodiendis omnibus, quæ ad ſacras Ordinationes pertinent diſciplinis melius ſententiæ meæ profeſſione denuntio, nihil à me unquam eorum, quæ prohibita ſunt, eſſe faciendum. De reliquis cenſeo, ut quiſquis talia fecerit, aut detecta in Eccleſiis reſecare noluerit, noverit ſe graves cauſas in Apoſtolicæ Sedis judicio redditurum, in quo illi neceſſe erit ſubire ſententiam.

Ingenuus Epiſcopus Ebredunenſis dixit: Mihi quoque eadem de omnibus partibus ſententia eſt, qua me ipſe conſtringo, ne quid à me unquam de his, quæ ſunt interdicta, tentetur. Quia novi ſtatum, & profeſſionem meam. De cæteris etiam cenſeo, ut quiſquis Statutorum tranſgreſſor exſtiterit, ſciat ſe Eccleſiaſticæ Regulæ laqueis innodari, & reatum Apoſtolicæ Sedis incurrere.

Paulus Epiſcopus Aquæ-Vivæ dixit: Ego quoque ſimili me lege conſtringo. Et de cæteris, qui tranſgreſſores fuerint, pariter cenſeo, ne eis ſine periculo ſui quidquam tale tentare liceat, quod meritò debeat vindicari.

Primus Epiſcopus Eccleſiæ Atellanæ dixit: Hoc & ego cenſeo eſſe obſervandum.

Palladius Epiſcopus Eccleſiæ Salpinæ dixit: Nihil me contra diſciplinam Eccleſiaſticam vel Statuta ſanctorum Canonum facturum eſſe polliceor.

Triberius Epiſcopus Eccleſiæ Sabinenſis dixit: Profiteor me Statuta Sedis Apoſtolicæ in omnibus cuſtodire. Et ſi in Eccleſia mea Clericorum aliquem contra Præcepta ſanctorum Canonum deprehendero, aut mulierem duxiſſe, aut duas habere uxores ab Eccleſiaſtico officio ſeparari.

Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Sententias Fratrum omnes ſequimur; omnes confirmamus, & obſervandum eſſe decernimus. Exaudi Chriſte, Hilaro vita. Dictum ſexties. Quæ malè admiſſa ſunt, per te corrigantur. Dictum novies. Quod non licet, non fiat. Dictum octies.

Hila-

Hilarus Epiſcopus Eccleſiæ nrbis Romæ, Synodo præſidens, dixit: Quooiam præſentis definitionis formam, quæ ſecundùm Sanctorum eſt ſtatuta ſententiam, in omnium Eccleſiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro ſui poſſit ignoratione licere quod oon licet, edere Geſta Notsriorum ſollicitudo curabit.

*Præceptum Hilari Epiſcopi Aſcanio, & univerſis Epiſcopis Tarratonenſis Eccleſiæ.*

Poſtquam Litteras veſtræ Dilectionis accepimus, quibus præſumptiones Sylvani Epiſcopi Calogorenſium Eccleſiæ retundi petiſtis, & rurſum Barebinonenſium quæritis nimis illicita vota firmari, Honoratorum & Poſſeſſorum Tyriaſſonenſium, Caſcantenſium, Calogoritanorum, Varegenſium, Tritienſium, Leviſenſium, & Vero-Virtenſium civitatis cum ſubſcriptionibus diverſorum litteras nobis conſtat ingeſtas, per quas id, quod de Sylvano querela veſtra deprompſerat, excuſabant. Sed reprebenſione juſtiſſima eorum pariter juſta allegatio non carebat: Quia præter conſcientiam Metropolitani, Fratris & Co-Epiſcopi noſtri Aſeanii, nonnullis eivitatibus ordinatos claruit Sacerdotes. Unde quoniam quidquid ab alterutra parte eſt indicatum, omni videamus perverſitate confuſum, temporum neceſſitate perſpecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod geſtum eſt, ut nihil deinceps contra Præcepta beati Apoſtoli, nihil contra Nicænorum Canoonm Conſtituta tentetur.

Hoc autem primum juxta eorundem Patrum Regulas volumus cuſtodiri, ut nollus præter notitiam atque conſenſum Fratris Aſcanii Metropolitani aliquatenos conſecretur Antiſtes: Quia hoc & vetus Ordo tenuit. Hoc trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum definivit authoritas, cui quiſquis obvias tetenderit manus, eorum ſe conſortio fatetur indignum, quorum præceptionibus reſultarit.

In quorum contumeliam ſuperbo ſpiritu etiam pars illa contemnitur, qua vetatur, ne quis relicta Eccleſia ſua ad alteram tranſire præſumat: Quod nimis improbè, conniventibus, & ut doleatur graviùs, vobis quærentibus, *Hirinæus* Epiſcopus conatur admittere, qui non authoritate revocari cupitis, quos maximè de rebus inlicitis magna indignatione *oporteret* sccendi.

Lectis ergò in conventu Fratrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat, litteris veſtris, quæ de ordinandis Epiſcopis ſecundùm Statuta canonum, vel Prædeceſſorum meorum decreta ſunt, perlecta ſententia, Geſtorum, quæ pariter direximos, tenore diſcetis. Unde remoto ab Ecelefia Barchinonenſi, atque ad ſua remiſſo Hirinęo, ſedatis per Sacerdotalem modeſtiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Eccleſiaſticarum legum deſiderant quod non licer obtinere, talis protinus de Clero proprio Barchinonenſibus *Epiſcopus* ordinetur, qualem te præcipuè,



Frater Aſcani, oportest eligere, & deceat conſecrare. Ne ſi ſimiliter fortè ſactum fuerit, non ſine objurgatione tui maximè nominis retundat noſtra Præceptio, quod in injuriam Dei, à quo ſpecialiter Sacerdotalium eſt gratis dignitatum, didicerimus admiſſum. Nec Epiſcopi honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſola Dei noſtri Chriſti benignitate conſertur.

Ordinatos ergò nunc Epiſcopos, qui antè te ignorante provecti ſunt, licet cum ſuis authoribus meruerint ſubmoveri, hac ratione firmamus, ſi & viduæ maritus quis non fuerit, & in unius virginis nuptias ac vota convenerit, ſicut & legalia Conſtituta præcipiunt, dicendo: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* Levit. 21. Secundùm quod etiam Beatus Apoſtolus Paulus, Magiſter gentium, de bis qui fieri deſiderant Sacerdotes, propria inſtitutione non tacuit, dicens: *Unius uxoris virum.* 1. Tim. 3. Cujus tenore ſententiæ ita informati eſſe debetis, ut inter cætera quæ cavenda ſunt, hæc ſtudeatis præcipuè cuſtodiri, quæ cognoſcitis ante univerſa mandari. In quibus etiam perſpiciendum eſt, ne duo ſint in una Eccleſia Sacerdotes. Nec litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum, vel etiam ex Pœnitentibus aliquis ad ſacrum Miniſterium prorsùs ſinatur accedere.

Nec tantùm patetis petitiones valere Populorum, ut cum bis parere cupitis, Dei noſtri voluntatem, quæ nos peccare prohibet, deſeratis, cujus indignatio ex boc graviùs commovetur; quia benignitas ejus, dum fiunt inlicita per eos, qui ſunt Interpretes placationis, offenditur.

Ut autem omnis ſecundùm hæc, quæ ſcripſimus, corrigantur, præſentes litteras Trajano Sub-Discono noſtro veniente diréximus.

Quod ſi Hirinęus Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam, depoſito improbitatis ambitu, redire neglexerit, quod ei non judicio, ſed humanitate præſtabitur, removendum ſe ab Epiſcopali conſortio eſſe cognoſcat.

Data III. Kal. Januar. Baſiliſco
& Hermenrico VV. CC.

---

## CAPUT CCXXVIII.

### EX CODICE 1345.

*Concilium Neapolitanum.*

CUm milleſimo centeſimo vigeſimo Incarnationis Dominicæ anno, peccatis noſtris exigentibus, Hieroſolymitana Regio multis oppreſſionibus vaſtaretur, & frugibus jam à locuſtis & muribus quadriennio conſumptis, creberrimiſque Saracenorum aſſultibus & inſidiis, plurimis peregrinorum & civium interfectis deſolaretur, vir columbinæ ſimplicitatis Patriarcha Garmundus, humilitatiſque alumnus, &

 feli-

felicitatis filius Balduinus, Latinitatis Hieroſolymorum Rex ſecundus, pietatis precibus & juſtitiæ operibus immioenti eivium periculo occurrere ſatagentes, Divina inſpiratione compuncti, ad erigendum Eccleſiæ & Regionis ſtatum, cum ipſis Eccleſiæ Prælatis & Regni Primatibus, ſecundo Regni, & Patriarchatus ſui anno ſeptimo, decimo Kalendas Februarii, apud Neapolim Samariæ civitatem Concilium inivenunt, & oeceſſitate terræ ſic exigente, quæ ſubſcripſimus ad eorruentis Populi correctionem Decreta ſtabiliverunt. Cum enim eo maximè tempore prædictæ Regionis Populus omnia voluptatum declivia ſequeretur, ideòque quotidianis infortuniis immioutus periclitaretur, unicum eis viſum eſt refugium, & Divinam miſericordiam invocare, & labeotis Populi peccatis aliqua juſtitiæ fræna imponere, quatenus & peccatia ceſſantibus, ut in Populo Iſraelitico contigiſſe legimus, Divina ultio ceſſaret, & pœnitentes filios Divina miſericordia, quæ non mortem, ſed peccatoris correptionem deſiderat, ab imminenti hoſtium periculo eriperet. Hoſtes namque, videlicet Saraceni, præterita æſtate Rogerium Antiochiæ Principem, & totius ferè Antiocheni Principatus Chriſtianitatem, heu bello devictam, interemerant, & Hieroſolymitanam Regionem ſolito crebriùs invadebant. Sed de his hactenus.

Nunc autem viros, qui prænominato Concilio interfuerunt, & quæ ſequuntur Præcepta confirmaverunt, nomina ſubnotemus. Garmundus Patriarcha Hieroſolymitanus. Balduinus Latinitatis Rex ſecundus Hieroſolymorum. Ebremarius Cæſareæ Archi-Epiſcopus. Bernardus Nazarenus Epiſcopus. Auſquilinus Bethleem Epiſcopus. Rogerius Ramatenſis Epiſcopus. Guildonius electus Abbas Sanctæ Mariæ de Valle Joſaphat. Petrus de Monte Thabor. Aviardus Prior Templi Domini. Arnaldus Prior Montis Sion. Gerardus Prior Sepulchri Domini. Paganus Regis Cancellarius. Euſtachius G. Wilhelmus de Buns. Bariſanus Joppe Conſtabularius. Balduinus de Ramis.

## CAPITULUM I.

### *Neapolitani Concilii.*

QUoniam quæ à Deo incipiunt, per ipſum ac in ipſum finiri neceſſe eſt, ut hoc ſacrum Concilium à Deo incipiat, & in Deum finem habeat, ego Balduinus Latinitatis Hieroſolymorum Rex ſecundus, hujus ſacri Conventus exordium à Deo aſſumens, ut ipſe præcepi, reddo & concedo Sacro-Sanctæ Eccleſię Hieroſolymitanæ, & præſenti Patriarchæ Garmundo, & ejus Succeſſoribus, redditunm meorum Decimas, ſicut ratio Diœceſis ejus exigit, id eſt, Decimas redditunm Hieruſalem, & Neapolis, & Ptolomaidis, quæ alio nomine Accoo appellatur, quatenus ipſe, orationum officium pro Regni ſtatu apud Deum exercens, hoc Regalis charitatis adminiculo ad præſens ſuſtentari valeat. Et ſi aliquando creſcente Religione Chriſtiana in aliqua prædictarum civitatum ipſe aut aliquis Succeſſorum ejus Epiſcopum ordinaverit, ipſarum Decimas pro Regis & Eccleſiæ conſilio diſponat.

#### *Capitulum II.*

Ego Rex Balduinus Viris hujus ſacri Concilii videntibus & faventibus perſonis, & Baronibus meis, idemque prout Parochiarum ſuarum ratio exigit, de ſuis Decimis facientibus, ut prædixi, Decimas reddo, & ſuperbiæ, qua ego vel ipſi interim retinuimus, culpam faciens cum ipſis veniam peto.

#### *Capitulum III.*

Ego Patriarcha Garmundus ex omnipotentis Dei parte, & mea, & omnium adſtantium Co-Epiſcoporum & fratrum poteſtate, ſuper prędicta Decimarum redditione vos abſolvo, & Decimas, quas Deo, & mihi, cæteriſque Epiſcopis veſtris dari debere recognoſcitis prout cujuſque præſentium ſeu abſentium fratrum Parochia exigit, charitativè cum eis recipio.

#### *Capitulum IV.*

Si quis ſe ab uxore malè tractari timuerit, quem ſuſpectum habet, conveniat, eique domus ſuæ introitum, & uxoris ſuæ colloquium coram legalibus teſtibus interdicat. Si verò poſt Interdictum ipſe aut aliquis amicorum ejus, in ſua aliave domo eos colloquentes invenerit, vir abſque membrorum abſciſſione ad Eccleſiæ juſtitiam deducatur. Et ſi ſe ignito ferro purgaverit, impunitus dimittatur. Cæterum ſi quid dedecoris in colloquii inventione ſuſtinuit, pro interdicta tranſgreſſione abſque vindicta impunitum dimittatur.

#### *Capitulum V.*

Quicumque cum alterius uxore concubuiſſe probatus fuerit, accepta judicii ſententia eviretur, & ab hac terra ejiciatur; Mœcha verò enaſetur, niſi vir ejus miſericordiam facere voluerit. Quod ſi fecerit, ambo mare tranſgrediantur.

#### *Capitulum VI.*

Si quis Clericum ſuſpectum habuerit, domum & uxoris colloquium ei, ut prædiximus, interdicat. Si verò poſtea eos colloquentes invenerit, Eccleſiæ magis Magiſtratui id oſtendat. Et ſi poſt-

poſtmodùm eos concumbentes aut colloquentes repererit, rem demum ad juſtitiam deducat. Quod ſi juſtitia eum exordinaverit, deinceps in cæteris foris-factis laicali ſententiæ ſubjaceat.

*Capitulum VII.*

Si Leno aut Lena alicujus uxorem verbis corrumpat, & mœchari faciat, mœchi vel mœchæ judicium ſubeat.

*Capitulum VIII.*

Si quiſpiam adultus Sodomitica nequitia ſe ſpontè polluiſſe probatus fuerit, tam faciens quam patiens comburatur.

*Capitulum IX.*

Si infans, aut quilibet provectus ab aliquo Sodomita vi commaculatus fuerit, & interim clamorem fecerit, Sodomita flammis tradatur. Qui verò non ſpontè peccaverit, ſecundùm Eccleſiæ ſententiam pœniteat, & legalitatem non amittat.

*Capitulum X.*

Si quis Sodomiticum ſcelus vi ſemel paſſus id celaverit, & ſe denuò ſordidari permiſerit, nec juſtitiæ oſtenderit, ubi poſtmodùm probatus fuerit, ut Sodomita judicetur.

*Capitulum XI.*

Si quis Sodomita, antequam accuſetur, reſipuerit, & pœnitentia ductus illi abominabili nequitiæ jure jurando abrenunciaverit, in Eccleſiam recipiatur, & ſecundùm Canonum ſententiam judicetur. Si autem rurſus in id inciderit, & ſecundò pœnitere voluerit, ad pœnitentiam quidem admittatur, ſed Hieroſolymitano Regno eliminetur.

*Capitulum XII.*

Si quis cum conſentiente ſibi Saracena concubuiſſe probatus fuerit, ementuletur, illa verò naſo truncetur.

*Capitulum XIII.*

Si quis Saracenam ſuam vi oppreſſerit, ipſa quidem infiſcabitur, ipſe verò exteſtificabitur.

*Capitulum XIV.*

Si quis Saracenam alterius vi ſibi ſuppoſuerit, *ſimilem* ſententiam ſubibit.

*Capitulum XV.*

Si Chriſtiana Saraceno ſponte commiſceatur, ambo mœchantium ſententia judicentur. Si verò vi ab eo oppreſſa fuerit, ipſa quidem culpa non tenebitur, ſed Saracenus eunuchizabitur.

*Capitulum XVI.*

Si Saracenus aut Saracena Francigeno more ſe induant, infiſcentur.

*Capitulum XVII.*

Si quis unam habens uxorem, aliam ſuperduxerit, uſque ad primam prædicti anni Dominicam Quadrageſimæ diem Presbytero & confeſſus pœniteat, & deinceps ſecundùm Eccleſiæ Præceptum ſe habeat. Si verò id amplius celaverit, res ejus infiſcabuntur, & ipſe publicè fruſtatus ab hac terra excommunicetur.

*Capitulum XVIII.*

Si quis neſcius alterius uxorem duxerit, aut mulier alterius conjugi neſcia nupſerit, quem ignorantia defendit, compare ejecto, in hac terra remaneat, & nubendi licentiam habeat.

*Capitulum XIX.*

Si quis volens dimittere conjugem, ſe aliam habere, aut viva uxore ſe eam duxiſſe dixerit, aut calido ferro id demonſtret, aut legales teſtes, qui jurejurando illud pro eo comprobent, Eccleſiæ Magiſtratui præſentet. Quamcumque autem in virilis ſexus erratibus ſententiam ſtabilivimus, eamdem in ſexu fœmineo confirmamus.

*Capitulum XX.*

Si Clericus cauſa defenſionis arma detulerit, culpa non teneatur. Si autem militia aut alicujus curialitatis cauſa coronam dimiſerit, uſque ad prædictum terminum Eccleſiæ id confeſſus coronam reddat, & deinceps ſecundùm Patriarchæ Præceptum ſe habeat. Si autem ampliùs celaverit, pro Regis & Patriarchæ conſilio ſe contineat.

*Capitulum XXI.*

Si Monachus aut Regularis Canonicus apoſtatavit, aut ad Ordinem recurrat, aut ad Patriam redeat.

*Capitulum XXII.*

Quicumque aliquem accuſaverit, & probare non potuerit, eidem pœnæ ſubjaceat.

*Capitulum XXIII.*

Si quis de latrocinio convictus fuerit, ſi furtum fuerit ultra b. 3. membris comminuatur, manu,

nu, & pede, & oculis. Si verò infra b. furtum fuit, cauterio in facie coquatur, & per villam ductus flagellis cædatur. Et ſi in eo aliquid inventum fuerit, ei cui damnum intulit, reddatur. Si verò nihil habuerit, corpus ejus homini, cui fecit furtum, delibetur. Si rurſum alia vice id perpetravit, omnibus membris aut vita privetur.

*Capitulum* XXIV.

Si quis furtum fecerit, & infra annos fuerit, cuſtodiatur, donec in Curia Regis provideatur, quid de eo ſit agendum.

*Capitulum* XXV.

Si quis Baronum hominem ſui Compatris in latrocinio cepit, membris non comminuatur, ſed in Curiam Regia ad judicandum mittatur.

Et in deciſione Parochialium finium quinque teſtes ſufficiant, ſive Clerici, ſive Laici.

Paſchalis Papa II. Guidoni Viennenſi Archi-Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato.

Controverſiam, quæ inter Biſuntinos Canonicos Sancti Joannis & Sancti Stephani tanto jam tempore voluta eſt, Canonico nec tandem apud nos judicio noveris eſſe deciſam. Præcipimus ergo Sollicitudini tuæ, ut pro hoc negotio peragendo, & tanti ſcandali lite ſedanda, adhibitis tecum ſapientibus & Religioſis fratribus, vel Divionem, vel ad alium competentiorem locum convenias, quò poſſint ſine gravamine perſonas ſibi neceſſarias adducere, & omni partium animoſitate ſepoſita ita ſyncerè, ita liquidè judicii hujus perfectionem accipias, quatenus inter eos nulla ulterius hujus rei lis aut querela remaneat. Teſtes autem hujus quæſtionis probatores, quia de captu Parochiæ cauſa gravior agitur, quinque ſint ſive Clerici, ſive Laici, qui ſecundum Canonicas ſanctiones de viſu & auditu teſtimonium proferant.

Ut in probatione poſſeſſionum Domeſtici & ſocii admittantur.

Idem ad eundem. Super prudentia tua plurimum admiramur, quod in negotio Beati Stephani Clericorum ipſorum teſtimonium acceptare nolueris, cum Beatus Gregorius in hujuſmodi cauſis Eccleſiarum Actoribus probationem imponat. Diverſæ namque ſunt cauſarum ſpecies, nec in omnibus cauſis omnia agitantur. In criminibus ſiquidem accuſatoris & teſtium illa diſtinctio obſervanda eſt, quæ Canonibus continetur: Neque ad probationem Domeſtici aſſumantur. Cæterum in poſſeſſionum vel cæteris hujuſmodi negotiis hi potiſſimum aſſumendi ſunt qui eadem negotia tractaverunt, de quorum viſu & auditu hæſitatio eſſe non debeat. Si ergo iidem Clerici idonei ſunt, ab aſſertione cauſæ illius nullatenus repellantur, ſed ſicut aliis litteris delibatum eſt, inter Sancti Joannis & Sancti Stephani Canonicos lis illa pleniùs decidatur.

Quid eſt territorium? Pompejus interrogat. Territorium eſt univerſitas agrorum inter fines cujuſque civitatis. Quod ab eo quidam dictum ajunt, quod Magiſtratus ejus loci inter eos fines terrendi, id eſt, ſubmovendi vim habet.

Verbum, *Suum*, ambiguum eſt, utrum de toto, an de parte ſignificet, ideò inquirat ſuum non eſſe adjicere debera, & nequu ſibi commune eſſe.

Innocentius, *Servus Servorum Dei*, Epiſcopis Galliæ. Inter cætera. *Illos* etiam limites inter Eccleſias eſſe ſancimus, quos antiquitus fuiſſe vel Scriptorum *atteſtatione* vel territoriorum diviſione, vel certis aliquibus judiciis conſtat, ut annuente Domino Eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur. Et quæ pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt, perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant.

EX-

Digitized by Google

# EXTRACTUM EX VOLUMINE

## SEU CODICE SIC INTITULATO:

*Memoria di coſe appartenenti alla Reverenda Camera Apoſtolica con altri particolari, ed utili, e curioſi, cavato e reſcritto da un Libro intitolato,*

# DE DOMO REGIA FRANCORUM,

*Scripto a mano in 6. che era di carta pecora di carattere bello, fatto circa l'anno M. CCCC. VI.*

E ci ſi tratta di coſe di centinaja d'anni prima.

# PARS DUODECIMA.

## *Sequentes Epiſtolæ, diverſis directæ Perſonis, ſunt Anacleti Anti-Papæ.*

# EPISTOLA PRIMA.

COnverſionis meæ primordia reducens ad animum, multum me Cluniacenſi Monaſterio invenio debitorem: Propter quod in eo & Monachicum habitum, & converſandi ſumpſi, Divinæ potentiæ gratia protegente, principium. Cùi licet in omnibus, quæ mihi pleno charitatis ubere pia devotione impendit, æqua redhibitione nequeam reſpondere, meipſum tamen ei, quoad poſſum fideliſſima ſervitute ſubſterno. Et ideò de ſtatu noſtro, ſeu de his, quæ penes nos, Dei nos reſpiciente clementia, proſperè acta ſunt vel aguntur, ſanctæ Dilectioni veſtræ dignum duximus, miſſis ad vos litteris, intimare. Decedente ſiquidem de hac vita Domino Prædeceſſore noſtro piæ memoriæ Papa Honorio, Cardinales Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, & Diaconi, & Subdiaconi, Primicerius cum omni Schola & Ordinibus Palatii, Judices & Scriniarii, & Clerus omnis Romanus, expetente omni Populo cum Honoratorum devotiſſimo aſſenſu, in Titulo Beati Marci me, licet indignum, in Papam Anacletum unanimiter elegerunt: Et electum in Eccleſia Beati Petri Patroni noſtri Venerabilis Frater noſter Petrus Portuenſis Epiſcopus cum diverſarum Regionum Epiſcopis celeberrimè conſecravit. Verùm quidam falſi Fratres, Filii Belial, Filii peſtilentiæ, Filii Agar, ſapientiam, quæ de terra eſt, exquirentes, inebriati calice iræ Dei omnipotentis, Dei diſpoſitioni & conſtitutioni Eccleſiaſticæ auſu improbo niſi ſunt contraire. Quorum caput eſt Aimericus quondam Cancellarius, avaritiæ ſervus, hiſtrionum & ſcurrarum delirus incentor, Eccleſiarum expoliator, ſervorum Dei improbus exactor, alter Giezi, qui Simoniis publicis & privatis lepram Naaman & maledictionem Dei hæreditario eſt jure ſortitus. Hinc Joannes de Crema, homo miſerabilis, & verè Nicolaita, & inter Biothanatos aliquando per Papam Honorium & Cardinales damnatus promiſſionibus vanis inductus, alludit. De Petro Cardinali Sanctæ Anaſtaſiæ, quod Theſauri Cluniacenſis aſſuetis tergiverſationibus inſatiabilis extitit prædo, & Gozelino Sanctæ Cæciliæ ſilere dignius duximus, quam de eis, & de eorum turpiſſima ſervitute vobis ſcribere. Hi Aimerici quadra vivebant, & ſicut celebre eſt apud nos, Juramento adſtricti iniquitatis ſuæ Caput per omnia ſequuntur. De quibuſdam Pſeudo-Epiſcopis, quos factio-

factionis ſuæ complices prædictus induxit, nullus nobis ſermo, nulla nobis cura eſt, cùm nihil ad eos de Romani Pontificis Electione pertineat. Porrò quia per Dei gratiam omnia nobis proſpera ſunt, nos in aliquo lædere non valent: Maledicta congeminant, latrant in nos canes impudentiſſimi, & ore vipereo detrahunt, & fœtentem crapulam eructantes, in Dei Eccleſia de ſua peſſima conſcientia multa ore fœtentiſſimo evomunt. Poſuerunt quippè, juxta impiorum teſtimonium, mendacium ſpem ſuam, obtenebratos habentes oculos, neſcientes quod iniquitates in excelſo loquantur, & ponant in cœlum os ſuum, ut lingua eorum tranſeat ſuper terram. Nec mirum, ſi ab eis cum Dei Eccleſia blaſphemamur, cum Patrem familias Dominum Beelzebub vocaverint Patres eorum. Quocirca fratres in Chriſto chariſſimi Paterno vos alloquio ſalutantes, Dilectionem veſtram in Domino commonemus, ut eorum prœſtigia, ſi fortè vobis arriſerint, evitantes, Romanæ Eccleſiæ unitatem conſtantiſſimè teneatis. Sanè, fratres, illi de quibus ſcripſimus, qui Dei Eccleſiam ſcindere, & Altare anathematis & maledictionis titulum ſunt fabricare moliti, Sancti Spiritus & proprio ſunt judicio condemnati. Convenientibus namque fratribus noſtris, cum omni Clero Romano, cum tertiò quaterque vocati, aut rationem ponere aut ſatisfacere contempſiſſent, ab Eccleſiæ gremio digno ſunt anathemate reſecati. Tradidimus eos Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare. Illorum verſutias & præſtigioſa figmenta, quia longum eſt ſcribere, Latori præſentium, dilecto filio noſtro Gregorio, Sedis noſtræ Diacono Cardinali commiſimus indicanda. Rogamus itaque Sanctitatem veſtram, ut illam quam olim circa me dilectionem in minori adminiſtratione viſi eſtis exhibere, nunc in Apoſtolicæ Sedis Regimine conſtituto ſubtrahere non debeatis. Conſiderans ſiquidem infirmitatem meam ad Apoſtolicæ Sedis culmen non poſſe ſufficere, onus hoc declinare malueram, ne in Paſtorali regimine imparis adminiſtrationis actione ſuccumberem: Sed quia contraire non eſt diſponentis Dei arbitrio, obedienter ſecutus ſum, quod miſericors de me Omnipotentis manus voluerit operari. Domini & Principes noſtri Petrus & Paulus, quibus in loco ſancto aſſiduè deſervitis, vobis pro nobis orantibus gaudia æternæ felicitatis obtineant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA II.

Diuturna Prædeceſſorum noſtrorum conſuetudo & negotia nuper emergentia nos compellunt, ut Legatum ex Latere noſtro ad vos dirigere debeamus. Dilectum itaque Filium noſtrum Gregorium Cardinalem Diaconum in partes Aquitaniæ mittentes rogamus, ut ſolita eum pietate pro Beati Petri & noſtra reverentia benignè ſuſcipiatis, eique quo ordine nos Dominus Apoſtolicæ Sedi præeſſe voluit, ac de ſcandalo, quod à pauciſſimis in Romana Eccleſia factum audiſtis, aures veſtras ſine hæſitatione præbeatis. Fidem nimirum ejus Sacroſancta Romana Eccleſia probatam habet, neque aliud vobis enarrabit, præter id quod veritas docet. Prætereà Univerſitati veſtræ ſignificamus, quod pro morum honeſtate, prudentiæque efficacia, ſicut Beatæ recordationis Papa Paſchalis nutritor noſter, & poſt eum alii Anteceſſores noſtri Romani Pontifices ſecerunt, Venerabilem Fratrem noſtrum Girardum, Engoliſmenſem Epiſcopum, per veſtras Provincias vobis ei cooperantibus, Apoſtolicæ Sedis liberalitate in partem ſollicitudinis veſtræ vocavimus. Per præſentia igitur vobis Scripta mandamus, ut eidem fratri noſtro, tanquam Apoſtolicæ Sedis Legato, debitam curetis reverentiam exhibere. Nos enim ei & Dilecto Filio noſtro dedimus in Mandatis, ut convocato Fratrum Collegio, Concilium debeant celebrare, in quo charitate media conſedentes, communicato conſilio, Sanctique Spiritus gratia invocata, corrigenda corrigant, & quæ digna fuerint confirmatione corroborent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendas Maii.

## EPISTOLA III.

Pro tua probitate, quam Sancta Mater Romana Eccleſia longo jam tempore expertam habet, Te tanquam chariſſimum ſuum præcipuum Filium dilexit, & ſpeciali gratia honoravit. Dominus ſiquidem & nutritor noſter ſanctæ memoriæ Papa Paſchalis, & alii poſt eum Romani Pontifices ob Inſignia virtutum tuarum ſuas tibi commiſerunt vices in Aquitaniæ partibus peragendas. Nos igitur dilectionis præteritæ ac ſollicitudinis memores, quibus ſemper Matrem tuam Romanam Eccleſiam dilexiſti, & propenſiùs adjuviſti, Legationem Apoſtolicæ Sedis, liberalitate à Prædeceſſoribus noſtris tibi conceſſam, nos quoque concedimus, & ſicut illorum habuiſſe cognoſceris, ità & noſtras habere te vices deinceps volumus, & gratis, plenoque charitatis intuitu confirmamus. Ad hujus autem noſtræ conceſſionis firmamentum, dilectum Filium noſtrum Gregorium Diaconum Cardinalem miſimus, quem in partibus illis aliquantiſper volumus converſari. Tuæ itaque Fraternitati mandamus, ut cum eodem Filio noſtro Concilium ſtudeas convocare, in quo charitate media conſedentes, communicato Fratrum conſilio, Sanctique Spiritus gratia cooperante, corrigenda corrigant, & quæ confirmatione digna ſunt, confirment. Per ipſum etiam de promotione noſtra, ſeu de ſcandalo, quod in Romana Eccleſia factum audiſti, te reddimus certiorem, quatenùs Dilectio tua & mendacium

omne reſpuere, & veritatis teſtimonio indubitanter valeat adhærere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA IV.

VEteris amicitiæ memores, & ejus præcipuè, quæ inter te & bonæ memoriæ Patrem meum longo tempore ſtabili firmitate duravit, dignum duximus Nobilem Prudentiam tuam Sedis Apoſtolicæ litteris viſitare, & mutuæ affectionis fœdera dignis allegationibus innovare. Quamobrem quantò te arctiùs charitatis brachiis cupimus amplexari, tantò diligentiùs de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ſeu de his, quæ penes nos ſunt acta, litterarum noſtrarum ſerie Dilectioni tuæ intimare curavimus. Obeunte ſiquidem piæ memoriæ Papa Honorio, fratres noſtri Cardinales, Presbyteri & Diacones, cum omni Clero Romano, expetente Popolo, & indefeſſis vocibus inſiſtente, conſentientibus etiam juxta tenorem Canonum Honoratis, devotis animis, & affectione unanimi, invitum me, & viribus imparem concorditer elegerunt, electumque poſteà venerabilis frater noſter Petrus Portuenſis Epiſcopus, convenientibus diverſarum Regionum Epiſcopis, ad Altare Beati Petri ſub oculis omnium in Romanum Pontificem celeberrimè conſecravit.

Verùm quidam de fratribus, loco & tempore novitii, & pauciſſimi numero, quorundam perfidorum blandis aſtutiis ſuffocati, Altare aliud erigere, & anathema Jericho in Sanctuarium Dei introducere, & ſimulacrum Phegor de inauribus mulierum inſipientium ſunt in tenebris fabricare conati. Sed Deus omnipotens, qui conſilium Achitofel infatuavit, eorum prava conſilia, modo mirabili *deſtruxit*. De domo namque Leonis Frangipane, cujus potiſſimùm viribus videbantur inniti, nocturno tempore fugientes ſe trans Tiberim contulerunt, & ibi quaſi in quodam carcere latitantes præſumptionis ſuæ ignominiam crebris doloribus flebiliter experiuntur. Sanè Clerus omnis Romanus individua nobis charitate cohæret. Præfectus Urbis Leo Frangipane cum filio, & Cencio Frangipane, & Nobiles omnes, ac Plebs omnis Romana, conſuetam nobis fidelitatem fecerunt. Nos quoque, quæ officii noſtri ſunt, in Urbe, intus & extra, liberè exercemus. Ordinationes Cardinalium fecimus, & Epiſcopos, largiente Domino, conſecravimus. Rogamus itaque Nobilitatem tuam, ut ſicut de te ſpem firmiſſimam poſſidemus, pro Romana Eccleſia conſueta debeas inſtantia laborare, & dilectionis tuæ inſignia manifeſtis nos facias effectibus experiri. Hoc enim agens, & Romanam Eccleſiam ſemper obnoxiam, & nos tibi de cætero facies debitores. Nec te, chariſſime, Aimerici quondam Cancellarii, Prædonis improbi, Simoniæ ſervi, ſeu Joannis de Crema, hominis ſuperbiſſimi & incircumciſi, & verè Nicolaitæ, monſtruoſa mendacia moveant, nec fidei tuæ murum eorum vaniloquia aut venenoſa mendacia penetrent, qui velut Cain à facie Domini fugientes, maledicti à terra, fratricidii ſignum meretricia coguntur fronte geſtare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA V.

DEſiderium deſiderii noſtri fuerat idoneum ad vos à Latere noſtro Nuncium deſtinare. Cæterùm nobis erga plurima occupatis deſiderium noſtrum hucuſque dilatum eſt. Sanè opportunitate habita unum ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, chariſſimum videlicet ac Venerabilem Fratrem noſtrum Ottonem, Tudertinum Epiſcopum, ad partes veſtras duximus delegandum, quod vos ex parte noſtra pleniùs viſitet, ac de ſtatu noſtro faciat certiores. Si quæ etiam inter vos fuerint pertractanda negotia, Sancto cooperante Spiritu unà vobiſcum vice noſtra pertractet. Præſentibus igitur litteris Univerſitatem veſtram rogamus, ut eum reverenter ſuſcipere, eique, tanquam Vicario noſtro, ſtudeatis aſſiſtere & obedire. Hortamur etiam, ne laudabilem fidei veſtræ conſtantiam quorundam maliloquia, vel præſtigioſa figmenta perturbent, qui utique poſt concupiſcentias ſuas euntes, Altare aliud in Eccleſia Dei erigere, atque in occultis tenebris Idolum cruentis manibus fabricare præſumpſerunt. Horum enim, diſponente Deo, circa promotionem noſtram Factum audiſtis: *Quam* non in angulo vel latibulo, ſed in luce, & in manifeſto ab univerſo Urbis Clero & Populo, ex deliberato Fratrum conſilio, ex communi aſſenſu & unanimi deſiderio, celebratam eſſe noveritis. Nos per Dei gratiam in tota Urbe intùs & extrà, quæ noſtri officii ſunt, libertate plenaria operamur. Quæ minùs litteris continentur, eidem Legato noſtro injunximus verbo & Scripto pleniùs referenda. Omnipotens Dominus ſua vos benedictione circumtegat, & ſuo ſemper faciat amore ferventes. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA VI.

QUantam de probitatis tuæ ſolertia fiduciam habeamus, quantùm te amplioribus benevolentiæ noſtræ brachiis amplexemur, ipſe noſti. Promotionis noſtræ ordinem jam te credimus accepiſſe, atque nunc pleniùs poteris, quæ nobis proſpera largitus ſit Dominus, indagare. Legatum ſiquidem noſtrum Venerabilem Fratrem Ottonem, Tudertinum Epiſco-

Digitized by Google

ſcopum, onum videlicet ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, ad Galliarum partea dirigimus, qui chatiſſimum & glorioſum filium noſtrum Regem, & te ipſum, atque alios fratres noſtros & filins viſitet, ac de ſtatu noſtro faciat certiores. Si qua etiam in partibus ipſis corrigenda vel confirmanda fuerint, Sancto cooperante Spiritu, vice noſtra corrigat & confirmer. Ipſum igitur Dilectioni tuæ committimus, tuæ potiſſimùm Experientiæ commendamus, rogantes ut eum pro Beati Petri reverentia & dilectione noſtra in omnibus, quæ oportere cognoveris, adjuvea & ſuſtentea. Nec ſolum ei officioſè aſſiſtas, ſed & cauſæ curam ipſe ſuſcipiens, laborioſum pro nobis ſollicitudinis onus collo tuo imponere non graveris, ſciens quia nos tuæ charitatis obſequiia nunquam experieris ingratos. Obtemperantem Monitis noſtris Fraternitatem tuam Dominus conſervare dignetur incolumem. Datum apud Sanctum Petrum, Kaleodia Maii.

## EPISTOLA VII.

NObilium factorum tuorum memoria, & antiquarum amicitiarum gratia incitamur, ut deſiderabilem nobis perſonæ tuæ præſentiam tali viſitemus Legato, qui Dei & Eccleſiæ honorem atque ſalutem tuam noverit ſtrenuè & fideliter operati.. Proinde Chariſſimum Fratrem noſtrum Ottonem, Tudertinum Epiſcopum, ex noſtro ad te Latere delegamus, unum videlicet ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, Virum utique ſapientem & Religioſum, Domini ac Prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Paſchalis Papæ Plantarium, qui te ipſum & Fratrea noſtros ac Filios viſitet, & quo ordine oos Dominus ad honoris hujus culmen promoveri voluerir, quæ etiam nobis per Dei gratiam proſperè ſucceſſerunt, viva voce vobis valeat nunciare. Præterea ſi qua in pattibus illis corrigenda vel confirmanda fuerint, Sancto cooperante Spiritu, vice noſtra corrigat & confitmet. Præſentibus igitur litteris tuam Nobilitatem rogamus, ut eum reverenter ſuſcipere, & tanquam noſtraa, immò Beati Petri vices perſerentem ſtudeas honorare. Cæterum quorumdam Pſeudo-Fratrum maliloquia & mendoſa figmenta Dilectionis tuæ conſtantiam non dimoveant. Nam detecta eorum mendacia per eundem Legatum noſtrum tibi & Regno tuo ampliùs nota fient. Ad hæc plurima liberalitatis tuæ obſequia; & Prædeceſſoribus noſtris exhibira, & nobis ipſis perſonaliter impenſa, à memoria noſtra non poſſunt nec debent excidere, pro quibus, præſtante Deo, cupimus æqua tibi & honori tuo viciſſitudine reſpondere. Rogamua itaque, ut ſicut ſemper, ità & nunc in Beati Petri ſervitio, & amore noſtro attentiùs perſeveres, quatenùs juxta laudabilem benevolentiæ tuæ morem, te inter reliquos Reges & Principes præcipuum adjutorem nos & oobiſcum tota Eccleſia ſentiamos. Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

## EPISTOLA VIII.

ET Apoſtolicæ Sedis anthoritas; & emergentium cauſarum neceſſitas nos compellunt, ut fratres noſtros circumquaque poſitos & litteris crebrioribus, & miſſis à Latere noſtro Nunciis viſitemus. Præcipuè verò Gallicanam Eccleſiam ooſtra duximus viſitatione digniſſimam, quæ inter reliquas Chriſtianitatis Eccleſias nullis unquam ceſſit erroribus, oulla prorſus potuit ſchiſmaticæ pravitatis infamia maculari. Semper enim in plena Dei conſtantia perſeverans, Romanæ Eccleſiæ pacem unitatemque tenere, eamque ſemper ſtuduit obſequiorum exhibitionibus exaltare. Eapropter unum ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, Chariſſimum videlicet Fratrem Ottonem, Tudertinum Epiſcopum, in partes noſtræ ſollicitudini aſſiſtentes ad vos duximus delegandum. Virum utique ſapientem, cognitum, & Religioſum, atque ab ineunte ætate in Eccleſia Romana eruditum, qui Eccleſiam veſtram & vos ipſos ex parte noſtra viſitet, Clerum & Populum benedicat, voſque pleniùs de bis, quæ nobis per Dei gratiam proſperè ſucceſſerunt, faciat certiores. Cui etiam dedimus in Mandatis, ot in partibus veſtris Concilia celebrare, ac ſi qoa emerſerint negotia, unà vobiſcum debeat juſtitia mediante terminare. Rogamus itaque Fraternitatem veſtram, ut eum reverenter ſuſcipere, & tanquam Vicario noſtro ſtadeatis aſſiſtere & obedire. Nec fidei veſtræ conſtantiam quorundam maliloquia vel præſtigioſa figmenta perturbent, qui poſt concupiſcentias ſuas euntes, Altare aliud in Eccleſia Dei erigere, atque in tenebris Idolum fabricare cruentis manibus præſumpſerunt. Quod enim diſponente Domino circa nos factum audiſtis, non in angulo vel in latibulo, ſed in luce & manifeſto, ex deliberato Fratrum conſilio, ab univerſo Urbis Clero & Populo celebratum eſſe noveritis. Nos per Dei gratiam, quæ noſtri officii ſunt, io tota Urbe, intùs & extra, libertate plenaria operamur. Quæ minùs litteris continentur, idem Legatus noſter Dilectioni veſtræ pleniùs enarrabit. Omnipotens Dominus ſua vos benedictione circumtegar, ſuoque ſemper faciat amore ferventes. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA IX.

DOmino Lothario, glorioſo ac Triumphatori Romanorum Regi, Hugo Præfectus Urbis & fratres ejus, Leo Frangipane, & Cencius

Digitized by Google

eius Frater ejus, Stephanus de Tebaldo, Albertus Joannis de Stephano, Stephanus de Berizo Frater ejus, Henricus Filius Henrici de Sancto Euſtachio, Octavianus Frater ejus, & reliqui Romanæ Urbis Potentes, Sacri quoque Palatii judices, & noſtri Conſules, & Plebs omnis Romana ſalutem & gloriam, & de hoſtibus univerſis victoriam.

Benè olim cana Patrum noſtrorum & Togatæ gentis ſanxit authoritas, paucis eſſe Principem moderatiſque ſermonibus alloquendum; ne vel adulationibus cognitis ſtomachari, vel inſtantia nimia Regius valeat favor retundi. Proinde licet Domini Papæ litteris & multorum ad te relatione de ejus electione pervenerit, gratum tamen nobis fuit ad Magnitudinem tuam ſuper hac re Urbis litteras deſtinare. Nos ſiquidem poſt Papæ Honorii obitum, unanimi & ſpontanea omnium Cardinalium voluntate, & concordi electione Clericorum omnium, Dominum Papam Anacletum, Virum prudentem & providum, Filium Petri Leonis, in Romanum Pontificem Spiritus Sancti gratia procreatum, humili ſpontaneaque devotione ſuſcepimus, & fidelitatem ei debitam de Urbis noſtræ more juravimus. In cujus utique promotione tantam Cleri & Populi concordiam vidimus, ut verè in omnium mentes Spiritus Sanctus mirabiliter veniſſe credatur. Suggerimus igitur Clementiæ tuæ, & obnixiùs deprecamur, ut ei in omnibus Regali debeas ſemper affectione favere, & auxilii tui & conſilii manum nobili devotione porrigere, & ejus & Romanæ Eccleſiæ hoſtes, ſicut & ipſe tuos, invicta manu refellere. Sanè ſi Princeps noſter, & Cleri dici cupis & eſſe, ſi Romani Imperii optas tibi faſces & gloriam vendicare, neceſſe eſt Romanis Te legibus coaptari, nec Civium tuorum & Magiſtratus Urbis corda reſcindere. Nos quidem te hactenus non ſic de corde dileximus, nec Principatus tui ulla nobis cura vel affectio demulcere quolibet modo poterat, ut honoris tui augmentum & Imperii culmen deberemus ullis rationibus affectare; ſed poſtquam Domini Papæ amorem circa Perſonam tuam impenſiùs fervere cognovimus, eadem te ſumus diligentia proſecuti, Purpuras tuas dignis honoribus deinceps cupimus illuſtrare. Cæterùm mirum valdè habemus, & Romanæ Reipublicæ injuriæ deputamus, cum tibi jam bis Dominus Papa litteras miſerit, ſemel per Bremenſem Archi-Epiſcopum, ſecundò per Argentinenſem quemdam Clericum, qui te de ſtatu Urbis pleniùs inſtruxerunt, cur nulla à Diſcretione tua adhuc Reſcripta meruerit? Inde eſt, quod Dominus Papa nullam adhuc de Latere ſuo Perſonam, Clericum aut Laicum, juxta conſilii noſtri & totius Eccleſiæ Condictum, ad Excellentiam tuam ſtatuit delegare.

Viderit itaque Moderatio tua, ut Domini Papæ litteris, Scriptis, & Nuncio devotiori moderamine reſpondere, & quem animum circa Domini Papæ perſonam, & circa nos omnes & & Romanam Rempublicam habeas, certis indiciis declarare non differas: Alioquin ſic ſuſpenſi nos diutiùs ſtare non poſſumus, nec aliquibus in longum valemus diſſimulationibus protrahi. Acta Romæ feliciter XV. Kalendas Junii.

---

# EPISTOLA X.

SErenissimo ac Glorioſiſſimo Lothario, Romanorum Regi, Fratres qui Romæ ſunt Cardinales, Presbyteri & Diacones, Bonifacius tituli Sancti Marci, Gregorius Apoſtolorum, Amicus tituli Sancti Nerei & Achillei, Deſiderius tituli Sanctæ Praxedis, Saxo tituli Sancti Stephani in Cælio monte, Petrus Piſanus tituli Sanctæ Martyris Suſannæ, Petrus tituli Sancti Marcelli, Sigizo tituli Sancti Xiſti, Creſcentius tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Comes tituli Sanctæ Sabinæ, Gregorius tituli Sanctæ Balbinæ, Litteſridus tituli Sancti Vitalis, Mattheus tituli in Eudoxia, Henricus tituli Sanctæ Priſcæ, Odericus tituli Sancti Joannis & Pauli, Jonatas tituli Sancti Calliſti, Stephanus tituli Sancti Laurentii in Damaſo, Petrus tituli Sancti Euſebii, Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Euſtachii, Angelus Sanctæ Mariæ in Dominica, Joannes Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Rimmanus Sancti Angeli juxta templum Jovis, Silvius Sanctæ Luciæ juxta Heliogabalum, Romanus Sancti Adriani juxta Aſylum, Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro, Petrus ſenex Portuenſis Epiſcopus, Ægidius Tuſculanus Epiſcopus, Tranſmundus Seguinus Epiſcopus, Otto Jotrinus Epiſcopus, cum reliquis Romanæ Eccleſiæ Suffraganeis, Subdiaconi omnes, Primicerius cum omni Schola Cantorum, Petrus Baſilicæ Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, Archi-Presbyter, Renerius Sanctæ Mariæ majoris, Papa Sanctæ Mariæ Rotundæ, cum reliquis Romanæ Eccleſiæ Archi-Presbyteris, & omni Clero Romano, Anaſtaſius Abbas Sancti Pauli, Joannes Sanctorum Stephani & Laurentii, Laurentius Abbas Sancti Gregorii in Clivo Scauri, cum reliquis Abbatibus æternam in Domino ſalutem.

Propter quorundam hominum doloſa figmenta & mendacia venenoſa, qui Dei Eccleſiam ſcindere, & ſimplicium animas evertere moliuntur; & ſicut Jamnes & Mambres Moyſi, Philetus & Hermogenes Paulo, Dei veritati reſiſtunt, ad Serenitatem tuam, Chriſtianiſſime Principum, Univerſitatis noſtræ litteras, ſicut & ad reliquas Orientis ſeu Occidentis Eccleſias, pia devotione dirigimus, optantes ut de his, quæ poſt obitum piæ memoriæ Papæ Honorii in Romana Eccleſia emerſere, ſeu de Domni Papæ Anacleti electione, ſitis litterarum ſerie certiores. Accepimus enim eos ſuis Scriptis impudenter aſſerere Dominum Papam, non petitione Populi, non ſpontanea Cleri electione, nec Honoratorum conſenſu juxta Synodales Regulas, & antiquas Pa-

trum noſtrorum traditiones ad Apoſtolatus culmen aſſumptum, ſed vi Parentum, potentia fratrum, fuſtibus & ſanguine, nobiſque nolentibus ſubrogatum. Sed mirum nobis non eſt, ſi mendacia ad tam longinquas dirigunt nationes, ut veneni ſui fæce gentes omnes inebrient, & ſimplices quoſque deludant, cum in Romanæ Eccleſiæ gremio fraudulentiis ſuis Sedem Apoſtolicam proſtituere *contendant*. Revelata tecum, Nobiliſſime Princeps, facie loquimur, & per te toto Orbe Romano fieri notiſſima hæc, quæ ſcribimus, peroptamus. Decedente de hac vita Papa Honorio, nos omnes Cardinales, Presbyteri & Diacones, cum Sub-Diaconibus, Primicerio, cum omni Schola Palatii in Baſilica Beati Marci, qui locus quaſi Urbis umbilicus eſt, concordi voluntate, convenimus. Convenere Nobiles, & innumera ibidem multitudo convenit, ſubſtituendi Pontificis electionem avidiùs exſpectantes. Cumque diutiùs inter nos de futuri Pontificis eſſet electione tractatum, Dominus Papa, tunc Cardinalis Presbyter, primus prorupit in vocem & quemdam de fratribus manu & voce propria aſſignavit: Cui rei ſe impotens frater ille cognoſcens, communi omnium noſtrorum conſilio, communi aſſenſu, exſpectante Populo, conſentientibus Honoratis, eundem Dominum Papam nobiſcum communiter elegit. Sicque in Baſilica Beati Petri ad corpus ejus, ubi tantum Romani Pontifices conſecrantur, eſt celeberrimè conſecratus. Nulla profectò nos violentia, nullius nos potentia impulit ſicut fanatici illi ſuis litteris garriunt, in Romanum eum Pontificem advocare. Sed cum proditiones ſuas & opprobria tegere nequeant, proprii oculi trabe neglecta in alieno oculo feſtucam quærunt. Porrò Aimericus quondam Cancellarius, qui Romanam Eccleſiam quaſi vile ſcortum pro luxuriis & avaritia ſua longo jam tempore habuit proſtitutam, qui Simoniis, ſicut vos ipſi, ut credimus, aliquando fuiſtis expertus, & exactionibus variis Dei Eccleſiam & Dei ſervos diutiùs trucidavit, arridente ei egregio Viro Leone Frangipane, qui nunc per Dei gratiam nobiſcum eſt, velut alter Sennacherib in civitatem ſanctam, & templum improbi conſilii ſui manum impiè præſumpſit extendere, & propria ſuperbia quibuſdam ſibi alliciis, qui ejus quadra vivebant, viris utique novitiis & numero quinque, Altare aliud in Dei Eccleſia ſolus eſt molitus erigere. Verùm Omnipotens Deus ſubſannavit eos, & eorum conſilia infatuans, in ſibilum & fabulam omnium mira ratione redegit. Ipſi tamen, ut canes impudentiſſimi, erubeſcere neſcierunt, frons meretricis facta eſt eis. De quibuſdam verò Epiſcopis, quos impoſtores illi in factione iſta ſibi applaudere gloriantur, nobis cura ulla non eſt, præſertim cum nil ad eos Romani Pontificis electio pertineat. Rogamus itaque Diſcretionem tuam, & in Domino commonemus, ut ſi Romanæ Eccleſiæ piis optas ſolatiis & ſtudiis confoveri, ſi Imperii tui moderamina per Sedem ejus Apoſtolicam roborari, cum Romana ſimul Eccleſia ſapias, æqua nobis pietate concordes, & Dominum Papam Anacletum, quem unanimi omnes devotione præfecimus, Catholicum Papam feliciter recognoſcas, & debitam ei, Prædeceſſorum ſuorum more, affectionem exhibeas. Nos quidem aliquando non ſic plenè dileximus, ſed quia Domini Papæ amorem uberiùs circa te fervere cognoſcimus, eundem circa te & circa honorem tuum animum nos geſtare cognoſcas. Quod ſi nos fortaſſis audire diſtuleris, propitiùs ſit nobis Deus, quia nullis exceſſibus ad tuam nos dilectionem compellas. Memento etiam quid Roboam Regi illi contigerit, qui conſilio juvenum, Sacerdotum noluit conſiliis obedire.

---

# EPISTOLA XI.

JAm dudum voluntatis noſtræ ac deſiderii fuit, ut deſiderabilem nobis perſonam tuam & totam Gallicanam Eccleſiam tali viſitaremus Legato, qui Dei & Eccleſiæ honorem atque ſalutem tuam noſſet & poſſet ſtrenuè ac fideliter operari. Cæterùm nobis erga plurima occupatis, deſiderium noſtrum hucuſque dilatum eſt. Sanè opportunitate habita, quod pro tempore intermiſiſſe conſpicimus, ipſo jam debito compellente, perficere non moramur. Multa enim de tua nobili & experta dilectionis conſtantia fiduciam poſſidemus, qua Perſonam noſtram à puero dilexiſti, & dulcedinis tuæ affectione benevola educaſti, ut more ſolito & communem Matrem Romanam Eccleſiam honore debito venereris, & nos ipſos perſonaliter dilectionis tuæ affluentia proſequaris. Ea propter chariſſimum Fratrem noſtrum Ottonem, Tuderrinum Epiſcopum, unum videlicet ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, virum utique honeſtum & Religioſum, Domini Prædeceſſoris noſtri Sanctæ memoriæ Paſchalis Papæ Plantarium, ad tuam uſque præſentiam noſtro è Latere delegamus: Qui teipſum de ſtatu noſtro faciat certiorem, & in diverſis Regni partibus, quæ correctione vel confirmatione digna fuerint, vice noſtra corrigat & confirmet. Præſentibus igitur litteris Nobilitatem tuam rogamus, ut eum & reverenter ſuſcipere, & tanquam noſtras perferentem vices ſtudeas honorare. Nobis enim, quidquid obedientiæ, quidquid ei honoris exhibueris, adſcribemus. Nos profectò pleniùs te benevolentiæ noſtræ brachiis amplexamur, & tuum tuique Filii glorioſi Regis Philippi honorem, præſtante Domino, cupimus efficaciter exaltare. Porrò de promotione noſtra, per fratres noſtros Cardinales & Epiſcopos Suffraganeos Romanæ Eccleſiæ celebrata, de Cleri & Populi nobiſcum unanimitate, ſeu etiam de ſcandalo à paucis Pſeudo Fratribus celebrato, eidem Legato noſtro injunximus, tibi & Regno tuo pleniùs intimare. Rogamus ergò, ut pro Eccleſia Dei murum te validiſſimum opponas, & aures

ſuas

tuas ab illorum mendaciis ſeu detractionibus omninò avertas: Quatenus inter reliquos Chriſtianæ gentis Principes præcipuum te Catholicæ Fidei defenſorem, ſicut ſemper, ita & nunc tota nobiſcum Eccleſia recognoſcat. Chariſſimam Filiam Beati Petri Dominam Reginam benedictione Apoſtolica ſalutamus. Omnipotens Dominus Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis perſonam poteſtatemque veſtram cuſtodiat, & per temporalem adminiſtrationem æterni vobis Regni participium largiatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA XII.

NObilis memoriæ Anteceſſores tui, ſicut Viri ſapientes & conſilio providi, Sanctam Romanam Eccleſiam honorare, & pro collata à Domino poteſtate propenſiùs exaltare curarunt, & ſicut nos ipſi vidimus & teſtamur, Prædeceſſoribus noſtris nobili devotione ſervierunt. Inde eſt, quod Sedes Apoſtolica inter reliquos Galliarum Principes ampliori eſt eos gratia amplexata. Et ideò Dilectionem tuam paternis alloquiis viſitantes, Prudentiam tuam litterarum præſentium ſerie attentiùs adhortamur, ut nobilium Prædeceſſorum nobilis Succeſſor Romanæ Eccleſiæ individua ſemper charitate cohæreas, nec ab ejus unquam unitate declines. Cui profectò ſi indefeſſa fueris devotione prudenter innixus, tota poteris, præſtante Deo, ſtabilitate regnare. Nos quidem de Nobilitate & fidei tuæ conſtantia plurimum præſumentes, perſonam tuam dignis titulis honorare, & honorem tuum Paternæ dilectionis affectu omnimodis decrevimus ampliare. De promotione verò noſtra, ſeu de his, quæ apud nos acta ſunt, Venerabilis Frater noſter præſentium Lator Otto, Tudertinus Epiſcopus, Legatus noſter, quem ad partes veſtras pro variis negotiis delegamus, Dilectionem tuam faciet certiorem. Ipſum itaque egregiæ Probitati tuæ attentiùs commendantes rogamus, ut pro amore Beati Petri & noſtro, ſolita ei liberalitate concurrere, & tuis eum debeas ſolatiis confovere, quatenus & injunctum ſibi Mandatum, cooperante Deo, per induſtriæ tuæ ſolatium efficaciter exequi valeat, & tuam nos in eo valeamus diligentiam experiri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA XIII.

QUod tibi de ſtatu noſtro & Romanæ Eccleſiæ tardiùs ſcripſimus, Frater mi chariſſime, ne mireris, quoniam & nos de ſuſcepti inopinata cura Regiminis mœſtitia occupavit, & in tanta beſtiarum frementium ſylva di-



verſis fluctibus preſſi, adverſis ſumus ventorum turbinibus agitati. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, tantis cauſarum flagris illidor, ut mens mea nullatenùs ad ſuperna erigatur, & ego rectè clamare compellar: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*. Conſidero namque qui ſum, & infirmitatem meam, quaſi manu palpans, certis effectibus deprehendo. Et ideò ut Beatitudini tuæ vera proficear, infirmitatem meam plenè conſiderans ad Apoſtolicæ Sedis culmen propriis meritis non poſſe pertingere, onus hoc malui declinare, ne in Paſtoralis regimine imparis adminiſtrationis actioni ſuccumberem. Sed quia Dei diſponentis arbitrio contraire non eſt, obedienter ſecutus ſum quod miſericors de me operis manus voluerit operari. Cum ergò & Romanæ conſuetudo Eccleſiæ poſceret, & Beatitudinis tuæ nos dilectio incitaret, curavimus non ſolùm Scriptis Fraternitati tuæ noſtræ charitatis & amicitiæ vota perſolvere, ſed etiam de promotione noſtra, quod deſiderabile ſibi fuiſſe credimus, per latorem præſentium venerabilem Fratrem noſtrum Ottonem, Tudertinum Epiſcopum, à Domino S. Prædeceſſore noſtro Papa Paſchale ordinatum, indicare. Ipſe quidem, & de his, quæ apud nos acta ſunt, & de ſtatu Urbis & Eccleſiæ, quantò pleniùs novit, tantò Experientiæ tuæ poterit veriùs enarrare. Sanè de electione noſtra, quæ à fratribus noſtris Cardinalibus, Presbyteris & Diaconibus, Subdiaconis quoque & Primicerio, & omni Schola Palatii, ac cuncto Clero Romano, expetente omni Populo, conſentientibus juxta tenorem Canonum Honoratis, eſt unanimi voto, & concordi moderatione peracta, ad notitiam tuam multorum relationibus perveniſſe jam credimus. Qualiter autem conſecratio noſtra per venerabilem Fratrem Petrum, Portuenſem Epiſcopum, cum diverſarum Regionum Epiſcopis, ad Altare Beati Petri ſit ſolemniter celebrata, quomodo etiam per viam ſacram Phrygio capiti noſtro, Prædeceſſorum noſtrorum more, impoſito ad Lateranenſe Palatium venerimus, forſitan non ignoras. Quocirca de ſuaviſſimæ Beatitudinis tuæ fide & conſtantia impenſiùs præſumentes, te inſtantiùs exoramus, ut piis precum tuarum ſuffragiis apud omnipotentem Deum nobis concurrere, & pro Romana debeas Eccleſia conſueta inſtantia vigilare. Qualiter autem de Fraternitatis tuæ debeamus charitate præſumere, ex mentis noſtræ, quam circa te habemus, qualitate colligimus. Nec te aliter Perſonam noſtram & Apoſtolicam Sedem diligere, quam ipſi vos diligimus, arbitramur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

## EPISTOLA XIV.

SUſcepti officii ratio nos hortatur, ut Ordinationis noſtræ primordia, & his qui propè, & his qui longè ſunt, fratribus intimemus. Noverit itaque Fraternitas tua, quoniam deſuncto Deceſſore noſtro Papa Honorio, Fratres Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ, Presbyteri & Diacones, cum univerſo Urbis Clero & Populo, communi voto & deſiderio ad ſummum nos Pontificatus apicem elegerunt, & electum Fratres noſtri Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Suffraganei ante ſacratiſſimum Beati Petri Apoſtoli Corpus celeberrimè conſecrarunt. Cæterùm labores tui & perſecutiones, quæ tibi à Barbaris inferuntur, nobis quemadmodum graves ſunt, utpotè qui & communi charitatis debito, & Apoſtolicæ Sedis adminiſtratione compellimur, ut Fratrum omnium paſſionibus compati, & eorum afflictionibus attentiùs ſubvenire debeamus: Dolemus autem quia hæc quæ pateris, nobis ante hos dies cognita non feciſti: Sicut ea maturiùs audiſſemus, per Legatum noſtrum, quem ad Chariſſimum Filium noſtrum Imperatorem direximus, pro quiete ac ſublevatione tua libentiùs ſcripſiſſemus. Hortamur autem Dilectionem tuam, ut patienter omnia ſufferas, & in patientia tua illatas tibi oppreſſiones æquanimiter toleres, quatenus beatitudinem illam percipere merearis, quam patientibus perſecutionem propter juſtitiam Dominus pollicetur. Nec unquam perſecutio quælibet vel oppreſſio adeò te perturbet, ut Sponſam tuam, Druinaſtinam videlicet Eccleſiam deſeras, aut ab antiqua Patrum lege ac traditione aliquo modo recedas. Nos enim Fraternitati tuæ non deerimus; quando debita & opportuna tibi tuæque Eccleſiæ ſubſidia impendamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kalendis Maii.

---

## EPISTOLA XV.

IN promotionis noſtræ principiis Univerſitati veſtræ litteras miſimus, in quibus ſuper his quæ tunc de nobis Romana Eccleſia fecerat, pleniùs vobis intimare curavimus. Sed quia poſt conſecrationem noſtram, quæ per Dei gratiam ad Altare Beati Petri eſt ſolemniter celebrata, multa nobis proſpera, multa commoda ſucceſſere, dignum duximus iteratis vos litteris viſitare, & de his, quæ circa nos ſunt acta, Fraternitatem tuam reddere certiorem. Nos ſiquidem, largiente Deo, ſani & proſperi ſumus, & Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus dignis redargutionibus confutatis, quæ ad noſtrum videntur officium pertinere, ubique in Urbe, intùs & extra, efficaciter operamur. Fratres noſtri Cardinales & Clerus omnis Romanus individua ſunt nobis charitate conjuncti. Leo Frangipane cum Filio, & Cencius Frater ejus, Viri Clariſſimi, Præfectus & omnes Nobiles & cuncta Plebs hominum nobis fidelitatem fecerunt. Proindè ſi qua ad vos Schiſmaticorum deliramenta pervenerint, ſi eorum aniles fabulæ & mendacia fraudulenta quorumlibet aſſertione alluſerint, inſtanti ſolertia confutate, non reſpicientes in vanitates & inſanias falſas, & nolite communicare juxta Apoſtolum operibus infructuoſis, magis autem & redarguite. Quæ enim in occulto aguntur ab Epiſcopis, turpe eſt & dicere. Ii ſunt qui, ſicut Propheta teſtatur, in mercede aliquando divinabant, & niſi miſerint in hæc ora eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eos bellum. Sanè Altare contra Altare in Dei Eccleſia *erigentes*, Canonica ſunt romphæa deſecati. Hoc idem etiam de Abbate Farſenſi noveritis factum, qui poſt mortem Beatæ memoriæ Papæ Honorii, contempto juramento quod Romanæ Eccleſiæ fecerat, Beati Petri Regalis impudenti temeritate invaſit, & nunc Dei Eccleſiam perſequi, & in quibus poteſt, invectus furia, infeſtare non ceſſat. Retruſus tamen, & Eccleſiæ funda percuſſus, & excommunicationis ſententia condemnatus, iniquitatis ſuæ complices jam habere non poteſt. Mandamus itaque Fraternitati veſtræ, & in Domino commonemus, ut in Beati Petri fidelitate & noſtram conſtantiſſimè perſiſtentes, prædictum Farſenſem Abbatem, Anti-Chriſti plantationem, & cruentam beſtiam omnimodis inſequi ſollicitiùs procuretis, & cornua, quibus Romanam Eccleſiam ventilat, in bipenni & aſcia ſuccidatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Maii.

---

## EPISTOLA XVI.

IN ipſo noſtræ promotionis exordio per Venerabilem Fratrem noſtrum Bremenſem Archi-Epiſcopum Serenitati tuæ litteras miſimus, tam de ſtatu Eccleſiæ Romanæ, quàm de his quæ circa nos acta fuerunt, expreſſiùs continentes, ſed nos adhuc nulla Clementiæ tuæ Reſcripta meruimus. Nec inter multiplices curas, quibus in Sedia Apoſtolicæ moderatione conſtituti comprimimur, Nunciorum tuorum ſolatiis allevari. Nos quidem Perſonam tuam, in minoris ordinis adminiſtratione conſtituti, pro mira tuarum opinione virtutum ample dileximus, & ſuſcepti Regni genium pro poſſe noſtro tunc conſovimus. Unde procul dubio Experientia veſtra cognoſcat voti noſtri eſſe, ut quantò magis Sedes Apoſtolica Regni pietate fulcitur, tantò ampliùs honorem tuum & Regnum ſtrictia debeamus brachiis amplexari. Viciſſim enim ſibi & Regalis poteſtas, & Sacra Romana autoritas mutua debent diligentia reſpondere. Sanè tunc tuta erit conditio ſubjectorum, ſi Regnum & Eccleſia diebus tuis alterutro titulo compaſſionis arriſerint, & ad culmen Imperii Regni tui moderatio latiùs extendetur, ſi credere Dei gratiam pia fueris devo-

tione

tione ſortitus. Porrò ut votis tuis ſatisfacere videamur, quæ circa nos ſunt, tuæ volumus Induſtriæ fieri notiora. Nos Dei gratia & Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis, benè & proſperè ſumus, quæ officii noſtri ſunt, intùs & extra plena libertate diſponimus, in pace ſunt omnia quæ poſſidemus. Fratres noſtri Cardinales & Epiſcopi, & Clerus omnis Romanus individua nobis charitate cohærent. Viri Illuſtres Leo Frangipane, Hugo Præfectus Urbis & Frater ejus, Filius Leonis Frangipane & Centius Frater ejus, Stephanus de Petro, Stephanus de Tebaldo; Filii Henrici de Sancto Euſtachio, Nobiles omnes, & Plebs omnis Romana, Capitanei & Comites qui extra ſunt, fidelitatem nobis debitam juraverunt. Baſilicam Beati Petri, Lateranenſe Palatium, & reliquas munitiones Urbis quietè ac pacificè detinemus. Conradum Regni Invaſorem licet ejus nomen nobis pro minimo fuerit, in Cœna Domini, Laterani in Baſilica Salvatoris, ſub oculis Eccleſiæ, quæ frequens ea die de diverſis partibus Mundi convenerat, in conſpectu etiam omnium terræ ſuæ, ſolemniter excommunicavimus. In Paraſceve quoque apud Sanctam Hieruſalem ex nomine pro Te in auribus Eccleſiæ orationem publicam fecimus. Rogamus itaque nobilem Prudentiam veſtram, & in Domino commonemus, ſicut de te ſpem bonam & firmiſſimam poſſidemus, noſtris debeat ſucceſſibus congaudere, & tam pro nobis, quam pro omni Eccleſia Romana, Regalem ac piam ſollicitudinem gerere, & efficacem nobis diligentiam exhibere. Nec vos quorumdam prava venenatorum vaniloquia conturbent, qui totam Dei Eccleſiam venenari cupientes, dum vexationes priſtinas & conſueta mercimonia in Sanctuario Domini exercere ſtatuebant, teſtaceum Idolum cruentis manibus plaſmare conati, quod utique lapis ille angularis, de Domini monte deſcendens, dura impreſſione minuit. Incolumem te, & noſtri memorem, pia Dei dextera à malis omnibus tueatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Maii.

## EPISTOLA XVII.

AUditum habemus, chariſſima in Domino Filia, quod verè Chriſtiana charitate refulgeas, quod Eccleſias diligas, quod Servos Dei piis ubique ſolatiis foveas. Nec minoribus es profectò præconiis attollenda, quod totius Regni regimen & cenſura juſtitiæ de tua potiſſimùm dicitur moderatione pendere. Quæ de Beatitudine tua, Illuſtriſſima Filia, audivimus, incunctanter & credimus, & hæc & alia plura de te nobis bona ſæpius nunciata lætificant: Et omnipotentem Deum aſſiduis precibus exoramus, ut inœpta ſanctitatis opera, Apoſtolorum Petri & Pauli meritis, pio & meliori te faciat fine concludere. Hortamur itaque nobilem Prudentiam tuam, & in Domino commonemus, ut inter Regni curas & ſæcularium negotiorum ſollicitudines & ſæculi glorias, cor tuum ſemper ad Dominum habeas, & te quandoque cogites morituram: Non de piis operibus Mundi laudes affectes, ne dùm hominibus foris placere delectat, Dei intùs poſſis oculis diſplicere. Virum tuum, chariſſimum Filium noſtrum Lotharium Chriſtianiſſimum Regem, ſedulis ſuggeſtionibus adhortare, ut ſic terreno Regno humana poteſtate præſideat, quatenus ipſum, qui ſupra nos eſt, per quem Reges regnant, & Principes juſta decernunt, qui transfert Regna cum vult, qui facit Reges inglorios, & accingit fune renes eorum, cautè ſemper & diligenter attendat. Et licet ipſe Romanam Eccleſiam, ut certum habemus, plenis brachiis amplexetur, dilectionem tamen ejus & affectum circa Sedem Apoſtolicam, & nos, qui eum ex longo jam tempore dileximus, per tuam potiùs optamus induſtriam propagari. Porrò nos perſonam ejus propenſiori charitate diligimus, & honorem ſuum, largiente Domino cupimus conſervare, & diligentiùs, ac efficaciter ampliare. Quia igitur, peccatis meis exigentibus, Eccleſiæ regimen ſum ſubire coactus, Apoſtolatus onus cogor in amaritudine animæ meæ portare. Sanctorum Virorum ſolatiis egeo, ut orationum ſuarum inſtantia mihi ſemper Deum propitium faciant, & gratiam ejus in omnibus ubique opportunitatibus augeant. Et ideò te plurimùm deprecamur, ut & Deum debeas pro nobis obnixiùs exorare, & auxiliis ac piis conſiliis tuis nos crebriùs allevare. Vitam & annos tuos omnipotens Dominus, Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis, in bonis operibus augeat, & poſt vitæ hujus curſum, vitam tibi largiatur æternam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Maii.

## EPISTOLA XVIII.

LAtor præſentium, Eccleſiæ tuæ Archi-Diaconus, ad Apoſtolorum limina veniens, à Fraternitate tua ſe vehementiùs prægravatum in noſtra & Fratrum præſentia intimavit. Retulit ſiquidem te de proditione ipſum coram Fratribus impetiiſſe, ſeque negaſſe, & tibi Canonicè ſatisfacturum in Capitulo reſpondiſſe. Cum igitur ſtatuta die ad agendum pro eadem cauſa in tuam & Capituli præſentiam deveniſſet, teque accuſatorem ſimul & judicem, quod omninò juſtitiæ & rationi adverſatur, apertiùs intelligeret, Sedem Apoſtolicam appellavit, & terminum, quo tibi coram Pontifice Romano juſtitiam faceret, nominavit. Poſt hanc autem appellationem, ſicut ipſe aſſerit, accepta occaſione de obitu Deceſſoris noſtri, bonæ memoriæ Papæ Honorii, eum ad nos, ſicut obtulerat, venientem beneficiis ſuis Eccleſiaſticis & rebus aliis exſpoliaſti. Perpendat ergò Fraternitatis tuæ prudentia, quam grave, quamque inconveniens ſit, ut illud

illud Sedi Apoſtolicæ privilegium coneris auferre, quod ex Divino munere atque antiqua Sanctorum Patrum traditione, uſque nunc per Dei gratiam meruit obtinere, & per Apoſtolorum Principis merita, Beati Petri, pro quo, ne deficeret fides, ipſe Chriſtus oravit, uſque in finem inviolabiliter obtinebit. Ea propter Fraternitati tuæ mandamus, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate præcipimus, ut eidem Archi-Diacono, quæ abſtuliſti, cum integritate reſtituas, & quietè deinceps omnia tenere permittas. Proximis autem Beati Martini Octavis noſtro te conſpectui repræſentes, plenam de eo juſtitiam in noſtra & Fratrum præſentia recepturus. Per præſentia etiam tibi Scripta mandamus, quemadmodum Anteceſſor noſter Beatæ recordationis Papa Honorius tibi *mandavit*, ut Filios noſtros Eccleſiæ Magdeburgenſis Canonicos ad nos venire volentes probibere ulteriùs non præſumas, ſi Beati Petri gratiam & dilectionem obtinere volueris. Nos enim tibi aut honori tuo nihil detrabimus, ſed ſi in te non remanſerit, pleno potiùs charitatis affectu tam te, quam Eccleſiam tibi commiſſam diligere, ac præſtante Domino cupimus honorare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XV. Kalendas Junii.

## EPISTOLA XIX.

AB ipſo promotionis noſtræ principio, ex debito Romani Pontificatus officio, litteras noſtras ad ſpeciales fratres, & Beati Petri Filios mittere diſpoſuimus. Cæterum nobis erga plurima occupatis, vos Apoſtolicæ benedictionis litteris viſitare non potuimus. Sanè opportunitate habita per harum litterarum portitorem dilectionis noſtræ litteras ad vos dirigere curavimus, in quibus promotionem noſtram & Romanæ Eccleſiæ ſtatum pleniùs cognoſcere valeatis. Obeunte ſiquidem Papa Honorio, bonæ memoriæ Prædeceſſore noſtro, Romanæ Eccleſiæ Fratres noſtri Cardinales, Presbyteri & Diacones, Suffraganei Epiſcopi cum Primicerio, & omnibus Palatii Ordinibus, cum Abbatibus, Archi-Presbyteris, & cuncto Urbis Clero & Populo, ſub totius Eccleſiæ obedientia ad Altare Beati Petri graviſſimum ſummi Sacerdotis onus mihi, licet indigno, impoſuerunt. Omnipotenti autem Deo gratias agimus, quia ex tunc ubique, intùs & extra Urbem, Eccleſiæ ſervitium plena exequimur libertate.

## EPISTOLA XX.

EX quo civitas S. Hieruſalem, & glorioſiſſimus Dominicæ ſepulturæ locus Dei nutu Chriſtianis eſt redditus, ad ejus defenſionis tutelam Romana Eccleſia omnimodis elaborare non deſtitit. Quocirca nos, qui in Apoſtolicæ Sedis ſpecula Divina ſumus diſpoſitione promoti, Prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum veſtigia ſubſequentes, famoſam illam Dei civitatem Hieruſalem, & loca illa ubi ſteterunt pedes ejus, debita reverentia venerantes, quibus modis per Dei Omnipotentis gratiam poſſumus, exaltare ac nimium honorare decrevimus, & cætera.

## EPISTOLA XXI.

AB ipſis ferè pueritiæ noſtræ primordiis Dilectionem tuam, qua nos impenſiùs dilexiſti, id quod ſumus evidenter experti, & nos, ſi benè memineris, non ægra ſumus te charitate complexi. Quapropter non parum miramur, quod poſt promotionem noſtram à Fraternitate tua nec litteris nec Nunciis meruimus viſitari. Quidquid autem illud fuit, nos tamen de affectione tua ſpem firmiſſimam poſſidemus, & ideò Fraternitatem tuam litteris præſentibus viſitantes rogamus, ut amoris tui fervorem mutuis nos facias Epiſtolis experiri. Muta enim charitas repræſentat faciem non amantis, & odiorum ſimulacrum eſt non aperire quod diligas. Sapienti credimus iſta ſufficere.

## EPISTOLA XXII.

OMnis nobis, venerabilis Frater, qua ad Fraternitatem tuam ſcribimus, eſt occaſio gratioſa. Quia & perfecta dilectio faſtidium neſcit, nec panem otioſa manducat.

## EPISTOLA XXIII.

DE nobili providentia tua bona nobis plurima nunciantur, & legalitatis tuæ præconia fama celebri prædicantur.

## EPISTOLA XXIV.

SCimus te ante ſuſceptum Apoſtolicæ Sedis regimen nos propenſiùs dilexiſſe, & nequaquam ambigimus, quod nunc pleniori nos debeas affectione diligere.

EPI-

## EPISTOLA XXV.

NObilitatis tuæ, Fili chariſſime, audita nos fama præclara lætificat, & facie ignotum laudis tuæ præconia nobis te notiſſimum reddunt, &c.

---

## EPISTOLA XXVI.

DE dilectione tua, Fili chariſſime, longè aliter, quam nobis evenerit, ſperabamus, cum nunc in te evidenter appareat, quod pro frumento oriatur nobis tribulus, & pro hordeo ſpina. Cum enim de promotione noſtra, quam tibi gratiſſimam ſperabamus, certis aſſertionibus comperiſſes, tum pro affinitate noſtra, tum pro communi Eccleſiæ debito tuam nobis feſtinanter deberes præſentiam exhibere, non ſolùm ipſe ad nos non veniſti, verùm etiam diſſuaſionibus tuis aliorum feciſti corda pavere. Mandamus itaque Dilectioni tuæ, ut qui te videre optamus, ad nos quantò citiùs venire feſtines, &c.

---

## EPISTOLE XXVII.

DIlectionis tuæ litteras, Frater in Chriſto chariſſime, pleno charitatis effectu ſuſcepimus, in quibus devotionem, quam erga Matrem tuam Romanam Eccleſiam & honorem noſtrum hactenùs habuiſſe cognoſceris, ferventiùs atque familiariùs redundare in præſenti conſpicimus. Nos ſiquidem in minoris officii adminiſtratione poſiti, Perſonam tuam ſpeciali ſemper affectione ab ineunte ætate dileximus. Nunc autem in Apoſtolicæ Sedis regimine, Divina diſponente clementia, licet indigni, totius Cleri & Populi Romani voto ac deſiderio conſtituti, tantò te charitatis brachiis cupimus amplexari, quantò de conſilio & auxilio tuo Romanam Eccleſiam plurimùm indigere cognoſcimus, &c.

---

## EPISTOLA XXVIII.

OMnipotenti Deo, & Apoſtolis ejus, Petro & Paulo, gratias agimus, quia quod de fidei veſtræ conſtantia, Fratres in Chriſto chariſſimi, ſperabamus, ipſa operum veſtrorum circa nos executio pleniùs manifeſtat, &c.

## EPISTOLA XXIX.

QUod tuæ Prudentiæ & tutelæ Aquilejenſis Eccleſia commiſſa eſt, nos multum gaudemus: Certi ſiquidem, quod tuo ſtudio & labore, nec in his, quæ foris ſunt, detrimentum patietur. Ea propter Dilectionem tuam per præſentia Scripta monemus, ut Eccleſiæ libertati & honori prudentiſſimè, quantum in te eſt, conſulere non differas. Prætereà ad Beati Petri ſervitium & noſtrum te præcipuè invitamus. Inter cæteros enim Principes Eccleſiæ Romanæ fideles & filios te honorare volumus & exaltare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

---

## EPISTOLA XXX.

VEniens ad nos Presbyter Marcualdus de illata ſibi & Eccleſiæ veſtræ injuria, vultu magis quam voce querelam expoſuit, & ut ei Miſſam celebrare de noſtra authoritate liceret, humiliter deprecatus eſt. Nos igitur de illato ſibi opprobrio condolentes, & Nicæni Concilii authoritatem ſequentes, Miſſarum ſolemnia celebrare, Fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, Canonica cenſura illi præcipimus. Et quia pro eo veſtra rogavit Fraternitas, vobis eundem commendamus in Domino. Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

---

## EPISTOLA XXXI.

GRaviſſima de veſtro Epiſcopo nobis relata ſunt, quæ ſi vera ſunt; cum noſtra ſalute inulta dimittere non valemus. Multos enim Laicos & Clericos truncatos, multos ejus ſtudio interfectos accepimus. Ea propter præſentibus litteris vos monemus, ut ante Feſtum omnium Sanctorum ad noſtram præſentiam veniatis, quatenus, veſtro auxilio & conſilio, Juſtinopolitanæ Eccleſiæ in hoc & in aliis providere poſſimus, Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

---

## EPISTOLA XXXII.

SI Paſtoralis officii debitum, quod Deo diſponente ſuſcepimus, mentis velimus integritate penſare, omnibus per univerſum Orbem, ſed hujus ſpecialiùs Almæ Romanæ *Urbis* Eccleſiis noſtræ liberalitatis munificentiam largiùs impartiri debemus, quantò per unanime votum & dilectionis eorum integritatem, Divina coope-

rante

Digitized by Google

rante gratia, Summi Sacerdotis celſitudinem obtinemus. Veſtris igitur petitionibus, Dilectiſſimi Filii, clementer annuentes, ex Apoſtolicæ Sedis ſolita largitate donamus, concedimus, & remittimus vobis, ac per vos Eccleſiæ Beati Laurentii, cujus venerabile Altare noſtris per Dei gratiam, tanquam Beati Petri manibus, octavo kalendas Junii, ſolemniter conſecratum eſt, omnes redditus poſſeſſionum, quas uſque hodie habetis in maſſa de Veſtario, ſeu in ſylva proba, ſita in eadem maſſa, videlicet terris, villa, vineis, pratis, ſylvis & ſcrupetis. Ruſtici quoque, qui in eiſdem poſſeſſionibus habitant in dominio ſemper ac ditione veſtra permaneant, ſalvo cenſu duorum marabolinorum, quod ad hujus noſtræ donationis indicium in Anniverſario conſecrationis præfatæ ſingulis annis Lateranenſi Palatio perſolvetis. Propterea confirmamus vobis Eccleſiam Sanctæ Luciæ & Sancti Hippolyti, quam ædificare debeatis, in eiſdem poſſeſſionibus ſupradictæ maſſæ, ſalvo in omnibus jure Epiſcopi. Statuimus igitur, ut nulla Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam infringere præſumat; Quod ſi præſumpſerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Qui verò conſervator extiterit, omnipotentis Dei Apoſtolorum ejus Petri & Pauli meritis, benedictionem & gratiam conſequatur. Datum apud Sanctum Petrum.

## EPISTOLA XXXIII.

ET antiqua Religionis tuæ memoria, & officioſa Probitatis tuæ ſolertia nos faciunt de te valde confidere, ut ſchiſmaticorum & oblatrantium vaniloquia non attendas, ſed in Beati Petri ſervitio, & amore noſtro ſolita fidei conſtantia perſeveres, &c.

## EPISTOLA XXXIV.

AB ipſo noſtræ Ordinationis primordio Fraternitatem tuam comperimus circa nos devotam exiſtere, & oblatrantium vaniloquia ac falſitates ſolerti prudentia confutare. Propter quod tanto nunc uberiores tibi grates rependimus, quantò efficaciùs in Beati Petri ſervitio & amore noſtro perſiſtis, & hoſtis noſtri ſuperbiam viriliter jam impugnare cœpiſti: Tanquam eupimus deinceps re benevolentia confovere, ut ſive pacem ſive aliud pro temporis ingruentia faciamus, tuis & Eccleſiæ tuæ comodia, tanquam noſtris & Romanæ Eccleſiæ profectibus ſpecialiter intendamus, &c.

## EPISTOLA XXXV.

SAcerdotali ſollicitudini tuæ, venerabilis Frater, plurimùm congaudemus, quia ſicut in litteris, quas Beatæ recordationis Papæ Honorio Prædeceſſori noſtro per latores præſentium tranſmiſiſti, manifeſta relatione cognovimus, de Populo tibi commiſſo & Sacerdotum miniſterio piam videris vigilantiam, curamque geſtare. Quæſiſti enim unà cum dilecto Filio noſtro Duce Hubaldo, quid tibi ſuper Parochiæ tuæ Presbyteris eſſet agendum, qui liberè uxorum legibus ſervientes, Sacris volunt Altaribus deſervire. Atque ut tibi breviter reſpondiſſe noſcamur, ſi ſacrorum volumus Patrum Regulis conſentire uxorum ſimul & Sacra in hujuſmodi Sacerdotibus miniſteria eſſe non poſſunt. Si enim juxta Beati Gregorii Inſtitutum, nullus eſt Sub Diaconus ordinandus, niſi qui ſe caſtè vivere Canonica aſſertione promiſerit, quantò ampliùs eſt in Dei Sacerdotibus attendendum, qui Sacrum Chriſti Corpus pio ore conficiunt, & ejus Sacras Carnes fidelium Populis piis manibus partiuntur? Et ſi Laicis juxta præcipuum Eccleſiæ Magiſtrum Beatum Paulum ad tempus abſtinendum eſt ab uxore, ut vacent orationi, quid putas Chriſti eſt Sacerdotibus faciendum, quibus juxta Divinæ legis oraculum eſt mandatum ſemper eſſe in Sanctis, & ſemper pro Dei Populo exorare? In Heli mortuo vetus legitur Sacerdotium immutatum, & in Samuele Divina tranſmutatione cælitùs innovatum. Nos tamen, Domino largiente, noſtrum ad vos, Virum providum & honeſtum, Legatum pro his & aliis Eccleſiæ negotiis decrevimus deſtinare, &c.

## EPISTOLA XXXVI.

DIlectionis tuæ fervorem, quem penes nos & Romanam Eccleſiam geſtare videris, etſi litterarum tuarum ſeries minimè teſtaretur, in corde tamen noſtro legimus, quid de tua debeamus devotione ſentire. Proinde quod Idiota Remenſis, Truncus inutilis, in te & Eccleſiam tuam nequiter & impudenter egiſſe dignoſcitur, nequaquam te mœror aliquis ſeu dolor afficiat, præſertim cum in nos & Eccleſiam Romanam, cui ſe juramento adſtrinxit, quaſi ebrius & vino æſtuans, Hiſtrionum more, multa inſolenter vomuerit. Ponens quidem in cœlum os ſuum, ut lingua ejus tranſeat ſuper terram, tanquam alter Dioſcorus Sedem nixus eſt Apoſtolicam judicare. Dumque iniquitatis zeli quoddam plantarium in Dei Eccleſias fovere molitur, & ſtatuam in campo Dura, velut alter Babylonius, furioſorum more, quibuſque ſimplicibus ſuggerit adorare, cum eadem, cui ſe proſtravit, ſtatua à lapide de monte ſucciſo, præſtante Domino,

no, velociter contereturr. Porrò nos latratus ejus & ineptias ceu canum latratus, & energumenorum furias judicamus. Fuodamentum ſiquidem Dei immobile perſeverat, & Cathedra Petri locuſqoe Paoli nullis præſtigiis ioumbrari, oullis poſſunt irriſionibus concuti. Eccleſia namque omnis Romana, ſicut ab ioitio promotionis noſtræ, individua nobis charitate cohæret, & ſacris per omnia concordans Canonibus, unum Dei eſt ovile, & ei unus eſt Paſtor. Eſau per agreſtia & abrupta vagetur, ut ſimplicium mentes meodaciis conſuetis evertat: Jacob tamen ſimpliciter domi habitat; & interveniente Matre ſimplex ſimplices *parat* Patri cibos. Et ut tibi omoia breviter perſtringamus, glorioſus Filius noſter Rogerius Dux Apuliæ ad pedes noſtros humiliter veniens, nos Papam Catholicum, & Ligium Domionm ſuum, Prædeceſſorum ſuorum more, recognovit: Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates omnes Apuliæ, Calabriæ, ſicut omnis etiam Orientalis Eccleſia, Hieroſolymitana, Antiochena, & Conſtantinopolitana, nobiſcum ſunt, & nos viſitaot & frequentaot. Noveris etiam nos ſoluto Concilio, quod apud Barum quioto Idus Novembris, præſtaote Domino, celebraturi ſumus, Mediolanum properanter adſcenſuros. Tu itaque, Fili io Chriſto Chariſſime, confortare in Domino, & officium tuom viriliter age, & virulenta verba ſeu minas Remenſis nullateoùs reformides.

## EPISTOLA XXXVII.

MAndata Cœleſtis efficacius gerimus, ſi noſtra cum fratribus onera partiamur, ſi dilectio nobis ſpiritualium aderit filiorum. Proinde omoibus neceſſitatem patientibus pro commiſſo nobis officio benignitatis noſtræ manum largiùs impertiri debemus, ut & ipſi remedia ſperata ſuſcipiant, & nos in eis, quod officii noſtri eſt, pleniùs exequi valeamus, &c.

## EPISTOLA XXXVIII.

APoſtolicæ Sedis providentia & benignitate provocamur, ut Sacroſanctam Romanam Eccleſiam diligentibus liberalitatis noſtræ manum extendere debeamus. Idcircò, Fili in Chriſto chariſſime Rogeri, Dei gratia Apuliæ Dux, non immeritò magnifice, quia glorioſæ memoriæ Genitor tuus Rogerius, multo ſanguine, multiſque laboribus, totam, ſicut Inſulam.

*Cætera deſiderantur.*

*FINIS TOMI SEPTIMI.*

IN-

# INDEX RERUM, ET VERBORUM.

## A

ABſentes aliquandò ordinati, ſed invalide. 158. 2.

Abuſus verborum Sanctorum Patrum ſæpiùs fuit cauſa hæreſis. 359. 2.

*Acacius* naſcitur anno 321. 56. 2. fuit Monachus 128. 2. Ordinatur Epiſcopus Berrhæenſis anno 378. 56. 2. Ejus Encomion. *ibid.* & 128. 1. & 128. 2. Vocatur paſſim Pater & Magiſter omnium Epiſcoporum. 75. 2. Compoſuit ſchiſma Antiochenum, ſed egit contra Joannem Chryſoſtomum. 56. 2. Dans contrà hunc doloſum ſuffragium. 184. 1. Excommunicatus ab Innocentio Papa, ab eodem abſolvitur. 128. 2. Conſuli ſolitus à Theodoſio Imperatore. 60. 2. Ab eodem rogatur, ut Patriarcham Antiochenum, alioſque ad ſanam mentem reducat. 168. 2. Statuitur tandem mediator pacis. 175. 1. Conſulitur etiam à Sede Apoſtolica. 129. 1. Ob extremam ætatem non adeſt Concilio Epheſino. *ibid.* & 60. 2. Peritus tamen Apollinarii dogmatis, judicat Sancti Cyrilli Capitula, illius eſſe erroribus referta. 57. 1. Scribit epiſtolam, directricem ſcelerati judicii, quo damnatur Sanctus Cyrillus. *ibid.* 2. Vacillat: Nunc tuetur Neſtorium, nunc cenſet condemnandum. Quare? *ibid.* Movetur tandem epiſtola Sancti Cyrilli, agnoſcens ſanum ejus intellectum. 186. 2. vixit annis 115. 129. 1.

*Acacius* Melitinenſis Epiſcopus, convincit amicum ſuum Neſtorium, in diſputatione privata. 52. 2. Deitatem paſſibilem prædicat coram Imperatore Theodoſio. 85. 2. Hic ſcandalizatur. *ibid.*

Acclamationes populares originem ducunt à theatris, inde ad templa pervenerunt, & alia loca. 344. 2.

Acclamationes horrendæ Populi, ſibi vim parantis, ad conſervandum rebellem Epiſcopum. *ibid.*

*Alexander* Hierapolitanus Epiſcopus, malè inſtructus de Sancti Cyrilli mente. 186. 1. Hunc anathematizandum contendit mordicùs, reſtituendum verò Neſtorium. *ibid.* Cui tam pertinaciter adhæret, ut pacem recuſet cum Sancto Cyrillo. 194. 2. Mavult exilium & mortem, quàm cum Sancto Cyrillo, & Actis ejus communionem. 253. 1. Durus, vult reſiſtere uſque ad ſanguinem. 310. 1. Mira illius pertinacia. 245. 2. 246. 1. 260. 1. 262. 1. 2. Patriarcham ſuum, dedignatur appellare Epiſcopum. 245. 2. 246. 1. Hujus litteras aperire renuente, leguntur per tabellarium. 289. 2. Audita Acacii converſione, orat ut terra dehiſcat: Paratus mori, & Epiſcopatu privari. 186. 2. 187. 1. Eſt omnium pertinaciſſimus. 292. 1. Ex pura peccans malitia. 328. 2. Ejus pertinaciam Irenæus malè, ſed eleganter deſcribit conſtantiam. 333. 1. Ejus querimoniæ. 326. 1. 329. 1. Lamentatur, Deum, utique paſſum & mortuum prædicari. 328. 1. Metuens ne ſua correctio ad Romanam Eccleſiam perveniat. 195. 1. Appellat Romam. 278. 1. Non auditur. *ibid.* Separat ſe à Romana Eccleſia. 264. 1. Paratus in ſua hæreſi vivere, & pro illa mori. 328. 2. Nulla ratione acquieſcit, repetitis precibus amiciſſimi ſui quondam Theodoreti. *ibid.* Finalis ejus contumacia. 343. 1. & 342. 2. Mirà alacritate expectare viſus eſt depoſitionem Epiſcopatus. *ibid.* Sed flacceſſit illa generoſitas, rogat clàm ejici. *ibid.* Ejicitur. 343. 2. In Famothim Ægypti metallum, 347. 2.

Alexandria Sedes Sancti Marci. 153. 1. Neſtorii tempore, Symbolo Niceno utebatur cum additamentis. 123. 1.

Alexandrini Patriarchæ auctoritas in ſuos, etiam Epiſcopos. 106. 2. Erat deſpotica. *ibid.* Quod improperatur Sancto Cyrillo, à Legatis Neſtorianis, 107. 2. Regium ſtatum habebat, non inferiorem Romani Pontificis. 73. 1. Sepeliri ſolebat à ſucceſſore, poſt mortem

tem ejus ſtatim electo. 286. 1.
Alexandrina Synodus mittit Neſtorio anathematiſmos, 16. 1. quo tempore? 17. 1.
Alexandrina translatio Concilii Chalcedonenſis, non eſt fidelis. 48. 2. Varia illius translationis fortuna. *ibid.* & *ſeq.*
S. *Ambroſius* Magnæ authoritatis apud Græcos. 229. 1. Citatur à Neſtorianis contra Sanctum Cyrillum. *ibid.* & 143. 1.
*Amphilochius* Epiſcopus Iconienſis, conſecratus ab Angelis. 159. 1. Illius auctoritate Capitula ſua tuetur Sanctus Cyrillus. 203. 2.
Anachoretica vita in columna, à Sancto Simeone Stylite originem ducit. 171. 1.
*Vide* Simeon Stylites.
Anachoretis licuit habere famulum propter vitæ neceſſitatem. 171. 2.
Anathema non ferendum, niſi in ſingulares hæreticos articulos. 190. 1.
Anathematiſmorum copia, inſtar Nymborum, lata ab Epiſcopis contra Epiſcopos. 224. 1.
*Andreas* Samoſatenus, vir magni nominis, non interfuit conventiculo Epheſino, infirmitate detentus. 62. 1. Eſt author refutationis Capitulorum Sancti Cyrilli, factæ nomine omnium Epiſcoporum Orientalium. 133. 1. Cur, quomodò, & quandò hoc fecerit? *ibid.* Exiſtimabat dici non poſſe Deum eſſe paſſum. 225. 2. Non erat tamen malignus. *ibid.* Pertinaciam abjicit, admittit pacem, & ad eandem hortatur Metropolitam ſuum. 259. 2. 263. 1. & *ſeq.* 260. 1. 263. 2. & *ſeq.* Pacificè & orthodoxè moritur. 137. 1.
Angelum cuſtodem eſſe cuilibet fideli, ſemper tradidit fides Chriſtiana. 334. 2.
Antiochia dicta urbs ſanctiſſima, 144. 2. intùs & foris habebat baſilicas trecentas & quadraginta. 310. 2.
Antiochiæ juriſdictionem exercet Papa Romanus. 167. 2.
Antiochena Eccleſia Neſtorii tempore utebatur Nicæno Symbolo cum additamentis. 123. 1.
Antiochena Synodus Joannis, acta ſua refert ad Sanctum Cyrillum. 143. 2.
Antiquorum geſtorum deperditio creat nobis multam miſeriam. 243. 2.
*Apollinarii* hæreſis, quod in Chriſto non daretur mens humana. 24. 2. Romæ diſcuſſa eſt apud Sanctum Damaſum. 184. 1.
*Apollinarii* diſcipuli Polemon, Timotheus, & Valentinus, dicti ſunt Apollinariſtæ. 24. 2.
Apollinariſtæ non docebant idem quod Apollinarius, 24. 2. ſed Naturarum in Chriſto commixtionem, & unitatem. *ibid.* Hanc conantur inferre ex voce *conſubſtantialis*. 36. 1. Ex eorum Sequacibus, aliqui Chriſti mentem negabant, aliqui ejus animam, aliqui corpus. 42. 2. Vocant Chriſtianos Catholicos Antropo-latras. 210. 2. Veſtibulis ſuis inſcribunt hanc: *Chriſtus eſt Deus carnifer.* Cum omnibus intrantibus, deſuper diſputari. *ibid.*
Appellatio ex toto Orbe, eſt Privilegium Sedis Romanæ. 274. 1. Hoc jure gaviſi ſunt omnes Papæ. 146. 1. & *ſeq.* Adversùs illud ceſſpitare, habebatur olim Euſebianum. 278. 1.
Appellatio Romana excludit Epiſcopum injuſtè ſuper-ordinatum. 243. 1. Nec ſolùm Epiſcopis, ſed & Sæcularibus licitam eſſe cenſebant Orientales. 275. 1.
Appellaſſe olim Orientales non ad Papam, ſed ad Concilia, eſt imperita ac maligna fabula. 274. 1.
Appellatio Eutherii Thyanenſis, Helladii Tharſenſis, &c. 272. 1. 271. 1.
Appellabant Orientales ad Papam à Patriarchis, à Conciliis Generalibus, à Brachiis ſæcularibus. 275. 1. 2.
Appellare à Papa ſupra perſonam malè informato, non ad Concilium, ſed ad eundem, vel Succeſſorem ejus benè informandum, eſt antiquiſſimum. 278. 1.
*Vide* Romanus Pontifex.
*Arius* dicit Verbi Divinitatem non paſſam, ſed compaſſam. 89. 2. Refutatur à Sancto Fulgentio Ruſpenſi. *ibid.* & *ſeq.* Deum Verbum dicit Arius fuiſſe primam mentem, datam Chriſto loco animæ. *ibid.*
Ariani dicunt in Chriſto non eſſe animam, ſed Verbum tantum & carnem. 210. 2. Argumentantur: vel Divinitas eſt paſſa, vel non eſt paſſa: 90. 1. Quomodo reſpondendum? *ibid.*
Ariani verſipelles, Arium damnant, & hæreſim ſervant. 184. 2.
*Ariſtolaus* Tribunus, quanta faciat pro pace Eccleſiæ. 182. 1. Ejus laus. 265. 1.
S. *Athanaſius* ſæpè utitur voce *Deipara*. 57. 2. Illius ſuaſu Romana Eccleſia Canonem condidit, qui Epiſcopis lapſis (non tamen hæreſiarchis) ſpem fecit reparationis. 167. 1.
S. *Athanaſii* Epiſtola ad Epictetum, à Neſtorianis adducitur contra Sanctum Cyrillum. 174. 2. & *ſeqq.* Sed quam hic corruptam eſſe in Græcia, manifeſtè evincit. 176. 2. Ideoque Exemplaria illius antiqua & ſincera mittit Joanni Antiocheno. *ibid.*
Avaritia cœpit corrumpere Romanum Imperium ſub Theodoſio Juniore. 288. 1.
Auditorium quid ſit? 80. 1.
Audiri in Senatu, in Conſiſtorio, apud Imperatorem, quid differat. *ibid.* & 81. 1.
S. *Auguſtinus*, quantum reſtiterit Neſtorianis & Pelagianis, norunt ipſi Scythæ. 90. 2. Illius laus. 359. 2.
Auro & argento procurare ſententiam, eſt concinnatio Diaboli. 129. 2.
Aurigæ & Nautæ Antiocheni, ſi, etiam per inadvertentiam, juraſſent, cogebantur illo die dormire incœnati. 95. 2.

# B

B*abylæ* Antiocheni Epiſcopi & Martyres ſunt duo. 337. 2.

Baptiſ-

Baptiſmus inviti. *Vide* Inviti Baptiſmus.
Baptizandorum numero oppreſſus, & propè extinctus Theodoretus. 171. 2.
*Barſumas* Archimandrita, Eutychianorum coryphæus. 152. 1.
Baſiliſcus naſcitur ex ovo aſpidis. 116. 1. Pulchra illius, licet non vera, ad hæreſim alluſio. *ibid.*
*Baſſianus*, Memnonis Epheſini Epiſcopi prædeceſſor, Ordinationi reſiſtit tribus horis; adeò ut ejus ſanguine commaculetur Evangelium & altare. Tandem conſentit. 156. 2. Alioquin non valuiſſet Ordinatio. *ibid.*
Bellum & pax ſunt Chriſtianis neceſſaria. 221. 2.
Bibliotheca Romana olim habuit omnes Epiſtolas Theodoreti, & aliorum de cauſa Neſtorii. 189. 2.
Bigamiam ſuam ſucceſſivam, non impedire Epiſcopatum, ſed aliorum ſimultaneam tantùm, affirmat Irenæus; tamquam ex Majorum veſtigiis. 69. 1. Ejuſdem ſententiæ fuit Theodoretus. *ibid.*
Blaſphemiæ deteſtandæ mos, erat conſciſſio tunicæ. 89. 2.
Bona Neſtorii exulis, adjudicantur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. 83. 1.
Brachio ſæculari licitè utuntur Chriſtiani, contra Epiſcopos rebelles. 288. 1. Exemplo Maximiani Epiſcopis hæreticis, ſuperordinantis orthodoxos. 155. 1. Et taliter promulgantis ſuam Synodicam. 162. 2.

# C

CHalcedonenſe Concilium averſantur Severiani Epiſcopi, quia non excepit Capitula Sancti Cyrilli. 45. 2.
Calumniari omnibus adjacet, non eſt tamen omnium dicere veritatem. 336. 2.
*Candidianus* Comes, conqueritur præcipitatam à Sancto Cyrillo Neſtorii damnationem. 31. 2. Hanc irritat tamquam factam contra leges Imperatoris. 41. 1. Perturbat civitatem Epheſinam. 67. 1. Neutram diſſidentium partem vult Miſſas celebrare, ne ſchiſma fiat. 43. 1. Excidit gratia Imperatoris. 131. 2.
Canonum Apoſtolicorum auctoritate utitur Imperator Theodoſius. 67. 1.
Capitula Sanctus Cyrillus compoſuit bis duodecim: quibus bis reſpondet Neſtorio. Duodecim inſerta ſunt ſecundæ illius Epiſtolæ: alia duodecim, tertiæ. 46. 1. & *ſeq.* Capitula ſecundæ Epiſtolæ, recepta ſunt ab Epheſina Synodo tamquam Eccleſiaſtica regula. *ibid.* Capitula tertiæ Epiſtolæ, ſunt lecta, laudata, non canonizata. *ibid.* Nec quidem à Chalcedonenſi. 47. 2. Poſteà tamen à Romanis Pontificibus. 50. 1. & *ſeq.* Hæc Capitula turbarunt multorum animos. 221. 2. Propter hæc occiſus eſt Sanctus Flavianus. 47. 2. Sunt à Theodoreto nec probata, nec damnata. 110. 2. Potenter defenduntur. 329. 1. Hæc hæretica cenſet Joannes Antiochenus. 44. 2. Ea probat Sanctus Cyrillus, quia ſunt approbata à Romana Eccleſia. *ibid.* Tandem à toto Mundo approbantur, 275. 1. Summo honore afficiuntur, ab ipſis inimicis. 260. 2. Horum Capitulorum tertium utitur voce *Hypoſtaſis* æquivocè. Quod poterat ſcandalizare Neſtorianos. 47. 1. Capitulo hoc abutitur Maro Edeſſenus. *ibid.*
Capitula Theodori damnare volentibus Patribus, ſe opponunt illius amici. 142. 1. & *ſeq.*
Carnaliter gignere quid ſit? 203. 1.
Caro Domini eſt propria Verbi, vivificatoria omnium. 17. 1.
Caſtitas Epiſcoporum Orientalium in ſummo pretio fuit. 293. 1.
Caſtris conſecrati Epiſcopos eſt contra Canones. 315. 2. 316. 1.
Catholicam Eccleſiam in parte Orbis tantum eſſe, affirmant Neſtoriani, Donatiſtæ, Luciferiani. 122. 2.
*Celſus* Epicureus Prophetas noſtros irridet Dei mortem prædicentes. 91. 1.
*Chryſoretes* Eunuchus è Scholaſtico Præfectus ſacri Cubiculi, favet Neſtorii perſonæ, non dogmati. 52. 1. Promovit hunc ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. *ibid.* Litteras recipit à Neſtorio, palinodiam fictam, & mendacia. 51. 1. 53. 1. Diu tamen manet Neſtorio fidelis. 53. 2. Poſt mortem multùm auri & argenti relinquit: item & catalogum Donatorum, inter quos nomen Sancti Cyrilli. 130. 1.
*Chriſtus* unus eſt. 14. 2. Non duplex. 15. 2. Non poteſt dici unus Chriſtus ex Deo Verbum, & alter homo. 14. 2. Ejus meritum à principio fuit infinitum. 215. 1. Non per modum progreſſus obtinuit gratiam & gloriam, 16. 1. Non eſt Deus ferens hominem. 16. 2. Eſt humanatus, inhumanatus. 14. 1. Non eſt homo Deificatus, ſed Deus incarnatus. 16. 1. Puer in pannis, confeſſor eſt genitoris, 14. 1. Non operatur virtute Spiritus Sancti quaſi aliena. 17. 1. Nec ſibi-ſervus, nec dominus. 15. 1. Legislator factus homo ſub lege. *ibid.*
Chriſtus Patris Filius impaſſibilis, in crucifixo corpore, proprias faciebat paſſiones. 15. 1. Judicaturus Mundum in juſtitia. *ibid.* Eſt Apoſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ 15. 2. Sacrificans Deo, & Patri, non obtulit ſacrificium pro ſe. *ibid.*
Chriſtus non rectè dicitur una natura incarnata. 230. 2.
Chriſtum Deum & hominem, Neſtorius fatetur unum eſſe Filium. 20. 2.
*Chriſti Verbum* non dicitur, ſed *Chriſtus Verbum*. 16. 2.
Chriſtianis gaudendum eſt in adverſis. 180. 1. 2.
Chriſtianorum, maximè Sacerdotum diſſenſio ſcandalizat inimicos fidei. 222. 1.
Clerici olim erant publici Medici, licet hodie ſit

contra

contra Canones. 73. 1.

Clerus debet ſequi Epiſcopum, non Epiſcopus Clerum. 320. 1.

*Co* quoties additur, hoc quod intelligit cogit. 16. 2.

*Co-adorari*, *co-appellari* homo cum verbo non dicitur. *ibid.*

Codex antiquus Romanus, eſt tomus Sancti Procli. 139. 1. 2.

Codex in quo collecti erant Orientales Canones, ſummæ apud Græcos authoritatis appellatur Codex univerſæ Eccleſiæ. 121. 2.

Codicis Caſſinenſis authoritas. 25. 2. Multa in lucem protulit, quæ hactenus latebant, & alia bona præſtitit. 17. 2. 32. 1. 47. 1. 56. 1. 61. 1. 65. 1. 67. 2. 73. 1. 79. 1. 81. 1. 82. 2. 92. 2. 94. 2. 96. 1. 97. 2. 98. 2. 101. 2. 102. 1. 112. 115. 1. 116. 2. 117. 1. & *ſeq.* 169. 1. 193. 1. 223. 1. 244. 1. 337. 2. 358. 1. Præclariſſimum quod præſtitit. 272. 1. & *ſeqq.* 274. 1. Tamen aliquando vacillat. 17. 2. 76. 1. 2. 84. 1. 104. 1. 112. 2. 166. 1. 237. 1. 244. 1. Non ſervat ordinem epiſtolarum. 122. 2

Collecta. 166. 2. Idem eſt quod ſolemne Sacrificium. 42. 2. A Patribus celebrata eſt ante & poſt damnationem Neſtorii. 43. 1.

Comites Conſiſtoriales erant ſummæ dignitatis. 80. 1. Quidam ſedebant, quidam ſtabant. *ibid.* Illorum munus erat hortari populum, ut confidenter accederent ad Imperatorem. 81. 1.

Commilitonem noſtrum eſſe Deum, olet Pelagianum. 115. 1.

Communicatio idiomatum in Chriſto. 16. 2. 156. 1. In quo fundetur? 90. 1. Probatur ex Sancto Auguſtino à Sancto Fulgentio. *ibid.*

Communicatio idiomatum etiam contrariorum. 92. 1. & *ſeq.*

Communicationem idiomatum non per abſtracta, ſed per concreta exprimendam cenſet Sanctus Joannes Damaſcenus. 92. 1.

Communicare non licet cum Hæretico. 326. 1. & *ſeq.*

Communio Eccleſiarum. 17. 2.

Communio luctus, magnum in adverſitate ſolatium. 291. 2.

Compendioſa ſalus, id eſt, compendium fidei, præſtat multis ambagibus articulorum. 55. 2.

Concilium. *Vide* Synodus.

Concionandi mos antiquus eſt, ut Presbytero concionante, interloqueretur Epiſcopus: & poſt Epiſcopum aliquando Patriarcha, 118. 1.

*Conjunctio* vox eſt æquivoca, inepta exprimere unionem Verbi cum humanitate. 119. 1.

Conſiſtorium eſt locus ubi Imperator ſedet cum ſuo Conſilio. 80. 1. Illic audiri non ſolebant Sacerdotes ab Imperatoribus Latinis. 80. 2. A Græcis ſolebant, agentes etiam de rebus ſacratiſſimis. 88. 2. Huic mori ſe accommodant Legati Romani. *ibid.*

Conſiſtens in Conſiſtorio, vocari prius debebat Principe, quam audiri. 81. 1. Intra illius velum primum ſe conſiſtere permiſſum, tamquam unum de populo, tyranno Maximo exprobrat cum querimonia Sanctus Ambroſius Epiſcopus Valentiniani Imperatoris legatus, 80. 2. & *ſeq.*

Conſiſtorium Romanum ex Imperii forma deſumptum eſt. 80. 2.

Conſtantinopolis antonomaſticè dicitur Civitas Regia. 130. 2.

Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quomodo cœperit ſe oſtentare Patriarcham? 156. 1.

Conſtantinopolitanæ Cathedræ ſecundus Eccleſiæ locus tribuitur à Concilio Conſtantinopolitano. 152. 2. Sanctus Proclus & Domnus pactum ineunt de admittendo hoc Canone. *ibid.* Pactum hoc non cum Joanne iniit Sanctus Proclus. 349. 2. Præeminentiam illam ægrè tulit Sanctus Cyrillus. *ibid.* Et poſt hunc Dioſcorus. *ibid.* & 152. 2.

Conſtantinopolitano Concilio interfuerunt miſerabiles Epiſcopi. 124. 2. Eſt autem unum ex quatuor, quæ ab Imperatore Theodoſio prædicari juſſa ſunt per omnem Eccleſiam. 124. 1. Idque propter illius Symbolum. *ibid.*

Conſtantinopolitanum Epiſcopatum ſibi reſervat Sanctus Cæleſtinus Papa. 286. 1.

Conſtantinopolitani multi Neſtorianis faventes, ad hos navigant, eoſque animant ad pertinaciam. 99. 1. 92. 2.

*Conſubſtantialis*, vox introducta in Eccleſiam, ab Hoſio Cordubenſi, & Sanctus Hermogene. 203. 2. Qui tamen non ſunt primi illius Authore. *ibid.*

*Corpus unum ſumus*, eleganter expoſitum. 125. 1.

Corruptionis per aurum & argentum factæ apud Imperator Theodoſium arguitur Sanctus Cyrillus, à Neſtorianis. 104. 1. 103. 2. Eſt impoſtura mendaciſſima. 103. 1. 108. 2.

Criminali à cauſa Neſtorii expulſus Comes Candidianus: utpote ſæcularis. 32. 2.

*Sanctus Cyrillus* fuit Conſtantinopolitanus. 130. 1. Ab infantia orthodoxus, enutritus in ſinu Sanctorum Patrum, id eſt Monachorum. 182. 2. Præceptorem habuit Sanctum Iſidorum Peluſiotem, quaſi patrem. 246. 2. Fuit Monachus. 182. 2. Clericus exiſtens adſuit condemnationi Sanctis Joannis Chryſoſtomi. 183. 1. Succedit Theophilo avunculo ſuo, in Epiſcopatu Alexandrino. 182. 2. Motus Neſtorii blaſphemiis, nititur hunc ad ſanam mentem reducere. 13. 1. 17. 1. & *ſeq.* Ad Epheſinum Concilium mittitur, ab Imperatore ut reus, à Papa ut Præſes. Hujus autem ſententia prævaluit. 72. 2. 272. 2. 106. 1. Commonitorium quod Cæleſtinus PP. dedit Epiſcopis euntibus ad Orientem, quo ſtatuitur Sanctus Cyrillus Præſes Concilii. 385. 2. Damnat Neſtorium tamquam Legatus Romani Pontificis. 35. 2. Hanc damnationem nequaquam præcipitavit. 31. 2. Excommunicatur à Joanne Antiocheno & Neſtoriana factione. 42. 1. Vide *Epheſini Patres excommunicati*. Incarceratur cum Sanctus Memnone: cuſtoditurque à Jacobo Comite. 54. 2. 58. 2. Falsò accu-

accuſatur fugiſſe ex carcere. 128. 2. 130. 2. Accuſatur de hæreſi, ac ſi duas in Chriſto negaret naturas. 183. 2. Ille verò Orthodoxam doctrinam ſequitur, quam ex Prædeceſſoribus ſuis hauſerat, Dionyſio, ac Magno Athanaſio. 214. 2. Tandem victor, Alexandriam revertitur 30. Octobris anno 432. 100. 1. 83. 2. Ubi excipitur cum exultatione & gloria. 110. 1. Statim fama ſpargitur quod anathematizaſſet ſua Capitula. 236. 2. Ille quidem Capitulorum tertiæ Epiſtolæ confirmationem à Synodo numquam petiit. 166. 1. Sed nil revocavit. 236. 2. Explicavit autem ea in Epiſtola fundamentali, quam miſit Acacio Berrhæenſi. 180. s. 236. 2.

*Sancto Cyrillo* ab Orientalibus mittitur Paulus Emeſenus Epiſcopus, cum Epiſtola Joannis Antiocheni, quam Sanctus Cyrillus meritò ægerrimè tulit. 222. 2. *& ſeq.* Ejus conſtantia. 176. 2. Nihil de ſuo vult damnare. 236. 2. Remittit fidei profeſſionem, quæ per Ariſtolaum exigi debeat ab omnibus pacem habituris. 351. 1. Cum Neſtorii damnatione. *ibid. & ſeq.*

*Sancti Cyrilli* Scripta variè à variis olim translata. 231. 2. Malè putantur à Dioſcoro vitiata eſſe. 233. 2.

Cyrus civitatula Epiſcopalis complectens 800. Parochiales Eccleſias. 279. 2.

*Cyrus* Epiſcopus Tyri, prædeceſſor Irenæi, favet Neſtorio. 68. 2. Moritur. *ibid.*

# D

D*Aniel Stylites*, Simeoni in Columna ſucceſſor. 172. 1. Poſtquam deſerviſſet huic uſque ad mortem. *ibid.* Ordinatur abſeos, ſed invalidè. 159. 1.

Decanorum in Romano Imperio ſpecies tres. 286. 1. Illorum munus. *ibid. & ſeq.*

Decreta Conciliorum etſi per Papam ſancita, tamen indigent illius confirmatione. 167. 1.

*Deifer eſt Chriſtus*: à Sancto Baſilio aſſeritur, à Sancto Cyrillo anathematizatur. 168. 1. Ab utroque benè. *ibid.*

Deifera dicitur Virgo Maria. 210. 1.

Deifeti dicuntur Patres Eccleſiæ, à ſeptima Synodo. 210. 2.

Deitatem paſſibilem affirmans Acacius Melitinenſis, quantùm ſcandalizet Theodoſium. 88. 1.

Deitas paſſa, & impaſſibilis dicitur juxta Sanctos Patres. 89. 2.

*Deitas eſt mortua* æquivoca propoſitio. Qui eam negaverint? 90. 2. *& ſeq.* Vide Divinitas.

Deum bimeſtrem dicere nefas putat eſſe Neſtorius. 53. 1. *& ſeq.*

Deus jacuit in cunis, pannoſus & ſordidus, laſſus ex itinere quievit, ſecundùm humanitatem. 209. 2.

Deus eſt paſſus carne. 90. 1. *& ſeq.* Hæc propoſitio anathematizatur propter blaſphemiam Petri Leonis. 209. 2. Nunc damnatur nunc probatur in diverſo ſenſu. *ibid.* Numquam proſcribitur à Romana Eccleſia. *ibid.*

Deum paſſum nullo modo agnoſcunt Neſtoriani. 75. 2. Prædicatur tandem per totum Orientem. 328. 1.

Deum eſſe mortuum probatur ex Symbolo Nicæno, & Apoſtolico. 208. 1. Ab Apoſtolica Sede in Canonem recipitur, Deum mortuum eſſe carne. *ibid.* Pulchrè exponitur à Juſtiniano Imperatore. *ibid.* Eſt propoſitio inſerta Profeſſioni Pontificum Romanorum. 208. 2. Propoſitionis illius hoſtes. 209. 1. Scandaloſam eſſe Gentilibus, affirmat Fauſtus Apolloniadis Epiſcopus. 207. 2.

Deus Pontifex. 156. 1.

Dilectione caſta omnes debent diligere Deum. 267. 2. Non eſt caſta dilectio qua Deus propter mercedem diligitur. *ibid.* Etiam propter cœlum. *ibid.* Cum Dei dilectione damnati mavult Theodoretus, quam ſine illa ſalvari. *ibid.*

*Diodorus* Tharſenſis Epiſcopus, Magiſter Theodori Mopſueſtienſis. 147. 2. Poſt mortem honoratur ut Martyr à Sergio Cyrenſi. 155. 1. Poſt mortem damnatur cum Scriptis ſuis à Sancto Cyrillo. 140. 2.

*Dioſcorus* Alexandrinus Archidiaconus tempore Sancti Cyrilli. 153. 1. Meditatur vindictam adverſus Antiochenam & Conſtantinopolitanam Sedem. *ibid.* Eſt peſſimus Sancti Cyrilli in Cathedra ſucceſſor. 108. 1. Unicam in Chriſto naturam profitetur. 70. 1. Idcircò in latrocinio Epheſino confirmat ſecunda Sancti Cyrilli Capitula in ſenſu Eutychiano. 47. 1. Eſt Irenæo infenſiſſimus. 69. 2. *& ſeq.* Odium ejus in Sanctum Flavianum, originem ſumit ex ſuppetiis, quas hic tulit Paulo, Sancti Cyrilli nepoti, omnibus fortunis per Dioſcorum exuto. 130. 2.

*Diſceptatio adversùs eos, qui in veritate dijudicanda feruntur judicio ſolius multitudinis*, extans inter opera Magni Athanaſii, eſt Eutherii Thyanenſis. 283. 2.

Divalis. *Vide* Juſſio ſacra.

Divinitas non eſt paſſa pœnam, ſed injuriam: & ideò Divinitati pœnas dabunt Judæi. 234. 2. *& ſeq.*

Doctoris orthodoxi articulos improbare aliud eſt, quam anathematizare. 147. 1.

Doctor ſicut vult, interdum ſic ſapit grex. 148. 1.

Dogmatis ſui de fide, quilibet rationem reddere tenetur. 107. 2.

Domeſticas Capellas & Altaria, olim non habebant Epiſcopi. 102. 2.

*Dominicus* Loricatus introduxit ſui ipſius flagellationem: patiturque ideò detractiones, & moleſtias. 171. 1.

Dominum inter & Domnum diſtinctio eſt antiquiſſima. 244. 1. *Cœleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum*, verſus antiquus. *ibid.*

*Domnus* Antiochenus Epiſcopus damnatur Chalcedone, quia ſubſcripſit damnationi Sancti

Fla-

Flaviani. 49. 1.
Donatiſtæ ajebant, *quod volumus, ſanctum eſt*. 107. 2.
*Dorotheus* Martianopolitanus Epiſcopus Neſtorianus pertinaciſſimus, 220. 2. Publicè anathema fulminat dicentibus Deiparam. 57. 2. Concionans coram Neſtorio. 214. 2. Relegatur in Cæſaræam Cappadociæ. 219. 1.
Dyptichis inſcribebantur nomina Patriarcharum & Autocephalorum, vivorum & mortuorum, quæ recitabantur à Diaconis ad ſacrificium. 162. 2. *& ſeq.*
Dyptichis Mopſueſtienſibus eraditur nomen Theodori & Meletii, eorumque loco inſcribitur nomen Sancti Cyrilli. 339. 2.
Dyptychæ ſæpius mutabantur. *ibid.*

# E

ECcleſia & Eccleſiaſtica Conſequentia differunt. 114. 2.
Eccleſiæ Catholicæ Neſtoriano tempore ſtatus lamentabilis. 61. 2. 59. 2.
Eccleſiam concedere Epiſcopo peregrino, ſpectat ad Ordinarium. 102. 2.
Eccleſiæ Orientales plerumque erant opulentæ. 219. 2.
Eccleſiæ vacantis Bona regebantur per œconomos. 95. 1. Ea tempore turbarum cuſtodienda monet Joannes, ſæcularis Comes largitionum. 54. 1. Bona Eccleſiaſtica Neſtorii exulis adjudicantur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. 83. 1.
Eccleſiaſticorum lites ſunt Mundi peſtilentia. 215. 2.
Electionis Epiſcopalis ſuſpenſio, aut reſervatio, non eſt à Gregorio IX. introducta; eſt multò antiquior. 106. 2.
Epheſinum Concilium primum, eſt coactum per tres Divales. 36. 1. Ab Imperatore Theodoſio indicitur in ſeptimam Junii 431. 30. 1. Illius Præſes fuit Sanctus Cyrillus tanquam Vicarius Sancti Cæleſtini Romani Pontificis. 46. 1. Ille Capitula ſua propoſuit Concilio, à Cæleſtino approbata. *ibid.* Concilium hoc ſemper recurrit ad Papam. 59. 2. Nequidem ad Sacram juſſionem vult Joannem Antiochenum recipere, niſi ſupplex veniam petat, & Neſtorium damnet. 76. 1. Confirmatum eſt primò à Sancto Cæleſtino, deinde à Xiſto III. 277. 1. 2. A Neſtorianis ſarcaſticè vocatur *benedictum*. 115. 1. Illius Acta ſunt mutila, quia non omnia erant paris authoritatis. 95. 1.
Epheſinum ſecundum. 154. 2.
Epheſinum Conventiculum ſemper recurrit ad Laicam Poteſtatem. 49. 1. 59. 2.
Epheſini latrocinii ſententia contra Theodoretum, circumſcribitur à Leone Magno & Imperatore. 155. 1.
Epheſinorum Patrum conſtantia. 61. 1. Nullo modo volunt de novo ſubſcribere Concilio Niceno: Quidquid etiam Imperator jubeat. 76. 1.
Epiſcopus à Populo non admiſſus. 137. 2.
Epiſcopus non ſibi, ſed ſuis Ovibus intendere debet. 314. 1.
Epiſcopus de Eccleſia ad Eccleſiam evehi poteſt. 285. 2.
Epiſcopi vix ſeſe mutuò inſcribebant *Patres*. 101. 2.
Epiſcopis tempore perſecutionum, non licet deſerere gregem. 310. 2.
Epiſcopis, ſine Metropolita ſuo nihil de fide licitum eſt ſtatuere, juxtà antiquam Eccleſiæ regulam. 200. 1. Niſi hic rogatus non reſponderit. *ibid.*
Epiſcopus conſecratus ab Angelis. 159. 1.
Epiſcopi Chriſtiani in pace mortui Scripta perverſa, condemnari poſſunt de novo, etſi & turbæ metuantur, & perverſitas iſthæc ſit damnata in alio. 143. 2. *& ſeqq.* Damnari poteſt, ipſe etiam Epiſcopus, poſt ejuſmodi in pace mortem. *ibid.* Ex diſpenſatorio tamen amore pacis prudenter ſuſpenditur hoc anathema. 144. 1. *& ſeqq.*
Epiſcopum corrigendum eſſe à Laico, nihil eſt infamius. 25. 2.
Epiſcopi degradatio iniqua, eſt homicidium. 197. 1.
Epiſcopo degradato ſuperordinare alium, mos eſt perpetuus. 120. 1. Si ille degradabatur à Synodo conſecrabatur hic publicè in Synodali loco. *ibid.*
Epiſcopi depoſiti, tradebantur aliquando Curiæ, ad efferendas ſordes è plateis, & ad alia vilia miniſteria. 218. 2. 320. 1.
Epiſcopus eligebatur à Populo. 156. 2.
Epiſcopi ob hæreſim ejecti, calamitate ſua mitigant perverſitatem Populi. 161. 2.
Epiſcopis imperare ſe non poſſe fatetur Imperator Theodoſius. 37. 1. 38. 1.
Epiſcopis juramentum qualecumque interdicit antiquus Canon. 95. 2. Præſertim Antiocheno. *ibid.*
Epiſcopi Orientales, mulctato Collega ſuo ad ſummam pecuniariam, ſe ipſos deſcribunt ad contribuendum. 218. 1. 219. 2.
Epiſcopi peregrini ſine conſenſu Ordinarii, ſolemniter celebrare prohibentur, & concionari. 42. 2.
Epiſcoporum de præcedentia, regula antiqua. 63. 1.
Epiſcopi Rebelles quindecim qui noluerunt communicare cum Sancto Cyrillo. 347. 2. Eorum nomina. *ibid.* Aliqui ejecti ſunt. *ibid.*
Epiſcoporum ſæcularia bona quæ poſſidebant ante Epiſcopatum, devolvebantur olim ad Eccleſiam, & ideò populus divites rapiebat plerumque, & invitos. 157. 2. Quorum tamen conſenſus extorquebatur ante conſecrationem. *ibid.*
Epiſtola conjunctionis. 18. 2.
Epiſtola fundamentalis Sancti Cyrilli. 180. 1. 182. 1.
Epiſtola *Nominavit*. 17. 1.
Epiſtola pacificatoria Sancti Cyrilli quæ incipit,

*Lætentur cæli & exultet terra*. 238. 2. Impugnatur ab Irenæo. 280. 2. Solemniter cum acclamatione approbatur à Chalcedonenſi. 284. 1. Eſt Canonica. 50. 1.
Evangeliſtæ Matthæus & Marcus de die Transfigurationis Domini conciliantur. 33. 2.
Euchariſtiæ Corporis Chriſti manifeſtum ex Sancto Cyrillo teſtimonium. 15. 1.
*Sancti Eupre pii* Monaſterium, unde Neſtorius ad Epiſcopatum evectus eſt. 82. 1.
*Euſebius* Cæſareenſis Neophytus conſecratur Epiſcopus. 156. 2.
Euſebius adhuc Sæcularis reſiſtit Neſtorio; creatur Epiſcopus Dorileenſis. 25. 1. Ponit publicam contra Neſtorium conteſtationem. 25. 1. *& ſeqq.*
*Sanctus Euſebius* Samoſatenſis, in militari habitu viſitans Eccleſias Arianas, conſecrat Acacium Berrhæenſem Epiſcopum. 129. 1.
*Eutherius* Thyanenſis Epiſcopus, pertinax adverſus Sanctum Cyrillum. 201. 1. Impugnat fortiter hujus Capitula. 201. 2. Tuetur Neſtorium. 202. 1. Monet accelerandam eſſe appellationem Romanam ne præoccupentur ab adverſariis. 271. 1. Fortè Orthodoxus fuit. 215. 2. Peccavit tamen non leviter, amore Neſtorii, & odio Capitulorum Sancti Cyrilli. *ibid.* Relegatur Schyto-polim. Inde fugatus in Tyro defungitur. 219. 2.
*Eutyches* adhuc Orthodoxus, Inſtat apud Imperatorem pro condemnatione Neſtorii. 87. 1. Unicam in Chriſto naturam profitetur. 70. 1. Ejus hæreſis cœpit anno 441. 152. 1. Ejus blaſphemiæ palmare fundamentum ſunt Capitula Sancti Cyrilli Epiſtolæ tertiæ. 47. 2. Appellat ad Sedem Romanam. 152. 2. Purgatus prætendit Cathedram Conſtantinopolitanam. 153. 1. Convictus, vocatur à Leone Magno ſenex delirus ac imperitus. 152. 1.
Excæcatio hæretici, eſt demeritum aliorum peccatorum. 333. 2.
Excommunicato non tolerato Communicans, eſt ſimiliter Excommunicatus. 102. 2.
Excommunicatio Sanctorum Cyrilli & Memnonis calumnioſè ſuſpenſa ex parietibus. 42. 2. Quamvis Sacra peragere Excommunicatis non liceat ante Synodale judicium, juxta Canones. 58. 2. Nolunt illi tamen abſtinere à Miſſarum ſolemniis celebrandis. *ibid. & ſeqq.* Se invicem abſolventes. *ibid.* & 59. 2.
Excommunicatio injuſta, eſt frivola contumelia, parum curanda. 103. 1.
Exempla Patrum Heteroclita, ſunt admiranda, non imitanda. 159. 1.
Expectativa Epiſcopatus Conſtantinopolitani confertur Sancto Proclo à Sancto Cæleſtino, vivente Maximiano. 286. 1.

# F

FAbrica novæ Eccleſiæ eſt anſa erigendi novum Epiſcopatum. Factum hoc in Græcia. 300. 1.
*Sanctus Flavianus*, ſuccedit Sancto Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo. 152. 2. Sancti Cyrilli Nepotes adjuvat eleemoſynis, quos Dioſcorus privaverat omnibus fortunis. 154. 1. Synodum cogit contra Eutychetem. *ibid.* Occiditur propter Capitula Sancti Cyrilli, quæ extant in tertia hujus Epiſtola. 47. 2.
*Sancti Flaviani* authoritas pro valore ordinationis Macedonii, non eſt magna. 158. 2.
Fidei Chriſtianæ encomion. 114. 1.
Fides Chriſtiana Catholica cuſtodit Imperia. 146. 1.
Fides facit omne lucrum, quæſtio autem infidelis diſſipat. 360. 2.
Fidei confeſſio quam Joannes Antiochenus miſit ad Sanctum Cyrillum eſt compoſita à Theodoreto. 258. 1.
Fides donum Dei ac lumen. 262. 2.
Fides explicita Eccleſiæ, Remiſſionis peccatorum, Reſurrectionis mortuorum, & Vitæ æternæ eſt neceſſaria neceſſitate medii. 123. 1.
Fidei pietatem non probat multitudo, ſed veritas, ait Joannes Antiochenus. 111. 1.
Fides ſana eſt unica, caput omnium bonorum. 183. 2. In qua ſalvamur omnes. 124. 2.
Fideles facilius univerſa deponunt, quam fidei poſſeſſionem. 162. 1. *& ſeqq.*
Firmus Epiſcopus Cæſareæ primæ Cappadociæ. 23. 1. Ejus laus. *ibid.* Eutherio Thyanenſi ſuperordinat invitum. 152. 2. & 156. 2. Sed Ordinatio cenſetur nulla. *ibid. Vide* inviti Ordinatio.
Fontes ad portas Eccleſiarum poni ſoliti, lavandis manibus & corporibus. 38. 1.
Forma Conſecrationis Epiſcopalis eſt oratio Sacerdotalis. 121. 2.

# G

G*Arnerius*. *Vide* Joannes Garnerius.
*Gelaſius*, non Romanus, ſed Cyzicenus Epiſcopus Author eſt Opuſculi contra Neſtorianos & Eutychianos. 232. 1.
*Sanctus Gennadius* duriſſimè invehitur in Capitula Sancti Cyrilli. 48. 1.
*Sancta Genovefa* ſalutatur per mercatores, à Simeone Stylite, huic divinitùs revelata. 172. 1.
Geizericus Wandalorum Rex expugnat Carthaginem. 68. 2.
Germanicienſes Chriſtum duos filios dicunt, doloſè confitentes unicum Dominum. 227. 2.
*Gilbertus* Porretanus, Pictavienſis Epiſcopus, unus è primis Scholaſticarum ſubtilitatum Authoribus. 232. 1. Negat dici poſſe, *Natura Divina eſt incarnata*. *ibid.*
Gratia Spiritus Sancti. 125. 1. Sine hac nil poſſumus. 324. 2.
Gratia efficax, indeclinabilis dicitur, juxta phraſim Sancti Auguſtini, in Oriente communem. 340. 1. 341. 1.
Gratia præveniens. 125. 2.

Græ-

Græcorum Populus ſtrenuus eſt pro ſuis Epiſcopis. 169. 2.
*Gregorius* Thaumaturgus ordinatur abſens, ſed invalidè. 159. 1.

# H

HÆreſis anathematizanda eſt Scripto, & Jurejurando. 14. 2. Ei reſiſtendum uſque ad ſanguinem profitentur ipſi Neſtoriani. 93. 1.
Hæreſiarcha Epiſcopus, etiam pœnitens, non niſi in communionem Laicam recipiendus. 275. 2. Non excuſatur quia Prædeceſſorem habuit; nec deſinit ideò eſſe Novitatis inventor. 360. 1.
Hæretici adducuntur ad fidem placida potius ratione, quam terrore. 286. 2.
Hæreticorum Codices comburendi. 131. 1. Qui hos legunt, anathematizantur. 134. 1.
Hæreticis communicandum non eſt in hæreſi, ſed potius moriendum. 191. 2.
Hæretici damnari ſolebant etiam poſt mortem. 132. 2. & ſeq. Cum damnato Hæretico damnari intelliguntur Succeſſores & Complices. 38. 1.
Hæreticum Epiſcopum in fraternam Communionem recipere poſt judicium, non eſt irreprehenſibile. 112. 2.
Hæretici Epiſcopi & Clerici non pœnitentes, avito rigore ad communionem Laicam rejiciebantur. 95. 2.
Hæreticus materialis, in errore mortuus, ſalvari poteſt. 143. 2. & ſeqq.
Hæreticum odiſſe tenemur, etiam parentem. 13. 1.
Hæretici perſonam defendere, non eſt illius hæreſim tueri. 250. 2.
Hæreticorum ſpiritus eſt privatus. 327. 1. 334. 2.
*Helladius* Tharſenſis Epiſcopus, Monachus. 194. 2. Senex ordinatur Divinitùs. 162. 1. Adhæret Neſtorianis. *ibid.* Non vult Maximiani nomen in Dypticham recipere. *ibid.* & ſeqq. Eſt unus ex illis quatuor, qui à pace excluſi erant. 194. 2. & 162. 1. Pertinax conſpirat cum Alexandro. 268. 1. Iterum. 269. 2. Scribit Neſtorio ſe adhærere illius perſonæ. 350. 1. Quem & Orthodoxum cenſet, licet jam damnatum. *ibid.* Incipit timere. 178. 1. Appellat Romam. 272. 1. Converſus gratiam obtinet à Sixto III. 325. 2. Huic obediens ad pacem admittitur. 277. 1. Mittit cum aliis Synodicam ad Imperatores, qua profitetur ſe adhærere Epiſcopo Romano & aliis Orthodoxis: atque anathematizare Neſtorii dogma & perſonam. 349. 1. Piè moritur in ſua Eccleſia. 277. 1.
*Henricus Valeſius* labitur. 137. 1.
Hierapolitanorum luctus, lachrymæ, & preces pro reparatione ſenis ſui Epiſcopi Alexandri. 344. 1.
Hiſpania noluit recipere quintam Synodum. 155. 2.



*Hypathia* Gentilis, doctrix Philoſophiæ, tardat Chriſtiana fieri, quia Deus crucifixus prædicatur & mortuus. 207. 2.
Hypocriſis abominanda eſt. 280. 1.
Hypoſtaſis, non eſt idem quod ſubſtantia. 252. 1. Eſt idem quod ſubſiſtentia. *ibid.* Eſt vox æquivoca. 47. 1. Illius æquivocatio diſplicuit aliquando Patribus Epheſinis. *ibid.* Famoſum illius ſignificatum eſt *perſona*, minus famoſum *eſſentia*. *ibid.*

# I

I*Bas* in ſacris Litteris educatus à pueris. 135. 1. Audet dicere ſe factum Deum, ſicut Chriſtus factus eſt Deus. *ibid.* Neſtorianus. 138. 2. Non adfuit Epheſino, ubi damnabatur Neſtorius. 30. 2. 34. 1. Sed adfuit ubi agebatur de Capitulis Sancti Cyrilli. 31. 1. Succedit Rabbulæ Epiſcopo Edeſſeno, anno 436. 94. 2. 136. 1. Accuſatur quod Libros Theodori in Syriacam tranſtuliſſet. 150. 2. Sanctum Cyrillum de hæreſi accuſat poſt ejus mortem. 135. 1. Ejus Epiſtolæ damnantur. 50. 1.
*Jeſus. Vide* Chriſtus.
*Ignatius* Martyr fuit ille parvulus, quem Jeſus ſtatuit in medio Diſcipulorum. 210. 2. Et ideò dictus Deifer. *ibid.* Sedit ſecundus Antiochiæ. *ibid.* Creditur Apoſtolos non auſos eum ordinare, quia manus impoſitionem à Chriſto acceperat. 159. 1.
Ignorantiæ tenebræ ſunt cauſa gravium peccatorum. 323. 2.
Imagines parvæ Sancti Simeonis Stylitæ, etiam in ejus vita Romæ ponuntur in Officinarum Veſtibulis: aliquid indè Præſidii expectantibus Romanis. 172. 1.
Imperatores à Chriſto acceperunt Imperium. 122. 1. Parere debent Conciliis, non præeſſe. 87. 1.
Imperator Juſtinianus refert ad judicium Sedis Romanæ, an Maria ſit propriè Mater Dei? 70. 1.
Imperatorum Theodoſii & Valentiniani laus, 168. 1. Eorum pro fide generoſitas. 105. 1. Eorum tituli. 99. 1. Sunt nimii, 341. 1. Vocantur Divini, *Immortalis vertex* &c. 346. 2. Sed hoc redolet Paganam ſuperbiam. 341. 1.
Imperatores Græci non deferebant Epiſcopis ſuis omnem reverentiam quam Latini. 80. 2. & ſeqq.
Imperatori pio obedire Epiſcopis eſt ſacrum. 289. 1. Præcepta verò illius honoranda non ſunt, quæ Deo repugnant. 287. 1.
Imperium Diocletianum quando cœperit æra eſſe Græcis? 67. 2.
Imperia pietate ornata diu manent. 163. 1.
Inauditum damnare non licet. 180. 2.
Incarnationem Verbi è medio tollere nitebatur Neſtorius. 71. 2. Myſterium exponitur à Sancto Cyrillo. 180. 2.
Inimici potentes ſuperandi ſunt lenitate. 333. 2.

Inimicis noſtris dimittenda ſunt debita. 296. 1.

Invitus nullum Sacramentum ſuſcipit validè 158. 2. Sufficit tamen voluntas extorta. 157. 1.

Inviti Baptiſmum non valere, eſt definitum ab Innocentio III, 158. 2. Diu tamen fuit dubitatum. *ibid.*

Invitus validè non ordinat, 157. 1. Nec ordinari poteſt, niſi antè abſolutè conſentiat. 156. 2. Ejuſmodi ordinationem valere eſt commentum, *ibid.*

Invitus per omnia ordinatus Epiſcopus, ſine ullius contradictione manebat Laicus quoad omnia. 156. 2. Solvuntur argumenta contra valorem Ordinis planè inviti. 158. 1. *& ſeqq.*

Inviti aliquandò Epiſcopatum, vel Clericatum, vel Monachiſmum ſuſcipere cogebantur lege Imperatoria, ſi convicti erant de crimine, aut etiam quandoque ſuſpecti. 157. 2. Similiter parentes curarunt aliquando Ordinari filios invitos. *ibid.*

Inviti ſecundùm quid ordinati Clerici permittebantur redire ad ſæculum lege Imperatoria Non tamen Epiſcopi. 157. 2. *& ſeq.* Legis illius Author fuit Leo Magnus. 158. 1.

*Joannes* Antiochenus Epiſcopus favet Neſtorio, quia hic ab Eccleſia Antiochena ad Conſtantinopolitanum Epiſcopatum aſſumptus fuerat. 30. 1. Defendit aliquandò etiam Theodorum. 146. 2. Primus poſt Neſtorium cœpit diffamare Sancti Cyrilli Capitula de hæreſi Apollinarii. 18. 2. Suſpecta habet illa tamquam non ſint Sancti Cyrilli, ſed cujuſdam hæretici. 23. 1. At vafrè. 24. 1. Nondum audebat impetere virum integerrimum. *ibid.* Contra illa Capitula fecit plures quam 50. Synodicas. 256. 2. Moratur venire ad Epheſinum, metuens inter alia nè & ipſe reus ageretur. 30. 1. 2. Per legatus Sancto Cyrillo ſignificat ſe conſentire omnibus quæ hic faciet. 32. 1. Sed contra Factum Sancti Cyrilli poſtmodum proteſtatur. *ibid.* Epheſum advenit 27. Junii. 65. 1. Ipſo die adventus ſui Conciliabulum celebrat, in quo deponit Sanctos Cyrillum & Memnonem. *ibid.* 42. 1. Et totam Epheſinam Synodum. 43. 2. Sed calumnioſè. *ibid.* Ideoque cum ſuis damnatur à Legatis Romanis. 62. 1. Epheſina Templa fuerunt ei clauſa. Cur? 38. 2. Ejus & ſuorum mendacia. 59. 2. Jurat Sanctum Cyrillum etſi pœnitentem, numquam in gratiam recepturum. 95. 2. Quo graviſſimè exceſſit. *ibid.* Concionatur ad Populum, negans Deitatem paſſibilem. 117. 2. Poſt judicium Imperatoris manet pertinax. 120. 1. Chalcedone revertitur terra, non mari. *ibid.* Cenſet Neſtorium rectè ſapere, ſed malè loqui. 23. 1. Numquam favit Neſtorii blaſphemiis, ſed perſonæ. Nec hujus damnationem negavit ſed ſuſpendit. 58. 1. Lecta Sancti Cyrilli Epiſtola, de eo rectè ſentit. 17. 2. 192. 1. Tandem anathematizat Neſtorii dogma & perſonam. 326. 1. 355. 1. Admittit omnes conditiones pacis, quas Sanctus Cyrillus proponit. 237. 2. Gaudens de pace ſcribit Theodoreto gratulatorias. 238. 1. *& ſeq.* Ad Imperatorem mittit gratiarum actorias. 242. 1. Ad Sanctum Proclum profeſſionem fidei, de Symbolo Nicæno. 355. 1. Eccleſias quas ſeduxerat nititur ad pacem reducere. 18. 2. Ejus in hoc prudentia & patientia. 346. 1. Cogit omnes Provincias ſuas ad conditiones Pacis ſuſcipiendas. 357. 2. Vim facit rebellibus. 326. 2. Proditionis & mutabilitatis arguitur à Neſtorianis apud Papam Romanum. 273. 1.

*Joannes* Damaſcenus primus Græcorum Scholaſticus. 92. 1. Ejus error. *ibid.*

*Joanni* Garnerio reſpondetur. 47. 1. 96. 2. 178. 1. 189. 2. 340. 1.

*Joannes* ſyncellus Sancti Cyrilli. 72. 2. Et Medicus. 73. 1. Summa ejus cautela cum Legationem ageret apud Imperatorem. *ibid.*

*Irenæus* Comes conjugatus, Laicus, non Miles. ſed Togatus, eruditus ſacris Litteris. 66. 2. Orator potens, 72. 2. Pertinax Diodori ac Theodori defenſor. 356. 2. Profeſſus Neſtorianæ blaſphemiæ fautor. 22. 1. Perturbat civitatem Epheſinam, blaſphemus in illius Concilium. 67. 1. A Factione Neſturiana legatur ad Imperatorem. 71. 1. Prævenitur à Legatis Sancti Cyrilli. Dura ſuſtinet. Litigat cum his coram illo. 64. 1. Mentitur ſolemniter. 66. 1. 72. 1. Vanum ejus pro Neſtorio argumentum. 361. 2. Excidit gratia Imperatoris ſtatim poſt diſſolutam Synodum. 67. 2. 131. 2. Relegatur in Petras Arabiæ tamquam Neſturianæ blaſphemiæ inſtitutor. 346. 1. 67. 2. 346. 2. Sed honorificè. 347. 1. Ut Cæſaris hanc ſententiam illudat, ambit Epiſcopatum. 68. 1. Inter exulandum, cum tranſiret Tyrum, moritur hujus Epiſcopus. Ordinatur hìc Epiſcopus à Theodoreto. 67. 2. *& ſeqq.* 347. 1. A quo & ſæpè laudatur. 68. 2. Imperator acquieſcit illius Ordinationi. 347. 1. Eſt dives Epiſcopus. 68. 2. Sed multas patitur moleſtias. 352. 2. Unde & in magnis tribulationibus ſedit adhuc anno 449. 68. 2. Semper intereà rectè ſentit de Neſtorio. De Sancto Cyrillo verò & Joanne Antiocheno Impiè. 353. 2. 359. 1. *& ſeqq.* 361. 1. *& ſeqq.* Technis ſuis perſuadet Orientalibus, Neſtorium iniquè damnatum. 27. 2. Degradatur tandem juſſu Imperatoris, quia contraxit ſecundas nuptias. 67. 1. *&* 69. 2.

*Irenæus* agnovit appellationes Romanas. 278. 2.

*Irenæi* Scripta multa meritò à Majoribus ſunt ſuppreſſa. 27. 2. Eſt Author *Tragœdiæ*. *ibid.*

*Iſdegerdes* Perſarum Rex, tutor conſtituitur Theodoſii Junioris Minorennis. 109. 1. Illius filius dæmone vexatus liberatur precibus Maruthæ Epiſcopi Meſopotamiæ. *ibid.* Hinc Pater multùm afficitur Chriſtianis. *ibid.*

*Iſidorus* Conſul & Præfectus, exilium pronuntiat Neſtorio. 81. 2. 84. 1. Illius juriſdictio. *ibid.*

*Sanctus Iſidorus* Peluſiotes Monachus Diſcipulum

ſuum

ſuum quondam, Sanctum Cyrillum monet conſtantiæ. 246. 2. & ſeqq. Honoratur à S. Cyrillo tamquam Pater. 27. 1. Ejus lana. ibid. Poſt toleratas & revictas à Theophilo Alexandrino injurias, redit Peluſium ad ſuum Monaſterium: ſitque ibidem Abbas. 27. 2. Scripſit decem millia Epiſtolarum. 27. 1.
Judicium contradictorium ſæpè petunt Neſtoriani. 111. 1. 2. 112. 1.
*Julianus* Epiſcopus Eclanenſis, Pelagianæ ſuperbiæ Goliath, à Cæleſtino Papa ejectus ex Italia. 142. 2. Confugit ad Theodorum Mopſueſtienſem. Manens illic uſque ad hujus mortem. *ibid.* Hic ſcripſit octo illos libros contra quos ſcripſit Sanctus Auguſtinus ſuos Poſteriores. *ibid.* Dum Julianus citat Orientalem Eccleſiam, intelligit Mopſueſtienſem Theodori. *ibid.* Poſt hujus mortem divertit ad Neſtorium. *ibid.*
*Julianus Magnus*, Monachus, traxit Acacium Berrhæenſem ad Monaſterium. 182. 2.
Juramentum Herodianum. 95. 2. 104. 1.
Juramentum nautarum & aurigarum, punitum Antiochiæ per jejunium. 95. 2.
Juramentum interdicitur Epiſcopis, antiquo Canone. 95. 2.
Juſſio ſacra. 28. 2. 304. 1.
Juſſionibus ſacris tribus cogitur Epheſinum. 36. 1. Illa quæ convocavit hoc, eſt data 19. Novembris anno 430. 22. 2
Juſſioni ſacræ, quam miſit Theodoſius per Joannem Comitem, præfixum erat nomen Cæleſtini Papæ. 113. 1.
Juſſio ſacra qua Epheſini Patres remittuntur ad propria, damnatis SS. Cyrillo ac Memnone. 99. 1. Huc uſque latuit. 99. 2. Non eſt ſortita effectum ſuum. 100. 1.
Juſſio ſacra ultima qua ſolvitur Epheſinum. 109. 2. 110. 1.
Juſſio ſacra grande fomentum fuit Neſtorianæ perfidiæ. 56. 1.
Juſſio ſacra numquam extenſa eſt ad Sacramenta, aut ſacramentalia. 101. 1. & 102. 2.
Juſſionibus ſacris, Dei legi conformibus eſt obediendum: diſformibus reſiſtendum. 86. 2.
Juſſioni ſacræ non obtemperat S. Cyrillus. 33. 1.
Juſſionem ſacram procurare, inter Epiſcopos odioſum erat. 286. 1.
*Juſtinianus* præfectus ſimplices & rudes Epiſcopos præmiis & precibus inducit ad ſubſcriptiones iniquas. 98. 1.
Juſtitiam habere in intellectu aliud eſt, quam habere in voluntate. 306. 2.
Juſtorum paucitas non cedit multitudini impiorum. 335. 1. Variis illius exemplis abutitur Meletius. *ibid.*
*Juvenalis* Epiſcopi Hieroſolymitani rebellio in Metropolitam ſuum. 105. 2. 108. 1. & ſeqq. Ejus invaſio in duas Phœnicias. 68. 1. Eſt confirmata à Chalcedonenſi. 358. 2. Cur adhæſerit Dioſcoro Alexandrino? 108. 1. & ſeqq.
Juvenis Patriarcha lenit ſeniorem Metropolitam, ſibi tamen ſubjectum. 220. 1.



# L

L*ampo* Monachus, Presbyter, Neſtorii & S. Cyrilli mutuas litteras transfert, pacis ergò. 134. 1.
Latini Patres à Græcorum propoſitionibus & quæſtionibus ſtudio abſtinent. 231. 2. Unicus ſe immiſcuit Martinus Pontifex. 232. 1.
Legati Epheſini, vocati aliquando Concilium Epheſinum. 167. 2.
Legati miſſi à Neſtorianis cum numeroſo & valido famulatu. 103. 1. Ex iis ſemper unus defuit. 114. 2. Negatur eis Eccleſia à Chalcedonenſi Epiſcopo. 102. 2. Jurant coram Theodoſio numquam ſe recepturos S. Cyrillum in communionem. 102. 1.
Legatio fraudulenta. 32. 1.
Lex Imperatoria lata contra Neſtorianos. 136. 1.
Leges Principum pœnales adverſus hæreticos; ſunt initium ſapientiæ. 309. 2. Sententia eſt S. Auguſtini. *ibid.*
Libelli recuſatorii ſunt neceſſarii ad renunciationis Epiſcopalis valorem. 298. 1. Vi vel metu extorqueri non poterant. *ibid.*
*Liberatus* Diaconus, Theodori Patronus, cæſpitat. 155. 2. Errat. 165. 1. Eſt quintæ Synodi adverſarius. 149. 2.
Liber Pontificalis malè à quibuſdam arguitur imperitiæ. 77. 2.
Libri qui inter opera S. Athanaſii extant nomine Theodoreti, ſunt Eutherii Thyanenſis. 185. 1.
Libri Neſtorii prohibiti Imperiali Lege. 70. 2. Non fuerunt ſtatim exuſti. 83. 2. Damnantur ad ignes. 133. 2. 348. 2.
Litaniæ. 270. 2. Vox Græca eſt, antiqua. 94. 1. 102. 2. Antiquitùs cum candelis & cereis celebratæ in plateis. 270. 1.
Litteræ piorum qualeſcumque gaudium excitant. 217. 2.

# M

M*acedonius* à S. Flaviano ordinatur, non invitus, ſed ignorans, eſtque ejus Ordinatio ambigua & ſuſpecta. 158. 1. & ſeq.
*Macedonii* hæreſis negans Divinitatem Spiritus Sancti, fuit potens. 319. 2.
*Magiſtriani* ſunt bajuli litterarum & mandatorum Imperatorum. 289. 2.
Magnanimitas pro Chriſti fide. 304. 2.
*Marcion* Deum paſſum negans, Chriſti carnem affirmans imaginariam, refutatur à Tertulliano. 208. 2.
*S. Maria* definitur verè & propriè Mater Dei. 70. 1. Exponendum eſſe hoc cenſet Neſtorius, quod dicatur Dei Genitrix. 19. 2.
*S. Maria*, Dei Genitrix vocatur à Patribus antiquioribus quam ſunt Epheſini. 359. 2. Carnaliter genuit Chriſtum. 16. 2. & 203. 2. Verbum carnem factum. 16. 2. Deum adunatum carni ſecundùm ſubſiſtentiam. 16. 1.

*Sanctæ Mariæ* in utero non prius extitit corpus, quam Deus Verbum. 206. 2.
*Sancta Maria* poſt partum Virgo. 203. 1.
Martyres reperiri gaudet Sanctus Cæleſtinus: ſed dolet, quod Epiſcopo perſequente. 33. 1.
Martyrum falſorum collecta celebrata. 155. 1.
*Maximianus* Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſuperordinatur Neſtorio, 95. 2. quatuor menſibus poſt damnationem Neſtorii. 164. 1. Quandonam admiſſus ſit à Joanne Antiocheno? 58. 1. Mandat nomen ſuum inſcribi dyptichis. 163. 1. Poſtquam ſediſſet annis 2. menſibus 5. moritur. 285. 1.
*Maximinus* Anazarbenſis Epiſcopus Neſtorianus pertinax. 266. 1 Suis ſceleribus conatur conſolari apoſtatam Alexandrum, 265. 2. 266. 1. in quem finem mittit Alexandro Acta Synodi Anazarbenſis. 268. 2. Tandem cum ſuis redit ad communionem Joannis Antiocheni. 320. 2.
*Maximus* Antiochenæ Eccleſiæ Diaconus, Legatus ad Sanctum Cyrillum contra Diodorum & Theodorum. 360. 1. Zeloſiſſimus contra Neſtorium. *ibid.* Ad Maximi inſtantiam Sanctus Cyrillus compoſuit expoſitionem Symboli Niceni. *ibid.* & 356. 2.
*Meletius* Mopſueſtienſis Epiſcopus, Neſtorianus pertinax. 308. 1. 2. Sancti Cyrilli & Joannis communionem vocat diabolicam. *ibid.* Paratus eſt exilium pati & mortem. 318. 1. 2. Gloriatur quod epiſtolam ad ſe ſcriptam à Joanne Patriarcha ſuo projecerit in latoris faciem. 316. 2. Juſſu Joannis extruditur brachio ſæculari. 337. 2. Deliteſcit in partibus ſui quondam territorii, ſeducens plurimos, & præſumens Sacerdotale miniſterium. 209. 2. Ejectionem ſuam tamquam Dei munus deprædicat. 338. 2. Relegatur in ſecundam Armeniam. 341. 1. Moritur Melitinæ, multa paſſus ab Acacio Melitinenſi Præſule: 347. 2. Pertinax uſque ad mortem. 336. 1.
Mendicitatem quia introduxerunt Sanctorum Dominicus & Franciſcus, accuſantur à maledicis tamquam Antichriſti. 171. 2.
Metropolita non à ſolo Patriarcha, ſed à Synodo eligi olim debuit. 343. 2.
Metropolita vel Patriarcha ſuſpectus de hæreſi vitari debet ex præcepto divino, 132. 1. & 141. 1. non autem ſuſpectus de alio crimine, niſi præceſſerit Synodale Judicium. 141. 1.
Metropolitam ſuum Clerici accuſare poſſunt immediatè apud Patriarcham. 141. 1. Poſſuntque cauſam ſuam referre ad vicinos Epiſcopos, ut hi illam deferant ad Patriarcham. *ibid.*
*Miſſarum collectam celebrare*, vox eſt antiquiſſima. 41. 2. Hoc non licet hæreticis nec Excommunicatis. *ibid.* & 103. 1.
Monachi olim dicti boni. 86. 1. Servi Dei. 217. 1. Sanctiſſimi. 126. 2. Sancti Patres. 182. 2.
Monachi accuſati à liberato Diacono; ſed falsò. 149. 2.
Monachi Legati ex Scythia ad Sedem Apoſtolicam contra Pelagianos & Neſtorianos. 90. 2. Diliguntur ideò à Sancto Fulgentio. *ibid.*
Monachi olim proprias Eccleſias habebant. 329. 2. Ad Sacrificium recitabant nomina Virorum ſuorum illuſtrium, etiam vivorum. *ibid.*
Monachi tres magnæ authoritatis in Orientali Eccleſia. 311. 1. Suſcitabant mortuos. *ibid.* & 310. 1.
Monachiſmum ſuſcipiebant validè, qui ſub pœna mortis, juſtè incuſſa, cogebantur illi conſentire. 157. 2.
Morbos nobis diſpenſat providentia Divina. 266. 2.
Monothelitæ ex capitulis Sancti Cyrilli ſugunt venenum. 250. 2.
*Mors mortua tunc eſt in ligno quando mortua vita fuit*: antiquiſſimus eſt Eccleſiæ cantus. 90. 2. Formatus ex Operibus Sancti Auguſtini. *ibid.*
Mortui in Chriſto, dormiunt. 311. 1.
Mortuus in pace an anathematizari poſſit, deceat aut debeat? 146. 1. & *ſeqq.*
Mortuus in pace Epiſcopus, meritò damnatus ob falſa dogmata. 150. 2. & *ſeqq.*
Multitudo divinitus ſæpè ſuperata à paucitate. 303. 2.
Mutare ſententiam ab errore, non indecorum eſt. 351. 1.

# N

NAtales extranei reſpectu Epiſcoporum, lucida olim erat irregularitas. 66. 2.
Nativitatis Domini Feſtivitas quando celebrari cœperit in Græcia? 136. 1.
*Natura*, vox eſt multivoca. 203. 2. Aliquando à Sancto Cyrillo accipitur pro hypoſtaſi. 234. 2.
*Natura*, idem eſt quod *verè*. 205. 1.
Naturæ duæ per hypoſtaticam unionem ſunt unus, non unum. 184. 2.
Neſciens ordinatur Macedonius: ſed invalidè. *Vide* Macedonius. Hic articulus, *clandeſtina vocis imprecatio ordinat Clericos neſcientes*, videtur à Sancto Hieronymo. 158. 1. & *ſeqq.*
*Neſtorius*, Nativitate Germanicienſis, in Provincia Euphrateſia. 23. 1. 263. 1. Fit Monachus in Suburbano Antiochiæ Monaſterio Sancti Euprepii. 76. 2. Eſt Hæreticus, antequam Epiſcopus. 84. 1. Cælum promittens Imperatori Theodoſio, ſi terram hic purget ab hæreſi, Legem obtinet contra omnes hæreticos. 28. 1. Ejus faſtus, vanitas, & ſuperbia. 20. 2. Gloriatur odio ſe haberi ab univerſis Hæreticis. 27. 1. Avarus, Simoniacus, ſemper laborat peſtilenti deſiderio Epiſcopatus. 20. 2. Zeloſus, & indefatigabiliter ſtudioſus, Loquacior quam eruditior, dilectus omnibus, creatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus. *ibid.* Ordinatur decima Aprilis anno 428. 28. 1. Inter conſecrationis ſuæ ſolemnia,

nia, debacchatur contra omnes Hæreticos. 20. 2. Sed hæreſes impugnans, hæreſim facit. 21. 1. Concinnatur coram omni Clero, cum admiratione. 28. 1. Dicit Mariam Genitricem, non Dei, ſed Dei & hominis dici debere. *ibid.* Non vult Deiparam dicere, ne ſcandalizentur Gentiles. 28. 1. Negat Verbum pro nobis paſſum. 51. 2. Fusè exponit ſua dogmata. 26. 2. In perverſæ prædicationis ſuæ initio impetitur à duobus potentibus Orthodoxis Sanctis Cyrillo ac Proclo. 22. 1. Mittitur ei Symbolum à Synodo Alexandrina, cum capitulis Sancti Cyrilli. 13. 1. *& ſeqq.* Niſi Papæ Romano obediat, ab hac declaratur excommunicatus. 14. 1. Monetur inſuper à Joanne Antiocheno ut Sancto Cæleſtino obediat, & dogma recantet. 21. 1. Juſſu Papæ Romani, cantat publicè Palinodiam. 21. 2. Hæc eſt recenter detecta. 37. 2. Poſt determinationem Apoſtolicæ Sedis manet pertinax in hæreſi. 383. 2. *& ſeqq.* Doloſè profitens vocem *Deipara*. 23. 1. Clericos Orthodoxos è Civitate ejicit. 22. 1. Improperat Sancto Cyrillo quod appellaverit hic Romam. 26. 1. Calumniaturque Sanctum Cæleſtinum Papam. 28. 1. Tamquam rudem à Sancto Cyrillo malè informatum. 26. 1. *& ſeq.* Appellat à Judicio Sancti Cæleſtini ad generale Concilium. 22. 2. Et ad Imperatorem Theodoſium. 35. 2. Quaterniones & Scripta quæ direxerat ad Sanctum Cæleſtinum, negat poſtea eſſe ſua, metuens damnari. 26. 1. 27. 2. & ideò multos habuit Orientales faventes. *ibid.* Præterea, ſilentium mandabat Diſcipulis ſuis ſub Anathemate. Et ideò tam diu Orthodoxus creditus eſt ab Orientalibus. 361. 2. Jactat ſe futurum Præſidem Concilii Epheſini. 22. 2. Spemque ſuam ponit in Joanne Antiocheno. 30. 1. Epheſi diſputat de fide, nitens perſuadere Epiſcopis. 52. 2. Convincitur. *ibid.* Patres Epheſini agunt ejus cauſam, à prima luce uſque ad noctem. Quo peracto, obtulerunt ſolemne Sacrificium. 42. 2. Damnatur 22. Junii Anno 431. 31. 2. Propter iniquitatem propriam. 96. 2. In Eccleſia quæ appellabatur *Maria Deipara*. 33. 1. Deponiturque ſolemni pompa. 40. 1. Poſt damnationem tamen non corrigitur. 360. 1. Sed contra illam proteſtatur. 31. 2. Proteſtationi ſubſcribentibus decem Epiſcopis. *ibid.* Plures Epiſcopos ſeducit: ſed quorum aliqui, fraude cognita, eum deſerunt. 33. 2. Convocat Conciliabulum in Ædibus ſuis, ſed quod diſſipatur. 38. 2. Cum ſua tamen factione depoſitionem pronuntiat contra Sanctos Cyrillum ac Memnonem. 33. 2. Sanctum Cyrillum verò Epheſi numquam vidit. 71. 2. Admittit to *Dei Genitrix*. Sed cum diſtinctione. 51. 1. Exclamans, dicatur Maria Deipara, ut ſedentur contentiones. 85. 1. Appellat ad Imperatorem. 55. 2. Fingit quod minentur adverſarii mortem. *ibid.* Calumniatur violatam Cæſaris juſſionem. *ibid.* Negat ſe docuiſſe ea quæ Epheſi profeſſus eſt. Sed ita tandem exoſus redditur Imperatori, ut ne nomen quidem illius hic ſuſtineat. 103. 2. Cuſtodiendus traditur Candidiano. 54. 2. Fingit quod Sanctus Cyrillus pro voce *Deus* poſuerit vocem *Deitas*. 26. 1. & 28. 1. Omnes contemnit, ſibi ſolus major & doctior. 28. 1. Illius exilium primum. 82. 1. In Petras Arabiæ. *ibid.* & 82. 2. *& ſeq.* Mitigatur in priſtinum ſuum Monaſterium: ex precibus amicorum. 83. 2. Et proprio poſtulato. 52. 1. Imperator compellit eum redire in Monaſterium ſuum. 77. 1. Mandatum hoc Neſtorius ſuſcipit cum gaudio, tamquam beneficium. 85. 1. Ad Monaſterium hocce ducitur honorificè. 81. 2. 84. 1. Et in eodem honoratur. *ibid.* Poſt damnationem ſuam, per tres fermè Annos blaſphemus eſt, & obſtinatus. 25. 2. Simoni Mago comparatur à Theodoſio. 136. 1. A Xixto III. appellatur Filius perditionis. 243. 2. Secundum ejus exilium in Oaſin. 83. 2. Poſt mortem honoratur ut Martyr à Sergio Epiſcopo Cyrenſi. 155. 1. 2.

Neſtorii falſa Dogmata omnia nervosè refutata. 13. 1. *& ſeqq.* 18. 2.

Neſtorii Libri damnati ad ignes. 133. 2.

Neſtoriani tanti faciebant perſonam Neſtorii ac ipſam veritatem. 97. 2. Audientes damnationem Neſtorii, præ ſtupore non poſſunt loqui. 95. 1. Eorum Acta Epheſi ſpernuntur à Populis. 63. 1. Nitentes quempiam ſuperordinare Sancto Memnoni excluduntur Templis. 37. 2. Excluſi concionantur in locis prophanis. 37. 1. Non ſunt planè immunes à Neſtoriana Hæreſi. 98. 1. Negant ſe Sanctum Cyrillum in communionem recepturos, etiamſi abjuret capitula. 103. 2. Quod & juramento affirmant. 45. 1. Mori malunt quàm capitula illa admittere. 92. 2. *& ſeqq.* Acacio referunt cum gaudio, in cuſtodia detineri Sanctos Cyrillum ac Memnonem, ſilent autem accidiſſe id etiam ſuo Neſtorio. 60. 1. 59. 2. Epiſtolis ſuis præfigunt Symbolum Nicænum. 51. 1. 50. 2. Et ad illud ſemper appellant, contendentes hoc ſolum eſſe obſervandum. 55. 1. *& ſeqq.* 74. 1. 100. 2. 105. 2. 114. 1. 122. 1. 160. 1. 269. 1. 305. 2. 46. 1. 58. 1. 75. 2. 92. 1. 337. 1. Callidè occultant Fidem ſuam, adeò ut plures eis Orthodoxi Epiſcopi adhærerent. 98. 1. Sed à quibus, detecta eorum aſtutia deſeruntur *ibid.* Sunt palpones Cæſaris: ad quem perpetuò appellant. 94. 1. Vocant Cæſarem, Mundi ſalutem etiam in conſervanda Religione. 104. 2. Poſcuntque ejus judicium in controverſia de fide, *ibid.* mittunt ei profeſſionem fidei ſuæ. 56. 1. Damnantur ab Imperatore. 82. 2. Ejuſque Lege jubentur appellari Simoniani. 348. 2. 351. 1. Appellant Romam. 271. 2. Coacti abdicare Neſtorium, prædicant pejorem Neſtorio Theodorum. 138. 2. Multi Neſtorii Perſonam deſerunt, retinentes Doctrinam ejus. 133. 2. 354. 1. Tandem dividuntur in tres partes; ſingula

Digitized by Google

gnia proponit Pacis conditionem ſingulam. 199. 2. Continuè decreſcunt numero. 98. 1. Multi negant ſe fuiſſe Neſtorianos. 133. 2. Coguntur tandem ſubſcribere damnationi Neſtorii. Cui Articulo obediunt multi, reſiſtunt aliqui. 252. 1.
Neſtoriani nominati quatuor: qui à Synodo Epheſina damnati ſunt, Dorotheus Marcianopolitanus, Helladius Tharſenſis, Eutherius Thyanenſis, Himerius Nicomedienſis Epiſcopi. 165. 1.
Neſtoriana Hæreſis à Paulo Samoſatenſi per Lucianum, Diodorum, Theodorumque in Neſtorium pervenit. 22. 1. 212. 2. 360. 2. 359. 1. 361. 1.
Neſtoriani & Catholici fugiunt conſpectus mutuos tamquam excommunicatos. 54. 2.
Nomen damnati Operis ex cauſa ſubticetur. 134. 2.
*Norunt initiati*, vox eſt S. Joannis Chryſoſtomi, occultantis Myſterium Fidei noſtræ. 357. 1.
Novatores non deſinunt eſſe Authores Hæreſum, qui Prædeceſſorem habuerunt æquè perverſum. 360. 1.
Novitas vocum eſt inania. 14. 2. Eſt tamen interdum utilis & neceſſaria. 205. 2. *& ſeq.* Maximè contra novas Hæreſes. *ibid.*
Novitati vocum non eſt adhærendum. 180. 1. 181. 2.
Nuptias benedixit Chriſtus diſpenſativè. 16. 1.
Nicænum Symbolum. *Vide* Symbolum Nicænum.

# O

OAſis eſt deſerta Lybia, in quam pro ſecunda vice relegatur Neſtorius. 83. 2. Officia venalia exhibere corrumpit Imperium. 288. 1.
Omnes homines vult Deus ſalvos fieri. 334. 2.
Oratio communis oblata pro iis qui ſunt in tribulatione poſiti. 159. 2.
Orationes mutuas efflagitare ſolebant in ſuis Epiſtolis. 103. 2. 257. 1. 268. 1. 274. 1. 284. 2. 293. 2. 297. 2. 298. 2. 302. 2. 308. 2. 314. 1. 315. 1. 324. 2. 333. 2. 339. 1.
Ordinationum variarum de valore variæ olim ſententiæ. 158. 1. *& ſeq.* Miræ erant, ſed falſæ. *ibid.*
Ordinatio inviti. *Vide* invitus.
Orientales plerumque verſatiles. 149. 1.
Orientales Relationes non fiebant immediatè ad Patriarcham, ſed mediante Metropolita, juxta antiquos Canones. 141. 1.
Orientales turbæ vehementes, dum Epiſcopis Neſtorianis ſuperordinantur Catholici. 269. 1.
Originale peccatum primus negavit Theodorus Epiſcopus Mopſueſtienſis. 142. 2.
Oſculum renuit accipere S. Ambroſius à Tyranno Maximo, cur? 81. 1.

# P

PAlæſtinorum Epiſcoporum nullus adhæſit Neſtorio. 189. 2.
*Palladius* Magiſtrianus ab Imperatore mittitur Epheſum cum Divali. 65. 1. Quo die appulerit? *ibid.*
Papa. *Vide* Romanus Pontifex.
Pars nequit eſſe Judex. 72. 1.
*Parthenius* Archi-Mandrita adhæret perſonæ Neſtorii, non ejus Dogmati. 315. 1. *& ſeqq.*
Paſchatis Octava dicebatur olim Dominica nova. 18. 2.
Paſſio Chriſti ſunt Dei ſtulta, neceſſarium fidei dedecus, quod nos facit benè impudentes, & feliciter ſtultos. 208. 2.
Paſtor nulla ratione adduci debet ut deſerat ſubditos. 261. 2. Gregem ſuum vindicare debet. 291. 2.
Patribus Antiquis ſatis fuere explorata Myſteria fidei. 92. 1. Joannes Damaſcenus ſentit contrarium. *ibid.*
Patres non utuntur ſemper vocibus in ſuo rigore. Maximè illi qui ſcripſerunt antè exortas Hæreſes. 248. 1. *& ſeqq.* Loquuntur proindè aliquando liberius in materia nondum agitata. 147. 1.
Patribus deputantur aliquando quæ filiorum ſunt. 117. 2.
Patriarchæ licet ordinare in omnibus ſuis Diœceſibus. 270. 1.
*S. Paulinus* Epiſcopus Antiochenus recuſat tres Hypoſtaſes dicere, cur? 57. 1.
Paulus Apoſtolus, Apoſtolicæ Sedis ornamentum: à D. Petro dextram Societatis accepit: ut appareret ab utroque æquam ſubtilitatem Dogmatum cuſtodiri. 274. 1.
*Paulus* Comes Conſiſtorianorum S. Cyrilli Nepos. 128. 2. 130. 1. Corrumpit Chryſoretem Auro & Argento. *ibid.* Amat S. Flavianum adhuc Presbyterum: ad quem confugit Patriarcham exutus omnibus fortunis à Dioſcoro poſt mortem S. Cyrilli. Adjuvatur à S. Flaviano. *ibid.* Moritur Conſtantinopoli præ mœrore. *ib. & ſeq.*
*Paulus* Emeſenus in Ægyptum legatur ad S. Cyrillum. 18. 2. A Joanne Antiocheno & Acacio Berrhæenſi tantum. 222. 2. 224. 2. Nomine totius Diœceſis. 229. 1. Supplex. 338. 2. Pacem petens. 222. 2. Cogitur Chartam offerre, per quam confiteatur S. Cyrillo, Mariam Dei eſſe Genitricem, & anathematizet Neſtorii Dogmata. 236. 1. Alexandriæ concionatur ad Populum de fide coram S. Cyrillo. 19. 1. Item de Pace. *ibid.* Pacem concludit cum S. Cyrillo, nomine Orientalium. 242. 2.
*Paulus* Samoſatenſis eſt Author Hæreſis Neſtorianæ. 22. 1. Infecit totum Orientem. 133. 2.
Pauperibus in Oriente non licebat intrare Eccleſiam, ſed jubebantur mendicare ad portam. 37. 2.
Pax Eccleſiæ rebus omnibus anteponitur à Theodoſio. 109. 2. Propter eam multa ſunt diſpenſativè toleranda. 319. 2. Non tamen hæreſes. 320. 1.
Pax inter S. Cyrillum & Orientales, lepida. Uterque putat adverſarium ſuum Hæreticum fuiſſe, ſed cantare Palinodiam: 223. 2. Neuter

ter vult fateri ſe erraſſe, ſed ſeſe invicem non intellexiſſe. 58. 1. Pax illa eſt inita circa finem Decembris anno 432. 226. 2. Pacis conditiones à S. Cyrillo pendebant. 275. 2. Sed ad Romanum Pontificem referuntur, qui aliquas retractat. 277. 1. Poſt Pacem nova inter Orientales ſciſſura. 246. 2.

Pax inter Romanos & Perſas, fuit cauſa diſſeminatæ Fidei. 108. 2.

Pace à Vera nullus excluditur Bellantium. 239. 2.

Pelagiani aliqui moti Clementia S. Cæleſtini, redeunt ad Pœnitentiam. 168. 1.

Pelagiani Epiſcopi in Sicilia latentes à Neſtorio expectantur in exilium. 35. 2.

Pentecoſtes ſolemnitas. 36. 2.

Perfectus non eſt, qui propter mercedem pius eſt. 301. 1.

Perfectionis aſcenſum Anachoretis mandant Canones, Regulæ & Patres. 171. 1.

Perſas ſuperat Theodoſius Dei impulſu. 109. 1. Perſarum Armatorum decem Myriades in aquas ſe conjiciunt præ timore, & ſubmerguntur. *ibid.* Perſis Pacem dat Theodoſius propter Chriſtianos in Perſia degentes. *ibid.*

*S. Petrus* ſedit Primus Antiochiæ. 210. 1.

*SS. Petrus* & Joannes pares honore Apoſtoli & Diſcipuli. 14. 2.

*Petrus* Alexandrinus Succeſſor S. Athanaſii damnatus ab Arianis appellat Romam. 185. 2. Cum S. Damaſo Concilium celebrat anno 373. *ibid.*

*Petrus Fullo* Chriſtum in Deitate paſſum prædicat. 209. 2. Triſ-agii hymno Angelico inſerit, *Qui crucifixus eſt*. 208. 2. & *ſeq.*

*S. Phædimus* Epiſcopus Amaſenus prophetat. 159. 1. Ordinat abſentem & ſimul invitum. Sed invalidè. *ibid.* & *ſeq.*

*Photini* non Perſona, ſed Hæreſis damnata eſt in Nicæno. 77. 2.

Pontica Diœceſis diviſa, S. Cyrillo alii, alii adhærent Joanni Antiocheno. 63. 2.

Poſſeſſio Eccleſiaſtica eſt vetuſtiſſima. 296. 2.

Prædeſtinatiana Fabula eſt Hæreſis malè afficta S. Auguſtino. 231. 2.

Præſcriptio eſt Catholica: *Quidquid in Chriſtiano Dogmate eſt juvenile aut novum, eſt falſum.* 361. 1.

*S. Proclus* ordinatur Epiſcopus Cyzicenus à Siſinnio Neſtorii Prædeceſſore. Non admittitur à Populo. Redit Conſtantinopolim. Degit inter Presbyteros. Fit Domeſticus Neſtorii. 22. 1. 137. 2. 212. 2. Strenuè concionatur adversùs Neſtorium. 127. 1. Ejus encomium. *ibid.* Factus Epiſcopus Conſtantinopolitanus mittit Synodicam per omnes Provincias, cujus exordium extat. 315. 1. Non extat integra Synodica. 313. 2. Moritur Anno 447. 152. 1.

*Probabile* aliquando idem erat quod *Probatum*. 270. 2. Sic Sancti Patres dicti ſunt probabiles. *ibid.*

*Promoveatur ut amoveatur*, proverbium eſt olim ſæpè uſitatum. 157. 2.

Propoſitiones damnare *tamquam novas, ſcandaloſas ſuſpectas* &c. non eſt novum. 157. 1.

Puer ſeptennis Martyr. 336. 2.

# R

R*Abbula* Edeſſeni Epiſcopi laus. 361. 1. Capitula Sancti Cyrilli aliquando probavit aliquando damnavit. 329. 2. Anathematizat Neſtorianos. 134. 1. Omnes ſibi adverſantes conſtantiſſimè fugat. 141. 1. Cæcus erat, accuſaturque quod ſcripſeri contrà Theodoretum. 162. 1. 133. 1. Moritur præ ſenio inter tumultus Eccleſiarum. 136. 1.

Rationem reddet quiſque juxta opera ſua. 295. 1.

Referenda ſunt omnia opera noſtra in Deum, amore caſto. 267. 2.

Reis quibuſcumque & cujuſcumque criminis, permittebatur permutatio in tonſuram Monachalem aut Clericalem aut Epiſcopalem, ex perpetua Romani Imperii conſuetudine. 347. 1 Varia illius rei exempla. *ibid.*

Relatio cauſæ facta ad Principes, vim habet ſuſpenſivam. 40. 2. Aliquando fit per Legatos. 112. 2.

Reſurrectio Mortuorum fit per hominem factum ex Deo Verbum. 15. 1.

Romana Bibliotheca olim habuit omnes Epiſtolas Theodoreti, & aliorum de Cauſa Neſtorii. 189. 2.

Romanum Conſiſtorium ex Imperii forma deſumptum eſt. 80. 2.

Romani Legati ad Epheſinum ſerius veniunt, ſed ſine ſua culpa. 33. 2. Eos expectari doloſe petit Neſtorius. 35. 2. Reſtituunt Sanctus Cyrillum & Memnonem: damnantes Factionem Neſtorianam. 62. 1.

ROMANUS PONTIFEX alter Moyſes, alter Petrus productus à Deo Gubernator, ut conterat omnes Hæreſes. 272. 1.

*Romanum* ad *Pontificem* pertinet Hæreticos, Schiſmaticos, Magos, &c. totius Eccleſiæ dirigere, punire; & definire veritatem circà ipſos controverſam. 274. 2. & *ſeq.*

Romanus Pontifex confirmat Epiſcopum Conſtantinopolitanum an. 432. 132. 2.

Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilia, etiam Generalia, Orientales habebant pro certo. 274. 2. Idem ſentiebat omnis ſub Cœlo Eccleſia. 276. 2. Ejus in hoc luculenta authoritas. 72. 2.

Romani Pontificis nomen inſertum fuit Tabulis Conciliorum Nicæni, Sardicenſis, &c. & recitatum ad Sacrificium. 113. 1. & *ſeq.* *Sanctus Damaſus* diſcuſſit Hæreſim Apollinarii. 183. 2. 185. 1. Se ſolo exercuit juriſdictionem Alexandriæ. 275. 1. Duæ ejus Synodi Romanæ à Gregorio Nazianzeno laudantur. 185. 2. *Sanctus Cæleſtinus* ad Epheſinum mittit ſua mandata. 153. 1. Et ad Epiſcopos *Commonitorium*, ut obediant Sancto Cyrillo. 385. 2. Aliaſque Litteras ad Epheſinum, ſimul & ad Maximianum & Imperatorem. 167. 2. Ejus

nomen præfixum fuit Divali. 113. 1. Revestit iniquè damnatos à Neſtorio. 33. 1. Conſulitur ab Imperatore, an Epiſcopus ab Eccleſia ad Eccleſiam evehi poſſit? Affirmanti Imperator acquieſcit. 285. 2. Maximiani Epiſcopatum confirmat 15. Martii Anno 432. 131. 2. Ejus Reſcripta ad Imperatorem & ad Concilium, fuerunt Regula eorum omnium quæ aguntur. 168. 1.

Sixtus III. ſcripſit Orientalibus varias Litteras; quæ interciderunt: 349. 2. Ad ipſum recurrunt Sanctus Cyrillus & adverſarii. 243. 2. Confirmat pacem Orientalium. 264. 1. Non exaudiens preces Joannis Antiocheni de mutatione conditionum pacis. 343. 2.

*Leonis Magni* nomen inſertum fuit tabulis Chalcedonenſis Concilii, & recitatum ad Sacrificium. 113. 1. Suſcipit Eutychetis appellationem, quem damnat ut Hæreticum. 152. 1. Epiſtolæ illius dogmaticæ acclamant Patres Chalcedonenſes. 48. 1.

*Joannes* II ad inſtantiam Juſtiniani Imperatoris ſupplicantis per duos Epiſcopos, definit Deum eſſe carne mortuum. 208. 1.

*Vigilium* nititur Juſtinianus Imperator inducere ad damnanda tria Chalcedonenſis Concilii Capitula: circumductus à Theodoro Cæſareenſi in Cappadocia Epiſcopo. 48. 2.

Romana Eccleſia Antonomaſticè Apoſtolica dicitur. 128. 1. 48. 1. Illius reverentia ductus Theodoretus, Neſtorianos damnat per omnia. 82. 2.

Romanæ Eccleſiæ Decreta inſtructiones fuerunt quibus illicò acquievit Theodoſius. 77. 1.

# S

SAcerdotes loqui adverſùm Sacerdotes, eſt lamentatione dignum. 116. 1.

Sacerdotium gratis concedendum. 291. 2.

Sacra Principum manſio loca habebat quatuor, quæ? 81. 1.

Sacrificium in Eccleſiis celebratur ſine ſanguine, in memoriam reſurrectionis ex mortuis. 15. 1.

Salvantur pauci. 335. 1.

Salutem noſtram cum timore & tremore operamur. 262. 1.

Sancti novum vivendi modum introducentes, obnoxii erant multis obloquiis. 170. 2.

*Saturninus* à Catholicis ſuperordinatus Dorotheo Martianopolitano, à Populo non recipitur. 160. 1. Populus ab Imperatore cogitur. 160. 2. Sed Saturninus ſicut venerat, ſic diſceſſit. 160. 1. Denuò ejicitur. 210. 2. Biſque à Populo ejectus tandem admittitur. 348. 2.

Schiſma Eccleſiarum deterius eſt bello Civili. 124. 2. Eſt ſcandalum Hæreticorum, Gentilium & Judæorum. 125. 1.

*Scholaſticus* idem quod Advocatus, ſeu Cauſarum Patronus: 52. 1. Honoratiſſimum illorum olim apud Romanos erat Officium. *ibid.* Varium illorum Nomen. *ibid.* Ex illis creabantur Conſules, Præfecti & Defenſores. *ibid.*

*Sergius* Cyrenſis Epiſcopus Neſtorium veneratur ut Martyrem. 155. 1. Damnatur ideò ac degradatur. *ibid.*

Servilis timor gehennæ ad juſtitiam adducit. 321. 2.

Silentii Monaſtici amor laudatur in Neſtorio. 98. 1.

*Symeon Stylites* naſcitur in Vico Siſon. 172. 1. 2. Habitat in columna primo ſex, poſtea 12. tum 22. deindè 36. pedibus alta. Pelliceis veſtibus. 170. 2. Accurrunt ad eum multi ut benedicantur. *ibid.* Miranda divinæ gratiæ per Simeonem in barbaris exempla. *ibid.* Ejus columna erat ex ligno. Crevitque cum ipſo. Cincta erat muris, qui dejecti ſunt ex nimio concurſu Populi. 171. 2. Columnæ deſcriptio. *ibid. & ſeqq.* In Columna erat Altare. 172. 2. Ipſe enim erat Presbyter. *ibid.* Stat die ac nocte, ſubinde adorans. 171. 1. Dumque adorat, frontem inclinat uſque ad pedum digitos. *ibid.* Quidam enumerans adorationes ejus, laſſus deſtitit, poſtquam enumeraſſet vices 1244. *ibid.* Omnibus affabilis, habet donum doctrinæ à Deo & Prophetiæ. Exhortatur Populum bis in die. *ibid.* Illius Sanctitas & authoritas. 170. 1. Preces illius rogat Imperator pro pace Eccleſiæ. 187. 2. 170. 1. Ejus imagines adhuc viventis Romæ ponuntur in officinis, aliquid Præſidii inde expectantibus Romanis. 172. 1. Stetit 40. annis. *ibid.* Moritur an. 460. *ibid.*

*Simeonis Stylitis* Apologiam ſcribit Theodoretus, contra illius detractores. 170. 2.

*Simeones Stylites* fuerunt plures. 173. 2.

Simoniæ ſpecies peſſima eſt, quæ fit per pecuniam. 293. 1.

Simonianos appellari jubet Theodoſius Neſtorianos Libros & Sectatores. 152. 2. Idque ut in odium abducantur.

*Sirmondus* Theodoreti Epiſtolas non digerit ſecundum tempus. 69. 1.

*Socrates* imperitus Neſtoriani negotii. 85. 1. Putat Neſtorium rectè quidem ſentire ſed malè loqui. 57. 1.

Somnio turbatur Andreas Samoſatenſis, de redivivo ſene Hæretico Apollinario. 187. 2. Sed inaniter. 188. 2.

*Spiritus Sanctus* mittitur nobis in Baptiſmate per Filium. 253. 1.

*Spiritus Sanctus* procedit ex Filio. 16. 1. A Patre & Filio. 253. 2. Malunt Græci admittere, quod per Filium procedat, quam ex Filio. *ibid.* Ejuſdem ex Filio proceſſionem negat Theodoretus, affirmat S. Cyrillus. 250. 1. Affirmarunt Antiqui Græci. 124. 1. 254. 2. Erroris Author eſt Theodorus Mopſueſtienſis, ſuxitque hic illam ex Diodoro Tharſenſi. 110. 1. Illius proceſſionis apertè meminit Symbolum Sancti Athanaſii. 124. 1. Symbolum Conſtantinopolitanum non meminit, cur? *ibid.*

Sta-

Stabiliſtani, Stabiliani, Stabilaſiani, Stableſiani, variæ ſunt Romanorum Militum ſpecies. 200. 2.

*Subſtantia* vox aliquando accipitur pro Subſiſtentia. 252. 1.

Subſiſtentia. *Vide*, Hypoſtaſis.

Supetordinatus alteri injuſtè, jubebatur aliquando recedere, uſque ad mortem prius ordinati. 243. 2. Cui tunc ſuccedebat. *ibid.*

Suſpecti de Hæreſi nullo modo uti poſſunt Hæreticorum phraſibus ſine ſcandalo. 92. 1.

Suſpectus Epiſcopus de hæreſi non poteſt ordinare alium, priuſquam diſcutiatur ejus cauſa. 113. 2.

Suſpicio admirabilis Joannis Antiocheni de Sancto Cyrillo. 166. 1.

Symbolo addere quidquam vel demere, quid ſit? 307. 1. 2.

Symbolum Antiochenum eſt idem cum Nicæno. 122. 2.

Symbolum Sancti Athanaſii. 123. 1. Illius exempla plurima vitiata per Schiſmaticos. 124. 1.

Symbolum Conſtantinopolitanum eſt compoſitum ex Nicæno, & additamentis variarum Eccleſiarum. 123. 1. Non eſt ſtatim receptum ab omnibus Eccleſiis. 123. 2. Tandem admittitur à Chalcedonenſi, propter Eutychetem. *ibid.*

Cur appelletur Nicænum? *ibid.*

Symbolum Sancti Epiphanii. 123. 2.

Symbolum Nicænum eſt conditum contra varias Hæreſes. 74. 2. Ei nihil addendum, nec minuendum. 181. 1. Quomodo id ſit intelligendum? 272. 2. & *ſeq.* Illius Encomion. 355. 2. 357. 1. Olim ſecreto mandari debuit: non licebat illud inferere Litteris. 357. 1. Apud omnes tantæ erat authoritatis, quantæ ſunt apud nos Sacræ Litteræ. 36. 1. Non debemus illud tantum confiteri. 14 1. Sed adhærendum etiam legitimæ illius interpretationi. 138. 1. Quia non comprehendit omnia, quæ ſunt neceſſaria creditu de neceſſitate medii. 123. 1. Atque ideò Sanctus Cyrillus ad inſtantiam Maximi Diaconi & Archi-Mandritæ, Symbolum illud expoſuit. 141. 2. Erat enim fundamentum omnium eorum, quæ Epheſi acta ſunt. 182. 2. Quamquam Epheſini Patres juſta ex cauſa noluerint aliquando illi ſubſcribere. 56. 2.

Symbolo Nicæno utebantur multæ Eccleſiæ cum additamentis. 122. 2. & *ſeq.* variis ex cauſis. *ibid.*

Synagogam Judæorum exuſtam reſtitui juſſit Theodoſius major, non junior. 172. 2.

Synodus generalis nil poteſt ſine Præſide à Romano Pontifice deſignando. 95. 1.

Synodorum mos antiquus eſt, ut Epiſcoporum præſentium nomina inſcribantur tabulis, recitanda ad Sacrificium. 113. 1.

Synodo qui renuit adeſſe vocatus, non dicitur abſens, ſed contumax. 269. 2.

Synodo ſæculares adeſſe non poſſe fatetur Comes Candidianus. 39. 1.

Synodus cui adſunt Clerici, eſt tantùm Eccleſiaſticus Conventus. 164. 2.

Synodos ex advenis Epiſcopis celebrare, etiam Romanis erat familiare. 159. 1.

Synodorum Provincialium tempus erat ante Paſcha. 136. 2. Sine Metropolita celebrari ſæpiùs ſolebant. 137. 2.

Synodorum hodierna compilatio eſt alterata, & multum differt ab antiqua. 76. 2.

Synodus Epheſina refert Decretum ſuum ad Romanum Pontificem, ſupplicans id confirmari. 167. 1. Non eſt autem confirmatum per omnia. *ibid.*

Synodicas ſuas quomodo ſolebant tranſmittere Patriarchæ? 162. 2.

Syri ſunt homines verſatilis ingenii. 57. 1.

# T

Tentatio fiduciam confert ad pietatem. 19. 1. Templa Epheſi clauſa tempore Pentecoſtes, juſſu Sanctorum Cyrilli & Memnonis; ne polluerentur ea à Neſtorianis. 37. 1.

Templa Martyrum ſunt antiquiſſima. *ibid.*

Theatrorum ſpectacula Epiſcopis nullo modo licebant. 156. 2.

*Theodoretus* Cyrenſis Epiſcopus ad preces Matris naſcitur, & Deo devovetur. 241. 1. Ejus laus. *ibid.* 26. annis fuit Doctor Eccleſiæ Antiochenæ. 96. 2. Pertinaciſſimè adhæret perſonæ Neſtorianæ. 127. 1. Non dogmati. 117. 1. Fuit enim in animo Orthodoxus. 200. 1. 2. Etſi & adhæſerit Neſtoriano Conventiculo. 44. 1. 59. 1. 61. 2. Et unus ſit ex Legatis Neſtorianis. 100. 2. & *ſeqq.*

Theodoretum Orthodoxum obſtupet Sanctus Cyrillus ſibi contradicere. 211. 2. Excluſus Templis concionatur in loco profano. 37. 1. Ejus eloquentia mirificè permovetur Populus Conſtantinopolitanus. 127. 1. Elegantiſſima illius invectiva ad Populum contra Epheſinum Concilium. 115. 2. Probabile tamen eſt, quod non ſit Theodoreti. 117. 1. & *ſeq.* Populo eidem mittit rectam profeſſionem Fidei ſuæ. 124. 2. Lachrimans propter ea quæ audit ſchiſmata, *ibid.* Vult cedere propterea Epiſcopatui & ad Monaſterium redire. 192. 2. 309. 1. 193. 1. Fuerat enim Monachus. *ibid.* Imperator excludit eum à civitate Conſtantinopolitana. A qua Theodoretus prohibitus, gaudet quod non ſit Cœlorum Regno excluſus. 115. 2. Semper autem fuit amator pacis. 310. 2. Lecta namque Sancti Cyrilli Epiſtola, de illo rectè ſentit. 192. 1. 2. & *ſeqq.* Hortaturque Joannem Antiochenum ad pacem. 313. 2. Pacem omni modo deſiderat. 224. 2. 175. 2. & *ſeq.* Pergens conſtanter approbare Sancti Cyrilli Epiſtolam. 199. 2. Pace inita, diſplicet illi quod Joannes Antiochenus omnes conditiones ſuſceperit, quas Sanctus Cyrillus propoſuit. Conqueritur de Joanne. 290. 1. 218. 2. & *ſeq.* Separatque ſe ab illius Communione. 290. 2.

290. 2. Ab Imperatore circumſcribitur intra Cyrenſem civitatem. 293. 2. Fit denuò pro pace zeloſiſſimus. 324. 1. Quam init cum Joanne. 316. 2. Ejus tum cura pro Alexandro Sene Hierapolitano Epiſcopo. Joannem rogat ut illi parcat. 333. 2. Senem hortatur ut pacem ſuſcipiat. 329. 2. Ipſumque Neſtorium callidè monet, ut Alexandrum hortetur ad pacem condeſcendere. 331. 1. Si tamen hæc ſit Theodoreti Epiſtola. 331. 2. Etſi vero poſt pacem videretur Neſtorio communicaſſe. 331. 1. Fuit tamen ſemper immunis à Neſtoriana hæreſi. 345. 2. Nec fuit Author negandi Proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre & Filio. 76. 1. Quem errorem hauſit ex Theodoro & Diodoro. 148. 1. Theodoretus utitur auctoritate S. Damaſi, & Romanæ Eccleſiæ elogia partitur, antequam ab ea accepiſſet reparationis juſtitiam. 91. 2. Hanc vero accepit ſine Palinodia. 48. 2. Tandem conſentit condemnationi Neſtorii, publicè in Chalcedonenſi. 241. 1. Cujus communionem abdicat in manibus Leonis Papæ. 217. 2. Adverſus autem Sancti Cyrilli Capitula ſemper egit pertinaciter. Aliquando illa damnari voluit. 100. 2. 224. 2. Illis reſtitit uſque ad extremum Spiritum. 196. 1. Eſtque Sancto Cyrillo vivo & mortuo intrepidè ſemper adverſatus. 70. 2. Pacificè autem & orthodoxè mortuus. 137. 1. Poſt mortem honoratur ut Martyr à Sergio Cyrenſi Epiſcopo. 155. 1. Imago ejus rhedæ impoſita, inter Cleri cantus in civitatem introducitur. *ibid.*

*Theodoreti* Scripta contra Sancti Cyrilli Capitula. 62. 1. Cur, quomodo, quando, & quoties ſcripſerit? 62. 2. *& ſeq.* Recognoſcit aliqua opera ſua. 126. 2. 127. 2. Theodoreti Scripta quædam ſunt damnata. 50. 1. Non eſt tamen compulſus ea abjurare Chalcedone, ſed ſolum anathematizare Neſtorium. 49. 1.

*Theodoreti* vindicatio à ſuſpicione hæreſis. 350. 2.

*Theodorus* Mopſueſtienſis Epiſcopus, primus Auctor Pelagianiſmi, tradux & Propago Neſtorianiſmi. 84. 1. 133. 2. 143. 1. 150. 2. Tanti fit à Populis, ut acclament illi, *Creſcat fides Theodori, ſic credimus ſicut Theodorus*. 148. 2. Illius videndi deſiderio Theodoſius Imperator audit eum concionantem. 143. 1. In Concione Antiochena negans Deiparam pœnè lapidatur; ſed canit palinodiam. 143. 1. 149. 2. Eſt cauſa cur in Conſtantinopolitano non fuerit additum *Filioque*. 143. 1. Eſt mortuus anno 432. Poſt mortem honoratur ut Martyr à Sergio Cyrenſi Epiſcopo. 155. 1.

*Theodori* damnatio poſt mortem. 150. 2. Dicitur blaſphemus, fera habens diabolicam formam hominis. 137. 2.

*Theodori* Scripta ſunt penitus impia. 144. 1. Damnata poſt illius mortem. 360. 1. Scripſit autem decem millia Librorum. 139. 2. 142. 1. 146. 1. An omnia ſint damnata? 139. 2.

Theodoriana factio audax & elata. 146. 1. Comburi malunt quam pati quod Theodorus damnetur poſt mortem. 162. 2.

*Theodoretus* Ancyranus diſputat Epheſi, antè Synodum, cum Neſtorio. Quem & convincit. 120. 1. Eſtque illa diſputatio Palmare fundamentum damnationis Neſtorii. *ibid.*

*Theodoſius Junior* Imperator Pius & Orthodoxus: 55. 1. Ejus laus. *ibid.* Scandalizatus quod Meletium audiret Deitatem paſſibilem dicentem, chlamidem abjicit. 88. 1. Ad ipſum recurrunt Neſtorius, Sancti Cyrillus ac Memnon. At ille omnes tres primò hæreticos cenſens, cuſtodiri eos præcipit. 60. 2. *& ſeq.* Exiſtimat acquieſcendum ſoli Symbolo Nicæno. Id facit ex Conſilio Acacii Berrhæenſis. *ibid.* à Neſtorianis circumſcribitur. 77. 1. Quinquies audivit cauſam Neſtorii & S. Cyrilli. 92. 2. Tandem ita averſatur Neſtorium, ut ne nomen quidem ejus audire velit. 101. 1. 82. 1. 2. Nihil fecit ſine prævia relatione ad Romanum Pontificem. 168. 1. *Vide* Imperator Theodoſius.

*Theodoſii* Sorores Virginitatem voverant. 299. 1. Earum laus. 298. 1. Dedicavit illis Sanctus Cyrillus libros ſuos contra Neſtorium. *ibid.* Earum Opera imploratur à Neſtorianis. *ibid.*

*Theophilus* Alexandrinus, Sancti Cyrilli avunculus & in Cathedra Anteceſſor: 182. 2. Malignè inſectatus eſt Sanctum Joannem Chryſoſtomum. 211. 2.

Traditiones. 18. 1. 44. 1. 114. 1. 161. 1. 335. 2. 146. 1. 150. 2. 360. 1.

Traditiones ſunt depoſitum, quod accepimus à Patribus, & commendare debemus filiis noſtris. 18. 2. 58. 2. 74. 1. 2. Pro illis eſt moriendum. 23. 2.

Traditiones ſunt regula fidei firmiſſima in materia fidei. 92. 1. 2. Etiam fuit Regula Imperatorum, cum ſtatuebant aliquid de fide. 99. 1. 122. 1.

*Tragœdia* eſt liber infamis & Hæreticus, ab Irenæo ex vindicta compoſitus. 70. 2.

Trinitate è Sanctiſſima unus eſt paſſus. 128. 1.

Turbulentos ſola decet ſolitudo. 84. 1.

*Typus* Græcè, Latinè *Forma* dicitur. 82. 2. Eſt Epiſtola, qua à Principe aliquid conſtituitur. *ibid.* 101. 2.

Tyriæ Cathedræ præeminentia. 358. 1. *& ſeq.* Eſt prima Sedes poſt Antiochenam. Illiuſque Epiſcopus locum tenet defuncti Patriarchæ Antiocheni. *ibid. & ſeq.*

Tyrii purgant ſe à ſuſpicione Neſtorianiſmi, quam incurrerant per Epiſcopum ſuum Cyrum Neſtorianum. 68. 2.

# V

VAcationis in Synodo regula. 120. 1. Vacationis in Curia Regula Romana, non caret antiquis fundamentis. *ibid.*

Vela Regiis Inſigniis ornata, cum alibi ſuſpendebantur, ſignificabant injectionem manus Regiæ. 287. 2.

Vela conſiſtorii quæ ſint? 82. 2.

Vera

Digitized by Google

Vera miſcere falſis eſt ſolemnis mos infirmitatis humanæ. 297. 1.

*Verbum* eſt imago & figura & ſplendor Patris. 15. 1. Eſt incarnatum, ut eſſentiæ noſtræ benedicat initium. 16. 1. In ſua Hypoſtaſi creavit ſibi carnem & animam. 206. 2. Unitum carni ſecundùm ſubſiſtentiam, dominatur univerſo. 14. 2. Opifex univerſi. 16. 1.

*Verbum* Carne paſſum, Carne guſtavit mortem, ex mortuis Primogenitum. 17. 1.

*Verbum Caro factum* eſt Apollinariſtarum latibulum. 184. 2.

*Verbi* natura nec in Carnis naturam, nec Carnis natura eſt in Verbi naturam mutata. 14. 1.

*Verbi natura eſt incarnata*: Propoſitio eſt æquivoca, quæ multas peperit difficultates. 232. 2. Tres habet ſenſus, *& ſeq.* Eſt aſſerta à Sancto Athanaſio. 233. 1. *& ſeq.* Aſſumpta à Sancto Cyrillo. *ibid.* Non approbata ab Epheſino aut Chalcedonenſi. *ibid.* Sed definita à Sancto Martino Papa. 232. 1.

Veritas non armatur divitiis, ſed lachrymis & gemitibus. 326. 2. Non defenditur dolo, nec illo dilatatur. 350. 2.

Veritas Chriſtus eſt. 303. 2.

Verſipelles comparantur multipedibus, Chamæleontibus. 279. 1. Animalibus quæ ad aſpectum cujuſvis coloris mutantur. 316. 1.

Victoriam de ſeſe mutuò retuliſſe, lepidè exiſtimant Sanctus Cyrillus & Joannes Antiochenus. 218. 2.

Vitalis Diſcipulus Apollinarii. 210. 2. Ob virtutes ſuas morales diligitur à Sancto Gregorio Nazianzeno. 211. 1. Fingens ſe Orthodoxum circumſcribit Sanctum Papam Damaſum. *ibid.* Sed fraude detecta, damnatur Apollinariſta. *ibid.*

*Unus* unitatem Perſonæ, *Unum* ſignificat unitatem naturæ. 184. 2.

Unio authoritatis & dignitatis eſt novitas vocum Neſtoriana. 14. 2.

*Unio Hypoſtatica* Vox quando & quare in Eccleſiam ſit introducta? 135. 2. Exponitur. 206. 2. Eſt facta in principio conceptionis. *ibid. & ſeq.* 227. 2. Si priùs fuiſſet homo quam Hypoſtatica Unio, non poſſet natura humana aſſumi ſecundùm Hypoſtaſim, ait Athanaſius Sinaita. 207. 1.

Unionem naturarum Neſtorius admittit ineffabilem. 51. 1.

Voluntatem noſtram Deus intuetur, ut hanc puniat vel præmiet. 277. 2.

Votum Sacramenti in mortis Articulo ſufficere, dum deeſt Sacramenti copia, Traditio eſt antiqua. 159. 2. 160. 2. *& ſeq.*

Vocis Æquivocatio eſt vitanda in determinatione quæſtionis de fide. 107. 1. Illa quæ concordat cum Scriptis Sanctorum Patrum, non eſt anathematizanda. 146. 2. Interdum eſt neceſſaria. 147. 2.

Utile non vitiatur per inutile. 96. 1.

## Z

ZEugmatenſis Synodus. 262. 2. 263. 1.


# *FINIS INDICIS.*